SC.15.Pl.6.

37
23 A
2

ARA236

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIA SACRA
VULGATAE EDITIONIS
SIXTI V. PONTIFICIS MAXIMI
iuſſu recognita,
& CLEMENTIS VIII.
auctoritate edita

cum ſelectiſſimis Litteralibus Commentariis

IOANNIS GAGNAEI,
IOANNIS MALDONATI,
EMMANUELIS SA,
GUILIELMI ESTII,
IOANNIS MARIANAE,
PETRI LANSSELII,

THOMAE MALVENDAE,
IO. STEPHANI MENOCHII,
IACOBI TIRINI,
IACOBI GORDONI,
& IACOBI BENIGNI BOSSUET.

ACCEDUNT

Romanæ Correctiones, ac Lectionum Varietates a FRANCISCO LUCA BRUGENSI obſervatæ, & Notationes in loca variantia ab eodem concinnatæ, in ſua ſingulæ capita tributæ: nec non ſelecta variorum Prolegomena, nunc primum in unum collecta: indices denique plures accuratiſſimi.

TOMUS SECUNDUS
complectens EXODUM, & LEVITICUM.



VENETIIS
MDCCXLVII.

Excuderunt { MODESTUS FENTIUS, & IOANNES TYBERNINUS ſub ſigno Providentiæ.

SUPERIORUM PERMISSU AC PRIVILEGIO.

Digitized by Google

LIBER EXODI,
HEBRAICE VEELLESEMOTH.

HUNC Librum a Moſe ipſo conſcriptum fuiſſe, eumque adeo genuinum eſſe, multis argumentis demonſtratur. Nam portentoſi eventus, qui in hac narrantur hiſtoria, ab eo tantum qui coram adfuit, aut præfuit, ſcribi potuerunt. Quod ſi horum memoriam adeo ſolicite conſervatam voluit Moſes, cur eorum hiſtoriam non ſcripſerit? At, inquit Theologo-politicus, *liber erat Bellorum Domini, qui cap.* XXI. *Numerorum citatur, in quo pugnam contra Amalec iuſſu Dei enarravit. An illud cuiquam probari poteſt librum extitiſſe a Moſe ſcriptum, in quo bella Iſraelitarum & Caſtrorum diſpoſitiones eſſent diligenter deſcriptæ, neque id ei in mentem veniſſe, ut exitum populi Dei ex AEgypto, & alia memoria poſteritatis digna, quorum tot erant monimenta in Religione ipſa Iudæorum, ac Legem ipſam fuſiori ſtylo expoſitam mandaret litteris? Siquidem Religio pene omnis Iudaica eſt huius exitus, & eorum quæ facta ſunt prodigiorum in AEgypto inſigne monimentum. Huius generis fuere primogeniti AEgyptiorum interfecti, & Iſraelitarum liberatio, tranſitus maris Rubri, exercitus Pharaonis in mari ſubmerſus, & populus Dei in Deſerto per* 40. *annos conſervatus. Et quidem cap.* XVII. *Exodi hæc legimus*: Fugavitque Ioſue Amalec, & populum eius in ore gladii. Dixit autem Dominus ad Moyſen: Scribe hoc ob monimentum in libro, & trade auribus Ioſue: delebo enim Amalec ſub cælo. *Liber ille alius eſſe non poteſt quam Exodi liber: non enim ait Deus, Huius pugnæ hiſtoriam ſcribe: ſed* ſcribe hoc ob monimentum in libro. *Ergo liber erat Dei iuſſu ſcriptus, in quo ea quæ populo Dei accidebant, memoria poſteritatis digna ſcribebantur.*

Quid autem memorabilius quam ipſe exitus ex AEgypto tot prodigiis inſignis? An vir ſapientiſſimus ea litteris mandare noluit,

Digitized by Google

quorum tot monimenta ſupereſſe voluit? An memoriæ poſteritatis pugnam Amalec iuſſu Dei mandavit, & quod præcipuum erat, exitum & liberationem populi Dei ſilentio prætermiſit? Cum pugna illa ipſius liberationis minutior eſſet particula: & tamen memoriam huius eventus conſervari iubet Deus.

Hic itaque liber ita inſcribitur, quod exitum populi Dei ex AEgypto, quaque tum acta fuerint, complectatur. Tres in partes tribuitur. In prima, quæ exitum populi Dei præceſſerunt; in ſecunda, quæ in ipſo exitu contigere; in tertia denique præcepta Dei cum moralia, tum quæ ad ritus divinos, aut ad cæremonias ſpectant, continentur.

Moſem Deus elegit qui populum educeret ex AEgypto, eumque primus regeret, ſanctis Legibus in unum corpus devinciret, & ſacris ritibus Chriſti venturi Myſteria adumbraret. Nam ut præclare Aug. Lib. XXII. *contra Fauſtum, cap.* XIV. Totum illud regnum Gentis Iudæorum magnus quidem Propheta, quia & magni Prophetæ fuit. *Item Lib.* VII. *de Civit. Dei cap.* XXXI. Non ſolum omnes Prophetiæ, & præcepta vitæ, verum etiam ſacra Sacerdotia, Tabernaculum, ſive Templum, Altaria, Sacrificia, Cæremoniæ, dies feſti, & quidquid aliud ad ſervitutem pertinet quæ debetur Deo, ea ſignificaverunt, atque prænuntiaverunt, quæ propter æternam vitam fidelium in Chriſto & impleta credimus, & impleri cernimus, & implenda confidimus. *Moſes is ipſe typus fuit Chriſti, Mater eum exponens, Synagogæ, filia Pharaonis Moſem excipiens, Eccleſiæ Gentium. Redditur Moſes Matri, Iudæi in Chriſtum ſub finem mundi ſunt credituri.*

Digitized by Google

CAPUT I.

Nomina filiorum Iſrael qui AEgyptum ingreſſi ſunt; quorum multiplicationem novus Pharao fruſtra impedire nititur onerum impoſitione, maſculorum cæde ac ſubmerſione: de obſtetricum miſeratione, & earum a Deo præmiatione.

1 HAEc ſunt (*a*) nomina filiorum Iſrael qui ingreſſi ſunt in AEgyptum cum Iacob: ſinguli cum domibus ſuis introierunt: 2. Ruben, Simeon, Levi, Iudas, 3. Iſſachar, Zabulon & Beniamin, 4. Dan, & Nephthali, Gad, & Aſer. 5. Erant igitur omnes animæ eorum qui egreſſi ſunt de femore Iacob, ſeptuaginta; Ioſeph autem in AEgypto erat. 6. Quo mortuo, & univerſis fratribus eius, * omnique cognatione illa, 7. (*b*) filii Iſrael creverunt, & quaſi germinantes multiplicati ſunt; ac roborati nimis, impleverunt terram. 8. Surrexit interea rex novus ſuper AEgyptum, qui ignorabat Ioſeph; 9. & ait ad populum ſuum: Ecce, populus filiorum Iſrael multus, & fortior nobis eſt. 10. Venite, ſapienter opprimamus eum, ne forte multiplicetur; & ſi ingruerit contra nos bellum, addatur inimicis noſtris; expugnatiſque nobis, egrediatur de terra. 11. Præpoſuit itaque eis magiſtros operum, ut affligerent eos oneribus: ædificaveruntque urbes tabernaculorum Pharaoni, Phithom, & Rameſſes. 12. Quantoque opprimebant eos, tanto magis multiplicabantur, & creſcebant: 13 oderantque filios Iſrael AEgyptii, & affligebant * illudentes eis; 14. atque ad amaritudinem perducebant vitam eorum operibus duris luti, & lateris, omnique famulatu, quo in terræ operibus premebantur. 15. Dixit autem rex AEgypti obſtetricibus Hebræorum (quarum una vocabatur Sephora, altera Phua) 16. præcipiens eis: Quando obſtetricabitis Hebræas, & partus tempus advenerit: ſi maſculus fuerit, interficite eum; ſi femina, reſervate. 17. Timuerunt autem obſtetrices Deum, & non fecerunt iuxta præceptum regis AEgypti, ſed conſervabant mares. 18. Quibus ad ſe accerſitis, rex ait: Quidnam eſt hoc quod facere voluiſtis, ut pueros ſervaretis? 19. Quæ reſponderunt: Non ſunt Hebrææ ſicut AEgyptiæ mulieres: ipſæ enim obſtetricandi habent ſcientiam, & priuſquam veniamus ad eas, pariunt. 20. Bene ergo fecit Deus obſtetricibus: & crevit populus, confortatuſque eſt nimis. 21. Et quia timuerunt obſtetrices Deum, ædificavit eis domos. 22. Præcepit ergo Pharao omni populo ſuo, dicens: Quidquid maſculini ſexus natum fuerit, in flumen proiicite; quidquid feminini, reſervate.

(*a*) Gen. xlvi. 8. (*b*) Act. vii. 17.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 6. *Omnique cognatione illa*. Cave mutes pronomen demonſtrativum *illa*, cum poſſeſſivo *ſua*.

V. 13. *Illudentes eis*. Quod ſubiungitur a quibuſdam libris, & *invidentes*, ſuperfluit.

COMMENTARIA

S A.

Verſ. 1. DOMIBUS, ideſt familiis. *V.* 3. BENIAMIN. Præponitur aliis, quod filii eſſent ancillarum.

V. 5. SEPTUAGINTA, ſcilicet connumerando etiam ipſum Iacob. LXX. *Septuaginta quinque*. Vide Gen. xlvi.

V. 6. COGNATIONE ILLA, ſcilicet proxima. Hebraice, Cald. & LXX. *Generatione illa*, ideſt hominibus illius ætatis.

V. 7. GERMINANTES, ſcilicet in maxima copia, more piſcium, ut indicat verbum Hebr. TERRAM, ſcilicet in qua habitabant.

V. 8. IOSEPH, ideſt beneficia a Ioſeph in AEgyptum collata.

V. 10. EXPUGNATISQUE NOBIS. Hebr. *Pugnetque contra nos*.

V. 11. MAGISTROS OPERUM. Hebraice, *Principes tributorum*. LXX. *Præfectos operum*. TABERNACULORUM, ideſt repoſitoriorum, ſcilicet ubi reponebatur oleum, vinum, triticum, &c. Chald. *theſaurorum*. RAMESSES. LXX. addunt, *& On*, quæ eſt Heliopolis.

V. 13. ILLUDENTES. Id non eſt Hebr.

V. 14. TERRAE, ideſt agrorum, ut patet ex Hebraico, Chaldaico, & LXX.

V. 15. SEPHORA, &c. Hæ duæ præcipuæ. & velut ceterarum præfectæ erant. Auguſtinus Lib. contra Mend. cap. xvi. putat obſtetrices illas fuiſſe Hebræas, cui favet textus Hebr.

V. 21. AEDIFICAVIT EIS DOMOS; ideſt, *dedit prolem numeroſam*: Hebr.

E S T I I.

Verſ. 10. VENITE, SAPIENTER OPPRIMAMUS EUM. *Sapienter*, ideſt prudenter ſecundum hominem, callidoque conſilio. Poteſt autem duobus modis intelligi: vel ut conſilium tendat in finem oppreſſionis, ſitque ſenſus: Ineamus conſilium, quo poſſimus hunc populum opprimere: vel rectius, ut conſilium tendat ad impediendam populi multiplicationem; quaſi dicat: Opprimamus aliquo labore, ac ſervitute populum, ne multiplicetur, ac multiplicatus potentior nobis evadat: ſequitur enim: NE FORTE MULTIPLICETUR, ET SI INGRUERIT CONTRA NOS BELLUM, ADDATUR INIMICIS NOSTRIS.

V. 20. BENE ERGO FECIT DEUS OBSTETRICIBUS. Quæritur quare benefecerit. Et videtur prima fronte huius beneficii divini meritum fuiſſe pium, ſeu officioſum mendacium, quo maluerunt fallere regem, quam innocentes perdere. Sed quæſtionem hanc clare diſſolvunt verba ſequentia: *Et quia timuerunt obſtetrices Deum, ædificavit eis domos*. Non ergo propter mendacium, ſed propter pietatem, miſericordiam, & timorem Dei acceperunt obſtetrices remunerationem a Deo. Unde Auguſt. Lib. contra Mendacium cap. xv. *Quod ſcriptum eſt*, inquit, *bene Deum feciſſe Hebræis obſtetricibus, non ideo factum eſt, quia mentitæ ſunt, ſed quia in homines Dei miſericordes fuerunt. Non eſt itaque in iis remunerata fallacia, ſed benevolentia, benignitas mentis, non iniquitas mentientis*. Sic ille: & ſimilia habet Gregor. Lib. XVIII. Moral. cap. iv.

V. 21. AEDIFICAVIT EIS DOMOS. Non eſt hoc accipiendum de materiali extructione ædificiorum; ſed phraſi Scripturæ per domos, familiæ intelliguntur. Sic domus Aaron, familia Aaron; domus Iuda, familia Iuda; domus David, familia David. Senſus ergo eſt: Deus fecit familias earum prole numeroſas, eaſdemque locupletes, & honorabiles: hæc enim ad felicitatem familiarum pertinere putantur. Et ſimilis phraſis eſt Gen. xxx. ubi dicit Iacob ad Laban: *Iuſtum eſt igitur ut aliquando provideam domui meæ*: ubi Septuaginta reddentes ad verbum, quod eſt in Hebræo ſic habent: *Nunc igitur quando faciam & ego mihi ipſi domum?* quaſi dicat: Quando ſtudebo provehendæ familiæ meæ? Hieron. ſuper Iſaiæ lxv. dicit, quod Deus ædificavit obſtetricibus domos, ideſt manſiones in cælo. Sed e contra Gregor. affirmat eas mentiendo excidiſſe a mercede æterna, eo quod mentitæ ſint pro vi-

vi-

Digitized by Google

vita ſua temporali. Sed problematice hæc diſputantur. Nam & Raab meretrix mentita eſt, Ioſue II. & tamen laudatur Iacobi II. Vide in III. Sentent. diſt. XXXVIII.

MARIANAE.

Verſ. 5. ANIMAE .... SEPTUAGINTA. *Animæ*, ideſt homines. *Septuaginta*. Sept. *Septuaginta quinque*, de quo in Geneſ. cap. XLVI. verſ. 27. Ceterum Deuteron. X. verſ. 22. Hebraice, & Græce *ſeptuaginta* animas deſcendiſſe in AEgyptum dicitur. Quod additur, IOSEPH AUTEM IN AEGYPTO ERAT, Hebraice, *Et Ioſeph fuit in AEgypto*: quod Chald. & Hebræi explicant, cum Ioſeph, qui erat in AEgypto, ſcilicet fuerunt ſepuaginta animæ, ut in numero ſeptuagenario Ioſeph etiam includatur.

V. 11. PRAEPOSUIT ITAQUE EIS MAGISTROS OPERUM. Vox Hebraica מסים *miſim* ſignificat *tributa*. Itaque præfecit exactores tributorum. UT AFFLIGERENT EOS ONERIBUS. Onera vocat tributorum impoſitionem. Et quod ſequitur, AEDIFICAVERUNTQUE URBES TABERNACULORUM PHARAONI, *theſaurorum* explicant alii: nempe ut in illis reconderet quod ex tributis eſſet redactum. Alii *urbes munitas* explicant, & vocem משכנות *miſcenotv* non ſolum *tabernacula*, ſed *arces* ſignificare contendunt. PHITHOM, ET RAMESSES. Sept. addunt tertiam urbem *On*, quæ eſt Heliopolis; ſed vitioſe.

V. 13. ODERANTQUE FILIOS ISRAEL AEGYPTII, ET AFFLIGEBANT. Hebraice tantum eſt, *Et anguſtiabantur* (ſupple, AEgyptii) *a facie filiorum Iſrael*, ideſt propter filios Iſrael.

V. 14. OMNIQUE FAMULATU, QUO IN TERRAE OPERIBUS PREMEBANTUR. Hebr. *Et in omni ſervitute in agro*. Certe cogebant eos ut terram colerent.

V. 19. IPSAE ENIM OBSTETRICANDI HABENT SCIENTIAM. Vocem חיות *Haioth*, quæ a *vita* derivatur, quidam ponunt in ſignificatione obſtetricum, quod vitam dent proli; & eo reſpexit Hieronymus. Alii explicant *vivaces*, hoc eſt ingenioſæ, fortes: eo reſpexit Chaldæus, cum poſuit: *Quia ipſæ ſapientes ſunt, non egent noſtra opera, & arte*: aut ita ſunt fortes, ut ſine obſtetricibus pariant.

V. 21. AEDIFICAVIT EIS DOMOS. Filius ſæpe ædificium dicitur: ergo, dedit eis filios, & poſteritatem, ideſt *ædificavit eis domos*: aut ſortem inter filios Iſrael acceperunt.

V. 22. IN FLUMEN PROIICITE. Hebraice, *Proiicite eum*, ſcilicet maſculum, nulla mentione de flumine, ſed bene ſuppletur Pharaonis præceptum.

MALVENDAE.

Verſ. 7. ET QUASI GERMINANTES. * Rabbi Selomoh: *Sex generabantur in ventre uno*, ideſt uno partu. Aben-Ezra: *Forſan hoc indicat, quod illorum uxores geminos, aut amplius pariebant filios. Et ego vidi quatuor filios, quos uno partu peperit mulier una. Et medici ſcribunt, quod uſque ad ſeptem poſſunt eſſe in utero uno.* Ariſtoteles de Hiſtoria Animalium Lib. VII. cap. V. *Namque & plurimæ & pluribus locis ſingulos pariunt mulieres; multæ & multis gemellos, ut toto ambitu terræ AEgypti; quinetiam ternos, quaternoſque quibuſdam locis non paucis. Non plures pariunt quinis: id quod eveniſſe, multis obſervatum eſt. Quædam vero viginti peperit, quater quinos ſcilicet; ac eorum plerique educati ſunt.* Plinius Lib. VII. cap. III. *Ter geminos naſci certum eſt, Horatiorum, Curiatiorumque exemplo: inter oſtenta ducitur, præterquam in AEgypto, ubi fetifer potu Nilus. In AEgypto ſeptenos uno utero ſimul gigni, auctor eſt Trogus.* Strabo Lib. XV. *Nilus ceteris fecundior: AEgyptiæ quoque mulieres interdum quater geminos pariunt. Narrat Ariſtoteles quamdam ſeptem geminos peperiſſe.* Paulus Iuriſconſultus lege III. Digeſtorum: *Multas AEgypti uno utero ſeptenos.* Vide Gellium Lib. X. cap. II. Hæc cauſa, & divina etiam cura tantopere auxit Iſraelitas.

V. 8. REX NOVUS. Qui hunc Aſſyrium genere faciunt, ex Iſaiæ LII. 4. non plane locum Iſaiæ intellexerunt, ut ibidem videbimus. Si oppreſſio Iſraelitarum AEgyptiaca cœpit ſtatim poſt mortem Levi, ut eſt veriſimile e verſ. 6. qui vixit 23. annos poſt extinctum Ioſephum, ſecundum rationes Euſebianas; Miſphragmuthoſis, aut qui ei ſucceſſit, Thomoſis, fuit rex iſte AEgyptiacus qui cœpit Hebræos affli-

ſligere ; ſecundum rationes vero Africani ex Manethone, Miſphotis, vel huius anteceſſor, Amérſis, qui uterque fuit ex 17. dynaſtia Dioſpolitarum. Recentiores Amenophim, ſeu Memnonem Lapidem loquentem exiſtimant. Sunt hæc ex profundo vetuſtatis occulta. Conſule recentiores Chronologos. De Memnone lapide loquente plura habes in Antichriſto Lib. VIII. cap. XXVII. QUI IGNORABAT IOSEPH: ingratus, & immemor beneficiorum quæ Ioſeph in AEgyptum, & in domum regiam contulerat, Geneſ. XLVII. verſ. 20.

V. 9. FORTIOR NOBIS EST. Hebr. *Oſſeus, roboratus, compactus, conſolidatus, condenſatus de nobis*. Duplicem ſenſum fert. I. ideſt, ex noſtris ſubſtantiis, de noſtris opibus compactus & condenſatus eſt: nos exuſſit, ut ſe condenſaret. II. *Opulentior, & compactior nobis eſt*, ut illud *de a nobis*, ſit *præ nobis*, magis quam nos. Sic particula מִן *min*, *de*, in comparationibus utuntur Hebræi.

V. 10. SAPIENTER OPPRIMAMUS EUM. Hebræa varie reddunt. I. *Sapientiores ſimus illo*. II. *Sapientes nos faciamus ei*; hoc eſt, ſapienter opponamus nos illi. III. *Sapientes ſimus propter eum*. IV. *Sapiamus in illum*. V. *Sapientes nos præſtemus propter illum*. VI. *Sapientes erimus contra eum*. VII. *Conſilium capiamus de ipſis*. VIII. *Callide circumveniamus eum*. IX. *Sapienter geramus nos ipſi*; ideſt, adverſus ipſum: aſtute illos opprimamus, Ex verbo: *Sapientificabimus nos ei*; hoc eſt, rationem aliquam ſubtilem & callidam reperiamus qua eum poſſimus opprimere; noſtras artes ei intentemus. Verbum ex Hithpahel, conſilium magna arte, & calliditate captum de opprimendis Iſraelitis indicat; quaſi dicat: Vim omnem ingenii & ſapientiæ intendamus, omne noſtrum acumen fatigemus ad inveniendam rationem qua iſtorum progreſſibus & incrementis obviam eamus. ET SI INCRUERIT CONTRA NOS BELLUM. Hebr. ex verbo: *Et erit quia vocabunt bellum*. Forſan indicat: ſi aliquando Iſraelitæ in nos externum bellum accerſant, aut in nos alias gentes vocent, vel excitent; ut Hebræum verbum femineum illis tribuat ob contemptum. Hebræi tamen exponunt: *Et erit cum contigerint*, evenerint, occurrerint, inciderint, *bellum*: verbum plurale cum nomine ſingulari conſtructum, reſolvunt cum contigerint bellum & bellum, ideſt varia bella. Quidam: *Si quando inciderint* (occaſiones) *belli*. Similem ellipſim coniugati eſſe volunt Geneſ. XVIII. 21. EGREDIATUR DE TERRA. Hebr. *Et aſcendet de terra*. Fortaſſe, ſuperabit, ſubiugabit terram noſtram, nos ſibi ſubiiciet. Hiſpanice, *Levantarſea con la tierra*. Noſter, & alii communiter intelligunt, ut egrediatur, faceſſat hinc e terra noſtra, recedatque a nobis in avitum ſuum ſolum, unde huc venit.

V. 11. URBES TABERNACULORUM. מסכנות *miſcenoth* varie convertunt, *granariorum*, *apothecarum*, *penuum*, *penuariorum*, *promptuariorum*, *repoſitoriorum*, *cellariorum*, *cenſuum*, *fructuum cenſualium*, *theſaurorum*, *fiſcorum*, *munitionum*, *armamentariorum*: omnia enim hæc ſubeſſe putant Hebraicæ voci. Aliene quidam, *Urbes incluſionum*: quod eis includerentur, & cuſtodirentur theſauri, arma, fructus, & alia eiuſmodi: vel quod muris eſſent incluſæ; quaſi dicas, urbes muratas, aut munitas. Univerſe ſignificat id nomen ea quæ conferunt, conducunt, quæ uſui ſunt, & proſunt. *Proma conda* neutro genere apte nonnulli exponunt. Sexies in Scriptura invenitur. Noſter II. Paralipom. XVI. 4. & cap. XVII. 12. *muratas*, II. Paralipomen, VIII. 4. *munitiſſimas*, I. Reg. IX. 19. *munivit*, II. Paralipom. XXXII. 28. *apothecas*, hic *tabernacula* reddidit, a שכן *ſchacan* cum Scin, quod eſt, *ſcenitare*, *tabernaculare*. PHITHOM. Divinant qui Tanaim eſſe volunt AEgypti metropolim Ptolemæo Lib. IV. cap. V. dicta forſan a פתן *pethen*, *aſpide*, quod plures ibi eſſent aſpides, ut eſt aſpidum frequens AEgyptus, quæ vel morte Cleopatræ nobiles. Sic plures AEgypti urbes ab animalibus nomen ſortitæ, ut Oxyrinchus, ab eo piſce, Thmuis ab hirco, urbs Crocodilorum, & aliæ. Quidam ſuſpicantur eſſe Butum, vel Butin AEgypti urbem, contra oſtium Nili Sebennyticum, templo & oraculo Latonæ celebrem, apud Herodotum Lib. II. n. 49. 63. 75. 155. alii Patumon Arabiæ oppidum, AEgypto confine, quo foſſa a Nilo ad ſinum Arabicum perducta eſt: quod opus Iſraelitarum eſſe putant, in quo teſte Herodoto, centum viginti millia hominum pe-

Digitized by Google

perierint. Sed cum Herodotus ſcribat opus fuiſſe Necho regis AEgypti, cuius Scriptura meminit; aiunt falſum fuiſſe Herodotum: quem vide Lib. II. numero 158. ſed ii magis videntur harioli quam Scripturæ interpretes. Beniamin Tudelenſis Pium appellat. *Hæc*, inquit, *olim Pithom dicebatur. Viſuntur autem adhuc hodie non exigua monumenta operum a patribus noſtris in illius urbis ædificatione extructorum*. Vide cap. XIII. 20. RAMESSES. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Rameſſes urbs, quam ædificarunt filii Iſrael in AEgypto: olim autem & univerſa provincia ſic vocabatur, in qua habitavit Iacob una cum filiis*. Recte: nam hæc urbs in ea regione videtur condita quæ Rameſſes dicebatur, Geneſ. XLVII. verſ. 11. Vide ibi nobis annotata. Falſo quidam Peluſium, vulgo Damiatam putant, diverſum a Rameſſes, Geneſ. XLVII. 11.

V. 13. ILLUDENTES EIS. בפרך *beparec*, conſentiente voce Latina, reddunt, *In ferocia*: alii, *In duritia, rigore, auſteritate, aſperitate, ſævitia, tyrannide, contritione, confractione*. פרך *perec* cuncta iſta complectitur. Opprimebant eos duriter, ſæviter, ferociter, quaſi conterentes & confringentes eos, citra ullam clementiam, aut miſericordiam omnino tyrannice. Exiſtimant I. Petri II. verſ. 13. verti σκολιὰν ideſt *pravitatem*. Hebræi effinxerunt verbum פרך *parac*, de convulſione, quæ ungue fit: quod non male huic loco congruit. Tam crudeliter ac ſæve AEgyptii Iſraelitas tractabant, ac ſi eos ungulis raderent, aut ſulcarent. Inepte quidam reddunt, *In velo*, ſeu *in ſupercilio*, ideſt ſuperbe.

V. 14. OMNIQUE FAMULATU, QUO IN TERRAE OPERIBUS PREMEBANTUR. Hebræa ſunt perplexa congerie verborum, non ſine emphaſi. Diverſe exprimuntur. I. *Et in omni ſervitute in agro, cum omni opere eorum, in quibus operati ſunt dure*. II. *Et in omni ſervitute in agro, cum omni opere eorum, in quibus operati ſunt dure*. III. *Et in omni ſervitute in agro, cum omni opere eorum, quibus operati ſunt in eis in duritia*. IV. *Et in omni opere in agro, cum omni opere ſuo, in quo opera illorum abutebantur dure*. V. *Et in omni ſervitute in agro, cum omni ſervitute, qua ſerviebant*, ſibi, *per eos*; vel, *in omni*, inquam, *opere, in quo ſervire fecerunt illos ſervitutem*. VI. *Omnique ſervitio ruris*: in ſumma *omnis ſervitus, qua illos premebant, ſæviſſima erat*. VII. *Et in omni ſervitute ruſtica, præter omnem ſervitutem, quam exigebant ab iis per ſævitiam* (domi.) Ad verbum: *Et in omni ſervitio in agro, ad omne ſervitium eorum*, vel ſuum, *quo ſervierunt in eis in ferocia*. Geneſ. XV. verſ. 13. annotavimus verbum עבר *ghabad*, quando conſtruitur cum Beth, ut hoc loco, tum active ſignificare duritiem ſeu ſævitiam exercere in aliquem tamquam in ſervum, uti, aut abuti aliquo pro ſervo, eius ſervitio abuti; quæ phraſis occurrit Ieremiæ XXV. verſ. 14. cap. XXVII. verſ. 7. cap. XXX. verſ. 8. cap. XXXIV. verſ. 10. Ezechiel. XXIX. verſ. 20. Levit. XXV. verſ. 39. ſic hic: *Ad omne ſervitium ſuum, quo ſervierunt in eis*; ideſt, quo eos ſervire fecerunt, vel quo eis tamquam ſervis abuſi ſunt, vel quo in eos tamquam in ſervos duritiam exercuerunt, atrociter & tyrannice. Hiſpanice: *A todo ſu ſervicio ſe ſervieron de ellos cruelmente*.

V. 15. OBSTETRICIBUS HEBRAEORUM. Hebræa ancipitia ſunt: *Obſtetricibus Hebræis*, vel *obſtetricibus Hebræarum*. Plerique volunt has obſtetrices non Hebræas, ſed AEgyptias fuiſſe: ego Hebræas magis crediderim, quod non permiſiſſent Hebræi obſtetrices externas, & alienas a ſua religione, quantavis preſſi tyrannide: id quod etiam nomina earum Hebraica ſignificant. QUARUM UNA VOCABATUR SEPHORA, ALTERA PHUA. Recte admonent, duas haſce forte primarias, ac præcipuas fuiſſe, & quaſi magiſtras: alioqui ſolæ non ſuffeciſſent. שפרה *Schiphrah, pulchram, ornatam* ſignificat; פועה *Pughah* vero nomen habet a ſibilo, ſeu clamore, aut flatu illo cum gemitu, quem parturientes feminæ emittunt: Iſaiæ XLII. verſ. 14. quod eius officio recte convenit.

V. 16. ET PARTUS TEMPUS ADVENERIT. Heb. *Et videbitis ſuper* אבנים *obnaiim*. Varie hanc vocem elucidant. I. *Super utramque ſedem*, vel *ſellam*, aut *cathedram parturientium*. Duale nomen forte ſellam geminam, quaſi utrimque ſederetur, ſignificat. II. *Super utramque*, ſeu *duplicem rotam*. Notant, *obnaiim* eſſe *ſellam, in qua ex muliere parturiente filius, filia-*

filiave ædificatur: nimirum a בנה *banah*, vel rotam illam figuli, ſuper quam vas aliquod luteum ædificat. Vel deduci a nomine ſingulari אופן *ophan*, quod proprie circumſerentiam illam in rota ſignificat quam Latini canthum vocant; quamquam ſæpiſſime pars pro toto accipiatur: & tum ſcribitur אבנים *obnaiim* pro אפנים *opnaiim*, & ſignificat duplicem rotam; ſicut certe rota eſt figuli, quæ ſuperne unam circumferentiam, & inferne alteram habet; & eſt quaſi duplex rota, ſeu duæ rotæ, ſeu ſella ex duabus rotis. Similiter etiam fortaſſe ſella ædificata fuit in qua mulieres in partu enitebantur. III. *Super duos cardines*, qui ſunt in oſtio vulvæ. Noſter Ieremiæ XVIII. 3. *rotam* dixit: nec alibi hæc vox occurrit.

Verſ. 19. IPSAE ENIM OBSTETRICANDI HABENT SCIENTIAM. Heb. *Quia* חיות *chaioth ipſæ*. Quidam exponunt: *Quia vivæ, viventes, vivaces, vividæ ipſæ*: quia non ſunt ita teneræ, molles, defectæ, delicatæ, imbecilles, exhauſtæ, ut AEgyptiæ; ſed vividæ, vegetæ, robuſtæ validæ, patientes laborum, & dolorum. Nonnulli: *Quia animalia, beſtiæ, ipſæ:* pariunt more beſtiarum, quæ obſtetricibus non indigent. חיות *chaioth, animalia*, Pſalm. CIII. 25. Ezechiel. I. 5. Noſter & alii ex more Chaldaico *chaioth*, *obſtetrices* reddunt, quod hæ veluti fetum foveant, animent, forment, vivificent. Obſervant aliqui, certum eſſe e verſ. 17. obſtetrices infantibus Hebræis vitam conſervaſſe, quia timebant Deum: iam vero, quod nunc regi reſpondent, ſi verum id eſt (quod magis probant) Hebræas mulieres de mandato regis, aut verbo, aut alia ſignificatione certiores factas, antea peperiſſe quam obſtetrices vocarent; ſin autem falſum, callide verum obſtetrices diſſimulaſſe metu regis, & cauſam a ſe in matres infantum derivaſſe, gravius malum minore redimentes. Nam vivos conſervare natos, inquit Sanctus Auguſtinus, opus fuit miſericordiæ; at pro vita ſua mentitas eſſe, opus fuit infirmitatis, quam Deus gratia ſua condonat; homines vero non niſi ingrati & protervi poſſunt ad exemplum imitationis ſibi proponere. Idem quoque iudicium de Rahab faciunt, Ioſue I. 4. & de Davide fugiente, I. Samuel. XXI.

V. 21. AEDIFICAVIT EIS DOMOS. Hebr. *Fecit eis domos*, haud dubie Deus: Varie Hebræi hunc locum interpretantur. Sed breviter notamus, *facere domum* Hebraica phraſi, eſſe ſobole, familia, & re familiari aliquem augere. II. Samuel. VII. 11. *Quia domum faciet tibi Dominus*. Pronomen *eis* quidam ad obſtetrices referunt: nec referre putant, quod להם *lahem* ſit maſculi generis: ſiquidem non eſſe inſolentes in Scriptura eiuſmodi enallages generum in pronominibus, ut *lahem* maſculinum ponatur pro להן *lahen* femineo, ſic Exodi XV. 21. & *lahen* femineum pro *lahem* maſculino, ut Ruth I. 13. & alibi. Fortaſſe hic obſtetricibus pronomen maſculeum tribuit, ad indicandum earum virilem & generoſum animum, quo atroci regis edicto reſtiterunt, & Hebræos infantes ſervarunt. Alii *eis* ad Iſraelitas referunt, hoc ſenſu: quia obſtetrices timuerunt Deum ſervantes natos Hebræorum, Deus eis, nempe Hebræis, fecit domos, auxit eorum ſobolem, dedit numeroſiſſimam prolem, & ampliſſimas familias. Notum eſt illud Euripidis, *filios eſſe columnas domus*; & Hebræis filios dici ab ædificando, quaſi ædificia parentum, quibus domus ædificantur, ac nituntur.

* Die 21. Septembris an. 1621.

MENOCHII.

Verſ. 1. CUM DOMIBUS SUIS, ideſt filiis, & nepotibus.

V. 2. RUBEN, SIMEON...ET BENIAMIN. Non eſt iſte ordo nativitatis, ſic enim Beniamin deberet eſſe ultimus; ſed eſt ordo coniugalis thori. Primi enim ſex primæ uxoris Iacob, ideſt Liæ, ſunt filii: ſeptimus, ideſt Beniamin, eſt filius ſecundæ uxoris, ideſt Rachelis: duo ſequentes ſunt tertiæ uxoris, ideſt ancillæ Balæ: duo ultimi, ſunt filii quartæ, nempe Zelphæ.

V. 5. ANIMAE QUAE EGRESSAE SUNT DE FEMORE IACOB, SEPTUAGINTA. Quomodo hoc intelligendum ſit vide in notis ad Geneſ. cap. XLVI. num. 26. & 27.

V. 6. OMNIQUE COGNATIONE: mortuis illis ſeptuaginta qui cum Iacob ingreſſi fuerant AEgyptum.

V. 7. QUASI GERMINANTES, In

Ille-

Digitized by Google

Hebræo eſt vox quæ ſignificat *eructare*, *ebullire*, in morem piſcium, aut ranarum, quorum mira eſt multiplicatio. ROBORATI NIMIS: aucti multitudine, quæ exercitus, aut populi ingens eſt robur. IMPLEVERUNT TERRAM. Geſſen, in qua habitabant. Tanta fecunditas Hebræis contigit Dei beneficio; neque tamen eſt aſcribenda miraculo, quia 70. capita per continuas generationes annis 215. immenſum propemodum numerum producunt. Vide huius rei accuratam ſupputationem apud Bonfrerium noſtrum, hoc loco.

V. 8. REX NOVUS. Hunc Amenophim appellat Pererius, Torniellus, & alii. QUI NON NOVERAT IOSEPH. Chaldæus vertit: *Qui non ſervabat decreta Ioſeph*; ſed novas leges, & mores inducebat.

V. 10. VENITE, SAPIENTER OPPRIMAMUS EUM. Hebræa habent: *Agite, ſapiamus in eum*. LXX. *Callide agamus contra eos*. Cœpit Hebræorum afflictio paulo ante nativitatem Moſis, & 90. annos plus minus duravit. Hinc ſorori Moſis nomen factum, ut diceretur Maria, hoc eſt amaritudo, propter eam ſcilicet amaritudinem quam eo tempore Hebræorum gens experiebatur. Deus autem dure permiſit Hebræos affligi, quia aliqui eorum in idololatriam lapſi, quod docet Ezech. XXIII. 8. deinde ut averſarentur AEgyptum, & de terra promiſſa cogitarent, atque tot laboribus preſſi iuſto titulo ſpoliare poſſent AEgyptios, & eorum opibus ditari; & ut prodigiis contra Pharaonem patrandis, quæ in magnam Dei gloriam cedebant, viam muniret. NE FORTE MULTIPLICETUR, &c. Tres fuerunt cauſæ propter quas Hebræos affligere ſtatuerunt, metus, invidia, odium. Metus, ne data occaſione ſe hoſtibus adiungerent; invidia, quod tantum ſoboles creſceret; odium, propter religionis diverſitatem. EGREDIATUR. Ex hoc colligitur hanc apud AEgyptios famam fuiſſe vagatam, quod Hebræi ad terram Chanaan eſſent reverſuri.

V. 11. MAGISTROS OPERUM. Exactores tributorum, non pecuniæ, ſed laterum. Cogebantur ergo formare lateres, ut patet num. 14. urbes, & pyramides ædificare; Nilum per foſſas in prata, & agros derivare. AEDIFICAVERUNTQUE URBES TABERNACULORUM. Chaldæus vertit, *Urbes theſaurorum*. LXX. *Urbes munitas*. Vox Hebraica videtur ſignificare *granaria*, *apothecas*, *repoſitoria*, in quibus ſcilicet annona, aut opes regiæ reponerentur. PHITHOM, ET RAMESSES, quæ duæ urbes erant in regni limitibus.

V. 12. QUANTOQUE OPPRIMEBANT EOS, TANTO MAGIS MULTIPLICABANTUR: quod divina virtute accidiſſe affirmat D. Auguſt. Lib. XVIII. de Civit. cap. VI.

V. 13. ODERANTQUE FILIOS ISRAEL AEGYPTII: non tantum timebant, ſed etiam oderant, quod ipſum affirmat David cum ait Pſalm. CIV. 25. *Convertit cor eorum, ut odirent populum eius*. ET AFFLIGEBANT, ILLUDENTES EIS. Hebr. *Et ſervire fecerunt filios Iſrael in duritia*. Sane eorum dura conditio, quibus, cum opprimantur, etiam illuditur.

V. 14. OMNIQUE FAMULATU, QUO IN TERRAE OPERIBUS PREMEBANTUR. Hebr. eſt: *Amarificarunt vitam eorum in ſervitute dura in luto, & in lateribus, & in omni ſervitute in agro, cum omni opere eorum, quibus operati ſunt in eis, in duritia*: ex quo colligi poteſt Hebræos per AEgyptum diſtributos, & glebæ, ruſticiſque operibus, quæ dure ab illis exigebantur, addictos.

V. 15. DIXIT AUTEM REX OBSTETRICIBUS HEBRAEORUM. Hæ obſtetrices AEgyptiæ fuerunt; quod ipſæ ſatis indicant cum reſpondent: *Non ſunt Hebrææ ſicut AEgyptiæ mulieres: priuſquam veniamus ad eas* (Hebræas ſcilicet) *pariunt*. Hinc laudabilior fuit earum pietas.

V. 16. ET PARTUS TEMPUS ADVENERIT. Hebr. *Cum videritis ſuper* אבנים *obnaim*. Eſt autem *obnaim* vel ſella parturientis, vel ſignificat uteri cardines; & ſenſus eſt: cum effundunt fetum Hebrææ, ſi maſculum eſſe animadverteritis, comprimendo, aut ſtrangulando occidite. Vult occidi mares, quia feminæ imbelles, & his abuti volebant ad libidinem, quia formoſæ.

V. 17. TIMUERUNT DEUM. Hebraice eſt vox *Elohim*: timuerunt Iudicem.

V. 19. OBSTETRICANDI HABENT SCIENTIAM. Hebraice eſt חיות *chaiot*, quod *vivaces*, vel *vivificantes* ſignificat. Senſus eſt: ipſæ ſunt ſolertes, vivaci, & ſagaci ingenio, ideoque obſtetricandi ha-

bent ſcientiam: vel ipſæ vivaces, & vegetæ ſunt, & antequam obſtetrix adſit, fetum edunt vividum, & validum: vel ipſæ ſunt vivificatrices, ſcientes ſcilicet partum vivum educere. Nec diſplicet quorumdam Rabbinorum explicatio, qui interpretantur: Ipſæ ſimiles ſunt beſtiis, quæ dum pariunt non egent obſtetricibus. Sic potuerunt loqui obſtetrices, odium, & deſpectum Hebræorum ſimulantes, & illum beneficio, quod in illas conferebant, prætexentes. *Chaiot* beſtias ſignificat. PRIUSQUAM VENIAMUS AD EAS PARIUNT. Mendacium eſt, nam ipſæ mares ſervarunt, ut dicitur num. 17. Fortaſſe putarunt obſtetrices hæ mendacium officioſum nullum peccatum eſſe, quod alii olim viri alioqui docti, licet falſo, ſibi perſuaſerunt.

V. 21. AEDIFICAVIT EIS DOMOS. Dedit eis prolem numeroſam, egregiam, longævam, divitem. Nec mirum proles vocari ab Hebræis domos, nam בן *ben*, *filius* dicitur in ea lingua a בנה *bana*, *ædificavit*.

Verſ. 22. PRAECEPIT ERGO OMNI POPULO. Tyrannicum edictum, quod aliqui putant ipſos AEgyptios horruiſſe, ac proinde vix uſu recepiſſe.

TIRINI.

Verſ. 7. QUASI GERMINANTES MULTIPLICATI SUNT. Hebraice: *Ebullierunt*, & in morem ranarum, aut piſcium, *maxima copia effuſi ſunt*. Inſinuant hæc, partus Iſraelitarum non tantum ſæpius repetitos, ſed etiam cuiuſque partus plures fetus fuiſſe: quod in AEgypto familiare eſſe notat Ariſtoteles, & ex illo A. Gellius refert unam matrem quatuor partubus viginti proles enixam eſſe. Quinimmo & ſeptenas proles uno partu in AEgypto editas ſæpe fuiſſe, teſtes ſunt Plinius, Solinus Polyhiſtor, Paulus Iuriſconſultus, & Maiolus, *a*. Hinc nemini mirum videri debet, ſi ſpatio 210. annorum, quot effluxerunt ab ingreſſu Iacobi in AEgyptum uſque ad egreſſum filiorum eius ex AEgypto, ita creverit numerus Iſraelitarum, ut facto luſtro, ad bellum idonei a vigeſimo anno ætatis & ſupra reperirentur ſexcenta tria millia, quingenti & quinquaginta; excepta tamen tota tribu Levi, & omnium tribuum feminis, infantibus ac pueris omnibus infra vigeſimum annum, qui prædictum numerum armatorum *b* facile triplo ſuperabant. Nam ut omittamus prodigioſam AEgypti fecunditatem, & etiam extraordinariam Dei benedictionem promiſſam toties Patriarchis; potuit ſola via naturali, ſpatio tot annorum, numerus Iſraelitarum in tantam multitudinem, & etiam maiorem, excreſcere; ut bene demonſtrat Bonfrerius.

V. 8. REX NOVUS, ſeu alterius novæ familiæ, ut ait Ioſephus: nam frequens erat apud AEgyptios regiarum familiarum mutatio, ut patet ex tot tamque diverſis dynaſtiis, quas Euſebius, & alii recenſent. Caietanus dicit, hunc fuiſſe natione Aſſyrium: & probari videtur ex Iſaiæ 111. verſ. 4. & Ezechiel. 111. verſ. 3. ubi Pharao *Aſſur* vocatur.

Nota, Ioſephum a ſeptimo rege 18. dynaſtiæ, nomine Themoſi conſtitutum fuiſſe proregem AEgypti; ſub huius ſucceſſore Amenophi, huius nominis in hac dynaſtia ſecundo, Iacobum cum ſuis omnibus in AEgyptum demigraſſe: ſub Armeſeſmiamo, ſeu Rameſſe rege 17. eiuſdem dynaſtiæ, cœptam eſſe perſecutionem, & duram ſervitutem Iſraelitarum. Et iſte novus hic rex vocatur, & inter alia novam de nomine ſuo urbem *Rameſſen c* ab Iſraelitis conſtrui iuſſit. Huius diuturnum fuit imperium, ad annos circiter 66. Amenophis vero eius nominis tertius, ſucceſſor Rameſſis, is eſt qui plagis AEgyptiacis punitus, tandem in mari rubro ſubmerſus eſt. Ita Gerardus Mercator ex Manethone & Beroſo apud Ioſephum.

Petes quando cœperit, & quot annos duraverit hæc dura ſervitus Iſraelitarum in AEgypto. Reſpondeo: Certum eſt, cœpiſſe ante ortum Moyſis, qui fuit natus anno octogeſimo *d* ante egreſſum ex AEgypto. Certum quoque videtur, non diu ante ortum Moyſis cœpiſſe, ſaltem non totis viginti annis: nam cœpit, mortua demum omni cognatione illa *e* Ioſephi quæ ingreſſa fuerat AEgyptum cum Iacob: atqui Caath filius Levi, qui inter hos fuit, facile ad id tempus ſupervixit *f*, ut alios omittam. Gerardus Mercator vult cœpiſſe anno quinto ante ortum Moyſis; Epiphanius, Genebrardus, Pererius, & Hebræi, ſeptimo anno, quo eodem nata eſt Maria ſo-

ſoror Moyſis, quæ & inde ſortita ſit nomen ſuum, quod amaritudinem ſignificat. Vide in Chronico cap. XVII.

V. 21. AEDIFICAVIT EIS DOMOS; ideſt, auxit earum familias non ſolum opibus, ſed & prole copioſa. Proles enim ſunt quaſi lapides vivi, quibus parentum domus, ſeu familiæ conſtruuntur. Sic verſ. 1. dicebantur filii Iacob *ingreſſi AEgyptum ſinguli cum domibus ſuis*. Quin & Ariſtoteles definit domum eſſe œconomicam communicationem ex viro, uxore, filiis, ſervis, ſupellectili, & iumentis.

Nota; non placuiſſe Deo, neque remunerari hic mendacium obſtetricum; ſed ſolam pietatem Hebræis exhibitam: nam erant hic varii actus boni, prorſus diſtincti ab illo mendacio: quos S. Gregorius, & Hugo putant ſolum ex naturali affectu profectos fuiſſe; ſed S. Hieronymus, S. Thomas, Rupertus, & Pererius volunt etiam ex ſupernaturali timore & amore Dei promanaſſe, ideoque illas his actibus etiam cælum promeruiſſe.

(*a*) Ariſt. Lib. VII. Animal. cap. IV. Gellius Noct. Att. Lib. X. cap. II. Plinius Lib. VII. cap. III. Solinus c. II. Paulus in Pandect. Lib. I. tom. IV. Maiolus Canicul. tom. I. colloquio III.
(*b*) Armatos exiiſſe dicitur Exod. XIII. verſ. 18. Ioſeph Lib. Antiquit.
(*c*) Exodi I. verſ. 15.
(*d*) Exodi VII. verſ. 7. & Deut. ult. verſ. 7.
(*e*) Exodi III. verſ. 6.
(*f*) Exodi VI. verſ. 16. Ariſt. II. Polit. cap. I.

GORDONI.

Apparatus ad Exodum.

AD clariorem notitiam eorum quæ hic, & in Levitico leguntur, conferet uno velut aſpectu intueri catalogum tum miniſtrorum ſacrorum ſub lege Moſaica, tum ſacramentorum, atque etiam rituum, ac demum inſtrumentorum quibus ſacerdotes, & levitæ tunc utebantur, operando ſacris.

DE MINISTRIS.

Excurrente lege naturæ primogeniti erant ſacerdotes: fuerunt etiam ſub Moſe primogeniti ſanctificati Deo, Exod. XIII. ſed eorum loco ſubſtituta eſt tota tribus Levi, Num. cap. III. In hac autem tribu fuerunt miniſtri Dei ſummus Pontifex, ſacerdotes, & ſpeciali nomine dicti levitæ. Hi poſtremi miniſtrabant ſacerdotibus, qui ſoli offerebant ſacrificia, & victimas.

PONTIFEX.

Primus ſub lege Moſaica Pontifex fuit Aaron, cum iure ſucceſſionis, Eccli. cap. XLV. v. 8. nam Moſes tantum fuit extraordinarius Pontifex, & ſine iure ſuccedendi. Aaroni ſucceſſit filius eius Eleazar in pontificatu; poſt eum filius eius Phinees, & poſteri, iure ordinario; ſcilicet Abiſue, Bocci, & Oze. Poſt hos, pontificatus in pœnam neglecti cultus divini, fuit translatus (non iure ordinario, ſed de facto) ad poſteros Ithamari (qui fuit alter filius Aaronis) in perſona Heli, I. Reg. I. ubi hæſit pontificatus uſque ad Salomonem, qui ſubſtituit Sadoc ex familia Eleazari, III. Reg. II. 27. & I. Paral. XXIX. verſ. 22. Qui vero deinde ſubſecuti ſunt Pontifices uſque ad captivitatem Babylonicam, ac deinceps ſub Machabæis uſque ad Hircanum, recenſiti ſunt peculiari catalogo in fine Libri I. Regum. De conſecratione Pontificis infra cum Moſe dicendum.

SACERDOTES.

Erant hi, ſicut & Pontifices, immo etiam ſpeciatim dicti levitæ, omnes e tribu Levi. Sacerdotes vero dicebantur qui ſoli offerebant, ut dicebam, victimas, & ſacrificia. Quid ſit de Samuele dicam ſuo loco. Ritus conſecrandi tam ſacerdotes quam Pontifices habetur Exod. XXIX. & Levit. VIII. ubi de horum purificatione, conſecratione, & applicatione ad miniſterium. Graviter puniebantur qui nondum conſecrati, ſe ingerebant in officium ſacerdotis, ut apparuit in Chore, Num. XVI. Ieroboam, III. Reg. XIII. & Ozia, II. Par. cap. XXVI. Sicut ſane in illa lege nemo poterat niſi a Deo vocatus, & conſecratus exercere officium ſacerdotale; ita etiam ſit in novo Teſtamento, ut docet Paulus Hebr. V. verſ. 4. ſed qui vocatus a Deo tamquam Aaron. Et in hunc finem habet etiam novum Teſtamentum ſuos ritus, & eos vel ex Scripturis I. Tim. IV. de manuum impoſitione, & II. Tim. I. verſ. 6. vel ex traditione Apoſtolica, ut eſt unctio, ex Dionyſio cap. IV de Hierarc. Eccleſ. vel ex praxi Eccleſiæ receptiſſima. Ceterum quod fuerit ſacerdotum, aut etiam Pontificum officium, quæ veſtimenta, & qui etiam reditus, docebunt

qui

qui hic inſequuntur libri, Exodus, & Leviticus: de quibus & ſimilibus veteris Teſtamenti rebus videri poteſt Becanus in analogia veteris & novi Teſtamenti.

LEVITAE.

De levitis infra paſſim dicendum. Tertium hoc genus hominum in tribu Levi, miniſtrabat ſacerdotibus. Ritus eos conſecrandi habetur Num. VIII. verſ. 6. nempe per purificationem, conſecrationem, & applicationem. Purificatio fiebat aqua luſtrali, & raſione pilorum. Conſecratio dum Pontifex eos acceptabat loco primogenitorum, & offerebat eos Deo, Num. cap. VIII. verſ. 21. Applicatio fiebat admittendo eos in tabernaculum.

VESTITUS MINISTRORUM.

Levitarum nullus erat ſacer ornatus: ſolius Pontificis, & ſacerdotum erant ſacra veſtimenta, & quibus tantum utebantur in miniſterio tabernaculi, & templi: de quibus cum Moſe dicam Exod. cap. XVIII. & quidem ſolius Pontificis erant iſta; tunica hyacinthina, ephod rationale, & lamina aurea. Habebat etiam Pontifex femoralia linea, veſtem quoque lineam, & cingulum ſeu balteum; ſed hæc tria poſtrema erant porro communia ſacerdotibus, ut ſuo loco dicam. Hic quidem obiici poteſt, alios etiã uſos fuiſſe Ephod, ut conſtat de Samuele levita, I. Reg. II. verſ. 18. Item de ſacerdote, I. Reg. XXII. verſ. 18. & de rege Davide, II. Reg. VI. verſ. 14. De hac re vide Hieronymum epiſt. CXXVII. ad Fabiolam, & CXXX. ad Marcellam, de duplici ephod, uno quidem vulgari, lineo & candido, & quo plures utebantur: alterum erat contextum auro, purpura, hyacintho, coccoque bis tincto, & hoc erat ſolius Pontificis.

Horum veſtimentorum varius erat uſus, & inter alia hoc ſolemne fuit, ut ſacerdos ephod indutus conſuleret Dominum, ut habetur Exod. XXVII. verſ. 21. ubi in rebus gravioribus iubentur Iudæi adire Pontificem, vel ſacerdotem ſummum, qui indutus ephod conſulebat ex more Dominum. Varie autem ſentiunt auctores de modo quo Deus reſpondere ſolebat: an per vocem Angeli humanam, an per ſecretam revelationem: alii per ſplendorem gemmarum, & tummim, de quo dixi Exod. XXVIII. verſ. 30. verſ. 9. ſi lapides plus ſolito ſplendeſcerent, aut minus ſolito, aut non mutarent ſplendorem: primum fauſta denotabat, ſecundum infauſta, tertium nullum dari reſponſum, ut contigit Sauli. Sed de his reddendi oracula modis, nihil quod certum ſit proferre poſſum.

DE SACRAMENTIS.

Sacramenta in lege Moſaica recenſentur varia, ſed quæ fuerunt typi ſacramentorum novæ legis: ſic circumciſio figura erat baptiſmi; eſus agni paſcalis, & panes propoſitionis euchariſtiam præſigurabant; expiatio & purificationes deſignabant pœnitentiam; conſecratio ſacerdotum, ſacrum ordinem notabat. An plura fuerint diſſerunt Theologi. His ſaltem quatuor enumeratis ſi addes etiam varias ſub illa lege expiationes, & purificationes (quamvis minus proprie ſacramenta) ſic verum erit quod eſt apud Auguſtinum Pſal. LXXIII. plura fuiſſe veteris legis ſacramenta quam novæ. Neque hic locus eſt diſputandi de horum ſacramentorum efficacia. Conſtat quidem de ſignificatione, ſignificaſſe nempe futuram gratiam per Chriſtum. At de efficacia, & præſente gratia dubitatur ob circumciſionem, an ea conferret præſentem iuſtitiam, deleretque peccatum originale. Certe Galat. IV. 9. vocantur omnia, egena & infirma elementa. Conſentit S. Tho. III. P. q. LXII. a. 6. Nec obſtat Auguſt. tract. XXVI. in Ioan non enim vult legalia ſacramenta eſſe paria noſtris quo͛ ad eſficaciam, ſed quo ad ſignificationem. At quid ſpeciatim de circumciſione? Debuit enim eſſe aliquod remedium iuſtificans contra peccatum originale. Ideo ſane cum Auguſtino putant aliqui ad hoc valuiſſe circumciſionem. Negant tamen plures, circumciſionem iuſtificaſſe, ex Chryſoſtomo, Iuſtino & Irenæo; ut opinantur etiam Vaſquez, Bellar, & quidam alii recentiores. Nec potuit circumciſio eſſe generale remedium contra originale: quia non conveniebat feminis, nec dabatur morientibus ante octavum diem, nec ullis per 40. annos in deſerto. Fuiſſe vero probabile eſt aliquod remedium contra originale, per traditionem acceptum: nam in Scripturis nul-

nullum extat. Ceterum valebat circumciſio, ut reliqua legalia, ad obedientiam legis, purificationem, &c.

DE SACRIFICIIS, ET IGNE.

Magnus erat in ſacrificiis uſus ignis, ab exodo uſque ad captivitatem. Ac primum, ut habemus Levit. IX. verſ. 24. apparuit cælo datus in ſacrificio Aaronis, debuitque hic ignis perpetuo conſervari, ne umquam extingueretur, Levit. VI. verſ. 12. nec poterant ſacerdotes uti alio igne ad ſacrificia, ut notum eſt exemplo Nabad, Levit. X. verſ. 1. De hoc igne abſcondito, initio captivitatis, vide Lib. II. Mach. cap. I. verſ. 20.

Iam quantum ad ſacrificia, ſunt vel libamina, quæ fiebant ex liquoribus; vel immolationes, erantque ex terræ fructibus; vel hoſtia, & victimæ, quæ erant ex animalibus. Quæ vero ſint hæc ſacrificia, infra ſuis locis patebit. Solum univerſe ſatis erit materiam & formam ſubindicaſſe. Ergo animalia offerebantur per mactationem, & combuſtionem; fructus vero terræ, ut panis, ſimila, ſal, aliqua immutatione; liquores per effuſionem. Erat vero fructuum illa immutatio varia: nam ſal urebatur, panis ſcindebatur in fruſta, ſimila coquebatur, manipulus ſpicarum torrebatur, conterebatur triticum, thus adolebatur. Poſtremo quod etiam ad materiam ſpectat, quæ mactabantur animalia, erant boves, vituli, oves, hœdi, capræ, paſſeres, columbæ, turtures. Liquores, vinum aqua, ſanguis, & oleum.

Reſtat iuge ſacrificium quod quotidie offerri debebat: continebat duos agnos anniculos immaculatos, unum mane, alterum veſperi: Exod. XXIX. verſ. 38. De agno paſchali lege Exod. cap. XII. verſ. 3.

INSTRUMENTA CULTUS DIVINI.

Talia fuerunt templum, tabernaculum, arca, propitiatorium, menſa panum propoſitionis, candelabrum, altare thymiamatis, altare holocauſti, & vaſa ſacra. De quibus hic nihil aliud occurrit dicendum: nam ſunt ſingula ſuis locis explicanda, quantum inſtituti huius ratio poſtulabit.

Verſ. 5. SEPTUAGINTA. Sunt quidem ſeptuaginta annum rando Ioſephum, & duos filios. Quod vero ſequitur, IOSEPH AUTEM IN AEGYPTO ERAT, in Heb. eſt, *Et Ioſeph fuit in AEgypto*; immo hic Septuaginta habent. πέντε ϗ ἑβδομήκοντα. Verum monui Geneſ. XLVI. interdum nepotes, & ſtipites intelligi: quod qua ratione hic factum ſit, vide ad citatum cap. XLVI. verſ. 6. 7. & 27.

V. 6. OMNI COGNATIONE, omnibus illis qui cum Iacob ingreſſi ſunt AEgyptum.

V. 7. MULTIPLICATI SUNT; nempe per 215. annos, quæ fuit mora in AEgypto. Sane in exitu numerantur (præter parvulos, & uxores) ſexties centena millia peditum, ex cap. XII. verſ. 37. Agnoſcitur a ſcriptoribus magna ſemper in AEgypto matrum fertilitas; ſed hic etiam aliquid acceſſit ope divina ad hanc multiplicationem.

V. 8. REX NOVUS. Excurrebat tunc in AEgypto dynaſtia decimaoctava, & inde colligendum quis ſit novus iſte rex.

V. 10. VENITE. Incipit iam ſervitus, & afflictio Iudæorum, paulo ante natum Moſen. Durat fere annis nonaginta. Sub hoc initium nata ſoror Moſis, & vocata eſt, ab amaritudine temporis, Maria.

V. 11. URBES TABERNACULORUM. Apud Septuaginta, *Urbes munitæ*: varietas nata ex immutatione vocis Hebraicæ, quæ ſcribi poteſt ut ſignificet uno modo munitionem a rad. סכן alio modo habitationem, & tabernacula, משכנות *miſchenoth*, a rad. שכן, ideſt, *habitare*, ad quod reſpexit Vulgatus, quando vertit *tabernacula*. Addunt Septuag. civitatem *On*, de qua ſupra Geneſ. XLI. verſ. 44. Per onera hic intelligit tributa impoſita.

V. 14. IN TERRAE OPERIBUS. Cogebat eos terram colere.

V. 15. OBSTETRICIBUS. Has obſtetrices fuiſſe AEgyptias conſtat ex verſ. 19.

V. 19. QUAE RESPONDERUNT. Mentiuntur hic obſtetrices. Deus probat factum, & remunerat. Non præmiat mala, nec mendacium illud, quamvis veniale tantum eſſet; ſed bonum quod fiebat. Hic impie Calvinus, & inepte colligit, tum opera noſtra omnia habere aliquid ſordium, & peccatum; tum Deum actiones virtutum ſordibus inquinatas in pretio habere, ac ſi eſſent puræ: utrumque & falſum, & impium. Impietatem Deum non velle pro-

probat Dei bonitas, aut iuſtitia. Immo odit impium, & impietatem eius. Hebr. 1. verſ. 9. En (quod intelligenti ſatis eſt) tripliciter convictum Calvinum. Ceterum editiones non diſſentiunt, ſi bene expendatur Hebraicus textus.

V. 21. Fecit eis domos: non quidem Hebræis, ut textum pervertit Calvinus; ſed obſtetricibus, ex Septuaginta, ubi eſt, ἑαυταῖς. Et licet in Hebræo ſit להם maſculinum pronomen, tamen eſſe enallagen declarat Chaldæus, qui ponit להן feminine. Per domos autem intellige familiam, prolemque numeroſam, ac divitem, ut Ruth, cap. IV. verſ. 11.

CAPUT II.

Moyſes aquis expoſitus, & inde extractus, ac a matre ſua nutritus iuſſu filiæ Pharaonis, quæ ipſum adoptavit, propter AEgyptii cædem in Madian metu regis fugit, ubi accepta uxore filia ſacerdotis duos genuit filios.

1 EGreſſus eſt poſt hæc vir de domo Levi; (*a*) & accepit uxorem
ſtirpis ſuæ: 2. quæ concepit, & (*b*) peperit filium: & videns eum
elegantem, abſcondit tribus menſibus. 3. Cumque iam celare non
poſſet, ſumpſit fiſcellam ſcirpeam, & linivit eam bitumine ac pi-
ce; poſuitque intus infantulum, & expoſuit eum in carecto ri-
pæ fluminis, 4. ſtante procul ſorore eius, & conſiderante e-
ventum rei. 5. (*c*) Ecce autem deſcendebat filia Pharaonis ut lavaretur in flumi-
ne, & puellæ eius gradiebantur per crepidinem alvei. Quæ cum vidiſſet fiſcellam
in papyrione, miſit unam e famulabus ſuis; & allatam 6. aperiens, cernenſque in ea
parvulum vagientem, miſerta eius, ait: De infantibus Hebræorum eſt hic. 7. Cui
ſoror pueri, Vis, inquit, ut vadam, & vocem tibi mulierem Hebræam, quæ nu-
trire poſſit infantulum? 8. Reſpondit, Vade. Perrexit puella, & vocavit matrem
ſuam: 9. ad quam locuta filia Pharaonis, Accipe, ait, puerum iſtum, & nutri
mihi: ego dabo tibi mercedem tuam. Suſcepit mulier, & nutrivit puerum; adul-
tumque tradidit filiæ Pharaonis: 10. quem illa adoptavit in locum filii, vocavitque
nomen eius Moyſes, dicens: Quia de aqua tuli eum. 11. In diebus illis poſtquam
creverat Moyſes, (*d*) egreſſus eſt ad fratres ſuos; viditque afflictionem eorum,
& virum AEgyptium percutientem quemdam de Hebræis fratribus ſuis. 12. Cumque
circumſpexiſſet huc atque illuc, & nullum adeſſe vidiſſet, percuſſum AEgyptium
abſcondit ſabulo. 13. Et egreſſus die altero conſpexit duos Hebræos rixantes; dixit-
que ei qui faciebat iniuriam: Quare percutis proximum tuum? 14. Qui reſpondit:
Quis te conſtituit principem, & iudicem ſuper nos? Num occidere me tu vis,
ſicut heri occidiſti AEgyptium? Timuit Moyſes, & ait: Quomodo palam factum
eſt verbum iſtud? 15. Audivitque Pharao ſermonem hunc, & quærebat occidere Moy-
ſen: qui fugiens de conſpectu eius, moratus eſt in terra Madian, & ſedit iuxta
puteum. 16. Erant autem ſacerdoti Madian ſeptem filiæ, quæ venerunt ad haurien-
dam aquam: & impletis canalibus adaquare cupiebant † greges patris ſui. 17. Super-
venere paſtores, & eiecerunt eas: ſurrexitque Moyſes, & defenſis puellis, ad-
aquavit oves earum. 18. Quæ cum revertiſſent * ad Raguel patrem ſuum, dixit ad eas:
Cur velocius veniſtis ſolito? 19. Reſponderunt: Vir AEgyptius liberavit nos de ma-

nu

Digitized by Google

nu paſtorum; inſuper & hauſit aquam nobiſcum, potumque dedit ovibus. 20. At ille, Ubi eſt? inquit. Quare dimiſiſtis hominem? Vocate eum ut comedat panem. 21. Iuravit ergo Moyſes quod habitaret cum eo. (e) Accepitque Sephoram filiam eius uxorem: 22. quæ peperit ei filium, quem vocavit Gerſam, dicens: Advena fui in terra aliena. † Alterum vero peperit, quem vocavit Eliezer, dicens: Deus enim patris mei adiutor meus * eripuit me de manu Pharaonis. 23. Poſt multum vero temporis mortuus eſt rex AEgypti: & ingemiſcentes filii Iſrael, propter opera vociferati ſunt: aſcenditque clamor eorum ad Deum ab operibus: 24. & audivit gemitum eorum, ac recordatus eſt fœderis quod pepigit cum Abraham, Iſaac, & Iacob. 25. Et reſpexit Dominus filios Iſrael, * & cognovit eos.

(a) Inf. vi. 20. (b) Heb. xi. 23. (c) Act. vii. 21. Hebr. xi. 23. (d) Heb. xi. 24. (e) Inf. xviii. 2. 3. I. Par. xxiii. 15.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 18. *Ad Raguel patrem ſuum*. Non eſt mutandum nomen *Raguel* cum nomine *Iethro*.

V. 22. *Eripuit me*. Non præponas & coniunctionem.

V. 25. *Et cognovit eos*. Romani Correctores merito ſcripſerunt *cognovit*, pro eo quod in aliis libris eſt, *liberavit*.

LECTIONUM VARIETAS.

V. 16. *Greges patris ſui*. Videtur præferri poſſe ſingulare *gregem* plurali *greges*.

V. 22. *Alterum vero peperit, quem vocavit Eliezer, dicens: Deus enim patris mei adiutor meus eripuit me de manu Pharaonis*. Hunc verſiculum, quamvis abſit a quibusdam Latinis manuſcriptis, ab Hebræis, & Chaldaicis libris, quin etiam a Græca Sixti editione, adeoque repetatur ab omnibus infra cap. XVIII. verſ. 4. non tamen omiſerunt hoc loco Correctores, forte quod in nonnullis Græcis libris legatur.

COMMENTARIA

SA.

Verſ. 1. VIR, ſcilicet Amram. UXOREM, ſcilicet Iochabed ſororem patris ſui, vel filiam patrui ſui. Vide cap. VI.

V. 5. CREPIDINEM ALVEI, ideſt fluvii littus. PAPYRIONE, ideſt carecto.

V. 10. MOYSES, ideſt *extractus*, ſeu *extractio*. Nota, fuiſſe vocatum nomine AEgyptiaco, quod Hebr. redditur *Moyſes*; ut *Ieſus*, Latine *Salvator*. Fuit autem AEgyptiacum *Montos* ſecundum Hebræos.

V. 11. FRATRES, ideſt cognatos, ſcilicet Hebræos.

V. 12. SABULO, ſcilicet fluvii arena.

V. 14. VERBUM ISTUD, ideſt *res hæc*, Hebr.

V. 16 SACERDOTI. Chald. *Principi*. Vide inf. cap. XVIII. & II. Reg. XX.

V. 21. IURAVIT. Hebr. *Conſenſit*, ſeu *voluit*.

V. 22. GERSAM, Hebr. *Gerſom*, ideſt advena, ſeu peregrinus. ELIEZER, ideſt *Dei adiutorium*.

V. 23. OPERIBUS, ideſt ſervitute; quaſi dicat, quo clamabant ob duram ſervitutem.

ESTII.

Verſ. 1. EGRESSUS EST POST HAEC VIR DE DOMO LEVI, ET ACCEPIT UXOREM. Quæritur, ſi poſt edictum illud pater Moſis primum acceperit uxorem, quomodo non æque difficile fuerit ſervare fratrem eius Aaron atque ipſum

pſum Moſem. Reſpondeo, illud *poſt hæc* neque eſſe in Hebræo, neque apud Septuaginta. Secundum noſtram autem verſionem, ſignificare poteſt ordinem narrationis, non rei geſtæ. ET ACCEPIT UXOREM STIRPIS SUAE. Heb. *Filiam Levi*. Hæc erat Iochabed, de qua dicitur cap. VI. verſ. 20. *Accepit autem Amram uxorem Iochabed patruelem ſuam, quæ peperit ei Aaron, & Moyſem*. Ex quo conſtituunt multi Iochabed non immediate genitam ex Levi, ſed eius fuiſſe neptem. Nihilominus num. 26. dicitur Amram habuiſſe uxorem Iochabed, *filiam Levi, quæ nata eſt ei in AEgypto*; qua adiectione, *quod nata ſit ei in AEgypto*, volunt alii eam fuiſſe immediate filiam Levi, ac proinde amitam mariti ſui Amram. De quibus prolixe diſputant Lyranus, Burgenſis, & Replicator: illos qui vult adeat: interim ſervit hæc res ad quæſtionem illam, an diſpenſari poſſit æque in matrimonio amitæ cum nepote, ſicut diſpenſatur in matrimonio patrui cum nepte. De quo vide Scholaſticos in IV. Sent. itemque alios tractantes de impedimentis matrimonii.

V. 9. ADULTUMQUE TRADIDIT FILIAE PHARAONIS. Hinc manifeſtum eſt, Moyſem non ignoraſſe ſe eſſe Hebræum, & non AEgyptium; educatus eſt enim a matre ſua uſque ad adultam ætatem, ac tum demum redditus filiæ Pharaonis, quæ eum accepit ut filium ſuum adoptivum. Conferendus eſt autem hic locus cum loco ad Heb. XI. ubi dicitur: *Moyſes grandis factus, negavit ſe filium filiæ Pharaonis*. Non enim ſenſus eſt, quod Dei revelatione cognoverit ſe non eſſe filium filiæ Pharaonis (hoc enim ſine dubio a matre didiciſſe videtur) ſed quod contempſerit adoptionem illam, malens publice haberi Hebræus, & contemptibilis, quam filius reginæ. Verum quomodo intelligendum ſit quod ibidem Apoſtolus Hebr. XI. addit, *Non timens animoſitatem Regis*, vide ibid. & infra verſ. 14. ad illa verba velut contraria, *Timuit Moyſes*, &c.

V. 12. PERCUSSUM AEGYPTIUM ABSCONDIT SABULO. De hoc facto quærit Auguſtinus, utrum indoles tantum in eo laudabilis fuerit, qua hoc homicidium Moyſes commiſit, an omnino ipſum factum a iuſta reprehenſione quoque vindicari poſſit. Verſans hanc quæſtionem Auguſtinus Libro XXII. contra Fauſtum cap. LXX. *Conſulta illa æterna lege, reperio non debuiſſe hominem ab illo qui nullam ordinariam poteſtatem gerebat, quamvis iniurioſum, & improbum, occidi*. *Verumtamen*, inquit, *animæ virtutum capaces ac fertiles præmittunt ſæpe vitia, quibus hoc ipſum indicent, cui virtuti ſint potiſſimum accomodatæ, ſi fuerint præceptis excultæ*. Laudat igitur ibi Auguſtinus indolem volentis defendere proximum, & ab eo arcere iniuriam; ſed factum ipſum velut inordinatum non laudat. Idem tamen Auguſtinus in quæſt. in Exodum indicat quomodo etiam factum ipſum defendi poſſet. Putabat enim Moyſes, ſicut Stephanus Act. VII. dicit, intelligere fratres ſuos, quod per eum Deus daret illis ſalutem. Quo teſtimonio ſignificatum videtur, Moyſem iam ante fuiſſe divinitus admonitum de ſuſcipienda præfectura ac defenſione filiorum Iſrael. An dici poteſt, Moyſem hoc feciſſe propter neceſſariam defenſionem fratris Hebræi, ut qui AEgyptium volentem interficere Hebræum innocentem, aliter repellere non potuerit?

V. 14. TIMUIT MOYSES, ET AIT. Quæritur quomodo hoc conſiſtat cum eo quod de eodem Moyſe dicitur Hebr. XI. *Non timens animoſitatem Regis*. Liranus ſuper cap. IV. Exodi declarare conatur ex quadam fabula Iudaica. Sed idem Liranus ſuper Heb. XI. aliter conciliat. Dicit enim, Apoſtolum non loqui de fuga eius ex AEgypto, poſtquam occiderat hunc AEgyptium, ſed de diſceſſu eius cum toto populo in deſertum. Theophylactus, Oecumenius, & alii Græci hoc modo exponunt: *Non veritus animoſitatem Regis*, ſcilicet quo minus poſtea in AEgyptum rediret, & quo minus etiam, cum fugam iniret, in vicinia morari auderet. Gagnæus utrumque refert ſenſum, præferens quod dicit Liranus.

V. 16 ERANT AUTEM SACERDOTI MADIAN SEPTEM FILIAE. Utrum idolorum ſacerdos hic fuerit, an veri Dei, cujus certe notitiam a maioribus ſuis accepiſſe poterat (nam Madian Abrahæ filius fuit ex Cetura coniuge) vide annotat. infra c. XVIII. Vide etiam late diſſerentem de hac re F. Moncæum de Apparitione in rubo cap. II. ubi bonis argumentis contendit veri Dei ſacerdotem fuiſſe.

V. 22. ELIEZER, DICENS: DEUS

ENIM

ENIM PATRIS MEI ADIUTOR MEUS ERIPUIT ME DE MANU PHARAONIS. Illa poſtrema verba in Hebræo, & Chaldæo, & nonnullis mss. Latinis hoc loco non habentur; tranſlata autem huc videntur ex cap. XVIII.

MARIANAE.

Verſ. 5. PER CREPIDINEM ALVEI. Hebraice, *Super manum fluminis*. *Manum* vocat ripam ipſam. IN PAPYRIONE, ideſt in carecto: locum carycum plenum. MISIT UNAM E FAMULABUS SUIS. Hebraica duobus modis verti poſſunt: *Et miſit famulam ſuam*: hoc ſequitur Hieronymus, & Sept. tum hoc modo: *Et miſit ulnam*, pro, brachium ſuum; hoc Chald. אמה *amah* enim & *famulam*, & *ulnam* ſignificat.

V. 10. VOCAVITQUE NOMEN EIUS MOYSES. A parentibus ante habuiſſe nomen credendum eſt. Clem. Strom. I. ait fuiſſe *Ioachim*; Ioſephus I. contra Apionem, *Oſarſiph*. Aven Ezra dicit idem eſſe *Moynos* AEgyptiis, quod *Moyſes* Hebræis. Itaque illa *Moynos* vocavit. AEgyptii aquam *mos* vocant. Porro Ioſeph Lib. II. Antiquit. cap. IX. filiam Pharaonis vocat Thermut.

Moyſes primus litteras invenit. Hic enim a Græcis Muſæus, ab AEgyptiis Mercurius dictus eſt, ut ex Artapano affert Euſebius Libr. IX. Præp. Evang. cap. IV. Porro Mercurius Thot ab AEgyptiis vocabatur, Cicero III. de Natur. Deor. Iam Thot litteras inveniſſe, Plato in Phædro, & Plin. Libr. VII. cap. LVI. teſtantur: tum Eupolemus apud Euſeb. loco citato. Sed & Moyſes primus leges ſcripſit, argumento quod legis nomen Græcis erat ignotum, neque in Hom. invenitur. Ioſephus contra Apionem Lib. II. Propterea Mercurius deus eloquentiæ eſt habitus ob inventas litteras.

V. 16. ERANT AUTEM SACERDOTI MADIAN SEPTEM FILIAE. *Sacerdotis* vox Hebraica ſignificat etiam *principem*. Id ſecutus Chald. dixit: *Principi autem Madian erant ſeptem filiæ*.

V. 18. QUAE CUM REVERTISSENT AD RAGUEL PATREM SUUM. Hebræus ait Raguelem fuiſſe patrem Iethro, puellarum avum, ſed vocari uſu Hebr. linguæ patres etiam avos. Alii Iethro binomium faciunt, quod non ſatis placet. Plura Num. X. verſ. 29. & Iudic. IV. verſ. 11.

V. 21. IURAVIT ERGO MOYSES. Vox יואל *ioel*, & *iurare* ſignificat, & *velle*: ſic Interpretes ſunt diviſi, præter Hieron. alii dixerunt: *Et voluit Moyſes habitare cum viro*.

V. 22 ALTERUM VERO PEPERIT, QUEM VOCAVIT ELIEZER, DICENS: DEUS ENIM PATRIS MEI ADIUTOR MEUS ERIPUIT ME DE MANU PHARAONIS. Hoc totum non eſt in Hebræo; at in editione Sept. in Regiis Bibliis eſt poſitum, in Romanis ſublatum. Neque Latini textus conſentiunt, certe Lovanienſes obelo ſignarunt. Et videtur ex cap. XVIII. in hunc locum tranſiiſſe, aut potius codices Hebr. in hoc ſunt vitiati.

V. 25. ET COGNOVIT EOS. Hebraice, *Et cognovit Deus*, certe mala quæ patiebantur; vel cœpit ut iudex cognoſcere eorum cauſam. Quidam codices, *Et liberavit eos*, minus recte.

MALVENDAE.

Verſ. 3. CELARE NON POSSET. Hebr. *Abſcondere*. Verbum ex Hiphil magnam & ſolicitam curam indicat qua eum occultabat; ſed vincebat acerbitas perſcrutantium. FISCELLAM SCIRPEAM. Hebr. *Arcam*, גומא *gome*, reddunt *iuncum*, *ſcirpum*, *papyrum*, *cannam*, *arundinem*: nimirum quod aquis immergatur, vel quod aquas ſorbeat: aliqui, *algam*. IN CARECTO. סוף *ſuph* aiunt eſſe quoddam genus *iunci creſcentis in extremitate fluminum & maris*: unde ab extremitate nomen habet: eſſeque collectivum, pro *iunceto*: quidam hic vertunt, *in alga*, ne undis, & ventis agitaretur. Quater hæc vox in Bibliis legitur: Noſter hic *carectum*, id eſt locum ubi multæ carices. Servius in Eclogam tertiam:

Tu poſt carecta latebas.

Loca caricis plena. Carex autem herba eſt acuta, & duriſſima, ſparto ſimilis. Alibi:

Et carice paſtus acuta.

Et verſ. 5. *papyrionem*, locum nimirum ubi multæ papyri. Videtur Noſter eam vocem ad Græcam normam effinxiſſe: nam alibi non memini me legiſſe. Iſaiæ XIX. 6. *iuncum*, Iſaiæ 11. 5. *algam* convertit. Qui-

Digitized by Google

dam Hebræorum hic, *in ſtagno*, aut *palude*. Forſan ſit id ſimile ei quod de Romanis conditoribus Livius Libr. I. cap. IV. *Forte quadam divinitus ſuper ripas Tiberis effuſus lenibus ſtagnis, nec adiri uſquam ad iuſti curſum poterat amnis, & poſſe quamvis languida mergi aqua infantes, ſpem ferentibus dabat: ita velut defuncti regis imperio, in proxima alluvie pueros exponunt*. Potuit tunc Nilus ſtagnaſſe; aut ad ripam alicuius foſſarum illius infans exponi. At ſi verum eſt quod Iudæi tradunt, Moſen natum 7. Adar, id eſt Februarii, ipſo trimeſtri, nondum Nilus inundabat, aut ſtagnabat. Sed de ortu Moſis Hebræi nonnulla obſervant in Euſebianis Scaligeri, pag. 24. 25.

V. 4. STANTE. Heb. *Et ſtatuit ſeſe*. ותתצב *vattetatztzab*, futurum femineum Hithpahel irregulare, cum ſecundum normam debuerit eſſe ותתיצב *vatitiatztzeb*, vel ותתיצב *vatitiatztzab*. Significat autem id verbum ex Hithpahel *ſtudioſe ſe ſtatuere, ſiſtere, ſeſe componere, mentem, vires, animum colligere, intendere*; ſed verbum irregulare hic ſignificat puellæ metum, trepidationem, ſtantis a longe, diſſimulantis, occultantis ſeſe. Quidam vertunt, *Collocata autem*, ſeu *ſtatuta fuerat*, nimirum a matre.

V. 5. MISIT UNAM E FAMULABUS SUIS. Imperite quidam Hebræorum hic reddunt: *Miſit cubitum ſuum*, id eſt brachium ſuum, *& accepit eam*: nam nec in אמה *amah*, pro cubito, Mem habet daghes: & *amah*, non ſignificat cubitum pro brachio, aut membro, ſed pro menſura.

V. 7. QUAE NUTRIRE POSSIT. Ex verbo *Sugere facientem, lactantem*: eſt enim participium femineum ex Hiphil.

V. 10. NOMEN EIUS MOSES. Fruſtra quæritur nomen AEgyptium; cum & nomen ipſum Moſeh, & verbum משה *maſchah*, unde acceptum, ſint pura puta Hebraica; & regia femina Hebraicæ linguæ perita, rationem nominis Hebraicam pure reddiderit, dicens: QUIA DE AQUA TULI EUM. *Maſchah* aiunt proprie eſſe *traxit, extraxit, attrectando, & palpando*, ut cognationem habeat cum משש *maſchaſch*, Unde Moſcheh proprie expones *Extra-Eum*, *eductum*, ab aquis ſcilicet, ex eventu. Noſter verbum *maſchah*, cum ter tantum in Scripturis reperiatur, hic *tuli*, Pſalm. XVII. *aſſumpſit*, II. Samuel. XXII. 17. *extraxit* convertit. Cum nomen huius inclyti viri Hebraice ſit Moſcheh, cur LXX. & Noſter ſemper efferant Moyſes cum ypſilon, docebit te pluribus Antonius Nebriſſenſis in III. Quinquagena, cap. XXVI. Externi ſcriptores omnes Moſes ſemper dicunt, ut Diodorus, Strabo, Plinius, Tacitus, Iuvenalis, Iuſtinus. Suidas: *Moſo, mulier Hebræa, cuius eſt ſcriptum ipſa lex apud Hebræos, ut ait Alexander Mileius Polyſtor*. Potuit ne quidquam magis fanaticum dici?

V. 11. VIDITQUE AFFLICTIONEM EORUM. Hebr. *Et vidit in oneribus eorum*. Peculiarem vim habere videtur hæc conſtructio, ut multa, eaque aſpera, dura, ſæva, tyrannica, & viderit, & conſideraverit in operibus, & oneribus fratrum ſuorum, quibus premebantur. Erat tum Moſes quadraginta annorum. Actor. VII. 23.

V. 13. DUOS HEBRAEOS RIXANTES. Verbum נצה *nitztzah*, in Niphal ſepties tantum legitur: Noſter hic, & cap. XXI. 22. Deuteronomii XXV. 11. II. Samuel. XIV. 6. *rixari*, *iurgium habere*, Levitici XXIV. 10. *iurgari*, II. Regum XIX. 25. *pugnare*, Iſaiæ XXXVII. 26. *compugnare* expoſuit. Aiunt verbum proprie ſignificare *irrui*, *obrui*, *exardeſcere*, *exuri*, *involare alter in alterum*: & quia Latinus ſermo verbum non habet, quo impetum, & ardorem illum, ſeu irruptionem præcipitem alterius in alterum exprimat, ſolere per *contendere*, *rixari* converti. Varie hic reddunt, eodem ſenſu ſemper: *Contendentes, concertantes, compugnantes, corrixantes, exardeſcentes, involantes, obruentes*, ſeu *obrutos*, vel *irruentes*: aliqui, *implicitos*. Significatio tamen involandi eſt primaria, a more gallorum pugnacium.

V. 14. NUM OCCIDERE ME TU VIS? Hebr. *Num ad interficere me tu dicens?* Quidam: *Numquid occidere me tu cogitas?* Alii: *An iſta loqueris tu, ut me occidas?* Nonnulli: *An me interfecturus loqueris?* Plures: *An interficere me tu conſtituis, decernis?* Vide Geneſ. IV. 8.

V. 16. SACERDOTI MADIAN. כהן *cohen* hic quidam principem, præfectum, præſidem Madian, ſecuti Chaldæos Interpretes accipiunt. Sed Hebræi ſacerdotem, ſeu ſacrum miniſtrum potius intelligunt: equidem apud pleraſque gentes penes reges & principes ſummum ſacerdot um

erat,

Digitized by Google

erat; iidemque & reges, & ſacerdotes erant, ut apud Romanos imperator, pontifex maximus. Nonnulli Hebræorum hunc ſacerdotem idolorum, alii veri Dei ſacerdotem fuiſſe exiſtimant. Res in incerto eſt. Artapanus apud Euſebium Lib. IX. Præparationis Evangelicæ, cap. IV. hunc regem Arabiæ facit. De voce *cohen* vide Gen. XIV. verſ. 17.

V. 17. ET EIECERUNT EAS. Hebr. eſt pronomen maſculinum *eos*. Quidam ſubaudiunt, qui filiabus Iethronis greges obſervantibus miniſtrabant, nempe famulos paſtoritios: alii referunt ad vocem צאן *tzon*, collectivum, *pecus*, *greges*: nonnulli Mem, notam maſculeam, pro Nun, feminea, poſitam volunt, ut alibi fieri annotavimus capite præcedenti, verſ. 21. OVES EARUM, Hebr. *eorum*, id eſt omnium puellarum, & paſtorum. Alii volunt notam maſculeam pro feminea ſubſtitutam, ut paulo antea.

V. 19. ET HAUSIT. Hebr. cum geminatione, *Et hauriendo hauſit nobis*: ut ſingulari emphaſi commendent Moſis beneficium; quaſi dicant: Cum ſolicitudine, amore, labore; ſtudio hauſit, abunde, & copioſe nobis eduxit aquam.

V. 20. QUARE DIMISISTIS HOMINEM? Hebr. *Ad quid iſtud? dereliquiſtis virum?* Quidam: *Quamobrem iam dereliquiſtis virum illum?* vel *Quamobrem hac* (iſta) nimirum hora, cum ſerum ſit, & advenerit veſpera, *reliquiſtis virum?* Alii: *Utquid hoc. dimiſiſtis*, &c. Nonnulli: *Quare ſic dimiſiſtis virum?* UT COMEDAT PANEM. Hebræa ad verbum, *Et comedit panem*. Videntur ſubintelligenda nonnulla, nimirum, & vocaverunt eum, *& comedit panem*.

V. 21. SEPHORAM. Hebraice dicta videtur, quaſi avicula, vel aurora.

V. 22. VOCAVIT, verbum maſculeum, nempe Moſes: vel imperſonaliter paſſive, *Et vocatum fuit nomen eius*, aut is qui ei nomen impoſuit, *vocavit nomen eius*. GERSAM ſonat Hebraice, *Tractus ibi*, ſeu *peregrinus ibi*; & ratio nominis illico adiungitur. Quidam exponunt *peregrinum*, *expulſum*, vel *eiectum*. Compoſita voce ex per. egrini Hebræa appellatione, & verbo, quod eſt eiicere, nempe גרש *garaſch*, & גרש *gereſch*, eſt eiectus, expulſus, extruſus; ſed prius eſt rectius. Poſſit quoque interpretari *peregrinus*, *afflatus*, *deſolatus*.

Poſt hunc verſum interſerunt LXX. & Noſter illum ex cap. XVIII. verſ. 4. de altero filio Moſis Eliezer. Nonnulli carpunt Hebræa, ut mutila hic, & diminuta, integri unius defectu verſus. Sed ridicule, cum potius exquirenda ſit ratio excuſandi LXX. ſuperfluitatis & redundantiæ, quod unum & eumdem verſum bis infarſerint: nec tamen culpandi, quod ad maiorem lucem, ut prolem Moſis coniungerent, verſum illum huc accerſierint.

V. 23. POST MULTUM VERO TEMPORIS. Quadraginta annorum erat Moſes, quando interfecto AEgyptio fugit in terram Madian, Actorum VII. 23. manſit apud ſocerum annos fere quadraginta, nam cum primum ſe ſtitit Pharaoni, erat octoginta annorum, Exodi VII. 7. & Stephanus manifeſte ait Actor. VII. 23. *Expletis annis quadraginta*, nemqe a fuga Moſis in Madian, *apparuit illi in deſerto montis Sina Angelus*. MORTUUS EST REX AEGYPTI. Vulgo intelligunt eum. qui voluit interficere Moſen, quod videtur adiectum ad indicandum liberum iam fuiſſe Moſi reditum in AEgyptum, ſoluto iam metu. Vide infra cap. IV. verſ. 19. Sed ex rationibus Euſebii, aut Africani nimis eſt perſpicuum, regem illum AEgyptium Moſis perſecutorem multo antequam Moſes attingeret octogeſimum ætatis annum obiiſſe. Secundum Euſebium videtur fuiſſe Orus, iuxta Africanum vero Amenophthis. INGEMISCENTES FILII ISRAEL. Obſervant, gravem illam afflictionem, ſenſum peccatorum in eis excitaviſſe, & ad implorandum Dei miſericordiam commoviſſe: nam Iſraelitas in AEgypto idola coluiſſe, ob quod facinus Deus illis preſſuras immiſerit, videtur dicere Ezechiel XX. 8.

V. 24. QUOD PEPIGIT CUM ABRAHAM, Gen. XV. 13. 14. ISAAC, Geneſ. XXVI. 3. ET IACOB, Geneſ. XLVI. 4.

V. 25. ET RESPEXIT DOMINUS FILIOS ISRAEL, ET COGNOVIT EOS. Quidam exponunt: *Vidit Deus* quomodo palam & publice affligerentur; *cognovit* præterea cogitationes AEgyptiorum, quomodo ſcilicet eos perdere vellent. Alii: *Reſpexit Deus filios Iſraelis*, illos recognoſcens ad fœdus ſuum pertinere, ut fœderatorum filios; *& cognovit eos*; id eſt, de cauſa, & mediis ſtatuit, quibus eos liberaret. Sed ego emphaſim puto eſſe in geminatione verborum,

vidit,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

vidit, *& congovit Deus*; id eſt, ſummam curam & operam poſuit, ut eos in libertatem aſsereret. Quod ſtatim præſtare & exequi aggreditur, ut in ſequentibus capitibus videbimus.

MENOCHII.

Verſ. I. VIR DE DOMO LEVI. Fuit hic Amram filius Caat, nepos Levi, pronepos Iacob, pater Moſis. UXOREM STIRPIS SUAE, Iochabed neptem Levi, & Amræ conſobrinam, ut patet ex cap. VI. num. 20.

V. 2. ELEGANTEM. *Moſes*, inquit Apoſt. ad Heb. XI. 23. *occultatus eſt menſibus tribus, eo quod vidiſſent elegantem infantem, & non timuerunt Regis edictum*. S. Stephanus Act. VII. 20. pro *elegante* dixit *gratum Deo*.

V. 3. CUMQUE IAM CELARE NON POSSET, ſervente rurſus inquiſitione, & infanticidio. Plures tamen infantes evaſiſſe, remittente ſe tyrannide, ex Aarone, eiuſque coævis liquet. SCIRPEAM FISCELLAM, arculam ex iuncis. IN CARECTO. Carectum eſt locus, in quo carices naſcuntur. Carix eſt herba alta in ſpeciem gladii, & ſub finem acuminata. Eſt ergo expoſitus Moſes in ſtagnantis Nili parte, a qua facile non poſſet defluentium aquarum impetu rapi per alveum fluminis.

V. 4. STANTE PROCUL SORORE, Maria puella grandiuſcula decem, aut duodecim annorum, a matre quid facto opus eſſet, edocta.

V. 5. FILIA PHARAONIS, quam Ioſephus. & alii paſſim Thermut appellant. Philo ait fuiſſe unicam Pharaonis heredem, & ſine prole, licet eſſet iam dudum nupta. PER CREPIDINEM ALVEI: per ripam fluminis. IN PAPYRIONE: in carecto iuncis, caricibus, papyroque referto.

V. 6. DE INFANTIBUS HEBRAEORUM EST: quod ita eſſe certo cognovit ex circumciſione.

V. 8. MATREM SUAM, Iochabed.

V. 10. ADOPTAVIT IN LOCUM FILII. Philo ait, Thermutim finxiſſe ſe eſſe gravidam, & genuiſſe Moyſem: favet Apoſtolus cum ait ad Heb. XI. 24. Moſem grandiorem factum negaſſe ſe eſſe filium filiæ Pharaonis. Cur ergo Pharaone extincto Moſes non eſt vocatus ad regnum? Fortaſſe matris fraus, & Moſis adoptatio detecta eſt. VOCAVITQUE NOMEN EIUS MOYSES: a radice משה *maſa*, quæ *extrahere* ſignificat, quod de aqua tuliſſet eum.

V. 11. AD FRATRES SUOS. Hebr. fratres vocant omnes eos qui ſunt eiuſdem familiæ, vel gentis. VIRUM AEGYPTIUM PERCUTIENTEM QUEMDAM DE HEBRAEIS. Philo ait, hunc AEgyptium fuiſſe unum ex præfectis, qui iniuſto onere Hebræos premebant.

V. 12. PERCUSSUM AEGYPTIUM ABSCONDIT SABULO. *Percuſſum*, id eſt occiſum. Iure occidit AEgyptium, quia ex divina inſpiratione auctoritatem adeptus. Favet S. Stephanus Act. VII. 25. cum ait: *Fecit ultionem percuſſo AEgyptio: exiſtimabat autem fratres intelligere quoniam Deus per manum ipſius daret ſalutem illis*: de quo ipſe Moſes non dubitabat divina inſpiratione, &, ut vult Ioſephus, divino oraculo Amram patri reddito, edoctus.

V. 14. AIT: cogitavit intra ſe. PALAM FACTUM EST VERBUM: factum innotuit, aliquis, me non advertente, vidit me AEgyptium cædentem.

V. 15. QUI FUGIENS, ſuo tempore rediturus. MADIAN. Madian urbs fuit condita a Madian filio Abrahæ ex Cetura, unde eſt tota regio dicta Madian.

V. 16. SACERDOTI MADIAN. Chaldæus, *Principi Madian*, כהן *cohen* Hebræis ſacerdotem, & principem ſignificat. Probabile, fuiſſe utrumque, quia primarii viri fere eo tempore ſacerdotes, ut Melchiſedech, Noe, Abraham, &c. ADAQUARE CUPIEBANT GREGEM. Nobilis illo ævo ars paſtoritia.

V. 17. EIECERUNT EAS: ad hauſtum a puellis. paratumque potum agentes ſua pecora, fruituri inertes alienis laboribus, inquit Philo.

V. 18. AD RAGUEL, qui cap. ſequenti vocatur Iethro, & Cinæus Iudic. IV. 11.

V. 19. VIR AEGYPTIUS. Ita videbatur ex cultu corporis, & fortaſſe ſe ex AEgypto profectum ipſe affirmaverat.

V. 20. COMEDAT PANEM: conviveztur nobiſcum. Panis Hebræis quemvis cibum ſignificat.

V. 22. VOCAVIT GERSAM. גר *ger*, *peregrinum* ſignificat: שם *ſcam*, *illic*. E-

Google

LIEZER, ideſt Deus adiutor meus.

V. 23. MORTUUS EST REX AEGYPTI. Nonis ſolum, ſub quo Moſes natus, adoptatus, & ad cædem quæſitus, ſed etiam duo alii, qui eiuſdem erant ingenii, & Hebræos oderant. VOCIFERATI SUNT, malis attriti ad corredeuntes, & ex morte tyranni malorum levamen aliquod ſperantes. AB OPERIBUS, ab iis præſertim qui in operibus luti &c. detinebantur.

V. 24. RECORDATUS EST FOEDERIS. Loquitur Scriptura humano more.

V. 25. RESPEXIT FILIOS ISRAEL, clementia ſua, ut a tanta malorum mole liberaret.

TIRINI.

Verſ. 5. FISCELLAM, ideſt arculam, IN PAPYRIONE, ideſt in parva cymba ex papyro efformata. AEgyptii enim ex papyro arbore tum naves, & cymbas conficiunt, teſte Herodoto, Plinio, Lucano, Theophraſto *a*; tum etiam chartam, tenui ore arboris filura per folia acu diducta, teſte Plinio eodem *b*. Et hinc charta noſtra, quæ non ex arbore, ſed ex linteis contuſis confecta eſt propter ſimilem tamen uſum, papyrus vocatur. Ergo cymbæ, vel arculæ ſcirpeæ, id eſt ſcirpo ſeu iunco paluſtri contextæ, ſed bitumine ac pice oblitæ, impoſitus erat infantulus, atque ita flumini Nilo expoſitus; ſed in carecto, ideſt in loco caricibus, & arundinibus, ſeu iuncis conſito, ut ſere fit ad ripas fluminum. Nam ſi arcula a ripa ſolviſſet, a flumine in altum abrepta, & everſa fuiſſet.

V. 10. VOCAVIT NOMEN EIUS MOYSES, DICENS: QUIA DE AQUA TULIT EUM. Lingua enim AEgyptiaca *mos* aquam, *is*, vel *iſes* ſervatum ſignificat. Ita Philo. Ioſephus, Rabanus, Clemens Alexandrinus, *c* & Procopius. Sed eadem vox AEgyptiaca videtur etiam in Hebræum idioma translata: nam ſignificat *eductum ex aquis d*. Et quaſi prognoſtice deſignabat, filios Iſrael per hunc Moyſen ex aquis miſeriarum AEgypti, itemque maris rubri olim eductum iri. Hunc in locum filii adoptavit filia Pharaonis, quam Artapanus apud Euſebium *e* vocat Merin, Ioſephus Thermuth. Addit Philo, eam unicam fuiſſe Pharaonis heredem, & ſine prole, licet diu nuptam. Unde & Moyſes regio more in aula educatus fuit, &, ut ait S. Stephanus Act. VII. *eruditus omni ſapientia AEgyptiorum*, puta Geometria, Arithmetica, Aſtrologia, Muſica. ſecretoribuſque AEgypti (quæ hieroglyphicis notis continebantur) & politicis artibus *f*. Addit Philo, etiam omnibus ſcientiis Chaldæorum, Aſſyriorum, & Græcorum inſtructum fuiſſe, utpote deſignatum regni ſucceſſorem. Nimirum ita diſponente divina providentia, ut a puero artes omnes, moreſque regios, & regendi populi praxin addiſceret. Sed licet in aula educaretur, tamen a puero in veri Dei cultu per piam matrem inſtructus, aulicis deliciis aut vitiis effeminari ſe paſſus non eſt, aut a virtute divelli, multo minus ad idololatriam abduci.

V. 11. IN DIEBUS ILLIS: anno Moyſis 40. ut aſſerit S. Stephanus Act. VII. *percuſsum*, ideſt occiſum, *AEgyptium* clam arena contexit.

Petes: Quo iure occidit AEgyptium. Nullo, inquit S. Aug. contra Fauſtum *g*. Sed poſtea re melius expenſa *h*, iure, inquit, divino, & poteſtate iam tum Moyſi collata a Deo, a quo vindex & liberator populi Iſraelitici conſtitutus fuerat. Et ſatis conſtabat id Moyſi, ſed incertum an externa, & ſenſibili revelatione, an vero ſola inſpiratione, ſeu ſuggeſtione interna. Certe S. Steph. Act. VII. diſerte ait, exiſtimaſſe Moyſen conſtare Iudæis, *quod Deus per manum ipſius daret ſalutem illis; licet illi id non intellexerint*. Ita S. Th. *i* Rup. Toſt. Addit Ioſ. & Ari. Moyſen ante fugam ex AEgypto præfuiſſe regiis exercitibus, & bellum contra AEthiopes feliciter geſſiſſe.

(*a*) Plin. Lib. VII. cap. lvi. Luc. Lib. IV. Theophraſt. Lib. IV. hiſt. Plantar.
(*b*) Plin. Lib. XIII. cap. xi.
(*c*) Philo Lib. I. de Vita Moyſis. Clem. I. Stromat.
(*d*) Vide Bonfrerium.
(*e*) Euſeb. de Prep. Evang. Lib. IX. cap. iv.
(*f*) Ioſ. & Philo ſupra.
(*g*) Auguſt. Lib. XXII. cont. Fauſt. cap. lxx.
(*h*) Aug. QQ. ſuper Exod. cap. 11.
(*i*) S. Tho. II. II. q. lx. a 6. ad. 2.

GOR-

GORDONI.

Verſ. I. **E**GRESSUS EST POST HAEC VIR DE DOMO LEVI. Hic vir, pater Moſis, de domo Levi, eſt Amram, pronepos Iacob, nepos Levi, filius Caat. Immo etiam materno genere Levita fuit Moſes. Mentitur Calvinus inceſtuoſo natum matrimonio: nam Iochabed mater Moſis, non filia, ſed neptis Levi eſt; ſicut nec amita, ſed conſobrina eſt Amram, ut recte advertunt Interpretes, ad hunc locum. Certe hic cap. VI. verſ. 20. Iochabed vocatur patruelis Amram, & LXX. ibidem eam vocant filiam patrui Amram, ſicut Chaldæus eam vocat filiam amitæ Amram. Quod vero hic & Num. XXVI. verſ. 59. vocetur filia Levi, eſt quia oriunda erat a Levi ſeu eius ſtirpe, ut hic loquitur vulgatus Interpres: & quamvis (quod putavit Abulenſis) Iocabed vere fuiſſet filia Levi, & amita Amram mariti, quid inde? nam matrimonium inter amitam & nepotem lege naturæ non erat penitus prohibitum; lex autem poſitiva nondum erat lata: de qua vide Levit. cap. XVIII. ubi de his coniugiis. Natus porro eſt Moſes anno mundi 2403. unde ad excidum ab eius nativitate ſunt anni 80. Quo intervallo præiverit Moſes Troianum bellum, Homerum, Palilia & Olympiadas dixi alibi, ubi hæc, & alia diſcuſſa ſunt.

V. 3. CELARE NON POSSET. Dum paſſim inſtarent miniſtri tyrannidis, deſperabat mater; tamen Aaron, & quidam alii illius temporis, Deo providente, evaſerunt. FISCELLAM SCIRPEAM. Heb. תיבה *theba*, arca apta ad conſervandos homines; qualis erat arca Noe; ארון *aron* arca ad conſervandas res alias, & qualis erat arca teſtamenti. Prior vox eſt hic in Hebræo. Noſter vocat *fiſcellam ſcirpeam*. Eſt arcula confecta e iunco paluſtri. Porro eſt Heb. גמא *gome*, ſignificans ſcirpum, iuncum, vel papyrum, de quo dixi Iſa. cap. XVIII. hinc ſcirpea fiſcella.

V. 4. STANTE PROCUL SORORE EIUS. Hæc ſoror Moſis eſt, & putatur eſſe Maria, quæ edocta a matre expectabat videre quid eveniret puero.

V. 5. FILIA PHARAONIS. Philo ſcribit hanc fuiſſe Pharaonis heredem, & ſine prole. PER CREPIDINEM ALVEI. Intellige oram, ſeu ripam fluminis. IN PAPYRIONE. AEgyptios naviculas ex iunco fabricare ait Herodotus Lib. II. item ex ligno papyri. Ergo arreptam hic fiſcellam deſignat in papyrione, ſeu in carecto papyris referto.

V. 7. CUI SOROR PUERI. En paratam ſororem Moſis, ex compoſito. Ergo vocat obſtetricem. Puer autem initio ex coniectura habitus eſt ut puer Hebræus; ſed probabile eſt mox cognitum eſſe aperte ex circumciſione: nam certum videtur, nondum invaluiſſe apud AEgyptios conſuetudinem circumciſionis, ut tamen poſtea ex Ierem. cap. IX. verſ. 26.

V. 10. ADOPTAVIT. Qualis fuerit hæc adoptio, & quomodo ea tolerata a rege, in Hebræo parvulo, non explicat Scriptura; tamen de hoc diſputant Interpretes. Hebr. *Et fuit in filium*. Nomen inditum משה *mowe*, a rad. משה *extraxit*; ſic in textu משיתיהו *mewitihou*, *extraxi eum*. Philo putat filiam regis ſimulaſſe partum, & ſic habuiſſe pro filio, atque more regio educaſſe.

V. 11. IN DIEBUS ILLIS. Fuit in aula annis 40. quando ſane ex Act. cap. VII. didicit ſapientiam AEgyptiorum: quo tempore quid in bellis geſſerit, narrant, aut divinant ſcriptores aliqui: multa congerit Ioſephus.

V. 12. PERCUSSIT AEGYPTIUM. Factum hoc Moſis, damnat Auguſt. Lib. XII. contra Fauſtum, cap. VII. Excuſant alii tamquam ex revelatione factum. At certe non habemus ſufficientem aſſertorem huius revelationis. Si conſtaret (quod probabile eſt ex Ambroſio, I. Offic. cap. XXXVI.) eum occidiſſe in defenſione innocentis cum moderamine inculpatæ tutelæ, recte excuſaretur hoc factum; alioqui ſentire oporteret cum Auguſtino.

V. 15. AUDIVITQUE PHARAO...QUI FUGIENS DE CONSPECTU EIUS, MORATUS EST IN TERRA MADIAN. Madian urbs condita a Madian filio Abrahæ, ex Cetura, unde Madianitæ, urbs eſt in Arabia, gentis Amelec: pertingit ad mare rubrum: eo fugit Moſes ex AEgypto, anno ætatis 40. & ibi manſit totidem annis, ut patet Act. VII. verſ. 30.

V. 16. ERANT AUTEM SACERDOTI MADIAN SEPTEM FILIAE. Sacerdos hic Raguel eſt, de quo verſ. 18. ſed

a Sc-

a Septuag. vocatur Iethro. Ceterum erat vere ſacerdos, quod docent trium editionum voces, כהן *coven*, & ἱερεύς, hoc eſt deſtinatus ad res ſacras. Probabilius etiam eſt fuiſſe veri Dei ſacerdotem, qualis erat ante illud tempus Melchiſedech, ſub lege naturæ.

V. 18. AD RAGUEL. Infra cap. III. vocabitur Iethro, & Iud. IV. verſ. II. Cinæus.

V. 20. UT COMEDAT PANEM. Tritum eſt apud Hebræos ſub voce panis vocari ad convictum. Tandem habitat ibi Moſes.

V. 21. IURAVIT. Iuramenti mentio expreſſa non eſt in Hebræo; ſed nec eſt apud Septuaginta, qui tantum dicunt habitaſſe cum eo. Potuit excidiſſe ex Hebræo

V. 22. GERSAM, גר *ger*, *peregrinus*, שם *ſam, ibi*. ELIEZER, אל *el*, *Deus*, עזר *hheſer*, *adiutorium*

V. 23. MORTUUS EST REX AEGYPTI, ſaltem ille ſub quo Moſes ad mortem quæſitus eſt. Aliqui plures reges obiiſſe putant a fuga Moſis.

V. 25. COGNOVIT. Hebr. וידע *vaiedabb*: agnovit ut ſuos, quaſi curam ad eos convertens; quando etiam magis cognitus eſt ab iis, ut habent Septuaginta.

CAPUT III.

Dominus Moyſi, oves Iethro ſoceri paſcenti, in rubo apparens, mittit eum etiam renitentem ad filios Iſrael de manu Pharaonis liberandos, ſpoliatis AEgyptiis.

1 MOyſes autem paſcebat oves * Iethro ſoceri ſui ſacerdotis Madian :
cumque minaſſet gregem ad interiora deſerti , venit ad montem
Dei Horeb. 2. (*a*) Apparuitque ei Dominus in flamma ignis de
medio rubi: & videbat quod rubus arderet, & non combureretur.
3. Dixit ergo Moyſes: Vadam , & videbo viſionem hanc
magnam, quare non comburatur rubus. 4. Cernens autem Dominus
quod pergeret ad videndum, vocavit eum de medio rubi , & ait : Moyſes ,
Moyſes. Qui reſpondit, Adſum. 5. At ille, Ne appropies, inquit, huc: ſolve calceamentum
de pedibus tuis : locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt . 6. Et ait :
(*b*) Ego ſum Deus patris tui, Deus Abraham, * Deus Iſaac, & Deus Iacob .
Abſcondit Moyſes faciem ſuam: non enim audebat aſpicere contra Deum. 7. Cui
ait Dominus: Vidi afflictionem populi mei in AEgypto, & clamorem eius audivi
propter duritiam eorum qui præſunt operibus: 8. & ſciens dolorem eius , deſcendi
ut liberem eum de manibus AEgyptiorum, & educam de terra illa in terram
bonam , & ſpatioſam , in terram quæ fluit lacte , & melle , ad loca
Chananæi , & Hethæi, & Amorrhæi, & Pherezæi , * & Hevæi, & Iebuſæi.
9. Clamor ergo filiorum Iſrael venit ad me: vidique afflictionem eorum, qua ab
AEgyptiis opprimuntur. 10. Sed veni, & mittam te ad Pharaonem, ut educas populum
meum, filios Iſrael, de AEgypto. 11. Dixitque Moyſes ad Deum : Quis
ſum ego ut vadam ad Pharaonem, & educam filios Iſrael de AEgypto? 12. Qui
dixit ei : Ego ero tecum : & hoc habebis ſignum, quod miſerim te: cum eduxeris
populum meum de AEgypto, immolabis Deo ſuper montem iſtum. 13. Ait
Moyſes ad Deum: Ecce ego vadam ad filios Iſrael, & dicam eis : Deus patrum
veſtrorum miſit me ad vos. Si dixerint mihi, Quod eſt nomen eius? quid dicam

eis? 14. *Dixit Deus ad Moyſen: Ego sum qui sum Ait: Sic dices filiis Iſrael:
Qui est, miſit me ad vos. 15. Dixitque iterum Deus ad Moyſen: Hæc dices
filiis Iſrael: Dominus Deus patrum veſtrorum, Deus Abraham, Deus Iſaac, &
Deus Iacob, miſit me ad vos: hoc nomen mihi eſt in æternum, & hoc me-
moriale meum * in generationem & generationem. 16. Vade, & congrega ſenio-
res Iſrael, & dices ad eos: Dominus Deus patrum veſtrorum apparuit mihi, Deus
Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob, dicens: Viſitans viſitavi vos, & vidi o-
mnia quæ acciderunt vobis in AEgypto: 17. Et dixi ut educam vos de afflictio-
ne AEgypti, in terram Chananæi, & Hethæi, & Amorrhæi, & Pherezæi, &
Hevæi, & Iebuſæi, ad terram fluentem lacte, & melle. 18. Et audient vocem tuam;
ingredieriſque tu, & ſeniores Iſrael, ad regem AEgypti, & dices ad eum: Domi-
nus Deus Hebræorum vocavit nos: ibimus viam trium dierum in ſolitudinem, ut
immolemus Domino Deo noſtro. 19. Sed ego ſcio quod non dimittet vos rex AE-
gypti ut eatis, niſi per manum validam. 20. Extendam enim manum meam, &
percutiam AEgyptum in cunctis mirabilibus meis, quæ facturus ſum in medio eorum:
poſt hæc dimittet vos. 21. Daboque gratiam populo huic coram AEgyptiis: (c) &
cum egrediemini, non exibitis vacui; 22. ſed poſtulabit mulier a vicina ſua, & ab
hoſpita ſua, vaſa argentea, & aurea, ac veſtes: ponetiſque eas ſuper filios & filias
veſtras, & ſpoliabitis AEgyptum.

(a) Act. vii. 20. (b) Matth. xxii. 32. Marc. xii. 26. Luc. xx. 37. (c) Inf. xi. 2. & xii. 35.

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

Verſ. 1. *Iethro Soceri ſui*. Non indicarunt Romani Patres, pro *Soceri*, ſubſtituendum eſſe *cognati*. quod eſt in multis libris. Idem occurrit infra iv. verſ. 18.

V. 6. *Deus Iſaac*. Merito omiſſa eſt coniunctio *&*, quæ ab aliis præponitur. Idem locum habet infra 15. & 16. & iv. 5.

V. 8. *Et Hevæi, & Iebuſæi*. Non interponas *& Gergeſæi*, quod quidam.

V. 14. *Dixit Deus ad Moyſen*. Conſulto mutatum eſt nomen *Dominus*, quod eſt in multis libris, cum nomine *Deus*.

V. 15. *In generationem & generationem*. Uno eodemque caſu accuſandi legunt Sixtina Biblia nomen generationis repetitum, cum alia exemplaria, priori loco fere ſcribant ſextum caſum.

C O M M E N T A R I A

S A.

Verſ. 1. Montem Dei. Sic poſtea eſt appellatus ob præſentiam, ſeu apparitionem Dei illic, aut ob legem a Deo illic datam.

V. 2. Dominus. Hebraice, Chald. & LXX. *Angelus Domini*.

V. 4. Dominus, vel in Angelo Dominus, vel Chriſtus ipſe, qui eſt magni conſilii Angelus: Auguſtin. in Exod. quæſt. 3.

V. 8. Fluit lacte et melle; ideſt, fertiliſſima eſt & amœniſſima.

V. 12. Immolabis. Hebr. *Servietis*, ſeu *coletis*.

V. 15. Memoriale, ideſt per quod homines recordentur mei. In generationem et generationem, ideſt in omnia ſæcula.

V. 19. Validam, ſcilicet coactus.

V. 20. In cunctis mirabilibus; ideſt, faciens opera mirabilia.

E S T I I.

Verſ. 2. Apparuitque ei Dominus in flamma ignis

DE

Digitized by Google

DE MEDIO RUBI. Totum hoc factum
eſt Angeli miniſterio, qui & voces forma-
vit, quas Dominus cum Moyſe locutus
ſuiſſe legitur. Diſerte dicit hoc S. Steph.
Act. VII. ſcilicet Angelum Moyſi in igne
flammæ rubi apparuiſſe, & eumdem An-
gelum Moyſi ducem ſuiſſe in liberatione
populi ex AEgypto. Et ſimiliter cenſendum
eſt de aliis apparitionibus Domini, quas fa-
ctas legimus S. Patriarchis, & Prophetis
quod & expreſſe in Geneſi habemus de
Abraham, & Iacob, quod Angeli eis ap-
parentes in perſona Dei eos fuerint allo-
cuti. Euſeb. quidem Cæſarienſis in prooe-
mio Hiſt. Eccl. & alibi, aliique Græci di-
cunt Chriſtum Moyſi, aliiſque patribus ap-
paruiſſe, id eſt Filium Dei in ſpecie huma-
na, quam erat aliquando aſſumpturus.
Cum non negent angelico miniſterio id
factum; ſi exiſtimant Angelum humano
ſchemate aſſumpto repræſentaſſe, non to-
tam Trinitatem, ſed ſolam perſonam Filii
Dei incarnandam, non omnino improbabi-
lis eſt eorum ſententia. Vide Dan. cap. III.
ET VIDEBAT QUOD RUBUS ARDE-
RET, ET NON COMBURERETUR. Ru-
bus ardens, nec combuſtus quid myſtice ſi-
gnificet, Eccleſia nos docet, dum ita Vir-
ginem Deiparam cantando alloquitur: *Ru-
bum quem viderat Moyſes incombuſtum con-
ſervatam agnovimus tuam laudabilem Virgi-
nitatem*. Arſit enim, & non eſt combuſta
quando de Spiritu S. ſine libidine carnis,
& ſine corruptione integritatis Deum con-
cepit.

V. 5. NE APPROPIES HUC: SOLVE CAL-
CEAMENTUM. Ratio ſequitur. LOCUS
ENIM IN QUO STAS, TERRA SAN-
CTA EST. Ideo ſancta, quia per hanc appa-
ritionem præſentiam meam hic exhibeo.
Sic arca ſancta & propitiatorium, quia il-
lic præſentiam ſuam Deus ſingulari modo
exhibebat, dans ex eo loco reſponſa,
nec non preces votaque ſacerdotis illuc in-
gredientis exaudiens. Iubetur itaque ſolve-
re calceamentum de pedibus ſuis, ob vene-
rationem loci. Nam calcei, quibus aſſidue
terra calcatur, ſordidi eſſe ſolent; ideoque
ad venerationem terræ ſanctæ pertinet, ex-
utis calceis, nudiſque pedibus eam calcare.
Sed dupliciter accipi poteſt, quod dicitur:
Ne appropies huc: ſolve calceamentum. Pri-
mo ut ſit ſenſus: ne appropies huc priuſ-
quam ſolveris calceamentum de pedibus
tuis. Altero modo, ne omnino propius ac-
cederet, ſed a longe audiret Dominum lo-
quentem, & nihilominus ut eo loco ubi
ſtabat, ſolveret de pedibus calceamenta.
Sed prior ſenſus magis congruit: quia non
apparet totum illud Moyſis cum Deo col-
loquium a longe habitum fuiſſe. Et ma-
gis conſentaneum eſt, ut iuſſus fuerit exue-
re calceos propter locum ad quem ibat,
quam in quo calceatus iam ſtabat; quam-
vis & ille ſuo modo ob præſentiam Do-
mini ſanctus erat.

V. 14. EGO SUM QUI SUM. In He-
bræo hic habetur verbum futuri temporis,
recte tamen tam LXX. Interpretes quam
Hieronymus reddiderunt tempus præſens.
Eſt enim Hebræis familiare futurum tem-
pus velut commune pro aliis, & maxime
pro præſenti, uſurpare. Significantius quo-
que id a Septuaginta redditum eſt, qui par-
ticipio præſenti articulum præfixerunt *ὁ ὤν*;
quaſi dicat, *ille ens*. Atque ex hoc Scri-
pturæ loco probat Damaſcenus Lib I. orthod.
Fidei cap XII. omnium nominum, quæ de
Deo dicuntur, principaliſſimum hoc eſ-
ſe quod iam diximus. Idipſum Chriſtus in
Evangelio ſignificavit, quando Iudæis ſuam
divinitatem volens inſinuare, præſenti tem-
pore eiuſdem verbi uſus eſt, cum de præ-
terito, ſecundum noſtrum intelligendi mo-
dum loqueretur, dicens Ioan. VIII. *Ante-
quam Abraham fieret, ego ſum*. Adde quod
Iob ſemel & iterum ſoli Deo tribuit *eſſe*.
ut cap XIV. *Nonne tu qui ſolus es?* & cap.
XXIII. *Ipſe enim ſolus eſt*. Dei ergo pri-
marium nomen eſt, *Ego ſum qui ſum*: in
primis quia nulli creaturæ poteſt ullus eſ-
ſendi modus tribui, quantumvis imperfe-
ctus, niſi Deo dante, & conſervante; tum
etiam modus eſſendi Dei tam perfectus eſt,
& per omnia immutabilis, ut reliqua o-
mnia, utpote mutationi alicui ſemper ſubie-
cta, eius reſpectu quaſi non ſint, & nihil
reputentur: Iſaiæ XL. Dan. IV. & alibi.
Dicitur tamen & *Bonum* primarium no-
men Dei, iuxta eumdem Damaſcenum, &
Dionyſium; ſed quatenus ſe diffundit extra,
præbetque participandum creaturis. Vide
etiam plura, ſi placet, in I. Sent. diſt. 8.

M A R I A N AE.

Verſ. 1. OVES IETHRO SOCERI
SUI. חתן *hothen* non *ſocerum*

tantum ſignificat, ſed promiſcue *cognatum*: ſic in quibuſdam Vulgatæ codicibus legitur, etiam in Gotthicis, *Iethro cognati ſui*: ſic cap. XVIII. verſ. I. pro eadem voce ponitur *cognatus*. AD INTERIORA DESERTI. Hebr. *Poſt deſertum*. Schol. Hebræus loci nomen putat illud *Poſt deſertum*, ubi lætiora paſcua erant.

V. 2. APPARUITQUE EI DOMINUS. Hebr. & Sept. *Angelus*; ſed cum Dei nomine loqueretur, vocatur *Deus*, ſeu *Dominus*. Dei Filius erat qui ſpecie humana cum Moyſe loquebatur ſe ludicris ad vera certamina comparabat. IN FLAMMA IGNIS. Sic fere omnes Interpretes, לבת *labath* pro *flamma* accipientes. Quidam *in corde ignis*, ſeu *in medio ignis* explicant: perinde enim eſt, quia cor in medio corpore eſt. DE MEDIO RUBI. סנה *ſeneh*, *rubus*, aut *dumus* eſt, & quidem aridus: non conſumi, ut ait quidam Hebræus, maius fuit miraculum. A rubis dictus videtur mons Sinai.

V. 12. ET HOC HABEBIS SIGNUM, QUOD MISERIM TE: nempe ſignum erit rubus ardens: ſic Abulenſis nam quod ſequitur, CUM EDUXERIS POPULUM, non ad ſignum putat pertinere, ſed explicare præceptum immolandi.

V. 14. EGO SUM QUI SUM. Hebraice, *Ero qui ero*, quod perpetuitatem indicat. Verum in Hebræo ſæpe futurum pro præſenti ſumitur. Id ſecutus Hieronymus dixit, *Ego ſum qui ſum*: certo a ſe habet exiſtentiam, cetera a Deo.

V. 15. HOC NOMEN MIHI EST: quod proxime præceſſit. DEUS ABRAHAM, DEUS ISAAC &c.

V. 16. VISITANS VISITAVI VOS. Viſitandi vox recordari etiam ſignificat. Sic plerique locum hunc reddunt: *Recordans recordatus ſum veſtri, & eorum quæ facta ſunt vobis in Aegypto*: quo minus ſit opus de ſuo addere, ET VIDI OMNIA, quod fecerunt Hieronymus, & Septuag. ad maiorem explicationem.

V. 18. VOCAVIT NOS. Vocem נקראה *nikrah* Hieronymus, & Septuag. ſumpſerunt in ſignificatione vocandi, *Vocavit nos*, vel *invocatus eſt ſuper nos*, ut dixit Chald. Alii reddunt, *Occurrit nobis*, quoniam vox קרה *karah* id ſignificat; at קרא *kara*, *vocare*, per Aleph in fine.

MALVENDAE.

Verſ. I. IETHRO SOCERI SUI. Quidam hunc putant fuiſſe filium Raguelis, patrem Sephoræ, & proprie ſocerum Moſis: & quod ſuperiori capite Raguel dictus eſt pater Sephoræ, & ſex eius ſororum, illæque Raguelis filiæ: id intelligendum more Scripturæ. quæ interdum avos appellat patres, & neptes filias. Alii unum & eumdem faciunt Raguelem & Iethro, qui fuerit binomius, pater puellarum, & vere Moſis ſocer: quod & nos ſequimur. AD INTERIORA DESERTI. Heb. *Poſt deſertum*, ideſt ad penitiſſimam & intimam partem auſtralem deſerti. AD MONTEM DEI HOREB. Hebr. *Ad montem Dei in Horeb*. Videtur quid diſtinctum fuiſſe Horeb a monte Dei, & montem quidem Dei hic Sina intelligunt; de Horeb vero Euſebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Choreb mons Dei in regione Madian, iuxta montem Sina ſupra Arabiam in deſerto; cui iungitur mons & deſertum Saracenorum, quod vocatur Pharam. Mihi autem videtur, quod duplici nomine idem mons nunc Sina, nunc Choreb vocetur*. Alii putant Choreb eſſe inferius iugum occidentale ipſius Sina. Scriptura unum & eumdem montem facere videtur. חורב *Choreb* dictus, ideſt *ſiccus & aridus*. Ego puto divinare Ioſephum, cum ſcribit: *Egit paſtum greges in montem, qui dicitur Sina, omnium in ea regione celſiſſimum, & paſcuis valde commodum, abundabat enim herba: eo quod vulgato rumore numen illic habitaret, paſtoribus hactenus inacceſſus ob religionem loci fuerat*. Certe religio loco acceſſit ex iſta viſione, & ex deſcenſu Dei in eum ad legem ferendam, ex gloria, & maieſtate præſentiæ divinæ in eo monte conſpicuæ: unde dictus eſt ſæpe in Scriptura *mons Dei*.

V. 2. IN FLAMMA IGNIS. בלבת *belabath* putant eſſe contractum & ſyncopatum pro בלהבת *belahabath*, *in flamma*. Forſan uſurpata eſt ſyncope, quod flamma non diſſipata aut ſparſa ventis eſſet, ſed recta, contracta, acuminata in modum gladii, vel laminæ terſæ, teretis, ac politæ. Alii a לב *leb* deducunt, redduntque, *in corde, in intimo ignis*. DE MEDIO RUBI. שנה *ſcheneh*, *rubum*, vel *dumum* exponunt: inde dictum notant montem Sinai,

vel

vel quod ibi frequentia eſſent rubeta, vel dumeta; vel ab hoc miraculo Angeli apparentis in rubo. Recentiores Hebræi Commentatores in librum More Nebuchim, Parte I. cap. lxvi. tradunt, lapides huius montis Sinai figuratum & expreſſum in ſe habere rubum: adeo ut etiam ſi lapides frangantur, in fragmentis ipſis appareant figuræ ruborum: quod ſe Ephodæus alter iſtorum Commentatorum vidiſſe ſcribit. Nec adhibeo, nec adimo fidem. Vide Schindlerum, & Buxtorfium in Lexicis, & Druſium cap. 1. Notarum in Leviticum: nam de eiuſmodi nativis in ſaxis figuris notavimus plura in Antichriſto Lib. VIII. cap. xxvii. ET NON COMBURERETUR. Conſentiunt omnes allegoriam hanc eſſe Eccleſiæ Iſraeliticæ afflictæ, & ardentis in AEgypto tamquam in fornace caminoque, ſed non conſumptæ: Deut. iv. verſ. 20.

Verſ. 5. SOLVE CALCEAMENTUM DE PEDIBUS TUIS. Herodotus Lib. II. num. 37. *Sacerdotes AEgyptii veſtem tantummodo lineam, calceos papyraceos* (byblinos) *geſtant: nec aliam veſtem, aut alios calceos induere eis fas eſt*. Vide Ariſtidem Lib. I. ſacrorum Sermonum. Non fuit ſacerdos AEgyptius Moſes, ſed more ſacerdotum calceatum fuiſſe facile crediderim. Hebræi ei iunceos calceos tribuunt: atque in terra Madian AEgyptio more calceatum inceſſiſſe, veriſimile eſt. Cæremoniæ huius nudipedalis rationem eam eſſe volunt, ut Moſis animo religio, & metus divinæ præſentiæ incuteretur, eamque ipſe externo ſigno teſtaretur, ut Ioſue v. verſ. 15. Hinc Nudipedalium ritum acceptum Hebræis, facile poſſumus intelligere. quem celebraſſe Paulum Apoſtolum, auctor eſt S. Hieronymus Lib. I. in Iovinianum, & in II. ad Galatas: item Berenicem reginam apud Ioſephum Lib. II. Belli, cap. xv. & Egeſippum Lib. II. Excidii, cap. viii. Inde fluxiſſe ad gentes, quæ in defectu pluviæ Nudipedalia indicebant. Tertullianus in Apologetico cap. xl. *Denique cum ab imbribus æſtiva biberna ſuſpendunt, & annus in cura eſt, Aquælicia Iovi immolatis, Nudipedalia populo denuntiatis*. Et adverſus Pſychicos, cap. xvi. *Cum ſtupet cælum, & aret annus, Nudipedalia denuntiatis*. Templa deorum, præterquam Apollinis, gentiles excalceatos ingredi ſolitos, notat ex M. Varrone Nonius, cap. xvii. numero 86. verbo *Excalceatur*. Hebræorum nonnulli notant, imitatione huius facti Moſi, & alterius Ioſue, ſacerdotes in templo nudis pedibus miniſtrare ſolitos. Sed id incertum eſt.

V. 6. ABSCONDIT MOSES FACIEM SUAM: reverentia divinæ maieſtatis, ad cuius præſentiam Angeli ipſi faciem obvelabant, Iſaiæ vi. 2. Vide I. Reg. xix. verſ. 13.

V. 7. EORUM QUI PRAESUNT OPERIBUS. נוגשם *noghesſchim* reddunt *exactores, arctatores, coarctatores, anguſtatores, oppreſſores*. Notant verbum נגש *nagaſch* proprie eſſe *adigere aliquem ad ſolutionem debiti, aut tributi, vel ad aliquid aliud operis faciendum, ſimulque vim quamdam & neceſſitatem importare: eique reſpondere Latinum exigere*, & vicinius *angariare*. In novo Teſtamento ſæpe reddi verbo Græco *ἀγγαρεύειν*: id Noſter *angariare* dicere ſolet: quod Perſicum eſſe vocabulum notum eſt ex Herodoto Lib. VIII. numero 98. Ioſepho Lib. XI. Antiquit. cap. vi. Suida, Heſychio, & aliis; de *angaris*, *angariis*, & verbo *angariare*, tam multa ab aliis perſcripta ſunt, ut pigeat tranſcribere. Vide Suidam AEmilii Porti, Briſonium Lib. I. Perſicorum, Henricum Stephanum in Appendice Theſauri, Stevvechium in Notis ad Lib. I. Vegetii, cap. iii. Nicolaum Rigaltium in Gloſſario Tactico. Proprie eſt, *adigere*, ad opus aut laborem neceſſario ſubeundum. Hic autem *noghesſchim* angariatores, exactores, adactores operum, ſeu operarum ſine ulla clementia per omnem vim ac ſævitiam, accipimus.

V. 8. IN TERRAM QUAE FLUIT LACTE, ET MELLE. Notant eſſe hyperbolicam ſynecdochen; ideſt, ad terram copia, & præſtantia proventuum commendabilem, uberrimam, fertiliſſimam. Vide Deuter. viii. 7. Plerique Hebræorum & Noſtrorum דבש *debaſch* hic non proprie *mel* accipiunt, ſed metaphorice *dactylos* ob dulcedinem, quibus abundat Iudæa: nam alioqui, ut fertur, melle non multum abundat. Sic capiunt Deuter. viii. verſ. 8. Vide Notas in II. Paralip. xxxi. verſ. 5.

V. 12. IMMOLABIS DEO SUPER MONTEM ISTUM. Hebr. *Servietis, coletis Deum ſuper montem iſtum*. Obſervant verbum עבד *ghabad* cum accuſativo conſtructum. ut

hic,

hic, verbo *colendi* reddendum. Et certe in monte Sina viſa Dei maieſtate coluerunt & adoraverunt eum, infra cap. XXIV. 1. & immolaverunt victimas, eodem cap. verſ. 5. Unde frigide quidam exponunt: *Et ſervietis Deo ſuper montem iſtum*; ideſt, rationem & legem, qua Deo ſerviatis, illumque colatis, in monte iſto accipietis.

V. 14. EGO SUM QUI SUM. Varie hunc locum ex Hebræo reddunt. I. *Ero qui ero*. II. *Ero quod ero*. III. *Ero quia ero*. IV. *Eieh qui ſum*, vel *quia ero*. Ego exiſtimo hic utrumque futurum *eieh* poſitum pro nomine proprio Dei, idemque eſſe omnino quod IHUH, ineffabile illud, & maxime proprium nomen Dei, de quo egimus Geneſ. II. verſ. 4. יהוה *ihuh* eſt futurum tertiæ perſonæ, *erit*; & אהיה *eieh* futurum primæ, *ero*, quod de ſe loquitur Deus in prima perſona. Significantiſſime demonſtrat æternam, conſtantem, immenſam vim eſſendi, invariabilem, immutabilem; a qua reliqua omnia eſſentiam & exiſtentiam habent; a qua pendent, & in eſſe conſervantur, vel abolentur, vel mutantur; infinitum, ſempiternum, & indeficientem fontem eſſendi. Futurum tria tempora includit, ut etiam Hebræi annotarunt. Ioannes Apocalypſis 1. 4. 8. Rationem nominis explicavit: *Ego ſum α, & ω, principium & finis, dicit Dominus Deus, qui eſt, & qui fuit, & qui futurus eſt, omnipotens*. Plutarchus de Iſide & Oſiride: *Quod Sai* (urbe AEgypti) *eſt Minervæ, quam eamdem cum Iſide arbitrantur: fanum hanc habet inſcriptionem: Ego ſum omne quod exiſtit, eſt, & erit; meumque peplum nemo adhuc mortalium detexit*. Ergo hic אהיה *eieh*, proprie erit, *Ens*, *Exiſtens*, *Eſſentius*, *Eſſentiator*. Unde, ad verbum reddidimus, *Ego eieh*, *qui eieh*. Duplicatio nominis ad maiorem emphaſim & aſſeverationem adiecta; ac ſi dicat: Nomen meum eſt *eieh*, quod ſane eſt *eieh*; vel vocor *eieh*, qui certe ſum *eieh*.

V. 16. VISITANS VISITAVI VOS. Alii reddunt: *Recordando recordatus ſum veſtri*: quidam: *Omnino rationem habeo veſtri*.

V. 19. NISI PER MANUM VALIDAM. Hebr. *Et non in manu obfirmata*. Quidam exponunt, *Neque in manu forti*; ideſt, ne quidem manu forti preſſus; quaſi dicat: Neque tot plagis attritus ſinet vos abire. Sed hic ſenſus manifeſte refellitur e verſ. ſequente, & cap. XII. 31. ubi Pharao fractus cladibus dimittit Hebræos. Forſan innuit, non facile dimiſſurum Hebræos etiam tot plagis afflictum: nam ægre tandem eos dimiſit, cum prius tot malis admonitus noluerit eos emittere. Alii, *Et non in manu forti*; ideſt, non opponet copias, aut exercitus. Hoc aiunt addidiſſe Deum, ut Iſraelitis metum belli ipſis a rege inferendum adimeret. Nonnulli, *Et non in manu forti*; hoc eſt, non ſuo robore aut potentia vos non ſinet diſcedere; ſed ordinatione & permiſſione mea: ut illum exerceam, & in eo gloriam meam oſtendam. Nec deſunt qui explicent, *Et non in manu forti*, ſeu armata exhibitis vos: nam ego deducam vos. Sed nullus ſenſus illum Noſtri æquat, quem ſequentia magis illuſtrant.

V. 20. MIRABILIBUS MEIS. נפלאות *niphlaoth* proprie *ardua*, *difficilia*, *impoſſibilia*, *excelſa*, *velata*, ſupra humanum, aut naturæ captum, & facultatem; quæ rationem & ordinem naturæ ſuperant, & a ſola Dei omnipotentia fiunt; nullaſque cauſas eſſendi aut cognoſcendi in natura habent, ſed ſola fide comprehendi poſſunt. Sic Spiritus Sanctus mirabilia, ac miracula Dei appellat. Vide Geneſ. XVIII. 14.

V. 22. A VICINA SUA. שכנת *ſchebeneth* ex verbo, *conſcenatrix*, *contabernaculatrix*, *cohabitatrix*, *contubernalis*. Feſtus: *Contubernales dicuntur a tabernis, quæ fiebant ex tabulis, unde & tabernacula dicta ſunt, licet tentoria ex pellibus fiant*: Scaliger vult, *licet ex tenſis pellibus fiant*. Hic contubernalem, non quod in eodem tabernaculo, ſed quod in proximo habitaret accipimus. ET SPOLIABITIS AEGYPTUM. Convenit id cum promiſſione Geneſ. XIII. 14. Tria potiſſimum iuſtitiam huius facti commendant. I. Mandatum Dei, de quo non eſt diſputandum, ſed cui eſt obtemperandum; præſertim cum Deus ſit dominus omnium, qui ab iis auferre, & aliis donare pro voluntate ſua poteſt. II. Quod Deus hanc mercedem & pretium populo ſuo adiudicavit, pro operibus duris luti, & laterum, quibus Iſraelitæ ſervierunt AEgyptiis, Exodi I. 13. Sic AEgyptus merces fuit expugnationis Tyri, Ezech. XXX. 2. Vide Sapient. X. 17. & Tertullianum Lib. II. contra Marcionem, cap. XX. & Lib. IV. cap. XXIV. III. Quod

ipſi

ipſi AEgyptii abiecta rerum ſuarum cura, Iſraelitis eas permiſiſſe videntur, cum eos ut abirent, urgebant, nihil repoſcentes ab eis, quaſi eo pretio vitam ſuam redimerent, cap. XII. 33.

MENOCHII.

Verſ. 1. PASCEBAT OVES IETHRO. Moſes quadraginta annis vixit in aula Pharaonis; aliis quadraginta paſtorem egit in Madian; ultimis quadraginta paſtor fuit, & dux populi ſui. Cum eſſet in Madian, creditur ſcripſiſſe librum Geneſis, & librum Iob ad ſuorum ſolatium. IETHRO SOCERI SUI, qui alio nomine dictus eſt Raguel, ut dictum eſt cap. II. num. 18. MINASSET. Vox Latina, & propria paſtorum baculo oves dirigentium. Hac voce non ſemel utitur Scriptura. AD MONTEM DEI HOREB. Prolepſis, nam poſtea ita dictus eſt mons a gloria Dei ibi revelata, dataque lege Exodi XIX. Hic idem eſt mons Sina.

V. 2. APPARUITQUE EI DOMINUS. Cum iam 40. annis fuiſſet in Madian, & 80. ætatis ageret, ut patet Actor. VII. num. 30. nam mox ab hac viſione miſſus eſt a Deo in AEgyptum ad Pharaonem pro liberatione Hebræorum; hoc autem contigit anno Moſis 80. ut patet Exod. VII. num. 7. *Dominus*. Angelus Domini perſonam ſuſtinens. Credibile eſt fuiſſe Michaelem ſynagogæ præſidem, & tutorem. IN FLAMMA IGNIS DE MEDIO RUBI. Flamma per rubum, & circum rubum ferebatur, nec tamen illum abſumebat, quod Dei miraculo fiebat. Significat autem ignis hic afflictionem, qua Hebræi ab AEgyptiis incendebantur, ſed non conſumebantur; ſed potius ſplendidiores efficiebantur, & fortiores.

V. 4. MOYSES, MOYSES. Oſtendit hic Deus ſe ſuos ita curare ut eos ex nomine norit, vocet, & dirigat: repetitione autem nominis acrius Moſis aures, animumque pulſat, eumque ad attentionem excitat. ADSUM: præſto ſum, ut obſequar.

V. 5. SOLVE CALCEAMENTUM: in loci, & divinæ maieſtatis reverentiam.

Verſ. 6. DEUS ABRAHAM, DEUS ISAAC, & DEUS IACOB: quem coluerunt, & colunt Abraham, &c. quibus ſuorum poſterorum ſalutem deſiderantibus, & pro ea aſſidue in limbo orantibus, fidem, quam olim dedi de veſtra liberatione, iam præſtabo. Porro Dominus horum trium potiſſimum ſe Deum vocat, quia proximi auctores, & parentes Hebrææ gentis, quibus peculiariter terra Chanaan promiſſa, & quibus peculiari modo beneficus fuerat, tandem in quibus eximiæ virtutes eluxerant. Aliqui in eo quod ad ſingula tria nomina repetitur vox Deus, myſterium agnoſcunt Trinitatis, vel ſignificari putant quantam ſingulorum ſervorum ſuorum curam Deus habeat, ſcilicet quod uniuſcuiuſque ſit Deus, & uniuſcuiuſque ſit totus. ABSCONDIT MOYSES FACIEM: ex reverentia divinæ maieſtatis præſentis.

V. 8. DESCENDI, &c. Loquitur humano more, ut ſæpe alias. TERRAM BONAM, & SPATIOSAM. Iudæa ex D. Hieronymo ad Dardanum, continet tantum 160. milliaria in longitudine a Dan uſque Berſabee, in latitudine tantum 46. milliaria, a Ioppe ad Bethlehem. Dicitur tamen ſpatioſa reſpectu terræ Geſſen, in qua tunc habitabant. II. reſpectu gentis, quæ hoc tempore minor erat illa terra. III. propter ubertatem ſoli, quod magnam admodum populi multitudinem alere poterat. QUAE FLUIT LACTE, & MELLE: hyperbole: abundat lacte, & melle, optimis fructibus, & omni deliciarum genere.

V. 9. CLAMOR FILIORUM ISRAEL VENIT AD ME. Extrema calamitas ad Deum confugere, & per orationem magno affectu clamare docet.

V. 11. QUIS SUM EGO? quaſi dicat: Ego nullus ſum, & plane ineptus ad hanc legationem. Modeſta, & humilis propriæ infirmitatis confeſſio, quam ſancti viri imitantur cum honorifica munera detrectant.

V. 12. HOC HABEBIS SIGNUM. Signum hoc quod eſſet immolaturus Deo ſuper montem, quo ad promiſſionem præſens erat, quo ad executionem vero pendebat a futuro eventu, quem Deus certiſſime futurum prædicit, & promittit: hoc autem eveniſſe patet ex cap. XXIV. 3. Simile ſignum datur Ezechiæ IV. Reg. XIX. 29. & Davidi I. Reg. XVI. 13. Abulenſis tamen putat ſignum dari rubum ipſum ardentem: nam quod ſequitur, CUM EDUXERIS POPULUM, &c. non ad ſignum putat pertinere, ſed explicare præceptum immolandi. Crediderim etiam hunc eſſe poſſe ſenſum. ERO TECUM, ET HOC

HA-

Digitized by Google

HABEBIS SIGNUM; id eſt, quia tibi ſemper adero, & mea virtute admiranda patrabis prodigia; ideo hæc tibi erunt in ſignum quod miſerim te.

V. 14. EGO SUM QUI SUM; quaſi dicat: Ego ſum verus Deus: idololatræ id colunt quod non eſt; ego ſum a me ipſo, non aliunde originem habens; ego ſum meum eſſe, ſive idem cum mea eſſentia, & cauſa omnis alterius eſſe, quod res creatæ participant.

V. 15. DEUS PATRUM VESTRORUM ... HOC nimirum, ut ſubditur, NOMEN MIHI EST IN AETERNUM, ET HOC MEMORIALE MEUM, per quod homines recordentur mei, etiam Chriſtiani: nam per Chriſtum non deleta, ſed renovata potius, & illuſtrata eſt Abrahæ, Iſaac, & Iacob memoria. IN GENERATIONEM ET GENERATIONEM. Heb. *In ſæculum ſæculi*, omni ſæculo, perpetuo.

V. 16. VISITANS VISITAVI VOS: reſpexi, & vidi vos, & calamitates veſtras.

V. 17. ET DIXI: mecum ſtatui.

V. 18. AUDIENT VOCEM TUAM, tam læta, & optata de eorum liberatione nuntiantem, tibique credent. VOCAVIT NOS. Heb. eſt, *Occurrit nobis*; id eſt, ſponte ſe obtulit, & apparuit nobis, vocans nos ad ſacrificium, quo ſe in deſerto extra AEgyptum coli vult. IBIMUS. Heb. *Et nunc eamus quæſo*: petimus ut liceat ire. VIAM TRIUM DIERUM. Non eſt mendacium, ſed ſilentium integræ veritatis intervenit: non enim dicunt ſe ituros itinere trium dierum tantum.

V. 19. NON DIMITTET VOS. Præparat animum Moſis, & Hebræorum, ne repulſam paſſi animis concidant. NISI PER MANUM VALIDAM; qua decem plagis feriantur, & maxime per cædem primogenitorum.

V. 22. A VICINA SUA, ET AB HOSPITA SUA. Hinc patet AEgyptios fuiſſe permixtos Hebræis in terra Geſſen. SPOLIABITIS AEGYPTUM. Hebr. *Evacuabitis AEgiptum*, non rapina, ſed iuſto titulo donationis Dei, qui omnium dominus. Donavit Deus hæc ſpolia Hebræis I. ut caſtigaret luxum, & iniuſtitiam AEgyptiorum. II. ut Hebræis, qui gratis ſervierant AEgyptiis, hæc ſpolia loco pretii redderet: hinc Sapient. VII. 7. dicitur: *Reddidit iuſtis mercedem laborum ſuorum*: III. ut eis daret materiam, quam poſtea in tabernaculi fabricam offerrent.

TIRINI.

Verſ. 2. VIDEBAT QUOD RUBUS ARDERET, nempe vero & materiali igne per Angelum producto ex vicino aere: concurrebatque Deus cum hoc igne ut luceret, ſeſeque diffunderet, ſed non ut ureret, afflaret, aut exſiccaret rubum; uti etiam contigit in fornace Babylonica. A rubis vero in eo monte frequentibus mons ipſe vocatus eſt Sinai, quod Hebraice rubum ſignificat: vocatur & Horeb, id eſt ſiccitas, ſolitudo, propter loci ſolitudinem, & ariditatem. Erat enim unus idemque mons; ſed duo eiuſdem montis iuga, in radice cohærentia diverſis illis nominibus diſtinguebantur. Ita Adricomius & Serarius *a*.

Petes: Quid litteraliter ſibi voluit rubus ardens incombuſtus? Reſpondeo: Igne ſignificabatur tyrannis AEgyptiaca; rubo Iſraelitæ, qui divina ope illæſi, immo ſplendidiores ex hoc igne egreſſuri eſſent, ſed antea ſpinis ſuis, id eſt decem plagis, puncturi, & perdituri AEgyptum. Ita Philo & Theodoretus. Allegorice, ignis in rubo eſt Verbum Dei in humana carne, inquit S. Gregorius *b* & Cyrillus. Vel in utero Virginis illæſa virginitate, ut Theodoretus, & S. Bernardus *c*. Moraliter, flammæ perſecutionum, aut tentationum, etiam internæ concupiſcentiæ, non lædunt iuſtos, ſed clariores reddunt. Ita Pererius.

V. 5. SOLVE CALCEAMENTUM. Idem iniunctum Ioſue cap. v. nempe ut maiori veneratione ad locum illum accederet quem Deus iam ſua præſentia ſanctificarat. Ita Euſebius, Hugo, Rupertus, Caietanus. Hinc veriſimiliter mos ille ad Iudæos, aliaſque gentes emanavit, pedes excalceandi in ingreſſu templi: quod de ſacerdotibus Iudæorum certo conſtat ex cap. xxx. & xl. Exodi. De Pythagoreis quoque, & Spartiatis, Turcis, aliiſque Saracenis, de AEthiopibus etiam Chriſtianis, teſtes ſunt Theodoretus, Procopius, Ioſephus, Hermippus, & alii earumdem gentium ſcriptores. Moraliter vero ſignificatur, eum qui per orationem vel contemplationem vult accedere ad Deum, dele-

re

re & maxima reverentia id facere, & carnales omnes curas, cogitationeſque, ac mundi affectus ſeponere. Ita Nazianzenus, Epiphanius, Nyſſenus, Procopius, Bernardus *d*.

V. 12. ET HOC HABEBIS SIGNUM. Particula *hoc* probabilius non demonſtrat hic ſequentia, IMMOLABIS, vel, ut eſt in Hebræo, Chaldæo, & Græco, *immolabitis*, IN MONTE HOC: quia ſignum hic datur miſſionis divinæ ad populum Iſraeliticum, & ad Pharaonem: quod certe præcedere vel ſaltem comitari debuit miſſionem, non ſubſequi. Sed demonſtrat præcedentia, nempe EGO ERO TECUM; id eſt, ſingulari aſſiſtentia ubique adero tibi, nempe per varia prodigia & miracula, quibus facile conſtabit omnibus, te fuiſſe a me miſſum.

V. 14. EGO SUM QUI SUM; quaſi dicat: Nomen proprium diſcriminans nullum habeo, ſed quod generaliſſimum eſt, *ens*, ſeu *eſſe*, mihi uni revera eſt proprium: nam ego ſolus a meipſo, ſeu vi meæ ſolius eſſentiæ ſum; ac proinde neceſſario, & eſſentialiter, & infinite, & illimitate, idque ab æterno, & immutabiliter; a quo, & ex quo, tamquam immenſo eſſentiæ pelago, & primo eſſendi principio, cetera omnia creata entia promanarunt. Unde *eſſe* meum infinitis modis excellentius eſt *eſſe* omnium etiam nobiliſſimarum creaturarum; & harum *eſſe* reſpectu mei *eſſe*, potius cenſetur *non eſſe*, quam *eſſe*: quippe quæ ex ſe nihil ſint, & ſine me numquam eſſent; & licet acceperint iam *eſſe*, non tamen permanerent vel ad momentum, ſi manum meam conſervatricem aliquando retraherem. Sed & hoc ipſum *eſſe* quod a me habent, quantillum, quam limitatum eſt, reſpectu mei *eſſe*, quod in omni genere entis infinitum & illimitatum eſt! Nonne unaquæque creatura pro uno *eſſe* parvulo quod habet, infinita habet *non eſſe* aliarum rerum, quæ ipſa non eſt? Ergo SIC DICES FILIIS ISRAEL, de nomine meo te interpellaturis: QUI EST, ſcilicet modo tam excellenti, tam ſublimi, quo nulla creatura eſt, aut eſſe poteſt, qui eſt ipſummet *eſſe* tum ſuum formale, tum cauſale rerum omnium; qui eſt plenitudo, & univerſitas totius entis, eſſentiæ, & exiſtentiæ, MISIT ME AD VOS.

Nota. Ex quo Deus hoc ſibi novum nomen indidit, cum antea non niſi *Elohim* diceretur, exinceps ſemper in Scripturis vocatur nomine tetragrammato *Iehova*, vel *Iiheve*, quod & re, & ſignificatione, & radice, & litteris, & punctis idem eſſe quod *ſum qui ſum*, demonſtrant Genebrardus, Bellarminus, Angelus Caninius, Galatinus, & Arias Montanus, a Lapide, Bonfrerius, & alii *e*.

(*a*) Adrich. de Locis SS. Scrar. Lib. I. in Ioſue cap. IV. qu. 4.
(*b*) Greg. XXVIII. Moral. cap. II.
(*c*) Ber. Ser. de B. Virgine & verbis Apoc. XII.
(*d*) Nazian. Orat. 19. de Paſcha. Epiph. in calce Anchorati. Nyſſen. Lib. de Vita Moyſis. Procop. hic Bern. ſuper Apoc. XII.
(*e*) Genebr. & Bellarm. in Pſal. XXXIV. Ang. Can. de Locis Hebr. Galat. Lib. II. cap. X. Arias Libro de Ioſeph.

GORDONI.

Verſ. I. MOSES AUTEM PASCEBAT OVES IETHRO SOCERI SUI. Moſes natus anno mundi 2403. poſtea quadragenarius fugit in Madian, ubi per 40. annos paſcit oves, ac demum per alios 40. annos fit dux & paſtor populi, atque ita obiit anno mundi 2524. & ætatis ſuæ 120. Deuter. ult. Excurrentibus 40. annis in Madian, putatur ſcripſiſſe Geneſin, & librum Iob (qui floruit anno 2444.) dum Moſes eſſet in Madian cum Iethro, quem hic ſocerum vocat. In Hebr. eſt חתן, *choten*, quod & *ſocerum*, & *affinem* ſignificat, & Noſter vertit nunc *cognatum*, nunc etiam *ſocerum*. Apud Septuaginta γαμβρὸς *affinis*. VENIT AD MONTEM DEI HOREB. Hic eſt mons Sina. סנה *ſene*, *rubum* ſignificat, ubi data eſt lex Exod. XIX. & ubi percuſſa eſt petra, vincitur Amalec, ieiunat Moſes, & alia.

V. 2. APPARUITQUE EI DOMINUS IN FLAMMA IGNIS DE MEDIO RUBI. Apparitio hæc facta Moſi eſt exeunte anno ætatis 80. Probo autem hic ſententiam aſſerentium, in omnibus veteris teſtamenti apparitionibus apparuiſſe, non Deum, ſed Angelum aliquem, tamen qui Deum repræſentaret, & Dei vicem gereret. Ita Auguſtinus Lib. III. contra Maximum, cap. XXVI. Hieronymus in cap. III. ad Galat. & ſcholaſtici Theologi. Qui etiam hic loquitur nomine Dei ad Moſen, vocatur Angelus in Hebr. & Septua-

 gin-

Digitized by Google

ginta, immo & Act. VII. Nec obſtat reperiri aliquando in Hebr. nomen tetragrammaton, ut hic cap IV. verſ 24. Nam etiam ibi apud Septuaginta. & Chaldæum eſt Angelus. Ceterum probabilius eſt fuiſſe hunc verum ignem, potius quam imaginem ignis; præſertim cum Moſes pro miraculo habeat, quod non combureret rubum, & vilem fruticem.

V. 5. TERRA SANCTA EST, non ex ſe, ſed relatione ad hoc quod ibi erat.

V. 8. SPATIOSAM. Lege Hieronymum ad Dardanum, qui dat in longitudine centum ſexaginta milliaria a Dan uſque Berſabee. LACTE, & MELLE, αὔξησις eſt.

V. 12. ET HOC HABEBIS SIGNUM. Plerique hoc referunt ad rubum, qui comburebatur: non eſt improbabile: nam agitur de ſigno non tam eductionis populi, quam miſſionis Moſis. Sed quid vetat ſignum utriuſque dari iſtud, EGO ERO TECUM! Cum ſcilicet videbat Moſes Deum ſecum præſentem, & operantem paſſim mirabilia.

V. 14. EGO SUM QUI SUM. אהיה אשר אהיה *Ehie, ero qui ero*. Septuaginta *Ἐγώ εἰμι ὁ ὤν, Ego ſum exiſtens*, κατ' ἐξοχὴν involvens omnem entium præſtantiam: Plura Theologi de nominibus Dei. Locus hic probat exiſtentiam eſſe de eſſentia Dei. Item docemur credere Deo loquenti de ſe: certe quia Deus eſt.

V. 16. VISITANS VISITAVI. Præteritum pro futuro *viſitabo*: enallage apud Hebræos. Viſitare hic in bonam partem accipitur.

V. 15. HOC NOMEN MIHI, nempe Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob.

V. 18 TRIUM DIERUM. Ab AEgypto ad montem Sinai eſt iter trium dierum. ſi recta eo eatur; tamen Hebræi pluribus diebus, & per anfractus eo venerunt.

V. 22. A VICINA. Hinc ſatis apparet, ſaltem a tempore inchoatæ perſecutionis, AEgyptios fuiſſe permixtos Iudæis. ET SPOLIABITIS AEGYPTUM: non rapina, ſed donatione Dei, eaque iuſtiſſima: nam ſpolia hæc gratis ſervientibus ſunt loco pretii. Peccavit quidem forte ſolus rex: ſit ita; tamen non ſine cauſa iuſta, ab Iſraelitis ſubditi regis invaduntur. Et latiſſime patet Dei dominium.

CAPUT IV.

Moyſes, tribus ſignis a Deo acceptis, in AEgyptum cum uxore proficiſcitur: uxor circumcidit filium. Aaron fratri Moyſi occurrit; ſimulque venerunt ad filios Iſrael.

1 RESpondens Moyſes ait: Non credent mihi, neque audient vo-
cem meam; ſed dicent: Non apparuit tibi Dominus. 2. Dixit
ergo ad eum: Quid eſt quod tenes in manu tua? Reſpondit,
Virga. 3. Dixitque Dominus: Proiice eam in terram. Proiecit,
& verſa eſt in colubrum, ita ut fugeret Moyſes. 4. Dixitque
Dominus: Extende manum tuam, & apprehende caudam eius.
Extendit, & tenuit, verſaque eſt in virgam. 5. Ut credant, inquit, quod appa-
ruerit tibi * Dominus Deus patrum ſuorum, Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus
Iacob. 6. Dixitque Dominus rurſum: Mitte manum tuam in ſinum tuum. Quam
cum miſiſſet in ſinum, protulit leproſam inſtar nivis. 7. Retrahe, ait, manum tuam
in ſinum tuum. Retraxit, & protulit iterum, & erat ſimilis carni reliquæ. 8. Si
non crediderint, inquit, tibi, neque audierint ſermonem ſigni prioris, credent
verbo ſigni ſequentis. 9. Quod ſi nec duobus quidem his ſignis crediderint, neque
audierint vocem tuam; ſume aquam fluminis, & effunde eam ſuper aridam, &
quid

quidquid hauſeris de fluvio, vertetur in ſanguinem. 10. Ait Moyſes: Obſecro
Domine, non ſum eloquens ab heri & nudiuſtertius; & ex quo locutus es ad ſer-
vum tuum, impeditioris & tardioris linguæ ſum. 11. Dixit Dominus ad eum: Quis
fecit os hominis; aut quis fabricatus eſt mutum, & ſurdum, videntem, & cæcum?
Nonne ego? 12. Perge igitur, (a) & ego ero in ore tuo, doceboque te quid lo-
quaris. 13. At ille, Obſecro, inquit, Domine, mitte quem miſſurus es. 14. Ira-
tus Dominus in Moyſen, ait: Aaron frater tuus levites, ſcio quod eloquens ſit:
* ecce ipſe egreditur in occurſum tuum, videnſque te lætabitur corde. 15. Lo-
quere ad eum, & pone verba mea in ore eius: & ego ero in ore tuo, & in o-
re illius, (b) & oſtendam vobis quid agere debeatis. * 16. Ipſe loquetur pro te
ad populum, & erit os tuum; tu autem eris ei in his quæ ad Deum pertinent.
17. Virgam quoque hanc ſume in manu tua, in qua facturus es ſigna. 18. Abiit
Moyſes, & reverſus eſt ad Iethro ſocerum ſuum; dixitque ei: Vadam, & rever-
tar ad fratres meos in AEgyptum, ut videam ſi adhuc vivant. Cui ait Iethro,
Vade in pace. 19. Dixit ergo Dominus ad Moyſen in Madian: Vade, & reverte-
re in AEgyptum: mortui ſunt enim omnes qui quærebant animam tuam. 20. Tu-
lit ergo Moyſes uxorem ſuam, & filios ſuos, & impoſuit eos ſuper aſinum, re-
verſuſque eſt in AEgyptum, portans virgam Dei in manu ſua. 21. Dixitque ei
Dominus revertenti in AEgyptum: Vide ut omnia oſtenta quæ poſui in manu
tua, facias coram Pharaone: ego indurabo cor eius, & non dimittet populum.
22. Diceſque ad eum: Hæc dicit Dominus: Filius meus primogenitus Iſrael. 23 Di-
xi tibi: Dimitte filium meum ut ſerviat mihi; & noluiſti dimittere eum: ecce e-
go interficiam filium tuum primogenitum. 24. Cumque eſſet in itinere, in diver-
ſorio occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum. 25. Tulit illico Sephora acu-
tiſſimam petram, & circumcidit præputium filii ſui; tetigitque pedes eius, & ait:
Sponſus ſanguinum tu mihi es. 26. Et dimiſit eum * poſtquam dixerat, Sponſus
ſanguinum, ob circumciſionem. 27. Dixit autem Dominus ad Aaron: Vade in oc-
curſum Moyſi in deſertum. Qui perrexit obviam ei in montem Dei, & oſculatus
eſt eum. 28. Narravitque Moyſes Aaron omnia * verba Domini quibus miſerat
eum, & ſigna quæ mandaverat. 29. Veneruntque ſimul, & congregaverunt cunctos
ſeniores filiorum Iſrael. 30. Locutuſque eſt Aaron omnia verba quæ dixerat Domi-
nus ad Moyſen; & fecit ſigna coram populo; 31. & credidit populus. Audierunt-
que quod viſitaſſet Dominus filios Iſrael, & quod reſpexiſſet afflictionem illorum; &
proni adoraverunt.

(a) Matth. x. 10. (b) Inf. VII. 2.

B R U G E N S I S

ROMANAE CORRECTIONES.

Verſ. 5. *Dominus Deus patrum ſuorum*. Pro pronomine ſecundæ perſonæ *tuorum*, recte ſubſtitutum eſt pronomen tertiæ perſonæ *ſuorum*.

V. 14. *Ecce ipſe egreditur in occurſum tuum*. Et hic in locum futuri *egredietur*, recte ſurrogatum eſt præſens *egreditur*.

V. 16. *Ipſe loquetur pro te*. Hic omiſſa eſt coniunctio *&*, quæ a quibuſdam præponebatur.

V. 26. *Poſtquam dixerat*, *Sponſus ſanguinum*: Quod ſubiicitur in nonnullis exemplaribus, *tu mihi es*, non eſt huius verſiculi, ſed præcedentis.

V. 28. *Verba Domini quibus miſerat eum*. Alii codices addunt præpoſitionem (*pro quibus*) quæ conſulto omiſſa eſt.

Notationes.

V.18 Pro eo quod multi codices habent, *Et reverſus eſt ad Iethro ſocerum ſuum*, antiquiores fere legunt, *Et reverſus eſt ad Iethro cognatum ſuum*. Id quod non ſolum a nobis noſtris in ſcriptis deprebenſum eſt *a*, verum etiam in illo quod ante deſcripſimus, correctorio eſt annotatum his verbis: „ Item *d*. Antiqui: *Et* „ *reverſus eſt ad Iethro cognatum ſuum*. Novi, „ pro *cognatum, ſocerum* poſuerunt, quaſi iſtud „ Hebræus non habeat; ſed idem Hebræum, „ quod eſt hic, ſumitur pro cognato infra „ XVIII. *a*. “ Hæc ibi. Similis eſt locus Exodi III. verſ. 1. ubi, etſi pleraque noſtrorum exemplarium legant *ſoceri*; undecim cum Rabano, & Eugubino habent *cognati*. Hebræis utrobique eſt חֹתֵן : quod, Exodi XVIII. non ſolum *a*, ſed etiam *b*, *c*, & *d*, ſimiliter legitur, & conſtanter ab Interprete noſtro *cognatus* redditur. Sed & Num. XIX. verſ. 29. & Iud. IV. verſ. 11. ubi Hobab dicitur חֹתֵן מֹשֶׁה, noſter *cognatum Moyſi* tranſtulit. Itaque Exodi cap. III. verſ. 1. & cap. IV. verſ. 18. quibus in locis lectionis diverſitas eſt, illa noſtri Interpretis videtur ſcriptura, quæ Iethro cognatum Moyſis vocat. Alii tranſtulerunt *ſocerum*, nec ſolum neoterici, ſed etiam veteres LXXII. locis proxime recitatis πενθερὸν dixerunt; aliis γαμβρὸν, ſi emendatioribus exemplaribus Vaticano, & Complutenſi fides habenda eſt. Chaldæus ubique חָמִיהּ reddidit, quod *ſocerum* denotat. Neque hæc Hebrææ vocis ſignificatio Latinum latuit Interpretem: id enim vel ex capite XIX Iudicum verſ. 6. manifeſtum eſt. Si tamen idem fuerit Interpres libri Iudicum, & Pentateuchi. Videri autem poſſit ex his, hæc eius fuiſſe ſententia, Raguelem patrem eſſe Iethro, & Sephoræ, ceterarumque filiarum, quæ Sacerdoti Madian fuiſſe dicuntur; & Raguelem quidem ſocerum Moyſis, Iethro vero fratrem uxoris Moyſis, quem cognatum Moyſi dixerit; niſi per cognatum, cum Ruperto, ſocerum intelligas, quod eſt inſuetum. Nonnulli exiſtimant, Raguelem fuiſſe Patrem Iethro; Iethro autem patrem Sephoræ, & ceterarum illarum puellarum; eumdemque eſſe Hobab qui Iethro. Aliorum ſententia eſt, binomium fuiſſe Raguelem, dictum & Raguelem & Iethro; huius autem filium fuiſſe Hobab: quam & B. Hieronymi eſſe in libro adverſus Helvidium, maxime quo ad priorem partem, comperio. „ Diſce (ait) Scri- „ pturæ conſuetudinem, eumdem hominem „ diverſis nominibus nuncupari. Raguel ſo- „ cer Moyſi, & Iethro dicitur. “

Verſ. 26. *Et dimiſit eum poſtquam dixerat: Sponſus ſanguinum tu mihi es ob circumciſionem*. Quemadmodum hac lectione totum repetitur quod præcedenti verſu dictum legitur, *Sponſus ſanguinum tu mihi es*; ſic etiam nonnulli codices Græci totum repetunt hoc loco quod poſuerant proximo: *Stetit ſanguis circumciſionis filii mei*: quamquam Græcæ Germanorum editiones cum Aldino exemplari nihil repetant. Correctorium vero annotat, noſtræ editionis veram poſteriori loco eſſe lectionem: *Sponſus ſanguinum ob circumciſionem*, omiſſis videlicet illis verbis *tu mihi es*: quæ lectio ab octo noſtrorum manuſcriptorum emendatiorum fere probatur; & Hebræo conformis eſt, atque Auguſtinianæ lectioni conſimilis. Auguſtinus enim, quæſtione ſuper Exodum XI. quamquam LXXII. interpretatione utatur, nec cum Græcis Germanorum libris nihil repetit, nec cum Græcis Vaticanæ Bibliothecæ, & Hiſpanorum exemplaribus totum reſumit; ſed huic Latinorum, atque Hebræorum lectioni ſimiliter, partim quod prius legerat, repetit: *Deſiit ſanguis circumciſionis*.

Cum Angelus Domini Moyſi diverteni mortem intentaret ob intermiſſam filii circumciſionem, uxor eius periculo exterrita, accepto cultro petrino circumcidit filium, & ſanguine circumciſionis pedes Moyſis tetigit, dixitque: *Sponſus ſanguinum tu mihi es*: ſanguine te mihi iungo: Sanguine te mihi retinere cogor. Dimiſit autem Angelus Moyſen, poſtquam illa eum ſponſum ſanguinum vocaverat; dimiſit, inquam, ob circumciſionem. Poteſt autem eodem fere ſenſu pars illa, *ob circumciſionem*, ad proxima referri: Liberatus eſt mortis periculo Moyſes, poſtquam Sephora eum, quod filium pro eius ſalute circumcidere coacta eſſet, ſponſum ſanguinis dixerat; ideſt, poſtquam filium circumciderat. Chaldæus Paraphraſtes locum iſtum ad hunc modum explicuit: *Tulitque Sephora petram, & circumcidit præputium filii ſui, & obtulit coram Angelo, & dixit: Propter ſanguinem circumciſionis huius, detur ſponſus mihi. Et cum quieviſſet ab eo, tunc dixit: Niſi ſanguis circumciſionis huius* (fuſus fuiſſet) *condemnatus erat ſponſus ad mortem*.

(*a*) Septemdecim noſtrorum mss. legunt *ſocerum*; quatuordecim *cognatum*: atque ex quatuordecim, lectionis diverſitatem duo in margine indicant. Exodi III. 1.

COM-

Digitized by Google

COMMENTARIA

SA.

Verſ. 2. VIRGA, ideſt baculus.

V. 5. UT CREDANT, ſcilicet cum ea edideris coram eis.

V. 9. HIS SIGNIS, ſcilicet cum ea edideris coram illis.

V. 10. AB HERI, ET NUDIUSTERTIUS; quaſi dicat: Numquam eloquens fui. ET EX QUO; pro, etiam ex quo. IMPEDITIORIS. Hebr. *Quia gravis oris*, ideſt impediti ſermonis. LXX. *Gracili voce*.

V. 12. ERO IN ORE TUO; ideſt, te facundum reddam.

V. 13. QUEM MISSURUS ES; quaſi dicat, alium magis idoneum, qualem par eſt a te mitti.

V. 17. QUAE AD DEUM PERTINENT; quaſi dicat: Conſules pro eo Deum. Hebr. *Tu eris ei pro Deo*.

V. 18. IETHRO. Vocabatur (ut quidam aiunt) Iethro, Raguel, Hebal, Cinæus, Heber, Phutiel, Iether.

V. 19. DIXIT; pro, dixerat. QUAEREBANT ANIMAM TUAM; ideſt, volebant te occidere.

V. 20. ASINUM; pro, aſinos.

V. 21. REVERTENTI IN AEGYPTUM. Hebr. *Cum reverſus fueris in AEgyptum*. INDURABO, ſcilicet ſubtrahendo gratiam. Gregor. XI. Moral. cap. v. *Indurat Deus dum cor obdurari permittit, non emolliendo per gratiam*.

V. 24. DOMINUS. Chald. & LXX. *Angelus Domini*. OCCIDERE, ſcilicet ob omiſſam circumciſionem.

V. 25. TETIGITQUE; quaſi dicat: Proiecit præputium ad pedes Moyſis. SANGUINUM; quaſi dicat: Cauſa mihi es fundendi ſanguinis.

V. 26. DIMISIT EUM, ſcilicet Angelus, vel morbus quo fuerat correptus. LXX. *Abiit ab eo Angelus*. Ego ad Sephoram reterrem, diceremque, tunc a Moyſe diſceſſiſſe ad patrem ſuum, niſi verbum eſſet maſculinum; quamquam id interdum in Scriptura pro feminino uſurpatur, ut Eccleſ. I.

ESTII.

Verſ. 3. PROIECIT, ſcilicet virgam, & VERSA EST IN COLUBRUM. Vide Annotationes infra cap. VII.

V. 6. QUA CUM MISISSET IN SINUM, PROTULIT LEPROSAM. Allegorice ſignificatur, quod multi qui ſibi mundi videntur, ſi manum in ſinum mittant, id eſt ſi diligenter animæ ſuæ latebras ſcrutentur, inſtar nivis retrahent illam leproſam; id eſt, invenient magnam immunditiem, maxime ſi operum ſuorum ſcrutentur intentionem. Iterum autem, ſi manum ſuam in ſinum mittant, id eſt ſi iterum atque iterum hoc pacto ſuam ſcrutentur conſcientiam, tandem proferent eam mundam, & ſimilem carni reliquæ; id eſt, ſcrutando mundabunt conſcientiam, ſeu animam ſuam, ut ſimilis ſit animabus ſanctis, quæ ſunt in corpore Chriſti, quod eſt Eccleſia. De hoc David Pſal. lxxvi. *Meditatus ſum nocte cum corde meo, & exercitabar, & ſcopebam ſpiritum meum*.

V. 10. OBSECRO DOMINE, NON SUM ELOQUENS AB HERI ET NUDIUSTERTIUS. In eo quod ait, *Ab heri & nudiuſtertius*, non ſignificat ſibi recenter accidiſſe tarditatem, & impedimentum linguæ; ſed phraſi Hebraica indicatur eum a prima ætate non fuiſſe eloquentem. Ac præterea quod additur, ET EX QUO LOCUTUS ES AD SERVUM TUUM, IMPEDITIORIS, ET TARDIORIS LINGUAE SUM, quidam ſic exponunt: Poſtquam apparuiſti mihi, & locutus es mecum, etiam multo magis impeditæ linguæ eſſe cœpi; idque idcirco quod homo ex præſentia divinæ maieſtatis debilior reddatur, ſicut Daniel dicit cap. III. *Domine, in viſione tua diſſolutæ ſunt compages meæ, & nihil in me remanſit virium*. Alii quoque ſic interpretantur: Ex quo locutus es mecum, etiam ipſe intelligere potuiſti me minime eſſe eloquentem.

Sed quæritur vere, an falſo hæc prætexuerit Moyſes. Quod falſo, ſignificare videtur Stephanus Act. VII. verſ. 22. ubi dicit: *Et eruditus eſt Moyſes omni ſapientia AEgyptio-*

Digitized by Google

ptiorum, *& erat potens in verbis*, *& in operibus ſuis*. Sed reſpondeo id dici a Stephano, quia erat homo magnæ auctoritatis, cuius verba magni ſaciebat rex. & qui in opere prudenter, & laudabiliter ſe gerebat, ut qui a filia regis fuiſſet adoptatus, inſtructuſque in omni ſapientia AEgyptiorum. Nihilominus impeditæ eum fuiſſe linguæ, ſatis ex eo patet quod cum Moyſes cap. VI. iterum atque iterum verſ. 12. & 30. diceret ſe incircumciſum eſſe labiis, Dominus cap. ſequenti verſ. 1. & 2. ſic reſponderit Moyſi: *Aaron frater tuus erit Propheta tuus: tu loqueris ei omnia quæ mando tibi*, *& ille loquetur ad Pharaonem*; & ſimilia habentur hoc cap. IV. verſ. 16.

V. 14. IRATUS DOMINUS IN MOYSEN. Quæritur quomodo iratus, cum nec punierit, nec etiam legatur quicquam comminatus ei fuiſſe. Reſpondeo, iram Deo attributam ſignificare aliquid quod in homine ſolet eſſe iræ effectus; cuiuſmodi non tantum eſt vindicta, punitio, comminatio, verum etiam ſermo durior, cuiuſmodi eſſe ſolet hominis iraſcentis. Itaque intelligendum verba Dei quæ ſequuntur durius prolata fuiſſe, tamquam ab irato, propter obſtinatam Moyſis tergiverſationem. Eſt & circa hunc locum notandum, recte quidem Moyſem deprecari arduam legationem ad quam vocabatur: id enim * humilitatis eſt: in ea autem deprecatione cum pertinacia perſiſtere, non recte eum facere. Unde & iram Dei adverſum ſe provocavit. Quo exemplo monentur omnes, quotquot ad paſtoralem functionem vocantur (quam Apoſtolus legationem vocat Dei nomine ſuſceptam) ne cum pertinacia reſiſtant huiuſmodi vocationi, ne quidem prætextu defectus eloquentiæ, aut ſcientiæ: qua in re acquieſcere potius debent iudicio eorum a quibus legitime vocantur, quam proprio.

Verſ. 19. MORTUI SUNT ENIM OMNES QUI QUAEREBANT ANIMAM TUAM. Nota, cum Moyſes nullam proprii periculi fecerit mentionem, ut quod ob cæſum AEgyptium quæſitus fuiſſet ad mortem, Dominus ſponte eum certiorem facit de morte eorum qui ipſum ad mortem quæſierant, nempe ut ſic timorem omnem, qui adhuc reſidere in animo eius poterat, abſtergeret.

V. 22. *&* 23. FILIUS MEUS PRIMOGENITUS ISRAEL. DIMITTE FILIUM MEUM, UT SERVIAT MIHI. Huc alludit Dominus Oſeæ XI. *Ex AEgypto vocavi filium meum*; & ſublimiori ſenſu etiam Matth. II.

V. 24. OCCURRIT EI DOMINUS, ET VOLEBAT OCCIDERE EUM. *Eum*, non infantem, ut apparet (nam nihil de infante præceſſit) ſed Moyſem, ob non circumciſum infantem. Volebat autem voluntate ſigni, quæ eſt præparationis, dum fit aliquid quod ſolet eſſe prævium ad aliud quod velle dicimur. Quidam dicunt ſubito in itinere correptum fuiſſe graviſſimo morbo, ex quo videretur ſtatim moriturus; ſed ſimplicius eſt ut intelligatur Angelus Dei viſibili atque terribili ſpecie apparuiſſe, deſignatoque non circumciſo puero, mortem Moyſi fuiſſe minatum.

V. 25. ET CIRCUMCIDIT PRAEPUTIUM FILII SUI, TETIGITQUE PEDES EIUS, ET AIT: SPONSUS SANGUINUM TU MIHI ES. Heb. eſt *Et tangere fecit pedes eius*; ideſt, proiecit præputium ante pedes eius, forte præ indignatione, quod mariti cauſa cogeretur filiolum ſuum tam dure tractare. Non intelliguntur ergo pedes pueri, nec ille vocatur ſponſus ſanguinum, quaſi qui ex vulnere circumciſionis mortuus fuerit, nam uterque filius Moyſis adhuc vivit, cap. XVIII. verſ. 3. ſed intelliguntur pedes Moyſis, & illum vocat ſponſum ſanguinum: quod ut illum a morte redimeret, tenerum filiolum Eliezer circumcidere ſubito coacta eſſet, nempe Gerſam maiore iam antea in terra Madian circumciſo.

V. 26. ET DIMISIT EUM POSTQUAM DIXERAT. Dimiſit ſcilicet Sephora Moyſem, revertens ad ſuos; non tamen ſine voluntate Moyſis: nam infra cap. XVIII. verſ. 2. dicitur Moyſes eam remiſiſſe. Intelligebat enim uxorem cum filiis ſibi fore impedimento ad opus graviſſimæ ſuæ legationis, ac negotii difficillimi, tum apud Pharaonem, tum apud populum Iſrael. Remiſit autem ad tempus tantummodo, ne quis hic repudium ſuſpicetur.

* *Al.* humanitatis.

MA-

Digitized by Google

MARIANAE.

Verſ. 13. **M**ITTE QUEM MISSURUS ES. Hebr. *Mitte in manu miſſurus es*; hoc eſt, mitte, per manum (ſupple, cuius) miſſurus es. Chald. *Mitte nunc per manum eius quem decet mitti*.

V. 16. TU AUTEM ERIS EI IN HIS QUAE AD DEUM PERTINENT. Hebr. *Eris illi in Deum*; ſed quoniam *Elohim* ſignificat *principem* etiam, perinde erit ac ſi diceret: Penes te erit principatus, ille vicem interpretis tenebit: id ſignificat ERIT OS TUUM.

V. 20. ET FILIOS SUOS. Vides Moyſem non unum tantum ſuſcepiſſe filium: ſic ſuſpicabar cap. 11. verſ. 23. vitioſe deeſſe in Hebraicis codicibus.

V. 23. ET NOLUISTI DIMITTERE EUM: pro, ſi nolueris dimittere eum, ecce ego interficiam primogenitum tuum. Itaque Hebræi Expoſitores, Chaldæus, & Septuag. illam coniunctionem *ſi* ſupplendam cenſent.

V. 24. OCCURRIT EI DOMINUS. Quoniam Dei non eſt punire per ſe, Septuag. & Chald. poſuerunt, *Angelus Domini*. Unus Hieronymus poſuit *Dominus*, quod in Hebræo ſit nomen tetragrammaton.

V. 26. ET DIMISIT EUM: certe Angelus. POSTQUAM DIXERAT: Hebr. *Tunc dixit*, illa, ſcilicet uxor: SPONSUS SANGUINUM TU MIHI ES. Poteſt etiam referri dimiſſio, & diſceſſus ad Sephoram, propter ea quæ dicuntur capite XVIII. verſ. 2. tametſi verbum *dimiſit* maſculinum eſt, ſed pro feminino ſumptum.

V. 27. PERREXIT OBVIAM EI IN MONTEM DEI. Quo Deus apparuit, certe Horeb, eo ivit Aaron in occurſum Moyſis.

V. 31. ET PRONI ADORAVERUNT, nempe populus. *Et incurvaverunt ſe, & adoraverunt*, Hebr.

MALVENDAE.

Verſ. 6. **L**EPROSAM. Eſt participium femineum Pihel. מצורעת *metzoraghat*; & nomen, צרעת *tzaraghat*, quod voce Græca Latinis uſurpata conſentiente, quidam *pſoram* exponunt: eſt autem *pſora* maligna ſcabies, ſeu lepra, nimirum corroſio prævalida, quæ aſperitatem cutis ſquamoſam inducit. Quidam a lepra diſtinguunt, quod lepra altius penetret: atqui hic aliqui reddunt, *Pſoratam*, *pſora perfoſſam*, ſeu *percuſſam*: ut cognationem habeat cum verbo רצע *ratzagh*, *perfodere*.

V. 10. OBSECRO DOMINE. Hebr. quidam reddunt, *Pro me*, *Domine*: ſubaudi, loquar, vel ſit hoc quod addam. Alii *Mi Domine*. Aliter: *In me*, *Domine*; ideſt, attende ad me Domine. Quidam, *In me*, *Domine*, tam grandis provincia? Quidam exprimunt, *In me*, *Domine*: ſubaudi, ſit iniquitas, ideſt pœna iniquitatis; ut ſit ſenſus: Quidquid volueris, in me ſtatuito, & me audias, aut ſinas: vel quidquid viſum fuerit in me decerne; dummodo me audias. Vide Geneſ. XLIII. verſ. 20. & hoc cap. verſ. 13.

V. 11. VIDENTEM. פקח *pikkeach* proprie *apertum* oculis, & auribus, alacrem, valentem viſu & auditu exponunt. Quidam congruente voce, *pexum*, purgatum oculis, & auribus; ut vocibus præcedenti & ſubſequenti privativis opponatur.

V. 12. DOCEBOQUE TE. Ex verbo, *Iaciam*, *iaculabor tibi*: figurate de doctrina, ſermone, facundia: unde reddunt, *Docebo*, *inſtituam te*. Iacere de ſermonibus, verbiſque Latinis uſurpatum, & Tacito non ſemel. Vide verſ. 15.

V. 13. MITTE QUEM MISSURUS ES. Hebr. *Mitte*, *quæſo*, *in manu mittes*. Orationem eclipticam varie infarciunt. Vide interpretes: ego ſimpliciter acceperim, Mitte alium quemcumque volueris, nam in manu mittes; ideſt, facile, in promptuque mittes: ſiquidem facile & promptum eſt tibi quemvis alium mittere, cum non ſint tibi defuturi multi idonei & apti huic legationi: nam ad manum tibi ſunt plurimi meliores me. Nota Hebraiſmum *in manu*, ideſt facile, expedite, prompte. Hiſpanice, *Como con la mano*, vel *in manu*, ideſt in facultate & poteſtate: tibi poteſtas & facultas mittendi eſt.

V. 16. ERIT OS TUUM; id eſt, erit interpres tuus ad populum, & regem. TU AUTEM ERIS EI IN IIS QUAE AD DEUM PERTINENT. Hebr. *Et tu eris ei in Deum*, *pro Deo*, *vice Dei*; hoc eſt, tu vero perſonam meam apud illum geres, expones ei voluntatem meam, & quæ ego

ego tibi dixero, illi inſtillabis, a te petet oracula de rebus agendis.

V. 19. MORTUI SUNT ENIM OMNES QUI QUAEREBANT ANIMAM TUAM. Hoc imitatus eſt Angelus Matthæi II. 22. ideſt, qui volebant te interficere ac perdere.

V. 20. ET IMPOSUIT EOS SUPER ASINUM. Quidam aſinum collective capiunt pro aſinos: nec enim unus aſinus tam longo itinere tribus illis vehendis ſufficeret. Alii aiunt, aſinos Arabiæ, & Palæſtinæ eſſe prægrandes ac robuſtos; ac Moſi filios parvulos adhuc fuiſſe: unde matrem cum filiis recte vehere unum potuiſſe. VIRGAM DEI; ideſt, quam ei dedit Deus, quamque Deus inſtrumentum deſtinaverat, & iam initiaverat tot edendis miraculis, verſ. 17. vel *virgam Dei*, ideſt divinam, admirabilem, thaumaturgam. Sic enim Dei nomen addi ſolet ad incrementum. Erat baculus paſtoralis, ſeu pedum, quo Moſes utebatur ad regendum oves: & alioqui conſtat orientales baculos in manibus deferre conſueviſſe. De Arabibus Strabo Lib. XVI. pag. 783. *Nam in more habent, ut quiſque baculum geſtet.*

V. 21. OMNIA OSTENTA. מופתים *mophetim*, *oſtenta*, *portenta*, *prodigia*. Feſtus: *Portenta exiſtimarunt quidam gravia eſſe; oſtenta bona. Alii, portenta quædam bona; oſtenta quædam triſtia appellari. Portenta quæ quid porro tendatur, indicent; oſtenta quæ tantummodo oſtendunt.* Idem Feſtus: *Prodigia, quod prædicunt futura: permutatione G litteræ: nam quæ nunc C appellatur, ab antiquis G vocabatur.* Servius: *Prodigium, quod in longum tempus dirigat ſignificationem.* Nonius: *Portentum non ſolum quod portendat, ſed etiam quod iam apportet, & faciat. Prodigium autem ſemper peſſimum eſt, dictum quaſi porro adigendum.* Rurſus: *Prodigia, & portenta hoc diſtant, quod ſunt prodigia deorum minæ, vel iræ; portenta, oſtenta, quæ aliquid imminere ſignificant.* Hic *mophetim* miracula, ſupra omnem naturæ facultatem, ad oſtenſionem divinæ virtutis, iræ, vindictæ, minarumque ſignificat: unde *prodigia* reddidimus. EGO INDURABO COR EIUS. Hebræa magnam vim habent: ego firme & valide apprehendam, & apprehenſum firme & valide retinebo, & obtinebo, atque conſtringam, compingam, & obfirmabo cor eius. Indicat ita ſe permiſſurum tam validam obſtinationem in Pharaone, ut tamen imperium & habenas cordis eius ſemper ſibi retineat; nec ſinat eum peccare quando, & quantum, & quomodo is velit: ſed prout ipſe permiſerit; ita moderans, frenans, ac dirigens eius conſilia, & actiones, ut cuncta cedant in gloriam Dei.

V. 24. OCCURRIT EI DOMINUS. Hebr. *Et incurrit in eum Dominus*; ideſt, irruit, feroci & armata ſpecie humana Angelus, qui vices Dei agebat, minitans, & intentans mortem; cauſamque prætendens, ob neglectam filii circumciſionem; cum id facile ipſe, & uxor eius ſtatim intellexerint. Ridiculum quod hic de morbo comminiſcuntur Hebræi.

V. 25. ACUTISSIMAM PETRAM. Heb. unica vox צור *tzor*: quidam reddunt *acutum*, & ſubaudiunt, ferrum, vel gladium, *acutum*, cultrum, ſeu novaculam, aut gladiolum, vel *acumen*, *aciem* gladii. Sic exponunt Ioſue v. 2. *Gladios, cultros acutos*: & Pſalm. lxxxviii. 43. *Aciem gladii*: quod ſtultum eſſet petra ſcindere præputium, cum gladius promptus ad manum eſſet. Sed ii totam antiquitatem ignorare videntur. Herodotus Lib. II. numero 86. de AEgyptiis exenteratoribus: *De hinc acutiſſimo lapide AEthiopico, circa illa conſcindunt.* Catullus de Aty epigrammate 64.

Devolvit ille acuto ſibi pondera ſilice.

De eodem Ovidius:

Ille etiam ſaxo corpus laniavit acuto.
.... onus inguinis aufert;
Nullaque ſunt ſubito ſigna relicta viri.

Samia teſta etiam id fieri ſolitum. Plinius Lib. XXXV. cap. xII. (*Samia teſta Matris Deum ſacerdotes, qui Galli vocantur, virilitatem amputant: nec aliter citra perniciem.*) Nonius: (*Samium, acutum, unde & ſamiare dicimus acuere, quod in Samo hoc genus artis polleat.* Lucius Satyrarum Lib. VIII.

Hanc ubi vult male habere, ulciſci pro ſcelere eius
Teſtam ſumit homo Samiam, ſibique illico telo
Præcidit caulem, teſteſque una amputat ambos.

Martialis Lib. III. epigrammate 81.

Abſciſſa eſt quare Samia tibi mentula teſta?

iu-

Iuvenalis ſatyra VI.
Mollia qui Samia ſecuit genitalia teſta.
Cultros, novaculas, gladios ſiliceos Mexicanorum quis neſcit acutiſſimos, & penetrantiſſimos? Hic LXX. *calculum*, Aquila, *petram*, Chaldæus, *ſilicem*, Noſter *acutiſſimam petram* ſunt interpretati. *Tzor* nullibi in Scriptura invenitur ſignificare *aciem*, vel *gladium*; ſed *petram*, vel *ſaxum*, a compreſſione & duritie. In Ioſue, *cultros lapideos*, vel *ſaxeos* antiqui omnes exponunt. In Pſalmo figurate *robur*, *adiutorium*, *præſidium*, quod ita petræ nomen in Scriptura uſurpari ſoleat. Ergo hic doctiſſimi quique intelligunt ſiliceam aliquam novaculam arripuiſſe Sephoram, quam forte huic muneri deſtinatam ſecum ferret Moſes: nam magis citra noxam teſta vel lapide teneræ illæ partes abſcindantur. *Petrinum* hic *cultrum*, & *acerrimum* quidam reddunt. Hebræos olim lapide circumſecari ſolitos, dicemus Ioſue V. verſ. 2. TETIGITQUE PEDES EIUS. Pronomen *eius* varie referunt, ad Angelum, ad puerum, ad Moſen: & hoc poſtremum eſt rectius. *Tetigit*. Hebr. *Attingere*. *pertingere fecit*, *adhibuit*, *admovit*, *applicavit pedibus eius*. Emphaſim habet: non contenta fuit mulier abieciſſe ad pedes Moſis reſectum filii præputium; ſed eo tetigit, tinxit, infecit ſanguine pedes mariti, indignata marito & legi crudeli ac ſanguinariæ, quæ parentes cogeret in filios ſævire, eorumque ſanguinem fundere. Quidam exponunt, *Tetigit*, ideſt læſit, *pedes*, membrum genitale: ut Geneſ. XLIX. 10. (*De inter pedes eius*) Iſaiæ XXXVI. 12. (*Aquam pedum*) Iſaiæ VII. 10. (*Pilus pedum*.) *Eius*, pueri. Forſan Sephora minus perita, nedum apte circumcidit filiolum, ſed feſtinatione turbata incaute læſit puerum: unde illi orta maior indignatio. *Tangere* pro *lædere*, Geneſ. XXVI. 29. Iſa. LIII. 4. SPONSUS SANGUINUM TU MIHI ES; ac ſi dicat: Scilicet bellum ſponſum, præclarum coniugium, quod ſanguine natorum ſancitur: ſtat mihi haud parvo ſponſus meus, nempe ſanguine filii mei, quo cogor illius vitam redimere.

V. 26. ET DIMISIT EUM. Hebr. *Et dimiſit ab eo*: quidam, *Et receſſit ab eo*: alii, *Et deſtitit ab eo*: nec aliene, *Et remiſit ab eo*. Intelligunt, Angelus qui eum volebat interficere, vel morbus: nam verbum eſt maſculeum, nec ad Sephoram videtur poſſe referri. Quamvis verbum maſculeum videri poſſit Sephoræ tributum ad indicandum virilem & maſculum eius animum, quo cauſata eſt relinquere maritum, & ab eo diſcedere. Nam tunc eam indignatam marito ob vulnus filii, ſtatuiſſe reverti in domum paternam, atque eam cum filiis Moſen ad Iethro ſocerum remiſiſſe, colligitur e cap. XVIII. 2 Notabis in futuro וירף *vaiireph*, apocopem ultimæ litteræ He, forſan ad innuendam celeritatem, qua Angelus receſſit ab eo; quaſi dicat: Quam primum mulier circumcidit filium, extemplo remiſit Angelus ab eo, abſceſſit, deſtitit eum velle interficere. OB CIRCUMCISIONEM. Hebr. pluraliter, *Ob circumciſiones*: fortaſſe quia venit ei tunc in memoriam altera prioris filii circumciſio, in qua primum dolorem ſauciati filii experta fuit.

V. 17. IN MONTEM DEI, Horeb, ſeu Sina, e cap. III. verſ. 1.

MENOCHII.

Verſ. 1. NON CREDENT: quia in eis multi ſunt duræ cervicis. Sciebat tamen ſeniores credituros, quod illi prædixerat Deus cap. III. num 18.

V. 2. VIRGA. Virga hæc Moſis, & illius metamorphoſis ſignificare videtur triplicem Hebræorum ſtatum: primum ſub Ioſeph cum ſceptrum tenuerunt; ſecundum cum, extincto Ioſeph, malis vexati ſunt ſub Pharaone infeſto, quod per virgam in colubrum converſam exprimitur; tertium ſub Moſe cum libertati priſtinæ reſtituti ſunt, & ex AEgypto educti, ſui iuris facti ſunt.

V. 3. ITA UT FUGERET MOSES: erat enim hic coluber ex magna virga productus, magnus, horriduſque: quare Philo eum vocat draconem.

V. 6. PROTULIT LEPROSAM. Manus Hebræos ſignificat: hi in ſinu Moyſis, qui eorum curam ſuſcepturus erat, leproſi facti ſunt, quia ab AEgyptiis gravius vexati ſunt. Moſes vero ſecundo manum in ſinum mittens, ideſt plenam & perfectam populi curam ſuſcipiens, plagis in Pharaonem, & AEgyptum immiſſis, manum reduxit ſanam, & integram, quia populum ex AEgypto ſalvum eduxit.

Digitized by Google

V. 8. VOCEM SIGNI; ideſt, vocem ſigno priore confirmatam.

V. 9. AQUAM FLUMINIS, Nili. VERTETUR IN SANGUINEM: quæ mutatio erit Ægyptiis exprobratio inſantum aquis fluminis præfocatorum; & præſignificatio mortis eorum qui maris rubri undis hauſti extinguentur.

V. 10. OBSECRO DOMINE: ſubaudi, parce mihi, noli me mittere: hoc enim intelligitur per apoſiopeſin. NON SUM ELOQUENS. Hebr. *Non ſum vir verborum*: vereor ut Pharao tam indiſertum oratorem ſit auditurus. AB HERI, ET NUDIUSTERTIUS: ab aliquo tempore: vel ſignificat, hactenus non fui eloquens, numquam fui eloquens. EX QUO LOCUTUS ES AD SERVUM TUUM: poſtquam mecum loqui cœpiſti, experior me etiam infacundiorem, ut difficilius quæ volo eloqui poſſim; quod mihi ob tui reverentiam accidit. IMPEDITIORIS, ET TARDIORIS LINGUAE SUM. Quinque videntur fuiſſe hæc, quæ prætendit Moſes impedimenta. I. quod eſſet paucorum verborum, ut indicant Hebræa, ieiunus, & verborum inops. II. quod in dicendo non eſſet eloquens, ſed rudis, inconditus, & inelegans. III. quod in ſermone non eſſet promptus, ſed tardiloquus. IV. quod voce eſſet gracili, & exili, quare ſe apud LXX. appellat *ἰσχνόφωνος*. V. quod lingua eſſet impedita, & aliquas litteras, aut voces bene pronuntiare non poſſet. Porro Dominus Moſen naturalibus iſtis linguæ vitiis impeditum ad magna opera adhibere voluit, ut laus Deo cederet, non eloquentiæ Moſis tribueretur; utque magnorum portentorum patrator, his vitiis, quæ emendare non poterat, in humilitate contineretur.

V. 11. QUIS FECIT OS HOMINIS; AUT QUIS FABRICATUS EST MUTUM, ET SURDUM? .... NONNE EGO? quaſi dicat: Ego ſum qui ſenſus, eorumque uſum tribuo: ſi opus fuerit etiam linguam tuam expedire potero.

V. 13. OBSECRO DOMINE, MITTE QUEM MISSURUS ES. Alium quæſo mitte quemcumque voles me aptiorem. Videtur Moyſes peccaſſe puſillanimitate, & inobedientia, citra tamen gravem culpam, munus a Deo delatum reiiciendo, & deprecando.

V. 15. EGO ERO IN ORE TUO, tuorum ſermonum moderator, dabo tibi ſermonem in apertione oris; quod orabat Apoſtolus Eph. VI. 19.

V. 16. ERIT OS TUUM, interpres tuus. TU AUTEM ERIS EI IN HIS QUAE AD DEUM PERTINENT: tu eris ei internuntius Dei. Heb. eſt: *Tu eris ei* לאלהים *lelohim*, ideſt in Deum, pro Deo, vice Dei ut ſcilicet ex te meam voluntatem intelligat, & te quaſi me conſulat, & audiat,

V. 18. VADAM, ET REVERTAR. Viſionem Dei celat modeſtiæ ſtudio; aliam veram, & iuſtam cauſam profectionis prætexit.

V. 20. VIRGAM DEI, qua virtute Dei facturus erat prodigia in Ægypto.

V. 21. POSUI IN MANU TUA, in poteſtate tua. INDURABO, permiſſive, & per gratiæ meæ ſubtractionem.

V. 22. FILIUS MEUS PRIMOGENITUS ISRAEL. Iſraelitæ, quos mihi in filios adoptavi. Dicuntur primogeniti, quod præ ceteris populis dilecti eſſent, & pro primogenitis habiti.

Verſ. 23. INTERFICIAM FILIUM TUUM: quæ ultima, graviſſimaque plaga fuit, qua emollitum cor Pharaonis, ut dimitteret populum.

V. 24. OCCURRIT EI DOMINUS, Angelus. OCCIDERE EUM: occidere Moſen vel præfocatione, vel intentato gladio. Omiſſio circumciſionis filii in hoc periculum Moſen adduxit, quod ipſe futurus Legiſlator, iuſſa Domini Geneſ. XVII. 12. de circumciſione neglexiſſet. Cauſa omiſſionis fuiſſe videtur, quod filio Eliezer recens nato timuerit ab itineris agitatione, ſi illum circumcidiſſet.

V. 25. TULIT ILLICO SEPHORA. Intellexit puerum periclitari defectu circumciſionis vel divina inſpiratione, vel Angelo docente. Petram adhibuit, quod conſternatæ, & properanti prima occurrerit: alioquin enim circumciſio communi gladio fieri poterat. TETIGITQUE PEDES EIUS, Moſis, aſpergens illos ſanguine ex filii circumciſione. SPONSUS SANGUINUM TU MIHI ES: redemi te hoc ſanguine fuſo, qui alioqui periiſſes.

V. 26. ET DIMISIT EUM: Moſen Angelus.

V. 27.

Digitized by Google

V. 27. In montem Dei, montem Sina.

V. 30. Locutusque est Aaron: qui iam Moſis interpretem agere cœpit. Fecit signa, Moſes ſcilicet.

V. 31. Visitasset: reſpexiſſet ut liberaret.

TIRINI.

Verſ. 4. Apprehende caudam eius. Hæc tria portenta, colubri, lepræ, & ſanguinis primario & per ſe adhibebantur ad probandum populo, & Pharaoni, hanc Moyſis miſſionem a Deo proficiſci, ipſumque iuſſu Dei poſtulare quæ poſtulaturus veniebat. Simul tamen myſtice deſignabant ſtatum Iſraelitarum in AEgypto, & miſeram eorumdem afflictionem, ac poſtliminio redemptionem. Nam virga, ſeu ſceptro ſignificabatur primo Ioſephi proregis dominatio, & florens Iſraelitarum in AEgypto ſtatus; ſecundo deiectione virgæ in terram, & in colubrum converſione, deiectio eorumdem, & afflictio; denique reſtitutione eiuſdem virgæ ex colubro, rediviva libertas, potentia, & florentior ſtatus deſignabatur. Simili modo per leproſam manum, & aquam ſanguineam miſera illa, & crudelia tempora figurabantur, quibus & valetudinem, & vires, adeoque & ſuccum, & ſanguinem Iſraelitarum tyrannice exhauriebant AEgyptii, etiam infantulos aquis præfocantes; quam crudelitatem Deus aqua in ſanguinem mutata portendit, ſe nunc acriter vindicaturum. Ita Lyranus, Toſtatus, Pererius ex Origene, & Sancto Auguſtino.

V. 13. Mitte quem missurus es. Iuſtinus Martyr, Cyprianus, Tertullianus, Baſilius, Cyrillus, Rupertus, & plerique veterum Patrum, hæc de Meſſia, ſeu Chriſto intelligunt; & rect·: quia ipſe aptiſſimus erat illi rei, & ab æterno deſignatus populi liberator. Phraſis tamen Hebraica non aliud exigit quam ut quivis demum alius magis ad id idoneus pro Moyſe mitti poſtuletur; & favet verſio LXX. & Vatabli; & ſic exponunt Toſtatus, Caietanus, Oleaſter.

V. 16. Tu eris ei in his quae ad Deum pertinent. Hebraice, *Tu eris ei in Deum*; ideſt, volo ut Aaron te conſulat quid, & quo tempore loqui, & agere debeat, & tibi quaſi Deo obediat: nam tibi ego, non vero illi, immediate pandam voluntatem meam.

V. 25. Circumcidit praeputium filii sui. Nempe monitu Angeli cognorat Sephora, ideo Deum iratum eſſe Moyſi; quod filium ſuum iuniorem huc uſque, itineris forte prætextu, circumcidere neglexiſſet. Nam dedecebat, legiſlatorem futurum, in lege ſervanda videri ſegniorem. Ergo periculo mariti territa Sephora, cultello lapideo, qui fors ad manum erat, arrepto, circumcidit filium, reſectumque præputium humi ante Moyſen abiecit. Tetigitque pedes eius, et ait: Sponsus sanguinum tu mihi es; quaſi dicat: Mi marite, ego te morti deſtinatum ab Angelo, redemi ſanguine filii mei; atque ita iam ſecundo te mihi ſponſum coemo: nam nuptiæ ſolebant olim coemptione fieri tum apud Hebræos, tum apud Romanos. Ita Tertullianus, Iſidorus Peluſiota, Rupertus, Lyranus, Toſtatus, Caietanus, Pererius.

GORDONI.

Verſ. 1. Neque audient vocem meam. Dixit Deus cap. III. verſ. 18. *Audient vocem tuam*: ergo nunc incredulus eſt Moſes? Nequaquam: tantum enim ſignificat Moſes, eos non facile credituros; ac proinde videtur tacita miraculorum petitio, & quæ Deus concedet.

V. 2. Respondit, virga. Notant Interpretes hic paronomaſiam; מזה *maze, quid hoc?* מטה *matte, virga*. Deſignabat hæc virga amplam Moſis poteſtatem, qua percutiebat AEgyptios, & regebat Hebræo, velut baculo paſtorali. Nota interim ſubmiſſionem animi, & excuſationes Moſis. Abulenſis agnoſcit hic puſillanimitatem, ſed venialem.

V. 3. Proiice eam in terram. Hæc tria ſigna, quæ hic commemorantur uſque ad verſum 10. myſtice quidem afflictiones, & varium ſtatum Hebræorum brevi futurum, aut aliquid ſimile deſignare poſſunt; at certe ſenſus litteralis eſt, ut ſigna ſint ad comprobandam miſſionem Moſis. Hoc, inquam, primo ſignificant ex primaria Dei intentione, & contextu.

V. 10. Impeditioris, et tar-

DIORIS LINGUAE SUM. Vult Deus his naturæ vitiis impeditum Moſen magna aggredi, ut inde Moſes tot mirabilium patrator haberet unde ſe contineret in humilitate, & conſtaret Deum eſſe, qui per infirma inſtrumenta, maxima præſtare ſolet.

V. 13. MITTE QUEM MISSURUS ES. Hoc non pauci, & graves ſcriptores cum aliquot Patribus explicant de Meſſia, & de hoc loqui Moſen: quod non reiicio. Probabile etiam eſt loqui Moſen de quovis alio, qui putaretur aptior ad hoc munus. Nec parum favent huic interpretationi Septuag. & Chaldaicus Paraphraſtes. Sed peccavit ne Moſes ita reſiſtendo? Nam verſ. 14. dicitur iratus Dominus; & in Hebræo, *Iratus eſt naſus Domini*: locutio eſt Hebraica. Volunt aliqui peccaſſe, ſed levi peccato: alii cum Hieronymo laudant excuſationem ex humilitate natam. Priori ſententiæ multum favet textus uterque.

V. 16. IN HIS QUAE SUNT AD DEUM. Ita etiam Septuaginta. Senſus eſt: tu Deum conſules, & ſuggeres Aaroni. In Heb. eſt, *Tu eieris in Deum*, לאלהים, *in Deum*, ſeu *pro Deo*; idem eſt ſenſus.

V. 20. PORTANS VIRGAM DEI. Hæc eſt qua utitur in miraculis.

V. 21. EGO INDURABO. Deus quomodo numquam induret, aliquid faciendo, eo fine ut aliquis induretur, dicam infra cap. VII. & XIV. ſicut nec peccata decernit, efficit, aut ad ea impellit. Lege Auguſtinum Libris tribus de libero Arbitrio.

V. 22. PRIMOGENITUS, præ ceteris populis dilectus.

V. 23. ET NOLUISTI DIMITTERE; hoc eſt, ſi nolueris dimittere eum, interficiam primogenitum. Ita reddunt Sept. & Chaldæus.

V. 24. VOLENS OCCIDERE EUM. Cur hic Angelus voluerit Moſen occidere, variæ proferuntur cauſæ; at vera eſt, quia noluit circumcidere filium, ut imperatum fuit ex Gen. XVII. verſ. 12. idque exitus probat verſ. 25. ubi uxor vocat Moſen ſponſum ſanguinis, ex ſanguine ſic fuſo, & fundendo deinceps ex circumciſione. Hæc Sephora.

V. 25. TULIT ILLICO SEPHORA ACUTISSIMAM PETRAM. Quæſtio eſt an peccaverit hic Moſes, omittendo tamdiu circumciſionem filii, ante imperatam Geneſ. XVII. verſ. 12. Sane potuit vel infirmitate pueri, vel alia ex iuſta cauſa differri. Sed cur intentata eſt mors? An ut hoc ſciens uxor conſentiret in circumciſionem filii? An ad inſtructionem Moſis, & poſterorum circa circumciſionem, ne temere fieret præcepti huius tranſgreſſio? Quod eſt hic de petrino inſtrumento, explicatur Ioſue V. verſ. 2. Denique verba illa, TETIGIT PEDES EIUS, forte intelliguntur de proiecto præputio ad pedes Moſis, aut etiam ipſius pueri. Obſcurum hoc eſt.

V. 26. ET DIMISIT EUM, ſcilicet vel Sephora maritum, Exodi cap. XVIII. verſ. 2. ſive acquieſcendo, ſive redeundo in patriam; vel Angelus Moſen: hoc poſtremum habent Septuag. & Hebraica editio favet interpretationi poſteriori: nam verbum eſt maſculinum. De reditu in patriam nihil inde habetur; nec Hebr. רפה *rapha* deſignat clare acquieviſſe Sephoram marito, ירף *iireph*: tamen Chaldæus habet, *Cum dimiſiſſet eum*; & cap. XVIII. verſ. 2. *Quam*, inquit, *remiſerat*. Certe favent hæc priori interpretationi: favet etiam Vulgatus: & ſequendo hunc ſenſum dico in Hebr. eſſe enallagem generis.

V. 27. MONTEM DEI. Mons hic eſt Sinai: unde apparet Aaronem occurriſſe Moſi, fere adhuc in confinibus Madian.

V. 30. FECIT SIGNA. Faciebat ſigna, ſcilicet Moſes, idque in confirmationem miſſionis ſuæ. PRONI ADORAVERUNT, ſcilicet populus.

Digitized by Google

CAPUT V.

Moyſes, & Aaron Pharaoni Dei mandata referunt: quæ ille contemnens, gravius Iſraelitas premit negatis paleis; quod audiens Moyſes orat pro eis Dominum.

1 POſt hæc ingreſſi ſunt Moyſes, & Aaron, & dixerunt Pharaoni: Hæc
dicit Dominus Deus Iſrael: Dimitte populum meum ut ſacrificet mi-
hi in deſerto. 2. At ille reſpondit: Quis eſt Dominus, ut audiam
vocem eius, & dimittam Iſrael? Neſcio Dominum, & Iſrael non
dimittam. 3. Dixeruntque: Deus Hebræorum vocavit nos, ut eamus viam trium
dierum in ſolitudinem, & ſacrificemus Domino Deo noſtro: ne forte accidat no-
bis peſtis, aut gladius. 4. Ait ad eos rex AEgypti: Quare Moyſes, & Aaron ſo-
licitatis populum ab operibus ſuis? Ite ad onera veſtra. 5. Dixitque Pharao: Mul-
tus eſt populus terræ: videtis quod turba ſuccreverit: quanto magis ſi dederitis eis
requiem ab operibus? 6. Præcepit ergo in die illo præfectis operum, & exactori-
bus populi, dicens: 7. Nequaquam ultra dabitis paleas populo ad conficiendos la-
teres, ſicut prius; ſed ipſi vadant, & colligant ſtipulas. 8. Et menſuram laterum,
quam prius faciebant, imponetis ſuper eos, nec minuetis quidquam: vacant enim,
& idcirco vociferantur, dicentes: Eamus, & ſacrificemus Deo noſtro. 9. Oppri-
mantur operibus, & expleant ea: ut non acquieſcant verbis mendacibus. 10. Igi-
tur egreſſi præfecti operum, & exactores, ad populum dixerunt: Sic dicit Pha-
rao: Non do vobis paleas: 11. ite, & colligite ſicubi invenire poteritis: nec mi-
nuetur quidquam de opere veſtro. 12. Diſperſuſque eſt populus per omnem ter-
ram AEgypti ad colligendas paleas. 13. Præfecti quoque operum inſtabant, di-
centes: Complete opus veſtrum quotidie, ut prius facere ſolebatis quando daban-
tur vobis paleæ. 14. Flagellatique ſunt qui præerant operibus filiorum Iſrael, ab
exactoribus Pharaonis, dicentibus: * Quare non impletis menſuram laterum, ſic-
ut prius, nec heri, nec hodie? 15. Veneruntque præpoſiti filiorum Iſrael, & vo-
ciferati ſunt ad Pharaonem, dicentes: Cur ita agis contra ſervos tuos? 16. Pa-
leæ non dantur nobis, & lateres ſimiliter imperantur: en famuli tui flagellis cæ-
dimur, & iniuſte agitur contra populum tuum. 17. Qui ait: Vacatis otio, & id-
circo dicitis: Eamus, & ſacrificemus Domino. 18. Ite ergo, & operamini: pa-
leæ non dabuntur vobis, & reddetis conſuetum numerum laterum. 19. * Vide-
bantque ſe præpoſiti filiorum Iſrael in malo, eo quod diceretur eis: Non minue-
tur quidquam de lateribus per ſingulos dies. 20. Occurreruntque Moyſi, & Aaron,
qui ſtabant ex adverſo, * egredientibus a Pharaone: 21. & dixerunt ad eos: Vi-
deat Dominus, & iudicet, quoniam fœtere feciſtis odorem noſtrum coram Pha-
raone, & ſervis eius, & præbuiſtis ei gladium, ut occideret nos. 22. Reverſuſque eſt
Moyſes ad Dominum, & ait: Domine, cur afflixiſti populum iſtum? Quare mi-
ſiſti me? 23. Ex eo enim quo ingreſſus ſum ad Pharaonem ut loquerer in no-
mine tuo, afflixit populum tuum: & non liberaſti eos.

BRU-

Digitized by Google

BRUGENSIS

Romanae Correctiones.

Verſ. 14. *Quare non impletis menſuram laterum?* Præſens *impletis* eſt in melioribus manuſcriptis, pro præterito *impleſtis*.

V. 19. *Videbantque ſe præpoſiti filiorum Iſrael in malo.* Alii libri minus recte legunt quartum caſum *malum*, pro ſexto *malo*.

V. 20. *Egredientibus a Pharaone.* Non mutes tertium caſum *egredientibus*, cum primo *egredientes*.

COMMENTARIA

SA.

Verſ. 1. Sacrificet. Hebr. & LXX. *Feſtum celebret*: Chald. *ſacrificet*.

V. 4. Solicitatis. Hebr. *Ceſſare facitis*.

V. 17. Vacatis otio. Hebr. *Vacatis, vacatis*.

V. 21. Foetere fecistis odorem nostrum; id eſt, reddidiſti nos abominabiles.

V. 22. Cur afflixisti? Non indignatur, ſed inquirit, & orat: Auguſtinus.

ESTII.

Verſ. 3. Ut eamus viam trium dierum in solitudinem. Hinc apparet quod mons Sina tantum diſtabat ab Ægypto itinere trium dierum, licet longiore via per mare rubrum eo ductus fuerit populus, infra cap. XIII. Ut sacrificemus ..... ne forte accidat nobis pestis aut gladius. Nota, ſi vetera ſacrificia valebant ad depellenda mala huiuſmodi, multo magis ad hoc valebit ſacrificium altaris in novo teſtamento.

V. 19. Videbantque se praepositi filiorum Israel in malo. Recte *in malo* in ablativo caſu, non (ut alii legunt) in accuſativo: nam ſuffragantur Hebræa, Græca, & Rabanus. Senſus eſt: *Videbant ſe in malo*, id eſt in anguſtiis conſtitutos, ex quibus ſe exitum invenire poſſe diffidebant: quaſi enim impoſſibile videbatur implere conſuetum numerum laterum, paleis more conſueto non ſubminiſtratis. Unde cogebantur operas rigidiſſime exigere, & crudeles eſſe in ſuos; quod ni facerent, flagellabantur ipſi ab exactoribus Pharaonis.

MARIANAE.

Verſ. 1. Ut sacrificet mihi. חגג *bagag* ſignificat *ſaltare*, quod in feſtis fit, & in ſacrificiis: ſic Sept. dixerunt, *Ut feſtum agant*. Hieron. *Ut ſacrificet*. Favet huic interpretationi, quod vox חגים *baghim* ab eo verbo manans *oblationem* ſignificat, Nahum 1. verſ. 15.

V. 3. Deus Hebraeorum vocavit nos. Quidam reddunt, *Occurrit nobis*, quaſi נקרא *nikra* hoc loco ſit idem quod נקרה *nikrah* poſitum cap. III. verſ. 18. nam duæ litteræ, Aleph, & He facile inter ſe permutantur. Chald. propius ad verba Hebraica dixit: *Deus Hebræorum invocatus eſt ſuper nos*; id eſt, eum colimus, ideo ei ſacrificare eſt opus.

V. 4. Solicitatis populum: avertitis, aut ceſſare facitis populum ab operibus ſuis.

V. 5. Quanto magis si dederitis eis requiem? Hebr. *Et avertitis eos ab operibus ſuis*: ſententia non alia; quaſi diceret: Populus hic multiplicatur plus ſatis, & vos nihilominus eos ab oneribus liberare vultis, quo plures gignent.

V. 7. Nequaquam ultra dabitis paleas. Plerique paleas datas antea putant, ut cum argilla miſcerentur. Sed quorſum ſtipulæ, hoc eſt minuta ligna, quæ paulo poſt verſ. 12. in editione Sept. ait collegiſſe? Ego potius crediderim paleas, & ſtipulam fuiſſe in alimentum ignis ad coquendum lateres: quod fit in regionibus feracibus frumenti, ubi deſint ligna.

V. 12. Dispersusque est populus. Hebr. *Et diſperſit populum*; ſupple, Pharao. Ad colligendas paleas. Hebr. *Ad colligendas ſtipulas, & paleas*. Sept. *Ut congregaret ſtipulam in paleas*.

V. 14

V. 14. QUARE NON IMPLETIS MENSURAM LATERUM, SICUT PRIUS, NEC HERI, NEC HODIE? Hebr. *Quare non impleſtis menſuram veſtram laterum, ſicut nudiustertius* (id eſt quod dicitur Hebraice כתמול שלשן) addit, *etiam heri* (id ſignificat גם תמול) *etiam hodie*. Sic reddit locum Chald. ſententia non variat. Hier. pro *nudius tertius*, poſuit *prius*. Itaque vox *temol* eſt ſicut *nudius* Latinis, hoc excepto, quod abſolute poſitum, ideſt ſine *tertius*, aut *quartus*, ſignificat *heri*, ut hic in ſecundo loco.

V. 16. ET INIUSTE AGITUR CONTRA POPULUM TUUM. Heb. *Et peccavit*, pro peccat, *populus tuus*. Iſte populus poteſt intelligi de AEgyptiis, & hoc ſequitur Hieronym. quo ad ſententiam, mutatis verbis. Vel poteſt intelligi de Hebræis; & hoc modo coniunctio *&* ponitur pro *quaſi*: hac ſententia *verberant nos, & peccat*, id eſt quaſi peccet, *populus tuus*; id eſt, nos quaſi noxii punimur.

V. 20. QUI STABANT EX ADVERSO. Hebr. *Occurrerunt Moyſi, & Aaroni ſtantibus in occurſum eorum, cum egrederentur ipſi* (ſcilicet Hebræi) *a Pharaone*.

V. 21. FOETERE FECISTIS ODOREM NOSTRUM. Gotth. *ſudorem*, ſed vitioſe. Ergo, feciſtis nos odioſos. CORAM PHARAONE. Hebr. *In oculis Pharaonis*. Iungitur fœtor cum oculis, quoniam a fœtore avertimus oculos.

MALVENDAE.

Verſ. 1. ET DIXERUNT PHARAONI. Hic eſt celebris ille Pharao, in quo Deus tot mirabilia exercuit, ſub quo Iſraelitæ ex AEgypto exierunt, qui periit in mari rubro. Rationes Euſebii, & Africani exodum conſtituunt ſub Acherre rege AEgyptio, decimo dynaſtiæ XVIII. Dioſpolitanorum. Vide recentiores Chronologos. UT SACRIFICET MIHI IN DESERTO. חגג *chagag* aiunt proprie eſſe *curare, circumagi, agi in orbem*: Pſalm. CVI. 27. *Gyrabunt, & movebuntur ſicut ebrius*: inde transferri ad feſtivitates quæ celebrantur epulis, potationibus, choreis, circumagitationibus, circumgyrationibus, circumrotationibus: unde reddunt *feſtivare, feſtificare, feſtum agere, feſtum celebrare*. Hic ex verbo: *Et feſtivabunt, feſtificabunt mihi*: Hiſpanice *feſte armean*. Uſus eſt tamen præterito *feſtivarunt*, ut certitudinem, deſiderium, promptitudinem animi eorum indicaret; quaſi dicat: Quum primum dimittes, puta eos mihi iam ſacrificaſſe.

V. 3. DEUS HEBRAEORUM VOCAVIT NOS. Hebr. *Deus Hebræorum vocatus, invocatus, eſt ſuper nos*; ideſt, ſortimur nomen & appellationem ab illo, dicimur eius cultores: eſt noſter Deus, eius fidem, religionem, cultum profitemur. Alii reddunt: *Deus Hebræorum occurrit, obviam factus eſt*, id eſt apparuit, *nobis*: ut ſit idem cum eo quod dicitur cap. III. verſ. 18. Sed ibi verbum נקרה *nikrah* eſt cum He, hic cum Aleph, נקרא *nikra*, nec ſunt confundendæ radices. UT EAMUS VIAM TRIUM DIERUM IN SOLITUDINEM. Philo Lib. I. De vita Moſis: *Non ſine numine decrevit coloniam in Phœnicem, Cœles Syriam, Palæſtinamque, tunc communi nomine Chananæam deducere; cuius fines diſterminabantur ab AEgypto trium dierum itinere*. PESTIS. רבר *deber*. Huius vocabuli etymon ignorari quidam aiunt. Alii conantur reddere, quaſi *perditio rei perdens*: vel quod omnia in ordinem redigat, & deiiciat, aut quod pari ordine, & modo, vel æquo pede habeat omnes: vel per antiphraſim, quod omnem ordinem deſtruat, & ordinata corrumpat: aut quod ſit res a Deo edicta & decreta: vel quod de ea multum loquantur homines, & ſit plurimum in ſermone hominum: vel generali vocabulo dicatur, *res, verbum, factum*; quo nomine etiam Germani eam vocant. Hiſpani carbunculum genus quoddam peſtis, quod Græcis eſt ἄνθραξ, *la mala palabra*, id eſt malum verbum, appellant.

V. 4. SOLICITATIS POPULUM. Verbum פרע *paragh* varie hic reddunt. I. *Cur abſtrahitis populum ab operibus ſuis*? II. *Quare ceſſare facitis*? III. *Quare vacare facitis*? IV. *Quare avocatis, abigitis, abſtrahitis populum*? V. *Quare liberum redditis populum*? id eſt, quare liberatis populum a legibus, & obedientia? VI. *Quare otioſum redditis populum*? VII. Voce conſentiente: *Quare feriari facitis populum*? Id verbum in Hiphil bis tantum legitur, hic, & II. Paralipom. XXVIII. 19. ubi Noſter *nudare* reddit, quod hic ægre aptetur, niſi, *Quare nu-*

nudatis, eximitis, id eſt abſtrahitis, *populum de operibus ſuis?* Quidam exponunt: *Quare nudatis*, id eſt ſpoliatis, liberatis, *populum*? Verbum univerſe ſignificat *vacuum*, *otioſum*, *liberum*, *feriatum eſſe ab opere*, vel *labore*, *aut lege*, *diſciplina*, *obedientia*.

V. 5. QUANTO MAGIS SI DEDERITIS EIS REQUIEM AB OPERIBUS? Heb. *Et requieſcere facietis eos ab oneribus eorum?* Quidam hæc verba volunt dicta ad exactores operum; quaſi dicat: Iſraelitæ vehementer multiplicantur & augentur; & multo magis creſcent, ſi otio indulgeant: cur igitur eos operibus non premitis, ne ſua multitudine ſint nobis exitio? Alii ad Moſen, & Aaron dicta putant; ac ſi dicat: Scilicet, vos hæc agitis, ut ex otio iî magis augeantur, quo multiplicatis viribus in nos inſurgant: otio eorum ſeritis materiem rebellandi.

V. 6. ET EXACTORIBUS POPULI. Occurrit hic primum celebris in Scriptura vox שוטרים *ſchoterim*, cuius ſingulare eſt שוטר *ſchoter*, cuius etymon vel non eſt, vel non apparet in ſacris litteris Hebraicis. Legitur in Bibliis quater & vigeſies: & iuvat hic varietatem, qua eam Noſter, & recentiores, qui Hebraica tractarunt, expoſuerunt, deſcribere. Igitur Noſter Exodi v. verſ. 6. & 10. niſi verba traiecit, *exactores* vertit, Exodi v. verſ. 15. & 19. I. Paralip. XXIII. 4. *præpoſitos*, Exodi v. 14. *qui præerant*, Deuteronom. XX. verſ. 5. & 9. Ioſue VIII. 33. *duces*, I. Paral. XXVII. 2. *præfectos*, Ioſue I. 10. Deuter. I. 15. *principes*, Deuteron. XXXI. 28. cap. XXIX. 9. II. Paralipom. XXVI. 11. & 29. *doctores*, Numeror. XI. 16. Deuteron. VI. 18. Ioſue XXIII. 2. cap. XXIV. 1. II. Paralipom. XIX. 11. cap. XXXIV. 13. *magiſtros*, Ioſue III. 2. *præcones*, Proverb. VI. 7. *præceptorem*, Deuteronomii vero XX. 8. omiſit reddere. Ioannes Reuchlinus *ſatellites*, *præcones*, *executores*, *apparitores*, *caduceatores*. Caietanus Sanctes, Clarius, Leo Iudas, Oleaſtrius, *præfectos*; Caietanus Deuteronom. XXIX. 9. *ſenatores*. Alfonſus Zamorenſis *executores*, *exactores*, *prætores*, *præceptores*, *magiſtros*. Rodolphus Baynus, & Cornelius Ianſenius, *exactores*. Sanctes Pagninus, *præfectos*, *prætores*, *dominos*. Franciſcus Vatablus *præfectos*. Leo Iudas *præcones*. Aloyſius Lippomanus *notarios*, *actuarios*. Cornelius Bonaventura Bertramus, eos quos Gallice vocant *prevoſts*. Carolus Sigonius, quos Atheninenſes appellabant *hieromnenones*. Andreas Maſius *monitores*, *apparitores*, *ſtatores*, *præcones*: quorum munus erat, principum, iudicum, magiſtratuum placita & edicta ad populum divulgare, pronuntiareque: & hunc illorum auctoritate, ſi opus erat, coercere, vel ad agendum aliquid impellere; nimirum magiſtratuum miniſtros. Immanuel Tremellius, & Franciſcus Iunius *moderatores*. Marcus Marinus *cenſores*. David de Pomis *exactores*, *ſatellites*, *præpoſitos*, *executores*. Hiſpanica Translatio *gubernatores*, alibi *alcades*: recte. Arias Montanus *executores*; quos Hiſpani Arabico verbo *alguaziles* dicunt. Ioannes Mercerus annotat שוטרים *ſchoterim* non diſcrepare a נוגשים *nogeſchim*, *angariatoribus*, ſive *exactoribus*: vel ſi diſcrepant, malle ſe *nogeſchim* ponere ſub *ſchoterim*, quaſi *ſchoterim* ſint ſuperiores miniſtri: ſed diverſos eſſe ex hoc loco Exodi v. verſ. 6. colligi. Ioannes Forſterus hæc habet: *Schoter, nomen participiale, apparetque eſſe compoſitum ex relativo* ש *ſche, & nomine* חוטר *choter, & ſignificare, qui geſtat virgam, ſeu baculum, in ſignificationem officii ſui, Græce rabduchos, id eſt bacillifer, ſeu baculifer, cui executio alicuius mandati commiſſa eſt.* Hiſpanice dicimus, *Alguaziles*. Sed durum & audax profecto etymon. Ioannes Avenarius *præfectos*, *duces*, *præpoſitos*, *prætores*, *qui geſtant virgam, ſeu baculum*. Valentinus Schindlerus: *Schoter, rabduchos, bacillifer, apparitor, præfectus, magiſtratus, exactor, miniſter, monitor, præco, ſtator. Plurale ſchoterim, apparitores, qui ſententias iudicum exequebantur, habentes baculum, & lorum, & circumeuntes in urbe, & plateis eius, ad corrigendum pravum, ad faciendum iuſta, menſuras, pondera; idque omne iuxta mandata iudicum. Sicut apud Turcas cuſtodes civitatis, aut officiales geſtant baculos, quibus litigantes, aut alteri iniuriam facientes puniunt.* Sic apud Romanos Lictores præferebant faſces, & ſecures. Verum hæc ex Hebræis accepta ſunt, qui *ſchoterim* flagris, & loris armant. Ioannes Buxtorfius: שופט *ſchophet*, *moderator*, *præfectus*. *& curator negotiorum publicorum. Sæpe coniungitur nomini ſchophet, iudex: unde ſcribunt Hebræi, ſchophet eſſe qui ſimplicer iudicat,*

& ſen-

& *ſententiam pronuntiat; ſchoter executorem, qui iudicatum exequitur, & refractarios cogit obedire ſententiæ iudicis*. Hebræi hos gradus officiorum publicorum in urbe conſtituunt. I. זקנים *zekenim*, *ſenes*, vel *ſenatus*. II. ראשי־אבות *raſche-aboth*, *capita patrum*, ſingularum tribuum primates, primi & eminentiores in urbe, tribuni. III. שופטים *ſchophetim*, *iudices*, qui ius noverant, & dicebant, IV. שוטרים *ſchoterim*, *apparitores*, qui res iudicatas exequebantur, & baculo ac loro populum cogebant ad obſervantiam præceptorum. Ego cunctis expenſis, voce etiam congruente *ſchoterim*, expoſuerim *ſtatores*, *apparitores*, *baculiferos*, Hiſpanice *alguaziles*. Diſcrimen inter *ſchoterim* & נגשים *nogeſchim*, ex hoc verſu & ex cap. III. verſ. 7. manifeſte diſces. *Nogheſchim*, ſuperiores fuiſſe ipſis *Schoterim*, ex verſ. 14. perſpicue liquet. *Schoterim* in hac hiſtoria erant Hebræi, *Nogheſchim* AEgyptii.

V. 7. ET COLLIGANT STIPULAS. Hebr. *Et colligent*, *conquirent*. Aliqui, *Complicabunt ſibi paleam*. Aiunt enim verbum proprie eſſe faſces, ſeu in faſces complicare, ſeu laqueis conſtringere. Ego a קש *Kaſch*, conſona voce, *quiſquilia*, *minuta palea*, effictum puto verbum קושׁ *kuſch*, aut קשש *kaſchaſch*, ut proprie ſit, efficto verbo, *quiſquiliare*, *paleare*, *ſtipulare*, *ſtraminare*; ideſt, conquirere, colligere, quiſquilias, paleas, ſtipulas, ſtramen. Vide verſ. 12.

V. 9. UT NON ACQUIESCANT VERBIS MENDACIBUS. De notione verbi שעה *ſchaghah*, egimus Geneſ. IV. verſ 4. Hic varie reddunt: *Et non reſpicient*, *attendent*, *intendent ad verba mendacii*; vel *& non incumbent*, *confident in verbis falſitatis*.

V. 16. ET INIUSTE AGITUR CONTRA POPULUM TUUM. חטאת *chatath* quidam pro verbo ſumunt: *Et peccabit* vel *peccavit populus tuus*; id eſt, populus Hebraicus reus peragitur, quod demenſum laterum non impleat, cum non poſſit: ſiquidem non dantur eis paleæ, aut ſtramen: quæ ſumma eſt iniquitas, & iniuſtitia. Nonnulli: *Et peccat populus tuus*; id eſt, punitur, cæditur, ſævitur in illum. Peccatum pro pœna peccati frequens in Scriptura. Alii pro nomine capiunt: *Et peccatum populi tui eſt*; id eſt, id tamquam grave peccatum populo tuo Hebræo imputatur, quod ſummam laterum non perficiat. Quidam de populo AEgyptio exponunt: *Culpa vero populi tui eſt*; id eſt, AEgyptiorum, qui ſtramen non ſuppeditant, & priſtinum tamen laterum numerum a nobis in diem exigunt. Oblique taxant regem, qui illud iuſſerat, culpam eius in populum reiiciendo. Sed quia *chatath* abſolutum eſt, nec in regimine, reddunt: *Et erratum eſt populus tuus*: Hiſpanice, *la culpa ez vueſtro pueblo*: caſus rectus maiorem emphaſim habet.

V. 21. FOETERE FECISTIS ODOREM NOSTRUM, &c. Quidam exponunt, *Famam*, *& opinionem noſtram*. Alii, *Reddidiſtis nos exoſos*, *abominabiles*, veluti rem putidam ac fœtidam. Vide Gen. XXXIV. 30. CORAM PHARAONE, ET SERVIS EIUS. Hebr. *In oculis Pharaonis*, *& in oculis ſervorum eius*; id eſt, quam longe nos vident, averſantur nos.

V. 22. REVERSUSQUE EST MOYSES AD DOMINUM, vel converſus eſt. Quidam intelligunt: relicta multitudine ſeceſſit in ſuum oratorium, privatim expoſtulaturus cum Domino.

V. 23. ET NON LIBERASTI EOS. Heb. *Et liberando non liberaſti populum tuum*; ideſt, omnino non liberaſti populum tuum, nullum adhuc veſtigium liberationis impreſſiſti.

MENOCHII.

Verſ. I. MOSES, ET AARON. Lyranus putat cum his ingreſſos etiam ſeniores, ita enim præceperat Dominus cap. III. num. 18. Melius alii, qui cenſent ſolos Moſen, & Aaron ingreſſos, nam ſoli nominantur hic, & numero quarto: pro ſenioribus enim, quos initio Moyſi timido addiderat Deus, ſubſtituit poſtea Aaronem, qui Moſis comes eſſet, & dux verbi, ut patet cap. IV. num. 14. UT SACRIFICET. Heb. *Ut feſtum celebret*; puta ſolemniter ſacrificando: ſacrificiis enim ſolemnibus vel maxime feſta celebramus.

V. 2. NESCIO DOMINUM: neſcio Deum veſtrum, nec Deum quemlibet agnoſco, qui mihi tanta imperet poteſtate, ut Hebræos dimittam.

V. 3. NE FORTE ACCIDAT NOBIS PESTIS, AUT GLADIUS. Hebr. *Ne forte incurrat in nos peſte*, *aut gladio*, Deus ni-

Digitized by Google

nimirum, ſi ei non pareamus.

V. 4. SOLICITATIS. Heb. *Ceſſare facitis*.

V. 5. DIXITQUE PHARAO, ad ſuos præfectos operum. VIDETIS QUOD TURBA SUCCREVERIT. Hinc patet infanticidii legem ut execrabilem iampridem fuiſſe abrogatam.

V. 6. NEQUAQUAM ULTRA DABITIS PALEAS; quæ conciſæ luto admiſcebantur, ut lateres ſolidiores eſſent: paleæ enim lutum continent, aſtringunt, & uniunt.

V. 8. MENSURAM LATERUM: nihil detrahetis de penſo laterum, quod perſolvere debent. VACANT ENIM: otio torpent.

V. 10. NON DO, non dabo: enallage.

V. 12. DISPERSUSQUE EST POPULUS. Pars miſcebat lutum, & formabat lateres, pars coquebat, pars paleas comportabat.

V. 16. INIUSTE AGITUR. Ne regem offendant iniuriæ invidiam in præfectos derivant.

V. 19. VIDEBANT SE IN MALO, ad magnas anguſtias redactos.

V. 20. EGREDIENTIBUS A PHARAONE. Præfecti ſcilicet Hebræorum, Moſes, & Aaron expectabant quodnam reſponſum rex daret.

V. 21. FOETERE FECISTIS: inviſos, & abominabiles reddidiſtis: eſt phraſis Hebraica, quæ habetur etiam Geneſis XXXIV. 30. ut ibi annotavimus. PRAEBUISTIS GLADIUM, id eſt occaſionem.

V. 22. REVERSUSQUE EST MOYSES AD DOMINUM. Odioſe in ſe iactata tacitus tranſmittit Moſes, quia Hebræorum præfecti exaſperatis animis ſalutarium monitorum capaces non erant. Itaque ad Deum per orationem confugit. CUR AFFLIXISTI POPULUM? cur ei occaſionem afflictionis dediſti mittendo me ad Pharaonem, nec tamen liberando populum, ſed potius permittendo ut gravius prematur? QUARE MISISTI ME? Hæc non contumaciæ verba ſunt, vel indignationis, ſed inquiſitionis, & orationis, ait ſanctus Auguſtinus quæſt. XIV.

TIRINI.

Verſ. 12. AD COLLIGENDAS PALEAS. In Hebræo, Chaldæo, & Græco, *Ad colligendas ſtipulas pro paleis*, quæ comminutæ, & luto commixtæ reddebant duriores & firmiores lateres. Nam ubi pinguior eſt terra, minimeque poroſa, ut in AEgypto, niſi paleas, ſeu ſtipulas eiuſmodi commiſceas, quibus lutum poroſius fiat; non poterit ferre vim ignis; ſed magno crepitu lateres in fruſta diſſilient, & diffringentur. Ita Philo. Lyranus, Toſtatus, Oleaſter. Tropologice, quomodo Pharao, id eſt demon, ſuos occupet paleis, & luto, & terrenarum rerum ſordibus, ex SS. Gregorio, Auguſtino, Bernardo. Vide Pererium.

V. 21. VIDEAT DOMINUS, ET IUDICET. Formula eſt exprobrandi; quaſi dicant: Deus, qui omnia videt, ob iniuriam quam nobis facitis poſtulando miſſionem a Pharaone, vos puniat, & caſtiget. QUONIAM FOETERE FECISTIS ODOREM NOSTRUM CORAM PHARAONE; id eſt, qui antea grati eramus Pharaoni, iam odioſos, & execrabiles illi feciſtis. ET PRAEBUISTIS EI GLADIUM UT OCCIDERET NOS; id eſt, importuna veſtra ſolicitatione dediſtis regi occaſionem nos durius affligendi.

Nota. Cum Deus aliquid prædicit, aut promittit futurum, fere ſolet quædam mox ſubiungere contraria, quæ ſpem futuri videantur quaſi tollere: idque ut noſtram probet conſtantiam, & acuat fiduciam; ac re ipſa diſcamus, cum vehementiſſimæ ingruunt tentationes, tum proximam eſſe ſalutem, & liberationem; ut hic magno ſuo bono experti ſunt Iſraelitæ.

GORDONI.

Verſ. 1. UT SACRIFICET MIHI. ויחגו *veiahoggu*. חגג *feſtum celebrare*, certe ſacrificando.

V. 2. NESCIO DOMINUM, veſtrum: contemptor eſt numinis.

V. 3. VIAM TRIUM DIERUM. Iter e Geſſen ad montem, recta eſt trium dierum; at populus tertio tantum menſe eo pervenit, nempe non recto itinere. NE FORTE ACCIDAT NOBIS PESTIS,

AUT

Digitized by Google

AUT GLADIUS: ne puniat nos Deus, ſi non par.mus vocanti.

V. 4. SOLICITATIS: avertitis ab operibus.

V. 5. SI DEDERITIS REQUIEM, magis mult:plicabitur.

V. 7 NEQUAQUAM ULTRA DABITIS PALEAS POPULO. Paleæ & ſtipulæ forte dabantur in alimentum ignis in coquendis lateribus..

V. 20. OCCURRERUNT. Hebræus ſignificat, Moſen, & Aaron occurriſſe egredientibus a Pharaone.

V. 21. FOETERE FECISTIS ODOREM NOSTRUM; hoc eſt. odioſos nos reddidiſti. Septuag. *Execrabilem feciſtis odorem noſtrum*, ἐβδελύξατε τὴν ὀσμὴν ἡμῶν.

CAPUT VI.

Conſolatur Deus Iſraelitas per Moyſen, Terræ Chanaan promiſſione: recenſeturque genealogia Ruben, Simeonis, & Levi, uſque ad Moyſen, & Aaron.

1 DIxitque Dominus ad Moyſen: Nunc videbis quæ facturus
ſim Pharaoni: per manum enim fortem dimittet eos, &
in manu robuſta eiiciet illos de terra ſua. 2. Locutuſque
eſt Dominus ad Moyſen, dicens: Ego Dominus 3. qui ap.
parui Abraham, Iſaac, & Iacob, in Deo omnipotente:
& nomen meum ADONAI non indicavi eis. 4. Pepigi-
que fœdus cum eis, ut darem eis Terram Chanaan, ter-
ram peregrinationis eorum, in qua fuerunt advenæ. 5. E-
go audivi gemitum filiorum Iſrael, quo AEgyptii oppreſ-
ſerunt eos; & recordatus ſum pacti mei. 6. Ideo dic filiis Iſrael: Ego Dominus
qui educam vos de ergaſtulo AEgyptiorum, & eruam de ſervitute; ac redimam
in brachio excelſo, & iudiciis magnis. 7. Et aſſumam vos mihi in populum,
& ero veſter Deus: & ſcietis quod ego ſum Dominus Deus veſter qui eduxe-
rim vos de ergaſtulo AEgyptiorum: 8. & induxerim in terram ſuper quam le-
vavi manum meam ut darem eam Abraham, Iſaac, & Iacob: daboque illam
vobis poſſidendam, ego Dominus. 9. Narravit ergo Moyſes omnia filiis Iſrael:
qui non acquieverunt ei, propter anguſtiam ſpiritus, & opus duriſſimum. 10.
Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens: 11. Ingredere, & loquere ad Pha-
raonem regem AEgypti, ut dimittat filios Iſrael de terra ſua. 12. Reſpondit Moy-
ſes coram Domino: Ecce filii Iſrael non audiunt me; & quo modo audiet Pha-
rao, præſertim cum incircumciſus ſim labiis? 13. Locutuſque eſt Dominus ad
Moyſen, & Aaron, & dedit mandatum ad filios Iſrael, & ad Pharaonem regem
AEgypti, ut educerent filios Iſrael de Terra AEgypti. 14. (*a*) Iſti ſunt principes do-
morum per familias ſuas. Filii Ruben primogeniti Iſraelis: Henoch, & Phallu,
Heſron, & Charmi: 15. hæ cognationes Ruben. (*b*) Filii Simeon: Iamuel, &
Iamin, & Ahod, & Iachin, & Soar, & Saul filius Chananitidis: hæ progenies
Simeon. 16. Et hæc nomina filiorum Levi per cognationes ſuas: Gerſon, & Caath
& Merari. Anni autem vitæ Levi fuerunt centum triginta ſeptem. 17. (*c*) Filii
Gerſon: Lobni, & Semei, per cognationes ſuas. 18. (*d*) Filii Caath: Amram, &
Iſaar, & Hebron, & Oziel. Anni quoque vitæ Caath, centum triginta tres. 19.

Filii Merari, Moholi, & Muſi: hæ cognationes Levi per familias ſuas. 20. Ac-
cepit autem Amram uxorem Iochabed patruelem ſuam; [a] quæ peperit ei Aaron,
& Moyſen. Fueruntque anni vitæ Amram, centum triginta ſeptem. 21. Filii quo-
que Iſaar: Core, & Nepheg, & Zechri. 22. Filii quoque Oziel: Miſael,
& Eliſaphan, & Sethri 23. Accepit autem Aaron uxorem Eliſabeth, filiam A-
minadab, ſororem Nahaſon, quæ peperit ei Nadab, & Abiu, & Ele-
azar, & Ithamar. 24. Filii quoque Core: Aſer, & Elcana, & Abiaſaph: hæ
ſunt cognationes Coritarum. 25. At vero Eleazar filius Aaron accepit uxorem de
filiabus Phutiel; quæ peperit ei Phinees: hi ſunt principes familiarum Levitica-
rum per cognationes ſuas. 26. Iſte eſt Aaron, & Moyſes, quibus præcepit Do-
minus ut educerent filios Iſrael de Terra AEgypti per turmas ſuas: 27. hi ſunt qui
loquuntur ad Pharaonem regem AEgypti, ut educant filios Iſrael de AEgypto:
iſte eſt Moyſes, & Aaron, 28. in die qua locutus eſt Dominus ad Moyſen, in
Terra AEgypti. 29. Et locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens: Ego Dominus:
loquere ad Pharaonem regem AEgypti omnia quæ ego loquor tibi. 30. Et ait Moy-
ſes coram Domino: En incircumciſus labiis ſum; quomodo audiet me Pharao?

(a) Gen. xlvi. 9. Num. xxvi. 5. I. Paral. v. 1. (b) I. Paralip. xv. 24. (c) I. Paralip. vi. 1. xxiii. 6. (d) Num. iii. 17. xxvi. 57. I. Paral. vi. 2. xxiii. 12.

BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO.

Verſ. 20. *Quæ peperit ei Aaron, & Moyſen.*

Non ſubiungas *& Mariam*, quod non eſt huius loci.

COMMENTARIA

SA.

Verſ. 3. IN DEO OMNIPOTENTE; id eſt, me Deum omnipotentem demonſtrans. ADONAI. Hebr. *Iehova*, ſeu *Ieheve*, ut quidam malunt; quaſi dicat, eum *qui eſt*, ab *havah* הוה ſeu *haiah* היה, id eſt *fuit*; quaſi dicat: Non tam perfecte me oſtendi eis qui ſim, quam tibi. LXX. vertunt Κύριος, id eſt *Dominus*.

V. 6. ERGASTULO; quaſi dicat, oppreſſione. Hebr. *Oneribus*: Chald. *tribulatione ſervitutis*: LXX. *ſervitute*. SERVITUTE. LXX. *Potentia*. IUDICIIS, id eſt ſignis, vel ſuppliciis.

V. 8. LEVAVI MANUM MEAM; id eſt, ſublata manu iuravi.

V. 9. OPUS DURISSIMUM. Hebr. *Duram ſervitutem*.

V. 12. INCIRCUMCISUS LABIIS, id eſt lingua impedita, ſeu rudis in loquendo.

V. 14. RUBEN, &c. Tres tantum Iacob filios enumerat, quia ſolum ad tertium, ſcilicet Levi, vult pervenire, ex quo Moyſes, & Aaron.

V. 16. PER COGNATIONES SUAS; id eſt, a quibus ortæ multæ familiæ.

V. 20. PATRUELEM, id eſt amitam, ſcilicet filiam Levi, & ſororem Caath patris ſui, ſecundum quoſdam. LXX. *Filiam ſororis patris ſui*.

V. 26. ISTE EST AARON. Nota, interdum præponi, quia maior natu; interdum poſtponi, ut infra, quia inferior dignitate.

V. 29. ET LOCUTUS EST; pro, ſic locutus eſt.

ESTII.

Verſ. 3. ET NOMEN MEUM ADONAI NON INDICAVI EIS. In Hebræo ſic legitur: *Ego Iehova. Et apparui Abraham, Iſaac, & Iacob in Deo Saddai, & nomine meo Iehova non fui notus illis.*

Digitized by Google

lis. Eſt igitur loco *Adonai*, nomen tetragrammaton *Iehova*. Sed quia illud ob reverentiam ineffabile habebatur apud Iudæos, ideo & hic quoque ſubſtitutum eſt ab Interprete nomen Adonai; quod ipſum & Iudæi faciunt, quotieſcumque inter legendum occurrit nomen tetragrammaton.

Sed quæritur quomodo in hoc nomine Deus non fuerit notus Abrahæ, Iſaac, & Iacob, cum Geneſ. xv. ubi Deus legitur dixiſſe ad Abraham: *Ego ſum Dominus qui eduxi te de Ur Chaldæorum*: in Hebræo ſit, *Ego ſum Iehova*. Reſpondent quidam, nomen quidem illud fuiſſe priſcis patribus revelatum quantum ad ſonum vocis, non autem vim, & ſignificatum eius. Sed improbabiliter hoc dicitur. Inutile enim videtur nomen revelare, cuius ſignificatio non intelligatur. Alii proinde rectius, quod hic dicitur, referunt, non ad vocabulorum ſignificationem, ſed ad declarationem rerum ſignificatarum. Nam *Saddai* ſignificat *omnipotentem*, vel ſufficientem; *Iehova* autem eum *qui eſt*, & eſſe facit. Illud potentiam ſolam ſignificat, hoc autem actum & effectum potentiæ importat. Senſus igitur eſt: apparui priſcis patribus in Deo omnipotente; id eſt, ſatis declaravi illis me eſſe omnipotentem, & omnium rerum Dominum, qui poſſem eis omnia quæ vellem abunde largiri; at in nomine meo *Iehova* non fui notus illis; id eſt, nondum illis exhibui effectum meæ potentiæ. Reſpicit autem ad promiſſionem terræ Chanaan: illam enim patribus promiſerat, ſed nunc tandem per Moyſem præſtiturus erat: quo ſpectat illud quod additur: *Pepigique fœdus cum eis, ut darem eis terram Chanaan*. Alii referunt ad mirabilia Dei opera, quæ per Moyſem Deus fecit, partim in AEgypto, partim in deſerto, qualia vix ulla fecerat tempore Patriarcharum, qui tamen nihilominus eum credebant omnipotentem. Vide etiam infra cap. XXVIII. verſ. 30.

V. 20. ACCEPIT AUTEM AMRAM UXOREM IOCHABED PATRUELEM SUAM. Vide ſupra cap. II. verſ. 1.

V. 23. ACCEPIT AUTEM AARON UXOREM ELISABETH. Aaron de tribu Levi erat, Eliſabeth de tribu Iuda, utpote ſoror Naaſon, ut hic additur: neque in ea re peccavit Aaron, quod de aliena tribu acceperit uxorem: tum quod nondum ex eſſet data, quæ præcipit ut de ſua quiſque tribu uxorem acciperet; tum quod hæ duæ tribus Levitica, & Iuda, iam inde ab initio ſpeciali privilegio miſcebantur, ut intelligeretur Chriſtus, qui inde naſciturus erat, & Rex futurus, & Sacerdos: altera enim tribus ſacerdotalis erat, altera regalis. Vide Num. XXXVI.

MARIANAE.

Verſ. 3. APPARUI ABRAHAM, ISAAC, ET IACOB IN DEO OMNIPOTENTE; ideſt, dixi illis me eſſe Deum illum omnipotentem: ſic R. Selomo. Aut, multa coram eis prodigia feci, coram patribus, quibus me omnia poſſe oſtendi. ET NOMEN MEUM ADONAI NON INDICAVI EIS. Hic eſt nomen quadrilitterum, & pro eo ſubſtituit Hieronymus nomen *Adonai*, quod eius loco proferunt Iudæi, quando in ſacris ponitur: aut certe proferunt *Elohim*, quod dignoſcitur ex punctis alterutrius horum nominum ſubiectis illi nomini quadrilittero: numquam enim ſuis punctis ſcribitur, ut indicetur id nomen eſſe ineffabile. Porro ex hoc loco ſatis efficitur, non commentum id novum eſſe, ſed Hieronymi tempore in uſu; alioqui poſuiſſet illud nomen, neque ſubſtituiſſet *Adonai*. Heb. *Et nomine*, pro, in nomine, *meo Adonai non innotui eis*. Sententia non diſcrepat, neque aliud ſignificat quam ſe divitem, & potentem patribus, promiſſis, & prodigiis oſtendiſſe: nunc implendo ea manifeſtare vim alterius, & ſacratioris nominis, quod ab *eſſe* derivatur, quaſi & ipſe exiſtat ex ſe, & faciat exiſtere quæ promiſit. Vide ſup. Gen. II. verſ. 8.

V. 6. EDUCAM VOS DE ERGASTULO, de oneribus. IN BRACHIO EXCELSO. Sic Sept. & Chald. ſed vox Hebraica magis ſignificat *extento*.

V. 12. CUM INCIRCUMCISUS SIM LABIIS. Vox ערל *harel* vere ſignificat *incircumciſum*; ſed hoc loco transfertur ad ſignificandum *balbum*: nam ut incircumciſus præputium habet ſupervacanee, quod debet a ſe amovere; ſic balbus multa verba convolvit, priuſquam exprimat quod cupit. Itaque quidam reddunt, *Et ego balbus ſum*, aut *gravis loquelæ*, ad ſententiam reſpicientes.

V. 20. ACCEPIT AUTEM AMRAM UXO-

Digitized by Google

UXOREM IOCHABED PATRUELEM SUAM. Sept. conſentiunt, dicunt enim *filiam fratris patris ſui*: & Chald. *filiam ſororis patris ſui*, nimirum amitinam: nam patruelis, eſt ex fratre patris natus, vel nata. Sed vere fuit *amita*, ut vertit Pagninus, nam fuit filia Levi, Num. XXVI. verſ. 59. ſoror Caath, qui Caath fuit pater Amram. Ex hoc colligitur, iure naturæ non eſſe vetita coniugia cum amitis.

℣. 29. IN DIE QUA LOCUTUS EST DOMINUS. Hebr. *Et factum eſt in die qua locutus eſt Dominus*, ut iungantur hæc verba cum ſequentibus, non cum præcedentibus, quod Vulgatæ verba patiuntur, immo iungunt.

Genealogia hoc capite inſeritur filiorum Iacob, ut per Ruben & Simeon, ceteris omiſſis Iacobi filiis, perveniat tandem narratio ad Levi, cuius poſteros perſequitur, ut explicet qui Moyſes, & Aaron eſſent, quibus Deus liberandi populum negotium dedit.

MALVENDAE.

Verſ. 1. PER MANUM ENIM FORTEM DIMITTET EOS, ET IN MANU ROBUSTA EIICIET ILLOS. Quidam exponunt: Tam duram ſentiet & experietur manum meam, ut non modo dimittere, ſed etiam vi expellere vos compellatur, infra cap. XII. verſ. 33.

℣. 3. APPARUI ABRAHAM, ISAAC, ET IACOB IN DEO OMNIPOTENTE; ET NOMEN MEUM ADONAI NON INDICAVI EIS. Quæſtionum hic, & explanationum nullus finis. Simpliciſſimus ſenſus eſt: vim & efficientiam fortitudinis, ubertatis, & omnipotentiæ meæ priſci illi Patres ſenſerunt, quibus illos ex periculis erui, tutos ab hoſtibus præſtiti, copia rerum omnium affatim auxi; at vim & efficacitatem nominis mei IHUH, quod eſt *ens*, nondum experti fuerunt, quia nondum eſſe feci, nondum opere complevi, nondum exiſtere feci quæ illis promiſeram de tradenda terra Chanaan: quod deſignatur nomine IHUH: ſignificat enim Exiſtentem, qui eſt, & qui omnia eſſe facit, a quo, in quo, per quem, & propter quem omnia ſunt, eſſe, & exiſtere habent: ſupra cap. III. verſ. 14. & 15. In vobis autem vim & efficaciam nominis mei IHUH re ipſa præſtabo & exhibebo, complendo & eſſe faciendo mea promiſſa, cum vos de AEgypto educam, & in terram Chanaan inducam. Hunc ſenſum firmat ſequens verſus: *Pepigique fœdus cum eis, ut darem eis terram Chanaan*, &c. Alioqui enim non dubitaverim antiquos Patres notionem, & ſignificationem, atque rationem nominis IHUH & ſciviſſe, & intellexiſſe, ac probe cognoviſſe: nam invocabant, ſeu colebant Deum in nomine IHUH. Geneſ. IV. 26. eo nomine Abraham invocat Deum, Geneſ. XII. 5. Geneſ. XIII. 4. Geneſ. XXI. 33. Iſaac Geneſ. XXVI. 25. Eodem nomine Deus obſignat ſuas promiſſiones Abrahamò Geneſ. XV. 7. Iacobo Geneſ. XXVIII. 13. atque eiuſdem nominis frequens mentio & iteratio eſt in Geneſi.

℣. 6. AC REDIMAM, vel *aſſeram*, *vindicabo*, quaſi iure propinquitatis, & conſanguinitatis. Vide Geneſ. XLVIII. 16. IN BRACHIO EXCELSO. Aiunt eſſe metaphoram hominis prævalidi, ac vehementer irati, qui quo validius ictum incutiat, & conterat aliquid, altius brachium elevat; quaſi dicat, potentiſſime, omni opum vi. IUDICIIS MAGNIS. Quidam, prodigiis & ſignis, factis memorabilibus, & admirandis, miraculis, & operibus magnis: alii, plagis, graviſſimis vindictis, pœnis, ſuppliciis, quibus iudicia mea in AEgyptios exercebo. Vide cap. XII. verſ. 12.

℣. 8. LEVAVI MANUM MEAM. Geſtum iurantis eſſe volunt. Vide Geneſ. XIV. verſ. 22. Habitus quoque apud nos eſt, certo aliquid & affirmare promittentis, quando ſublata manu, & extento digito indice vere aliquid pollicemur.

℣. 9. PROPTER ANGUSTIAM SPIRITUS, ET OPUS DURISSIMUM. Videtur dicere, anguſtiam, ſeu oppreſſionem ſpiritus, & duriſſimum ſervitium, quo premebantur, omnem ſenſum eis ademiſſe, ut non attenderent, aut crederent verbis Moſis. Quidam reddunt, *Præ angore ſpiritus*: alii, *Propter brevitatem ſpiritus*: ex verbo, *Præ decurtatione*, ſeu *demeſſione ſpiritus*; quaſi curtum aut demeſſum ſpiritum, ſeu animum haberent. Hiſpanice, *hombres de corto ſpiritu*. Servitus illa, & oppreſſio nullos eis ſpiritus faciebat. Angore animi, & ſervitio ſævo ita depreſſi erant, ut non poſſent de ſeceſſione

Digitized by Google

ne cogitare, aut novum aliquid moliri.

V. 11. Ut dimittat. Hebr. *Et dimiſit*. Utitur præterito propter rei certitudinem, & ita loquitur more humano; quaſi dicat: Ne dubita: quum primum alloqueris Pharaonem, dimittet illico Iſraelitis. Hoc dicit Deus, ut animum faciat Moſi, nec eum deſpondeat.

V. 12. Incircumciſus ſim labiis. Heb. *Præputiatus*, *præputium habens labiis*; id eſt, cum ego labia habeam craſſa, & redundantia, quibus ſermonem politum, & expeditum efferre non poſſum. Quidam exponunt. *Clauſus labiis*, id eſt tardus, & difficilis ad loquendum: alii, *Præputiatus labiis*, id eſt blæſus: balbis enim multæ ſuperfluæ ſyllabæ excidunt, quæ velut præputium eſſent amputandæ, ut purus atque nitidus efficeretur ſermo. Vide infra verſ. 30.

V. 19. Cognationes Levi. Hic Levi non eſt nomen proprium filii Iacob, cum ei præfigatur articulus *ha*, quod nominibus propriis non ſolet præponi; ſed tribum ipſam Leviticam ſignificat: *Hæ cognationes Leviticæ tribus*. Videtur Moſes in gratiam generis ſui Levitici, ut eius claritudinem oſtentaret, accuratam hanc Levi genealogiam texuiſſe; & quia de multis iſtorum poſtea ſingulares hiſtorias conditurus eſt in Pentateucho, uti ſuis videbimus locis.

V. 20. Patruelem ſuam. דודה *dodah* ter tantum in Scriptura reperitur, Levit. xviii. verſ. 14. & cap. xx. verſ. 20. quibus locis perſpicue, & extra controverſiam dicitur de uxore patrui, id eſt fratris patris. Plerique intelligunt, nempe ſororem patris ſui Chaath, & filiam Levi, ſupra cap. 11. verſ. 1. & Numeror. xxvi. 59. Ita ſane exiſtimant Toſtatus, Burgenſis, Caietanus, Sanctes, Steuchus, Oleaſtrius, Leo Iudas, Vatablus, Munſterus, Pellicanus, Forſterus, Clarius, Fagius, Mercerus, Tremellius, Iunius, Lippomanus, Pomarius, Marinus, Avenarius, Buxtorfius. Noſter ſecutus LXX. *patruelem* reddidit, id eſt filiam patrui, nempe filiam fratris patris. Nonius cap. xix. *Patrueles*, *marium fratrum filii*. *Conſobrini*, *ex duabus editi ſororibus*, *quaſi conſororini*. Niſi dicamus Noſtrum, *patruelem* Hebraico potius quam Latino ſignificato intellexiſſe, ut ita dicamus *patruam*, ſeu *amitam*. Nam דוד *dod patruum*, & *patruelem* ſignificare aiunt. Certe nomen ab amore, & caritate, qua ſe cognati diligunt. ductum videtur. Nec deſunt qui hic univerſe *cognatam ſuam* interpretentur. Decoro & honeſtati Moſis magis patruelis quam amita congruebat.

V. 26. Per turmas ſuas. Hebr. *Per exercitus ſuos*. Quidam exponunt, quaſi dicat, qui erant in maximo numero. Alii, id eſt catervatim, pro ratione locorum, ubi habitaverant, & unde eiiciebantur: nondum enim conſtituta fuerat reſpublica, & in tribus diſtincta. Ego potius intellexerim, præcepiſſe Deum ut Iſraelitæ non confuſe & miſcellanee, ſed diſtincte, in certos ordines diſtributi, more exercitus, & ſtationis militaris, quaſi ad prælium compoſiti & ordinati procederent in exitu ex AEgypto. Vide infra cap. vii. verſ. 4. cap. xii. verſ. 41. 51. & cap. xiii. verſ. 18.

MENOCHII.

Verſ. 1. Dixitque Dominus ad Moysen, vel per Angelum, vel, quod probabilius videtur, per internam inſpirationem, nam nulla hic ſpecies legitur Moyſi exhibita. Quae facturus ſum Pharaoni: quæ mala, quas plagas illaturus.

V. 3. Nomen meum Adonai. Nomen meum יהוה quod tamen Hebræ cum legunt non pronuntiant *Iehova*, ſed *Adonai*: quare Interpres Latinus hunc morem ſecutus, ſcripſit *Adonai*. Porro nomen *Iehova* divinam ſignificat eſſentiam, & a radice היה *haia* deducitur, quod verbum ſignificat *eſt*, vel *fuit*. Hoc ergo nomen *Iehova* primo Moſi revelatum fuit, & cum nomine etiam clarior rei ſignificatæ cognitio; idque hoc fine factum, ut Moſes, & populus malis preſſus in ſpem erigeretur divini auxilii mox adfuturi, ut nimirum intelligerent Deum, qui ſe tam familiarem, & nomine proprio compellandum, & noſcendum exhibebat, iam magis eos curæ, & cordi habere quam ante.

V. 6. De ergaſtulo AEgyptiorum. Hebr. *De ſub oneribus AEgyptiorum*. Pene Noſter vertit *ergaſtulum*, nam ergaſtulum eſt locus in quo capti, aut ſervi laborare coguntur: dicitur enim ergaſtulum ἀπὸ τοῦ ἐργάζεσθαι, id eſt, ab operando. & labo-

borando. In brachio excelso, Heb. *extento*, hoc eſt ad feriendum in altum ſublato. Iudiciis magnis: magnis plagis, & vindicta iuſte pro meritis inflicta.

V. 7. Vester Deus, Heb. *Elohim*, iudex veſter, qui pro vobis ſententiam feram. *Elohim* enim *iudicem* ſignificat.

V. 8. Levavi manum meam: iuravi: manus enim in altum elevata habitus iurantis eſt. Eadem phraſis eſt Geneſ. xiv. 22. & II. Eſdræ ix. 15.

V. 9. Propter angustiam spiritus. LXX. *Præ puſillanimitate*. Adeo malis premebantur ut non auderent, nec liceret eis aliud aliquid cogitare, ſperare, aut machinari.

V. 12. Cum incircumcisus sim labiis. Hebr. incircumciſum vocant corde, mente, aut lingua eum qui vitio aliquo cordis, mentis, aut linguæ laborat.

V. 14. Principes domorum; quaſi dicat: Iſti ſunt principes familiarum Iſraelitarum.

V. 16. Et haec nomina filiorum Levi. Siſtit Moſes in genealogia Levi, quia ex Levi prognati ſunt Aaron, & Moſes populi liberator, & huius hiſtoriæ ſcriptor. Texitur etiam hic genealogia Ruben, Simeonis, & Levi, ne forte putaret quis has tres tribus eſſe reiectas, quod illis maledicere viſus eſſet Iacob, Gen. xlix. num. 3. & 5. Per cognationes suas. Heb. *Per generationes*, id eſt familias.

V. 20. Patruelem suam, non amitam, ut quidam volunt.

V. 23. Sororem Nahason. Hic Nahaſon in egreſſu ex AEgypto fuit princeps tribus Iuda, ut patet Num. 1. 7. Notanda Moſis modeſtia qui Aaronis fratris genealogiam ſtudioſe pertexit, ſuam pene tacitus prætexit, niſi quatenus ad Dei vocationem, & miſſionem certæ perſonæ cognoſcendam erat neceſſe.

V. 25. Principes familiarum. Heb. *Principes patrum*, qui ſcilicet inter patres fuerunt principes, & capita familiarum.

V. 26. Iste est Aaron, et Moyses, qui ſcilicet miſſi ſunt ad Pharaonem.

V. 29. Loquere ad Pharaonem. Hic Moſes narrationem num. 14. cœptam, & per genealogiæ ſuæ deſcriptionem interruptam, reſumit, & proſequitur.

V. 30. Ait Moyses coram Domino: Domino, qui erat coram, ſive coram quo ſtabat, & agebat Moſes. Incircumcisus sum labiis. Vide hoc cap. ſupra num. 12.

TIRINI.

Verſ. 3. Apparui Abraham, Isaac, et Iacob, in Deo omnipotente; ideſt, declaravi patribus tuis me eſſe potentem, quando nempe tantis benedictionibus illos cumulavi, & quantis volui opibus ditavi. Sed tamen familiarius me tibi aperui, cum nomen meum mihi maxime proprium *Adonai* (Hebraice eſt *Iehova*) quod numquam illis indicavi, tibi manifeſtum fecerim; ſimulque deitatis, ſeu divinæ eſſentiæ meæ hoc nomine ſignificatæ, notitiam clariorem tibi, quam patribus tuis dederim; tibi nomine illo meo manifeſte declarans, me eſſe primum, ſummum, æternum, & omni modo infinitum ens, atque immenſum eſſentiæ pelagus, cauſamque, & principium quorumcumque voluero entium; quaſi dicat: Debes ergo merito etiam præ aliis Patriarchis, quibus tanta lux non obtigit, mihi credere, mihique fidere, certoque tibi, & aliis perſuadere, nihil eorum omnium quæ promiſi, mihi impoſſibile, difficile, aut minus cordi futurum; &, adverſetur quantum volet Pharao, me vos ex ergaſtulo AEgypti certiſſimo educturum. Ita Philo, Theodoretus, Cyrillus, Procopius, Lyranus, Toſtatus, Caietanus, Eugubinus. Hoc nomen Dei *Iehova* ſummus Iudæorum pontifex lamina aurea geſtabat in fronte. Et ſic Iaddus pontifex occurrit Alexandro Magno, qui licet offenſus Hebræis, hac tamen maieſtate divini nominis perculſus, humi ſe proſtravit & pronus adoravit, teſte Ioſepho *a*. Idem nomen dicebatur ineffabile, non quod nemo id effari poteſt, nam & Moyſes coram Hebræis & coram Pharaone, uti iuſſus erat, ita effatus eſt; ſed quia religionis cauſa, ab eo quaſi ſacratiſſimo, temere effando abſtinebatur; & non niſi in templo, cum pontifex populo benediceret *b*, & cum Sanctum ſanctorum ingrederetur *c*, publice pronuntiari ſolebat, teſte eodem Ioſepho & Philone. & S. Hieronymo *d*, qui decem diverſa Dei nomina pulchre explicat, & diſtinguit.

V. 12.

Digitized by Google

V. 12. Incircumciſus labiis; id eſt, rudis, impeditus labiis, & lingua, in loquendo ruſticus, infacundus, & ad perſuadendum ineptus. Metaphorice enim Hebræi vocabant incircumciſos lingua, corde mente, auribus *e*, quotquot horum aliquo vitio aut defectu, aut exceſſu quaſi callo laborabant.

(*a*) Ioſeph. Lib. II. Antiq. in fine.
(*b*) Numer. vi. verſ. 24.
(*c*) Levit. xvi.
(*d*) S. Hier. epiſt. 136. ad Marcellam.
(*e*) Actor. vii. verſ. 51.

GORDONI.

Verſ. 3. In Deo omnipotente. באל שדי *beel ʋaddai*: in Deo robuſto, & liberali; & שדד eſt *prædari*: ſic omnipotentia deſignatur. Et nomen meum Adonai non indicavi eis. Vide de his nominibus Hieronymum Epiſt. 136. ad Marcellam. Ceterum Adonai in Hebræo eſt יהוה tetragrammaton. Conſtat quatuor litteris, *ἀνεκφώνητον* Hebræis, quod ſacratiſſimum haberetur; quod tamen ſacerdotes in ſacrificiis proferebant, ex Philone Lib. III. de Vita Moſis. Ceterum non eſt nomen *Iehova* diſtinctum a nomine *Qui eſt*, de quo cap. v.

V. 6. De ergastulo. Ergaſtulum locus eſt, in quo vincti operantur. Lipſius Electorum Lib. II. cap. xv. Inde liberabit Deus Iſraelitas; idque iudiciis multis, hoc eſt pœnis, & plagis horrendis, quas infliget AEgyptiis.

V. 8. Levavi manum meam: ſublata manu iuravi. Vim aut modum præfert iurantis.

V. 9. Non acquieverunt ei, propter angustiam spiritus. Septuag. habent *ἀπὸ τῆς ὀλιγοψυχίας*, *præ puſillanimitate*.

V. 12. Incircumcisus labiis. Hebræi ſic vocabant quod erat abiectum, aut probroſum. Septuag. *ἄλογος*, *ſine ſermone*. Fatetur demum ſe infacundum, non aptum ad ſuaſionem. Idem repetit Moſes verſ. 30.

V. 14. Isti sunt. Hos obiter recenſet Moſes, eo fine ut declaret ſuum genus ex ſtirpe Levi.

V. 16. Et haec nomina. Texitur hic genealogia tantum per Ruben, & Simeon, ut perveniendo ad Levi explicetur qui ſint Moſes, & Aaron, duces exodi.

V. 20. Fuerunt anni vitae Amram centum triginta septem. Hic numerus *centum triginta ſeptem* eſt in Vulgato, & Hebræo codice, & apud Philonem de Vita Moſis; idem in Regio, & Baſilienſi; at apud Septuaginta tantum ſunt 132.

V. 23. Nahason in hoc exitu princeps eſt in familia Iuda: Num. I. verſ. 7.

Levi filium genuit
- Gerſon, a quo Aſaph auctor Pſalm. 50. 78. & decem ſequentium
- Caath genuit
  - Amran ex Iochabed
    - Aaron.
    - Moſes a Levi quartus.
  - Iſaar
    - Chore: ab hoc eſt Samuel propheta. Item filii Chore auctores Pſ. 84. 85. 87. 42 44. & quinque ſequentium.

V. 29. Et locutus est; pro, ſic locutus eſt.

Typographi Monitum.

Huius Auctoris additamenta, quæ hactenus huic Operi inſerta quidem fuere, nulla tamen, qua diſtinguerentur, præfixa nota, ad calcem cuiuſque capitis appoſita poſthac, ſtudioſe Lector, invenies.

CAPUT VII.

Moyſes & Aaron ad Pharaonem loquuntur, virgam vertunt in ſerpentem, & aquam virga percuſſam in ſanguinem: quæ etiam faciunt magi Pharaonis ſuis incantationibus; quam ob cauſam Pharao magis induratur.

1 Dixitque Dominus ad Moyſen: Ecce conſtitui te Deum
Pharaonis: & Aaron frater tuus erit propheta tuus. 2.
(a) Tu loqueris ei omnia quæ mando tibi: & ille lo-
quetur ad Pharaonem, ut dimittat filios Iſrael de terra
ſua. 3. Sed ego indurabo cor eius, & multiplicabo ſi-
gna & oſtenta mea in terra AEgypti, 4. & non au-
diet vos: immittamque manum meam ſuper AEgyptum,
& educam exercitum & populum meum filios Iſrael de
terra AEgypti per iudicia maxima. 5. Et ſcient AEgy-
ptii quia ego ſum Dominus qui extenderim manum meam ſuper AEgyptum, &
eduxerim filios Iſrael de medio eorum. 6. Fecit itaque Moyſes, & Aaron ſicut
præceperat Dominus: ita egerunt. 7. Erat autem Moyſes octoginta annorum, &
Aaron octoginta trium, quando locuti ſunt ad Pharaonem. 8. Dixitque Dominus
ad Moyſen & Aaron: 9. Cum dixerit vobis Pharao, Oſtendite ſigna: dices ad
Aaron: Tolle virgam tuam, & proiice eam coram Pharaone, * ac vertetur in
colubrum. 10. Ingreſſi itaque Moyſes & Aaron ad Pharaonem, fecerunt ſicut
præceperat Dominus: tulitque Aaron virgam coram Pharaone & ſervis eius, quæ
verſa eſt in colubrum. 11. (b) Vocavit autem Pharao ſapientes & maleficos:
& fecerunt etiam ipſi per incantationes AEgyptiacas & arcana quædam ſimiliter.
12. Proiecerunt que ſinguli virgas ſuas, quæ verſæ ſunt in dracones: ſed devora-
vit virga Aaron virgas eorum. 13. Induratumque eſt cor Pharaonis, & non
audivit eos, ſicut præceperat Dominus. 14. Dixit autem Dominus ad Moyſen:
Ingravatum eſt cor Pharaonis, non vult dimittere populum. 15. Vade ad eum
mane, ecce egredietur ad aquas: & ſtabis in occurſum eius ſuper ripam fluminis:
& virgam, quæ converſa eſt in draconem, tolles in manu tua. 16. Diceſque ad
eum: Dominus Deus Hebræorum miſit me ad te, dicens: Dimitte populum meum
ut ſacrificet mihi in deſerto: & uſque ad præſens audire noluiſti. 17. Hæc igitur
dicit Dominus: In hoc ſcies quod ſim Dominus: ecce percutiam virga, quæ in
manu mea eſt, aquam fluminis, & vertetur in ſanguinem. 18. Piſces quoque,
qui ſunt in fluvio, morientur, & computreſcent aquæ, & affligentur AEgyptii
bibentes aquam fluminis. 19. Dixit quoque Dominus ad Moyſen: Dic ad Aaron,
Tolle virgam tuam, & extende manum tuam ſuper aquas AEgypti, & ſuper
fluvios eorum, & rivos ac paludes, & omnes lacus aquarum, ut vertantur in
ſanguinem: & ſit cruor in omni terra AEgypti, tam in ligneis vaſis quam in
ſaxeis. 20. Feceruntque Moyſes & Aaron ſicut præceperat Dominus: (c) & e-
levans virgam percuſſit aquam fluminis coram Pharaone & ſervis eius: quæ ver-
ſa eſt in ſanguinem. 21. Et piſces, qui erant in flumine, mortui ſunt: computruit-
que fluvius, & non poterant AEgyptii bibere aquam fluminis, & fuit ſanguis in
to-

tota Terra AEgypti. 22. (*d*) Feceruntque ſimiliter malefici AEgyptiorum incantationibus ſuis; & induratum eſt cor Pharaonis, nec audivit eos, ſicut præceperat Dominus. 23. Avertitque ſe, & ingreſſus eſt domum ſuam, nec appoſuit cor etiam hac vice. 24. Foderunt autem omnes AEgyptii per circuitum fluminis aquam ut biberent: non enim poterant bibere de aqua fluminis. 25. Impletique ſunt ſeptem dies, poſtquam percuſſit Dominus fluvium.

(*a*) Sup. IV. 15. (*b*) II. Tim. IV. 8. (*c*) Inf. XVII. 5. Pſal. LXXVII. 49. (*d*) Sap. XVII. 7.

B R U G E N S I S

ROMANA CORRECTIO.

V. 9. *Ac vertetur in colubrum*. Alii codices pro futuro indicativi *vertetur*, habent præſens imperativi *vertatur*, minus bene.

C O M M E N T A R I A

S A.

Verſ. I. DEUM, id eſt Dei vice; ſcilicet qui meo nomine præcipias, mineris, & punias. PROPHETA, id eſt interpres.

V. 3. INDURABO; id eſt, quam durum ſit demonſtrabo. Aug. in Exod. qu. XVIII. Vide ſup. cap. IV.

V. 5. QUI EXTENDERIM. Hebr. *Cum extendero*.

V. 10. TULITQUE. Hebr. *Proiecitque*.

V. 11. ET MALEFICOS; pro, id eſt maleficos, ſcilicet incantatores.

V. 12. VIRGA, id eſt coluber, in quem virga converſa. Not. ſic Corpus Chriſti dici panem in Euchariſtia, quia in ipſum panis converſus: vel potius, quia Chriſtus ipſe panis eſt vivus, ut ipſe ait Ioan. VI. VIRGAS, id eſt dracones, in quos eorum virgæ converſæ.

V. 13. PRAECEPERAT. Hebr. *Locutus fuerat*.

V. 18. COMPUTRESCENT. Hebr. *Fœtebunt*. Sic etiam infra, quamquam etiam verti poteſt, ut vertit noſter Interpres. BIBENTES. Hebr. *Ut bibant*; quaſi dicat, Non poterunt bibere, ut poſtea declarat; vel, ægre bibent.

V. 22. PRAECEPERAT. Hebr. *Locutus fuerat*.

V. 25. SEPTEM DIES, &c. quaſi dicat: Septem dies ſanguis duravit.

E S T I I.

Verſ. I. ECCE CONSTITUI TE DEUM PHARAONIS. Nempe ſicut Deus eſt Dominus vitæ & mortis, & ſicut in manu eius eſt ſalus & perditio hominum; ita Moyſi datum eſt ut poſſet occidere & vivificare Pharaonem, & populum eius, id eſt plagas inferre & auferre. Sic Iſaiæ XLI. Dei proprietas ſignificatur, cum dicitur: *Bene quoque aut male, ſi poteſtis, facite, & ſciemus quia Dii eſtis vos*.

V. 10. TULITQUE AARON VIRGAM CORAM PHARAONE. Quæritur, quando virga converſa eſt in ſerpentem, & iterum ſerpens in virgam, ut habetur cap. IV. ac III. (quod hic narratur) rurſum virga in ſerpentem, & ſerpens in virgam: an redierint eadem numero virga, & idem numero ſerpens? Reſpondeo de ſerpente non admodum referre utrum dicatur: neque enim Scriptura uſquam inſinuat eumdem numero ſerpentem fuiſſe. At de virga illud teſtatur, tum hoc capite ubi dicitur verſ. 15. ad Moyſem: *Virgam quæ converſa eſt in draconem, tolles in manu tua*; tum cap. IV. verſ. 17. ubi definite de una virga dicit Dominus ad Moyſem: *Virgam quoque hanc ſume in manu tua, in qua facturus es ſigna*. Unde liquet quod ea quam e Madian attulit, poſtea in AEgypto verſa ſit in ſerpentem, & eadem

dem numero ex ſerpente reſtituta eſt virga, ut per eam reliqua quoque ſigna fierent, quæ adhuc narrantur hoc cap. & ſeqq. Atque ex his oſtenditur Deum poſſe eamdem rem numero corruptam reproducere.

V. 12. PROIECERUNTQUE SINGULI VIRGAS SUAS, QUAE CONVERSAE SUNT IN DRACONES, SED DEVORAVIT VIRGA AARON VIRGAS EORUM. Quod Moyſes & Aaron vere fecerunt per miraculum, hoc magi Pharaonis apparenter tantum fecerunt per incantationem. Non eſt enim putandum, quemadmodum dicit S. Auguſtinus Lib. XIII. de Trinitate, iſtis tranſgreſſoribus Angelis ad nutum ſervire hanc viſibilium rerum materiam, ſed ſoli Deo. Non igitur putandi ſunt magi virtute diabolica ſubito virgas in ſerpentes commutaſſe (neque enim extendenda eſt ſine cauſa permiſſio illa, quam aliquando Deus dæmonibus facit) ſed exiſtimamus, dæmones virgas a magis proiectas, faſcinatis aſtantium oculis, ſubito abſtuliſſe, & in earum locum ſerpentes aliunde acceptos ſubſtituiſſe. Ne tamen per huiuſmodi incantationem fraus fieret vero miraculo, quod per ſervos ſuos Dominus operabatur, duobus modis declarare Dominus voluit, verum eſſe quod per Moyſem & Aaron agebatur, falſum & illuſorium quod per magos: primo, quia virga Aaron devoravit virgas magorum; deinde quia in tertio ſigno impedita eſt operatio dæmonis, ne ſimile quid facere poſſet. Addi poteſt tertia ratio, quia quod factum fuerat a viris Dei, deſtruere, & abolere non potuerunt magi; ſed ad hoc impetrandum, Pharao implorabat opem Dei per viros Dei. Immo cap. IX. dicitur, ipſos magos ſtare non potuiſſe coram Pharaone propter ulcera. Dicitur autem virga Aaron devoraſſe virgas magorum, quia ſerpens in quem virga Aaron converſa fuerat devoravit ſerpentes eorum. Porro ex hac locutione oſtenditur contra hæreticos Sacramentarios recte poſt conſecrationem a Paulo corpus Chriſti adhuc panem vocari, etiamſi natura panis iam tranſmutata ſit; ſicut & hic virga mutata fuerat in ſerpentem, & nihilominus dicitur devoraſſe virgas, id eſt ſerpentes magorum. D. Thomas quidem I. parte quæſt. CXIV. art. 4. dicit magos Pharaonis per virtutem dæmonum veros ſerpentes, & ranas feciſſe. Et idem habet II. II. quæſt. CLXXVIII. art. 1. ad 2. itemque alii eum ſecuti. Sed non eſt tamen credibile, ob rationes iam dictas. Item, quia dicuntur etiam aquas vertiſſe in ſanguinem: quod non poteſt naturaliter ſecundum veritatem a dæmonibus fieri, quia ſanguis naturaliter non poteſt generari, niſi per proprias ſuas cauſas, ſcilicet in corpore animato per actionem organorum ad hoc naturaliter deputatorum; ſicut nec verum lac extra animal fieri poſſet. SED DEVORAVIT VIRGA AARON VIRGAS EORUM, ſcilicet magorum. Per hoc myſtice ſignificatur, exponente D. Bernardo ſerm. III. de Aſcenſione Domini, quod Chriſtus per ſerpentem in deſerto exaltatum ſignificatus, abſorbet & conſumit omnes carnales affectiones & delectationes noſtras, & ſerpentinas ſuggeſtiones.

MARIANAE.

Verſ. 1. CONSTITUI TE DEUM PHARAONIS: ET AARON FRATER TUUS ERIT PROPHETA TUUS. Eadem dixit cap. IV. verſ. 16. *Ipſe* (ſcilicet Aaron) *erit os tuum: tu autem eris ei in his quæ ad Deum pertinent.* Certe Propheta loquitur populo quæ audivit a Deo; ſic Aaron, quæ tu illi iuſſeris, ea loquetur.

V. 11. PER INCANTATIONES AEGYPTIACAS ET ARCANA QUAEDAM. Hebr. una vox tantum eſt בלהטיהם *belahateihem*, quam Hieron. ea verborum circuitione explicuit. Alii ſimplicer dicunt *Incantationibus ſuis:* ſicque Hieron. ipſe eam dictionem reddidit infra verſ. 22. Verum, dubium unde vox Hebraica derivetur. Plerique a להט *labat* deducunt, quod eſt *flamma*, quod ea uterentur ad faciendum præſtigias. Sed doctus Hebræus deducit a לאט *laat*, quod eſt *abſcondere*; quod eæ artes tenebras ſectentur, unde *abſconditæ* vocantur. Id ſecutus Hieronymus dixit, *Per arcana quædam.*

13. SICUT PRAECEPERAT: *ſicut dixerat.* Sept. & Chald. & Hebraico verbo *dibber*, propius.

V. 19. TAM IN LIGNEIS VASIS QUAM IN SAXEIS: ſic etiam Chald. locum reddit, Hebraice tantum eſt, *Et in lignis & in lapidibus:* ſicque reliquerunt

Sept.

Digitized by Google

Sept. Sed per ligna & lapides recte vaſa lignea & lapidea intelliguntur.

MALVENDAE.

Verſ. I. ECCE CONSTITUI TE. Heb. *Vide, dedi te*. Notum eſt, eiuſmodi imperativum *vide* poni pro adverbio demonſtrandi, ut & Græce *ἰδὲ*, *en*, *ecce*, Geneſ. XXVII. verſ. 27. & alibi. CONSTITUI TE DEUM PHARAONIS. Non recte quidam: *Dedi te pro Deo, vice Dei ipſi Pharaoni*: Hebraice enim eſt, *Dedi te Deum ipſi Pharaoni*: ut & Noſter expreſſit, licet ſenſus ſit idem. Quod ego locuturus eram Pharaoni, tu loqueris ei, ſed per interpretem & internuntium Aaron; ut ſolet loqui Deus per interpretes ſuos prophetas. Aaron a te petet oracula tamquam a Deo, quæ ego ei ſuggeram; & ea referet ad Pharaonem, tamquam propheta & interpres tuus. Seipſum ſequenti verſu explicat. Vide cap. IV. verſ. 16.

V. 3. EGO INDURABO COR EIUS. Verbum קשה *kaſchah* aiunt ſignificare *perplexum*, *criſpum*, *intricatum*, *durum*, *rigidum eſſe*, ut non facile reſolvi, aut explicari, aut tractari, & flecti poſſit. Hic in Hiphil ſignificatum intendit: *Ego perplexum*, *intricatum*, *durum*, *pertinax reddam*, *aut faciam*, *cor Pharaonis*. Vide ſupra cap. IV. 21.

V. 9. VIRGAM TUAM. Ea erat Moſis, eadem ipſa, in qua Deus fecerat portentum ſerpentis, cap. IV. verſ. 3. & per quam editurus erat tot mirabilia, ibidem verſ. 17. ſed eam tradiderat Aaroni fratri ſuo tamquam miniſtro ſuo, ut is ea uteretur ad patranda miracula: eamque Aaron habebat in manu: quæ & *Virga Dei* dicitur cap. IV. verſ. 20.

V. II. ET MALEFICOS. מכשפים *mechaſchſchephim*, Noſter *maleficos ubique* reddit. Hebr. & recentiores communiter, *præſtigiatores*: quidam *faſcinatores*, vel *auſpices*, ut cognationem habeat cum שקף *ſchakaph*, *inſpexit*. חרטמים *chartummim* vero nos cum pluribus *magos* vertimus. Vide Geneſ. XLI. verſ. 8. ubi vocem enucleavimus. Horum magorum Pharaonis duos nominat Paulus II. Timoth. III. verſ. 8. forte præcipuos inter adverſarios Moſis; quorum etiam Hebræi meminerunt in Thalmud, tractatu de oblationibus, cap. IX. ET ARCANA QUAEDAM. בלהטיהם *belahatehem* quidam reddunt, *in flammis*, aut *inflammationibus ſuis*; alii, *in laminis ſuis*. להט *lahat*, *flamma lamina*, *acies gladii*. Videntur magi ad incantationes ſuas uſi vel flammis, aut igne, vel aciebus, ſeu laminis gladiorum terſis ac politis, quæ oculos fulgore præſtringerent. Plerique, *In occultis*, *abſconditis*, *latebris*, *arcanis ſuis*, id eſt arte occulta & arcana, quam ſoli magi norunt: ſolent enim incantationes occulte & clanculum peragi. Nonnulli, *In inſuſurrationibus*, *ſuſurris ſuis*, id eſt carmine, murmure, fremore, ſuſurro magno. Apuleius Lib. I. Aſini: *Magico ſuſurramine amnes reverti*. Rurſus: *Omnia ferali murmure in aliam effigiem translata*. Nec deſunt qui exponant, *In occultationibus ſuis*, id eſt clandeſtinis coniurationibus. Nec aliene reddes, *In involucris ſuis*: quod magi & præſtigiatores celeritate manuum omnia involvant ac miſceant, ut præſtigias faciant. Sed nihil æque prope ad vocem Hebraicam quam, *in laminis*, ſeu *flammis ſuis*. Forſan erant æreæ laminæ terſæ, politæ, fulgentes inſtar ſpeculorum, quibus magica ſua operabantur. Vide quæ ex Ioanne Saresberienſi notavimus Geneſ. XLIV. verſ. 5.

V. 12. PROIECERUNTQUE SINGULI VIRGAS SUAS. Solebant olim magi baculis, vel virgis uti ad ſuas incantationes. Virgilius IV. AEneidos, de Mercurio:

Tum virgam capit, hac animas ille evocat orco.

Circes virga, etiam proverbio nota. Virgilius VII. AEneidos:

Picus equum domitor, quem capta cupidine coniux
Aurea percuſſum virga verſumque venenis,
Fecit avem Circe, ſparſitque coloribus alas.

Philoſtratus Lib. III. Vitæ Apollonii, cap. IV. de Indorum Brachmanis: *Annulum atque baculum, quorum utrumque & ipſi geſtant, multum quidem poſſe dicunt, ob duas præcipuas cauſas, & eas arcanas in pretio haberi*. QUAE VERSAE SUNT IN DRACONES. Latus campus explanatoribus quæſtionum ac opinionum. Ego magis crediderim fuiſſe meras præſtigias, & ludibria oculorum. SED DEVORAVIT VIRGA AARON VIRGAS EORUM. Notant aliqui, ut baculis amiſſis, & præſtigiis e-

va-

vaneſcentibus, Moſes & Aarcn victores manerenr, & Pharao fieret inexcuſabilis. Appellatur autem virga ſerpens effectus ex virga, per metonymiam.

V. 19. EXTENDE MANUM TUAM SUPER AQUAS AEGYPTI. Notant non iuberi Moſen percutere omnes aquas AEgypti, quod factu pene impoſſibile fuiſſet; ſed eam quæ præſens erat percutiendo, divinam maledictionem inde in omnes aquas diffundendam, eo percuſſionis ſigno teſtatum omnino faceret. Synecdoche. SUPER FLUVIOS EORUM. Fluenta, brachia, & oſtia Nili, intelligunt. Sed AEgyptum aliis fluminibus præter Nilum allui, ex Ptolemæo Lib. IV. cap. v. diſces. ET RIVOS, colliquias, & aquæ ductus arte humana paratos, vel foſſas Nili, quibus abundare AEgyptum auctor eſt Herodotus Lib. II. num. 108. Vide Svetonium in Auguſto, cap. XVIII. & Aurelium Victorem in Octaviano: item Diodorum Siculum Lib. I. num. *36.* AC PALUDES. Quidam aquas deſides ad lina maceranda, ad adaquationem, & alios uſus humanos, exponunt. Sed Ptolemæus multos lacus, & paludes AEgypti numerat, ac præſertim Mœrin, nobilem locum Herodoto, Plinio, Straboni, Ptolemæo. Vide cap. VIII. verſ. 5. TAM IN LIGNEIS VASIS QUAM IN SAXEIS. Hebr. *Et in lignis, & in lapidibus*. Sed omnes intelligunt vaſa lignea & lapidea. Nec eſt quod quidam teſtacea, aut fictilia, & ærea excipiant, quaſi in his pura & nitida aqua fuerit conſervata: nam vel forſan hæc non erant in uſu apud AEgyptios, unde eorum non meminit Moſes; vel nomine ligneorum & lapideorum cetera omnia ſynecdochice intellexit. AEque improbandum quod aiunt, hic non eſſe accipienda vaſa lignea aut lapidea, ſed univerſe lapides, & ligna, ſeu arbores AEgypti, quæ omnia, nedum aquæ, tunc ſanguine tincta fuerint: quod dicatur: ERITQUE SANGUIS IN OMMI TERRA AEGYPTI: nam aquarum hæc proprie plaga fuit. Porro hanc plagam immiſſam fuiſſe propter infanticidia Hebræorum, quæ AEgyptii in Nilo admiſerant, ſupra cap. 1. verſ. 22. diſerte dicitur Sapientiæ XI. verſ. 6.

V. 22. FECERUNTQUE SIMILITER MALEFICI. Sed unde ii aquam puram hauſerunt ad convertendum in ſanguinem? Quidam aiunt, rivum præſentem ſtatim a Moſe, & Aaron converſum in ſanguinem; reliquas aquas non item, ſed paulo poſt: & ex iis ſumpſiſſe magos, antequam eſſent in ſanguinem verſæ: nam ipſi ibi ſtatim coram Pharaone ſuum aggreſſi ſunt prodigium. Alii hauſiſſe volunt e foſſis, ſeu puteis, quos AEgyptii cogebantur potus cauſa fodere, e verſ. 24. aut ex Iſraelitarum hic illic habitantium ſedibus: nam alioqui ſola aqua Nili AEgypto potum præbet, inquit Plinius Lib. VI. cap. XXIX. INCANTATIONIBUS SUIS. Hebr. בלטיהם *belatehem*, ſuperius vero verſ. II. He interiecto legitur, בלהטיהם *belabatehem*. Hebræi diſtinguunt, ut *belathem* ſit opus dæmonum, *belabatehem* ſit opus præſtigiatorum. Sed ſine ullo fundamento: nam non dubito magos iſtos in ſuis prodigiis uſos ſemper opera dæmonum. Vide ſupra verſ. II. & cap. VIII. verſ. 7.

V. 23. AVERTITQUE SE. Hebr. *Et aſpexit, reſpexit*: proprie, *& faciavit*; ideſt, faciem iraram, & gravem præbuit, ſeu oſtendit, nempe torve & faſtuoſe intuitus eſt eos, ut ſolent reges irati. Alii, *Vertit, avertit ſe*: quidam, *Et converſus eſt*; ideſt, diſceſſit. Forſan eſt quod Hiſpanice dicimus *encaroſe*, ut abiret.

MENOCHII.

Verſ. 1. DEUM PHARAONIS, non quem ille fideliter adoret, ſed ſerviliter timeat punientem, & demiſſe obſecret ut plagas ſiſtat, & plagis modum faciat. AARON ERIT PROPHETA TUUS: cui ſcilicet tu reveles quæ ex me cognoveris, & ille ea, quippe interpres tuus, Pharaoni, ſenioribus, populoque proponat.

V. 3. INDURABO COR EIUS; non ei duritiem immittendo, ſed permittendo illum in ſua perſeverare duritie per gratiæ meæ ſubtractionem.

V. 4. IMMITTAMQUE MANUM: percutiam, affligam, puniam. PER IUDICIA MAXIMA: per maximas plagas. LXX. *Cum ultione magna*, quæ omnibus iuſtiſſimum Dei iudicium in AEgyptios oſtendat.

V. 6. ITA EGERUNT. Pleonaſmus: iam enim dixerat eos ita feciſſe.

V. 8. AD MOYSEN, ET AD AARON: im-

immediate Moyſi, & per hunc Aaroni.

V. 9. VIRGAM TUAM. Virga hæc nunc Moyſis, nunc Aaronis, nunc Dei dicitur, quia horum omnium fuit inſtrumentum ad patranda prodigia, & plagas AEgypti.

V. 10. TULIT. Hebr. Chald. & Græc. habent *Proiecit*.

V. 11. MALEFICOS, præſtigiatores, quod LXX. vocant *Sophiſtas*, & *veneficos*. Horum principes fuerunt Iannes & Mambres, ut patet II. Tim. III. 8. FECERUNT SIMILITER, miniſterio dæmonum ſenſus aſpicientium ludificantes, ut videre ſe putarent quod non videbant, vel per motum localem, aut activa paſſivis applicando, ita ut cauſam ignoranti res prodigio ſimilis videretur.

V. 12. VERSAE SUNT IN DRACONES: veri dracones, & ſerpentes a dæmone allati, virgis interim ab aſpicientium oculis ſubtractis. DEVORAVIT VIRGA AARON. Serpens, in quem virga erat converſa, devoravit virgas, hoc eſt ſerpentes in quos virgæ eorum erant converſæ.

V. 13. INDURATUMQUE EST COR PHARAONIS: quia vidit magos ſuosſimilia ſigna feciſſe, parum cogitans quod Aaronis virga, magorum virga devoraſſet.

V. 15. STABIS IN OCCURSUM: prævenies eius adventum ad Nili ripam, ut veniens in te incurrat.

V. 17. PERCUTIAM VIRGA, quæ ex ſerpente primæ formæ reddita erat. QUAE IN MANU MEA EST. Verba ſunt Dei, & tamen Moſes virgam manu ſua tenebat. Sed Deus, & Moſes quaſi unus cenſentur; quemadmodum cauſa principalis & inſtrumentum vocantur una cauſa efficiens.

V. 18. PISCES MORIENTUR, qui extra aquam vivere non poſſunt, maxime in ſanguine, qui craſſus, & calidus repugnat piſcium complexioni. COMPUTRESCENT AQUAE, mortuis piſcibus inficientur, & corumpentur, vel ad eum modum quo ſanguis extra venas putreſcit. AFFLIGENTUR AEGYPTII: ſiti cruciabuntur

V. 19. OMNES LACUS AQUARUM. Heb. *Omnem congregationem aquarum*, puteos ſcilicet, fontes, rivos, &c. IN OMNI TERRA AEGYPTI, etiam in terra Geſſen, in qua AEgyptii degebant, ac ii præſertim qui vexabant Hebræos, quibus non erat parcendum. Interim tamen Hebræi a plaga immunes erant.

V. 22. FECERUNTQUE SIMILITER MALEFICI: quibus aquæ copia fuit vel a mari petita, quod ſolum potabiles aquæ, & dulces in ſanguinem eſſent converſæ; vel quia divina providentia aliquid aquæ reſervatum eſt, ut eſſet magorum experimento locus; vel quia ex terra Geſſen allata eſt, vel a Moſe magis oblata.

V. 23. NEC APPOSUIT COR.: non adiecit animum ut crederet.

V. 24. FODERUNT PER CIRCUITUM FLUMINIS, irrito conatu: nam ſanguinem invenerunt, quamvis percolatum, & quaſi aqueum: ſic aliquo modo ſitim ſolati ſunt.

V. 25. IMPLETIQUE SUNT SEPTEM DIES. Plaga ſanguinis dies ſeptem tenuit: hanc nova ranarum plaga excepit. Merito AEgyptiis fluvius verſus eſt in ſanguinem, qui eumdem fluvium in infantium Hebræorum perniciem converterant, eos aquis præfocando.

TIRINI.

Verſ. 1. CONSTITUI TE DEUM PHARAONIS, ſcilicet parparticipatione divinæ meæ potentiæ, in puniendo Pharaone, & affligendo AEgypto; quaſi dicat: Tantum abeſt, tibi metuendus ſit Pharao, ut ille potius cogendus ſit te tamquam Deum metuere, & vel invitus tibi pariturus. Atque ut maiori apud eum ſis auctoritate, nolo per te multa illi loquaris, ſed AARON ERIT PROPHETA TUUS, id eſt interpres, per quem quæ vel illi, vel populo dicta voles, exponi & promulgari facies. Ita S. Auguſtinus, Theodoretus, Rupertus. Sic I. Cor. IV. *prophetare* ſignificat interpretari, docere, prædicare verbum Dei.

V. 3. EGO INDURABO COR EIUS, non directe id volendo, intendendo, aut agendo; multo minus impellendo vel cogendo, ut impie blaſphemat Calvinus, & alii noſtri temporis hæretici; ſed ſolum indirecte cauſando, & per accidens: nempe non impediendo, ſed permittendo, neque iuvando indignum ſpecialiore gratia, vel etiam iniuſte quædam ponendo eique immitten-

tendo, per quæ ſuamet malitia ſit indurandus. Unde paſſim ubi nos habemus *Ingravatum*, vel *induratum eſt cor Pharaonis*, in Hebræo eſt *Induravit Pharao cor ſuum*, *ingravavit cor ſuum*. Et cap. x. verſ. 16. Pharao minus impius quam Calvinus, non Deo, ſed ſibi culpam omnem adſcribit, *Peccavi*, inquiens, *in Dominum meum*. &c. Itaque Deus non voluit peccata vel indurationem Pharaonis; ſed neque plagas AEgyptiacas immiſit in eum finem ut his ipſe induraretur (abſit hoc ab infinita illa bonitate) ſed potius ut illis emolliretur, & ad divina iuſſa complenda flecteretur. Tamen, ſuppoſita ipſius pertinacia & obſtinatione in malo, voluit Deus conſequenter punitionem illius, atque ex ea manifeſtationem ſuæ potentiæ & iuſtitiæ divinæ ac gloriæ. Et ſic infra cap. ix. verſ. 16. dicit Deus Pharaoni, *Idcirco poſui te*. LXX. *ſervavi*, & huculque in vita & regni ſolio ſtare te feci, licet indignum, *ut oſtendam in te*, pro meritis puniendo, *fortitudinem meam*, *& narretur nomen meum in omni terra*. Nam hos fines, ſuppoſita Pharaonis pertinacia, conſequenti voluntate intendit Deus in huius tyranni ſeu ad ſolium promotione, ſeu in eo conſervatione. Antecedente vero voluntate non intendebat niſi primo ut illi, & per illum aliis benefaceret, & ut his prolixioribus beneficiis tandem reſipiſceret; ſecundo ut hac beneficientia & longanimitate bonitas & miſericordia divina magis eluceſceret; tertio ut per tyrannidem illius magis exercerentur amici Dei, & horum virtus ac corona, ſimulque Dei gloria augeretur. Cum vero nequitia Pharaonis Deus non omnes hos fines quos antecedenter intendit, conſecutus ſit, in locum ſucceſſit punitio (a) tyranni, & quæ ex hac conſecutæ ſunt, iuſtitiæ divinæ declaratio, & potentiæ manifeſtatio, quas conſequenter ſolum Deus intenderat. Atque ita ſemper infallibiliter conſequitur Deus ſcopum & finem a ſe intentum, nempe declarationem & extenſionem gloriæ ſuæ, via miſericordiæ, ſi velint homines obſequi voluntati antecedenti Dei: ſin nolint, ſaltem via iuſtitiæ, quam vult exercere voluntate conſequente nequitiam eorumdem. Fuſius hæc Ludovicus Molina, Vaſquez, Valentia, Suarez & alii Scholaſtici Doctores.

(a) Zach. 11. verſ. 7.

GORDONI.

Verſ. 1. CONSTITUI TE DEUM PHARAONIS. Chaldæus vertit רב, *principem*. In Hebr. eſt אלהים: quod nomen etiam Angelis, & hominibus ſolet aliquando tribui, ut Exod. capit. xxii. verſ. 28.

V. 3. SED EGO INDURABO, &c. Quid ſit hic indurare, dixi cap. iv. verſ. 21. maxima etiam iudicia, ut cap. vi. verſ. 6.

V. 4. ET NON AUDIET VOS, &c. Ex his verbis quid non hic molitur Calvinus, ut probet Deum proprie & efficiendo obdurare corda humana; ac primo ita vertit, *Ego conſtringam cor eius*: ſed quam inepte? Editiones habent σκληρύνω, & קשה in radice: inde nomen קשה *kaweh*, *durus*, *difficilis*. Verum induratum ſic eſſe Pharaonem, non proprie a Deo, ſed ab ipſo Pharaone, clare docet Scriptura. Et vero alioqui quomodo decies per Moſen imperat Deus Pharaoni dimiſſionem populi? Cur tot miracula ut urgeret ad dimiſſionem? Sane hoc eſt Deum velle ut dimittat: quomodo ergo conſtringit ut nolit dimittere? an ad pugnantia Deus, aut ut idem velit, & nolit, urget efficaciter? Item quomodo hic peccabit Pharao conformans ſe Dei voluntati, eique efficaci, antecedenti, & compellenti, ut ait Novator? Denique infra cap. ix. verſ. 34. in Hebræo eſt de Pharaone: *Ingravavit ipſe cor ſuum*, יכבה לבו *iacbbed libbo*. Denique ſemper errat Calvinus, qui neſcit diſtinguere inter permiſſionem negationemque amplioris gratiæ in Deo, & voluntatem cogentem ad malum. Non moror, cum vix ſit homo ſenſatus qui hanc inſanam Calvini corruptelam non condemnet.

V. 7. ERAT AUTEM MOYSES OCTOGINTA ANNORUM. Certant aliqui an tempore plagarum uſque ad exodum Moſes hæſerit in AEgypto anno integro, an ſolum tribus menſibus, ut inde ſtatuant de ætate Moſis. Sed hos hinc ratiocinantes facile fallent annorum fractiones. Alio opus eſt ſubſidio.

V. 9. VIRGA AARONIS. Hæc eadem eſt quæ dicitur Dei, Moſis, & Aaronis: eadem quippe utebantur virga ut inſtrumento in his prodigiis. De alia Aaronis virga vide Num. cap. xvii.

V. 12.

Digitized by Google

V. 12. SED DEVORAVIT VIRGA AARON VIRGAS EORUM. En ut virga vocetur etiam Aaronis, de qua cap. IV. verſ. 2. Ceterum hoc verſ. 12. virga eſt ſerpens, in quem virga converſa eſt; & ſic intellige ſerpentem ex virga Aaronis devorantem alios. Serpentes magorum veri videntur eſſe ſerpentes, ſed aliunde allati opera dæmonis. Hic Auguſtinus diſtinguit vera miracula a falſis, auctoritate & poteſtate. Immo etiam ex modo, & fine diſcrepant. Vide de magis in opere Theol. Lib. VI. qu. x. Item de miraculis ibidem Lib. X. quæſt. VII. Quales fuerint hæ converſiones, quas Deus per Moſen fecit (eſt enim varia converſio) textus non explicat: tamen certum eſt vera fuiſſe miracula ex forma mutationis, efficiente & fine.

V. 17. Percutit aquam fluminis, & vertitur in verum ſanguinem; nec tamen neceſſe eſt totum Nilum fuiſſe converſum in ſanguinem: qui enim eſt auctor huius miraculi, potuit facile efficere, ut quæ aqua attingebat, vel alluebat AEgyptum, efficeretur ſanguis, idque per totum tempus, quo duravit miraculum, & poſtea fluvius ſe exoneraret in mare. Sanguis temperamento piſcium contrarius mori eos cogebat. Recte vero erit computreſcentia, tum ex cadaveribus piſcium, tum ex natura ſanguinis, qui extra venas, & calorem naturalem cito concreſcit, & putreſcit. Durat hæc plaga ſeptem diebus, ex verſ. 25.

V. 19. TAM IN LIGNEIS. Heb. *In lignis & lapidibus*; ſed recte per hæc poſſunt intelligi vaſa.

V. 22. FECERUNTQUE SIMILITER MALEFICI &c. Cum iam aquæ omnes verſæ eſſent in verum ſanguinem, unde habuerunt magi aquas quas verterent? Forte a vicino mari ſunt aſportatæ opera dæmonum, quibus ex præſtigio datus eſt color ſanguinis: vel certe præſtigiis effecerunt, ut aqua, quæ iam per Moſen verſa erat in verum ſanguinem, primo quidem appareret aqua, & mox videretur mutari in ſanguinem.

V. 24. FODERUNT. Foderunt quidem AEgyptii, ut invenirent aquas; ſed Scriptura non ait aperte, fuiſſe repertas. Et da repertas, debuerunt etiam verti in ſanguinem, ut ſtaret vis miraculi.

V. 25. IMPLETIQUE SUNT SEPTEM DIES, huius plagæ. Sed an diutius duraverit, non exprimitur.

ADDITAMENTA EX AUCTARIO.

Verſ. 1. AARON ERIT PROPHETA TUUS. Iubetur Moſes ſibi revelata communicare Aaroni, qui interpretem aget coram Pharaone, & populo.

V. 11. MALEFICOS, præſtigiatores. Vide II. Timoth. III. verſ. 8. ubi inter hos ponuntur Iannes & Mambres.

V. 15. STABIS, ut ille ad ripam Nili veniens inveniat te.

V. 19. IN OMNI TERRA AEGYPTI: etiam in terra Geſſen, apud eos qui ibi vexabant Iudæos.

Digitized by Google

CAPUT VIII.

Secunda AEgypti plaga eſt ranarum: pro quarum ablatione promittit Pharao populum dimittere, nec facit: quare additur tertia ſciniphum, & quarta muſcarum; propter quas rurſum promittit Pharao ſe filios Iſrael dimiſſurum, quod non facit.

1 DIxit quoque Dominus ad Moyſen: Ingredere ad Pharao-
nem, & dices ad eum: Hæc dicit Dominus: Dimitte po-
pulum meum, ut ſacrificet mihi: 2. ſin autem nolueris
dimittere, ecce ego percutiam omnes terminos tuos ra-
nis. 3. Et ebulliet fluvius ranas: quæ aſcendent, & in-
gredientur domum tuam, & cubiculum lectuli tui, &
ſuper ſtratum tuum, & in domos ſervorum tuorum, &
in populum tuum, & in furnos tuos, & in reliquias ci-
borum tuorum: 4. & ad te, & ad populum tuum, &
ad omnes ſervos tuos, intrabunt ranæ. 5. Dixitque Dominus ad Moyſen: Dic
ad Aaron: Extende manum tuam ſuper fluvios ac ſuper rivos & paludes, & educ
ranas ſuper Terram AEgypti. 6. Et extendit Aaron manum ſuper aquas AEgy-
pti, & aſcenderunt ranæ, operueruntque Terram AEgypti. 7. (*a*) Fecerunt au-
tem & malefici per incantationes ſuas ſimiliter, eduxeruntque ranas ſuper Terram
AEgypti. 8. Vocavit autem Pharao Moyſen & Aaron, & dixit eis: Orate Do-
minum ut auferat ranas a me & a populo meo: & dimittam populum ut ſacri-
ficet Domino. 9. Dixitque Moyſes ad Pharaonem: Conſtitue mihi quando de-
precer pro te, & pro ſervis tuis, & pro populo tuo, ut abigantur ranæ a te
& a domo tua * & a ſervis tuis & a populo tuo: & tantum in flumine remane-
ant 10. Qui reſpondit: Cras. At ille: Iuxta, inquit, verbum tuum faciam: ut
ſcias quoniam non eſt ſicut Dominus Deus noſter. 11. Et recedent ranæ a te,
& a domo tua, & a ſervis tuis, & a populo tuo: & tantum in flumine rema-
nebunt. 12. Egreſſique ſunt Moyſes & Aaron a Pharaone: & clamavit Moyſes
ad Dominum pro ſponſione ranarum quam condixerat Pharaoni. 13. Fecitque
Dominus iuxta verbum Moyſi: & mortuæ ſunt ranæ de domibus, & de villis,
& de agris. 14. Congregaveruntque eas in immenſos aggeres, & computruit ter-
ra. 15. Videns autem Pharao quod data eſſet requies, ingravavit cor ſuum, &
non audivit eos, ſicut præceperat Dominus. 16. Dixitque Dominus ad Moyſen:
Loquere ad Aaron: Extende virgam tuam, & percute pulverem terræ: & ſint ſci-
niphes in univerſa Terra AEgypti. 17. Feceruntque ita. Et extendit Aaron ma-
num, virgam tenens: percuſſitque pulverem terræ, & facti ſunt ſciniphes in ho-
minibus, & in iumentis: omnis pulvis terræ verſus eſt in ſciniphes per totam Ter-
ram AEgypti. 18. Feceruntque ſimiliter malefici incantationibus ſuis, ut educe-
rent ſciniphes, & non potuerunt: erantque ſciniphes tam in hominibus quam in
iumentis. 19. Et dixerunt malefici ad Pharaonem: * Digitus Dei eſt hic. indura-
tumque eſt cor Pharaonis, & non audivit eos ſicut præceperat Dominus. 20.
Dixit quoque Dominus ad Moyſen: Conſurge diluculo, & ſta coram Pharaone:
egre-

Digitized by Google

egredietur enim ad aquas; & dices ad eum: Hæc dicit Dominus: Dimitte po-
pulum meum ut ſacrificet mihi. 21. Quod ſi non dimiſeris eum, ecce ego immit-
tam in te, & in ſervos tuos, & in populum tuum, & in domos tuas, omne ge-
nus muſcarum: & implebuntur domus AEgyptiorum muſcis diverſi generis, &
univerſa terra in qua fuerint. 22. Faciamque mirabilem in die illa Terram Geſ-
ſen, in qua populus meus eſt, ut non ſint ibi muſcæ: & ſcias quoniam ego Do-
minus in medio terræ. 23. Ponamque diviſionem inter populum meum & popu-
lum tuum: cras erit ſignum iſtud. 24. Fecitque Dominus ita. (*b*) Et venit muſca
graviſſima in domos Pharaonis & ſervorum eius, & in omnem Terram AEgy-
pti: corruptaque eſt terra ab huiuſcemodi muſcis. 25. Vocavitque Pharao Moy-
ſen & Aaron, & ait eis: Ite & ſacrificate Deo veſtro in terra hac. 26. Et ait
Moyſes: Non poteſt ita fieri: * abominationes enim AEgyptiorum immolabimus
Domino Deo noſtro. quod ſi mactaverimus ea quæ colunt AEgyptii coram eis,
lapidibus nos obruent. 27. Viam trium dierum pergemus in ſolitudinem: & ſa-
crificabimus Domino Deo noſtro, (*c*) ſicut præcepit nobis. 28. Dixitque Pha-
rao: Ego dimittam vos ut ſacrificetis Domino Deo veſtro in deſerto: verumta-
men longius ne abeatis, rogate pro me. 29. Et ait Moyſes: Egreſſus a te, ora-
bo Dominum: & recedet muſca a Pharaone, & a ſervis ſuis, & a populo eius
cras: verumtamen noli ultra fallere, ut non dimittas populum ſacrificare Domi-
no. 30. Egreſſuſque Moyſes a Pharaone, oravit Dominum. 31. Qui fecit iuxta ver-
bum illius: & abſtulit muſcas a Pharaone, & a ſervis ſuis, & a populo eius:
non ſuperfuit ne una quidem. 32. Et ingravatum eſt cor Pharaonis, ita ut nec
hac quidem vice dimitteret populum.

(*a*) Sap. xvii. 7. (*b*) Sap. xvi. 9. (*c*) Sup. xii. 18.

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

Verſ. 9. *Et a ſervis tuis, & a populo tuo.* Hoc non omittitur a Sixtinis Bibliis, ut ab aliis quibuſdam.

V. 19. *Digitus Dei eſt hic.* Non mutes maſculinum *hic*, cum neutro *hoc*.

V. 26. *Abominationes enim AEgyptiorum immolabimus Domino Deo noſtro.* Prudenter omiſſa eſt nota interrogationis, quæ eſt in aliis libris.

C O M M E N T A R I A

S A.

Verſ. 1. Sacrificet. Hebr. *Serviat.*

V. 3. Reliquias ciborum, ideſt cibos, ſeu loca, ubi ciborum reliquiæ aſſervantur. Chald. *Panaria.* LXX. *Maſſas.*

V. 12. Condixerat, id eſt promiſerat.

V. 13. Iuxta verbum, id eſt ut petebat.

V. 14. In immensos aggeres. Hebr. *Acervos acervos*, id eſt acervatim.

V. 16. Sciniphes. Hebr. verbum quidam *pediculos* interpretantur.

V. 18. Feceruntque; id eſt, conati ſunt facere.

V. 19. Digitus, id eſt virtus.

V. 20. Sacrificet. Hebr. *Serviat.*

V. 21. Omne genus, id eſt mixturam, ſeu miſcellaneam. Quidam putant fuiſſe varia ſerpentum & ferarum genera. Hebr. ſolum legitur, *mixtionem* nulla muſcarum facta mentione; ſcilicet varia erant animalia noxia. Chald. *Mixtionem be-*

Digitized by Google

ſtiarum. LXX. *cynomyiam* κυνομύιαν, id eſt *muſcam caninam*: & ſic infra.

V. 24. Dominus, ſcilicet non Moyſes, aut Aaron. Graviſſima, id eſt valde noxia; vel, ut vertunt LXX. *plurima*.

V. 26. Non potest. Hebr. *Non eſt rectum*; quaſi dicat, non convenit. Abominationes. Sic Scriptura vocat deos Gentium. Moyſes tamen apud Pharaonem non ſic dixit, ſed *deos*, ſeu *quæ colunt*. AEgyptii arietem colebant inter cetera. Ea quae colunt. Hebr. *Abominationem*. Chald. hic & ſupra vertit, *Animal quod colunt AEgyptii*.

V. 29. Musca. Hebr. *mixtio*, ut ſupra.

ESTII.

Verſ. 1. Et clamavit Moyses ad Dominum pro sponsione ranarum quam condixerat. Hinc diſce quod certitudo de effectu non repugnat orationi qua quid a Deo petitur. Nam Moyſes certus erat, ut patet ex his verbis & præcedentibus. Et niſi certus fuiſſet, ſtulte promiſiſſet, & cum periculo gloriæ Dei, quia dixerat verſ. 10. *Iuxta verbum tuum faciam, ut ſcias quoniam non eſt ſicut Dominus Deus noſter*.

V. 16. Et sint ciniphes in universa terra AEgypti. Græce σκνίπες, Hebraice *chimim*. Vide ſcholion Vatabli, qui adfert tres expoſitiones huius vocabuli. Tertia eſt veterum Hebræorum, qui dicunt ſignificari pediculos: & ita habet verſio apud Vatablum. Ita quoque Pagninus vertit, approbante Aria Montano.

Et ſint ciniphes in univerſa terra. Quæritur quare ante hanc plagam ciniphum non fuerit præmonitus Pharao, ut ante ceteras tam ſequentes quam præcedentes? Reſpondeo: Ante plagam tenebrarum non legitur etiam Pharao præmonitus, ut nec ante plagam interfectionis. Et cauſam reddunt nonnulli, quod indignus eſſet toties commoneri. Sed illud ſonat, quaſi prius fuerit dignus; cum tamen Scriptura ubique dicat eum habuiſſe cor induratum. Itaque potius dicendum videtur, Pharaonem ante hanc quoque ciniphum plagam fuiſſe monitum: quod etſi non aperte dicat Scriptura, ſubindicat tamen, quia ex contextu colligitur hoc ſignum factum fuiſſe coram Pharaone adſtantibus maleficis, ut & tria præcedentia. Nam magi ſtatim imitari volentes quod a Moyſe factum fuerat, cum non poſſent, dixerunt: *Digitus Dei eſt hic*. Plaga quoque tenebrarum, quamvis id Scriptura taceat, dici poteſt, monito prius Pharaone immiſſa fuiſſe, maxime quia poſt eam dixiſſe legitur Pharao ad Moyſem: *Recede a me, & cave ne ultra videas faciem meam: quocumque die apparueris mihi, morieris*. Hinc enim apparet, Pharaonem a Moyſe fuiſſe coram admonitum de præcedentibus omnibus, ac nominatim de proxima, quæ erat tenebrarum plaga. Et e contra ex iiſdem verbis clarum eſt, quare de poſtrema, quæ fuit interfectionis primogenitorum, non fuerit Pharao præmonitus, videlicet quia cum interminatione mortis vetuerat Moyſem ultra ad ſe venire.

V. 19. Et dixerunt malefici: Digitus Dei est hic. Liranus per digitum Dei mavult hic intelligere virtutem alicuius dæmonis ſuperioris, qui operationem inferioris impediat; utpote quod magorum hæc ſint verba. Sed rectius alii omnes Catholici Doctores, & Hebræi virtutem Dei intelligunt, quod & fatetur Liranus: quem proinde non immerito reprehendit Burgenſis. Vide etiam Ianſen. ad illud Lucæ XI. verſ. 20. *Si ego in digito Dei eiicio dæmonia &c.*

V. 26. Abominationes enim AEgyptiorum immolabimus Domino Deo nostro. Senſus eſt: Non poſſumus in AEgypto immolare Deo noſtro, quia ex eius præcepto immolabimus ea animalia quæ ab AEgyptiis pro numinibus coluntur, videlicet arietem, quem ſub nomine Iovis colebant, & bovem, quem ſub nomine Serapidis. Unde & addit Moyſes: Quod si immolaverimus ea quae colunt AEgyptii coram, eis lapidibus nos obruent. Ubi pro eo quod eſt, *ea quæ colunt AEgyptii*, repetitum eſt in Hebræo, *abominationes AEgyptiorum*: quo nomine idola deſignantur, merito ſcilicet abominanda. Hunc ſenſum etiam exprimit Chaldæus Paraphraſtes, & requirit Auguſtinus. Confirmatur etiam hic ſenſus ex illis Hieron. verbis Lib. II. contra Iovinianum

num cap. VI. Singulæ pene in AEgypto civitates ſingulas beſtias & monſtra venerantur, & quodcumque coluerint, hoc inviolabile & ſacrum putant. Vide etiam Annotationes Gen. XLIII.

MARIANAE.

Verſ. 3. ET IN RELIQUIAS CIBORUM TUORUM, ſcilicet aſcendent ranæ. במשארותיך *bemiſearotheca* Septuag. expoſuerunt *maſſas tuas*, Chald. *panaria tua*: ſed & ſignificatio Hieron. congruit cum origine שאר, quæ ſignificat *ſupereſſe*. Illud *ciborum tuorum*, non eſt Hebraice, ſed additur explicationis cauſa.

V. 9. CONSTITUE MIHI QUANDO DEPRECER. התפאר עלי *tithphaer balai*. Quidam vertunt, *Gloriare ſuper me*, quaſi obtinueris quod vis, & quo tempore vis. Ego explicarem, *Gratificare ſuper me*; hoc eſt, quod tibi gratum eſt, mihi explica. Quocumque modo eadem ſententia conſtat, Orabo pro te cum volueris.

V. 10. QUI RESPONDIT: CRAS. Semper iniqui procraſtinant.

V. 14. IN IMMENSOS AGGERES. Hebr. *Acervos acervos congregarunt*, ſcilicet ranas: ſic Sept.

V. 17. SCINIPHES. Hebraica vox כנים *chinim* a pleriſque redditur *pediculi*: & Iudæi hodie vulgo *pediculum* vocant כינה *chinah*; tum inter Græcos non deſunt qui *φθεῖρες* hic ponant, quod eſt *pediculi*. Sed cum Hieron. Sept. & Chald. poſuerint *ſciniphes*, cum Philo de Vita Moyſis; R. Kimhi beſtiolam eſſe ait, quæ per nares, & aures penetrat. Tales ſciniphes ſunt, non pediculi. Crediderim itaque potius *culices* ea voce ſignificari, non quoſcumque, ſed eos qui vix viſu percepti adurunt aculeo: ſic Origenes deſcribit Hom. VI. in Exod. ſed duplex vox hic eſt כִּנִּים *chinim*, quæ culices ſignificat, & כִּנָּם *chinam*, quæ *turbam culicum*, collectiva vox.

V. 21. OMNE GENUS MUSCARUM. Sept. *Muſcam caninam*, niſi forte pro *κοινομυῖαν* eſt a librariis poſitum *κυνομυῖαν*; id eſt, pro *communi muſca*, *muſcam caninam*. Chald. *mixtionem beſtiarum*: & hoc ſequuntur plerique propter Hebraicæ vocis vim ערב *harob*, *mixtionem* ſignificantis. Ita Pſal. LXXVII. verſ. 45. & Pſalm. CIV. verſ. 31. pro *cynomyia*, ut antiquitus legebatur, *cænomyiam* nunc legitur, pro *muſca canina*, *muſca communis*.

V. 26. ABOMINATIONES ENIM AEGYPTIORUM IMMOLABIMUS, nempe quæ illi animalia colunt: quod continuo explicat, cum pro *abominationibus*, quod Hebraice repetitur, Hieronymus ſubſtituit, EA QUAE COLUNT AEGYPTII.

MALVENDAE.

Verſ. 1. PERCUTIAM. נגף *nagaph* aiunt ſignificare quamlibet conſternationem quæ fit cum impetu, & impulſione, ac læſione: plus eſſe quam conſternare volunt, denotareque vehementiorem impulſum: *Percutere*, *cædere*, *ſuccidere*, *contundere*, *verberare*, convertunt. RANIS. צפרדע *tzephardeagh* nomen quadratum, & peregrinum, nempe AEgyptium eſſe notant: unde fruſtra illi etymon in Hebraica lingua quæratur; ſed quærunt tamen. Quidam ſic dictam ranam putant, quod cognoſcat auroram, ſeu lucem matutinam, & ſuo clamore indicet; alii, quod acceleret, & maturet, cognitionem & notitiam, pluviæ ſcilicet: nam ranæ præſentiunt pluviam, & tum maxime coaxant. Virgilius I. Georgicorum:

Et veterem in limo ranæ cecinere querelam.

V. 3. ET IN RELIQUIAS CIBORUM TUORUM. Hebr. unica vox משארות *miſcharoth*, quam varie reddunt. I. *in piſtrinis tuis*, ubi farinæ pinſuntur, aut moluntur. II. *in farinariis tuis*, ubi farinæ ſervantur. III. *in conſperſionibus*, *mixtionibus*, *paſtis tuis*. IV. *in panariis tuis*, id eſt locis ubi panes aſſervantur. V. *in mactris*, ſeu *magidibus tuis*, quæ ſunt loca, ſeu alvei in quibus ſubigitur paſta, ſeu maſſa ad conficiendum panem. Hiſpanice *arteſas de amaſſar*. Mactra quoque Latinis ſignificat *arcam panariam* ubi panes reponuntur. Nec deſunt qui, conſentiente voce Hebraica, exponant, *In maſſariis tuis*: ſunt loca ubi maſſæ ſubiguntur. Propius ad vocem Hebraicam, *In reliquiis tuis*: ſignificat *proma conda*, *penuaria*, ſeu *repoſitoria*, *ubi cibi*, & *reliquiæ ciborum reconduntur*. Hiſpanice *deſpenſas*. Mercerus hanc expoſitionem frigere ait: frigidior ipſe Alpina nive. Noſter rem acu tetigit. Ranarum vim multas regiones deſertas habita-

ſbita-

Digitized by Google

bitatoribus feciſſe conſtat: ut Autoriatas apud Agatarchidem Gnidium Lib. I. de Mari rubro, cap. XXIX. Diodorum Siculum Lib. III. num. 114. AElianum Lib. XVII. cap. XLI. Pæonios, & Dardanos, apud Athenæum Lib. VIII. cap. II. oppidum in Gallia, apud Plinium Lib. VIII. cap. XXIX. Abderitas, apud Oroſium Lib. III. cap. XXIII.

V. 8. ORATE. Hebr. *Intercedite*: & coniugatio Hiphil magnum robur addit; quaſi dicat: Precibus multis, continuis, ſupplicibus, ardentibus interpellate Dominum pro me.

V. 9. CONSTITUE MIHI QUANDO DEPRECER PRO TE. Varie reddunt hunc locum ex Hebræo: *Gloriare*, *glorificare*, *ſis glorioſus*, *babe gloriam*, *aſſume gloriam*, *defer tibi gloriam*, *ſuper me*, *ſupra me*, *præ me*. Exponuntque: id eſt, habe hanc gloriam præ me, defero tibi hanc gloriam, hoc honoris tribuo tibi, ſume tibi, ſuper me, ut deſignes, conſtituas, præfigas mihi tempus quando orem pro te, ut ex templo abigantur ranæ; quaſi dicat: Etſi non debetur tibi hæc gloria, ut præſcribas mihi tempus quo ranas a te auferri vis; per me tamen aſſumas licet. Sic autem loquitur, non ſibi quidem præfidens, ſed certo Dei teſtimonio in fide confirmatus: & ſimul obiter pungit Pharaonem, qui fruſtra ſuis magis gloriabatur. Notant etiam hanc locutionem hoc eodem ſenſu extare Iudicum VII. 2. & Iſaiæ x. 15. Alii hunc ſenſum eſſe volunt. Tunc gloriari poteris, atque bono animo eſſe, cum, me orante pro te, auferentur ranæ. Hanc ſpem de tuis magis & hariolis habere non potes. Nonnulli explicant, *Gloriare ſuper me*, quaſi obtinueris quod vis, & quo tempore vis: quidam, *Gratificare ſuper me*; hoc eſt, quod tibi gratum eſt, mihi explica: orabo pro te cum volueris. Sed verbum התפאר *bitpaer* nullibi *gratificare* ſignificat. Recte notatum eſt a quibuſdam, Moſen dixiſſe Pharaoni ut ipſe præfigeret tempus expellendi ranas, ne putaret Pharao depulſionem ranarum certa temporum, & influxuum cæleſtium obſervatione a Moſe fieri, ſed divina tantum virtute. Nec male reddes: *Orna*, *adorna te ipſum ſuper me*; hoc eſt, compara te, diſpone te, præpara te ad meum opus; vel ut mihi præſtituas tempus expulſionis ranarum. Noſter ſenſum optime reddidit. Quidam interrogative capiunt: *Quando deprecabor pro te?* id eſt, quo tempore vis ut orem? ubi notant, illud למתי *lemathai* non referri ad tempus orandi, ſed ad tempus removendi ranas; quaſi dicat: Quando vis ut amoveantur ranæ me deprecante?

V. 13. DE VILLIS. De voce חצרות *chatzeroth*, ſeu חצרים *chatzerim*, egimus Geneſ. XXV. verſ. 16. *vivaria* hic quidam exponunt; quaſi dicat: Et mortuæ ſunt ranæ, cum ex agris ſecluſis, ubi aluntur beſtiæ, tum ex patentibus campis.

V. 14. IN IMMENSOS AGGERES. Hebr. *Tumulos tumulos*, *cumulos cumulos*, *acervos acervos*: proprie, *coros coros*, id eſt in multos hinc inde acervos & cumulos. Vide ſimilem locutionem Gen. XIV. verſ. 10. חומר *chomer* idem eſſe volunt quod כור *cor*, quæ menſura capiebat decem *ephaim*, id eſt modios: de his menſuris ſuis dicemus in locis.

V. 15. INGRAVAVIT COR SUUM. Hebr. eſt infinitivus: *Et ingravare cor ſuum*; ſubaudi, perrexit, aut inſtitit. Vel eſt infinitivus pro præterito: qua phraſi ſæpius Latini utuntur, ut videre paſſim eſt apud Livium, & alios.

V. 16. SCINIPHES. כנים *cinnim*. Ioſephus, & Hebræi ſummo conſenſu *pediculos* interpretantur, quod ſequuntur innumeri recentiorum: & communiter Iudæi utuntur ſingulari כנה *cinnah* pro pediculo: quidam *pulices* reddunt, ſed infeſtiores, & acerbiores quam vulgares: & ferre ii ex pulvere gignuntur. Philo, beſtiolam exiguam, infeſtiſſimam, quæ non ſolum ſummam aurem lædit, pruritum immittens inſenſum, & noxium, ſed etiam interius penetrat per nares atque aures; lædit etiam oculos, niſi quis caveat. Græci exponunt *σκνῖπες*, id eſt *culices*, vel *vermiculos inſtar culicum erodentes ligna*. De quibus latius vide Appendicem Henriciani Theſauri, colum. 1242. Ego cum aliquibus eruditis viris non dubitaverim, Noſtrum hic reliquiſſe vocem ipſam Hebraicam *cinnim* ininterpretatam, ſed ad enuntiationem Græcam aut Latinam conformatam: dixiſſeſque *ciniphes*, vel *ſciniphes*. De quo Interpretis more vide quæ notavimus Geneſ. 11. verſ. 12. ſed *cinnim*, alioqui *ſciniphes*, vox nihili. Videtur tamen Petronius Arbiter ea voce *ſcyniphes* uſus in Saty-

tyrico, pag. 115. niſi locus ſit in damno. Vide Animadverſiones Ioannis a VVouvveren in eum locum. Communiter *culices* intelligunt. Nec deſunt qui *ricinos* velint: eſt autem ricinus, vermis auribus canum, boumque infeſtiſſimus, qui eas exulcerat, fœdus, lividus, & ſanguine plenus. Hiſpanice *rezno*, *garapata*. Certe culices non videntur convenire animalibus, ſeu iumentis, niſi tantum oculis, quos lædere poſſint; niſi iis miraculoſis culicibus penetrantior aculeus ineſſet. AEgyptum abundare culicibus, qui ſindones & veſtes ipſas penetrent, Herodotus Lib. II. num. 95. ſcripſit. Pediculis non videtur genitura pulveris congruere, cum ii non ex pulvere, ſed ex corpore humano naſcantur; niſi miraculoſe tunc, & ſingulariter ex pulvere facti. Forſan fuerit hæc peſtis illa, aut ei ſimilis, quam Agatharchides Gnidius Lib. V. de Mari rubro, cap. XXVII. de Acridophagis AEthiopum populis ſub AEgypto, in hunc modum refert: *Ultra quadraginta annos non vivunt. Etenim ſimul ac ſenium imminet, in corporibus ipſorum volatile pediculorum genus innaſcitur. Ricinis ii non diſſimiles, ſed paulo minores ſunt muſcis, quæ in canibus apparent. Incipiunt a præcordiis, & alvo, omnem protinus ſuperficiem corporis cum tota facie depaſcuntur. Illi igitur primo affecti, ſunt ut quos ſcabies pruritu ſuo laceſſit; verum temporis ſucceſſu aliquo non abſque moleſtia ſe ipſos lacerant. Tandem morbo hoc ad maturitatem extracto, præter puſtularum eruptionem, & tenuis ſaniei effluxum, intolerabiles ſuſtinere acerbitates miſeros contingit.* Eadem omnino ex Agatharchide deſcribit Diodorus Siculus Lib. III. cap. XXIV. Plutarchus Lib. VIII. Sympoſiacon cap. IX. *Circa rubrum vero mare morbo correpti, ut Agatharchides narrat, cum aliis inauditis accidentibus ſunt vexati, tum angues exigui, qui nati ſunt exertis capitibus, ſuras, & brachia perederent, & tacti rurſus carnem ſubirent, ac per muſculoſa ſerpentes inflammationum vim intolerabilem excitarent. Idque morbi genus prius aut poſterius ullis aliis obtigiſſe nemo comperit.* Forſan *cinnim* fuerir pediculorum alatorum hoc genus ab Agatharchide, Diodoro, Plutarcho deſcriptum. Sed quia recentiores permulti *culices* malunt; Herodotus Lib. II. num. 95. de AEgyptiis culicibus: *Sunt autem adverſus culices, quorum magna vis eſt; hæc ab eis excogitata. Illos quidem qui ſupra paludes incolunt, iuvant turres, quas dormituri aſcendunt: nam culices ventus prohibet in altum volare: at qui intra paludes habitant, alia turrium vice ſunt machinati, hæc videlicet: ſinguli ſua habent retia, quibus per diem piſces capiunt: eiſdem noctu utuntur cubili, in quo requieſcunt, circumdatis illis deinde operti ſomnum capiunt: qui ſi in veſtimento involuti, aut in ſindone dormirent, eos per ipſa indumenta culices morderent; per retia vero ne tantulum quidem mordere conantur.* Agatharchides Lib. V. de Mari rubro cap. XXII. de AEthiopibus ad flumen Aſtabaram, qui cum Nilo Meroen inſulam facir, hæc ſcribit: *Sub ortum caniculæ ingens culicum multitudo eos infeſtat, tantis viribus pollens, ut populus in aquas lacuſtres præfugiens ſe ibi occultet. Ab iis quoque leones exterminantur, non tam a morſu vexati, quamvis moleſto ſatis, quam quod ſtridorem vocis peregrinum perferre nequeunt.* Eadem Diodorus Lib. III. numero III. & AElianus Lib. XVII. cap. xl. Myuntem urbem Achaiæ ob culicum multitudinem deſertam, Pauſanias in Achaicis, ſeu Lib. VII. tradir. Saporis Perſarum regis exercitum a culicibus divinitus immiſſis diſſipatum, auctor eſt Theodoretus Lib. II. Hiſtor. Eccleſ. cap. XXXI.

Verſ. 17. OMNIS PULVIS TERRAE VERSUS EST IN SCINIPHES. Hebr. *Omnis pulvis terræ fuit cinnim*; id eſt, vel verſus eſt in ſciniphes, ut Noſter intellexit, quæ eſt hyperbole; vel ubique in eo regno fuerunt pediculi pulveri terræ commixti; qui ſenſus præcedentem non æquat.

V. 19. DIGITUS DEI EST HIC. Notum eſt digitum Dei intelligi vim, energiam, efficacitatem, potentiam, virtutem Dei manifeſtam, quæ negari non poſſit. Lucæ XI. verſ. 20. *In digito Dei*; quod Matthæi XII. 28. exponitur, *In ſpiritu Dei*. Sed cur magi non potuerunt facere ſciniphes, cum ranas fecerint? Id Scriprura non exprimit; nec nobis curioſius diſquirendum. Forte quod voluerit teſtatum reddere Deus, quam imbecillis ſit vis magiæ, & dæmonum, quam ipſe tam facile obtundit, quando vult, etiam in rebus minimis, & factu facilibus.

V. 21. OMNE GENUS MUSCARUM. ערוב *gharob*; de qua voce, & de cœnomyia,

myia, & cynomyia abunde diſſeruimus in Antichriſto Lib. VII. cap. IV. Proprie aiunt ſignificare *mixtionem*, *mixturam*, *commixtionem*, hoc eſt rurbam, colluviem, miſcellaneam & confuſaneam inſectorum diverſi generis, ut ſunt muſcæ, veſpæ, crabrones, fuci, locuſtæ, cicadæ, bupreſtes, erucæ, curculiones, multipedæ, vermes, ſcarabei, & id genus alia, quæ moleſta & infeſta eſſe ſolent hominibus, & jumentis. Alii mixturam intelligunt ferocium, & noxiarum beſtiarum; ut ſunt leones, urſi, pardi, lupi, ſerpentium variæ ſpecies, & aliæ ejuſmodi feræ. Sed illud primum eſt rectius. Vide Sapientiæ XI. verſ. 16. & cap. XVI. verſ. 9. Quidam hic reddunt, *Omne inſectorum noxiorum genus*; ſed *noxiorum* de ſuo addunt.

V. 22. FACIAMQUE MIRABILEM IN DIE ILLA TERRAM GESSEN. Varie reddunt verbum פלה *pelah*: *Et ſeparabo*, *ſegregabo*, *eximam*, *excipiam*, *ſeligam*, *ſecernam in die illa*, &c. Alii: *Et mirabiliter regam in die illa terram Geſſen*. Nonnulli. *Et dividam*, &c. Plerique: *Et arduam*, *excelſam*, *excellentem faciam*. Aliqui: *Mirificabo*, *mirabilem faciam*, &c. Vide Geneſ. XVIII. verſ. 14. Hiphil ſignificatum intendit. IN QUA POPULUS MEUS EST. Geneſ. XLVI. 35. cap. XLVII. 6. 27. ET SCIAS QUONIAM EGO DOMINUS. Supr. cap. V. verſ. 2. cap. VII. verſ. 17. IN MEDIO TERRAE. Hebr. *In propinquiſſimo*, *in intimo terræ*; id eſt, Dominus ipſius terræ, & auctor plagarum, quibus hæc terra afficitur; qui eas immitto quo volo & loca ſeligo immunia, quo illæ non penetrent.

V. 23. PONAMQUE DIVISIONEM INTER POPULUM MEUM ET POPULUM TUUM. Hebr. *Et ponam liberationem inter populum*, &c. id eſt, ſervabo populum meum ut non lædatur a noxia turba inſectorum; populum vero tuum non ſervabo ſed faciam ut lædatur a colluvie illa. Quidam neſcio qua mente reddunt: *Et ponam redemptionis ſignum indicium*, *inter populum tuum*. Redemptio pro ſigno redemptionis, ut circumciſio, fœdus; pro ſigno & ſymbolo fœderis, Geneſ. XVII. verſ. 10. ſed hic non agitur de indicio liberationis, ſed de ipſa vera & reali liberatione. Nam vox *ſigni*, quæ mox ſubiicitur, non indicium aut ſymbolum, ſed miraculum, prodigium ſignificat.

V. 24. CORRUPTAQUE EST TERRA AB HUIUSMODI: nam nec igne poterant extingui: Sapient. XVI. verſ. 18.

V. 26. NON POTEST ITA FIERI. Hebr. *Non certum*, *firmum*, *deſtinatum*, *paratum*, *diſpoſitum*, *aptum*, *rectum*, *ſtatum*, *ratum*, *ad facere ſic*. נכון *nacon* omnia iſta complectitur. Quidam, *Non convenit ſic facere*. ABOMINATIONES ENIM AEGYPTIORUM IMMOLABIMUS DOMINO DEO NOSTRO. Quidam ex Hebræo reddunt: *Quia quod abominationi eſt AEgyptiis*, *fortaſſis ſacrificaturi ſumus Iehovæ Deo noſtro*: ut verbum hoc dubitantis eſſe appareat, ex eo quod aperte dicat, ſe ignorare, quibus rebus futurum eſt ut ſerviant, ſeu ſacrificent Iehovæ, infra verſ. 27. & cap. X. 26. Futilis ſenſus, cum recte ſciret Moſes edoctus a Deo, ſe pecudibus & armentis ſacrificaturum Deo, quæ AEgyptii nefas ducebant mactare; quamvis ſingulariter quibus neſciret, uti ex cap. X. verſ. 26. manifeſte liquet. Alii interrogative elucidant hunc locum: *Num abominationem AEgyptiorum ſacrificabimus Domino*? Sed magis acceperim enuntiative; quaſi dicat: Nos quidem abominationes AEgyptiorum ſacrificaturi ſumus; & ſi hic in terra ipſorum viderint nos talia ſacrificantes, lapidibus nos obruent. Conſentiunt fere omnes abominationes AEgyptiorum dici ea animalia quæ nefas & abominandum ducerent AEgyptii mactare, quod ea pro diis colerent, ut boves propter Apim, & Mnevim, oves, & arietes, propter Hammonem; hircum, quem Thmuis pro Deo habebat. Herodotus, qui diligentius ceteris ſacra AEgyptiorum perſcrutatus videtur, eorum religionem in his variaſſe ſcribit: eum vide Lib. II. numero 38. 39. 40. 41. ubi inter alia ait: *Boves mares*, *eoſdemque mundos*, *ac vitulos univerſi AEgyptii immolant*, *at feminas eis immolare non licet*, *utpote Iſidi conſecratas*: *nam Iſidis ſimulacrum muliebre eſt*, *bubulis præditum cornibus*. Et numero 42. *Ceterum qui Iovis Thebani templum incolunt*, *atque Thebanæ provinciæ ſunt*, *ii omnes ab ovibus ſe abſtinentes*, *capras immolant*. *Non enim eoſdem deos ſimiliter colunt univerſi AEgyptii præter Iſidem*, & *Oſirim*. *Qui vero Mendetis templum obtinent*, *ſive Mendeſiæ provinciæ ſunt*, *ii capris abſtinentes*,

tes,

Digitized by Google

eis, *immolant oves*. Et paulo inferius: *AEgyptii Iovem Ammum, id eſt Ammonem, appellant: ob hanc rem arietes non mactantur a Thebanis, ſed eis ſacroſancti ſunt*. Et num. 45. *AEgyptiis nullam pecudem fas eſt immolare, præter ſues, præterque boves mares, & vitulos, & anſeres*. Hæc Herodoti neceſſario inſerenda ſuere ad huius loci illuſtrationem. Et notum illud Iuvenalis de AEgyptiis, Satyra xv.

... fetis animalibus abſtinet omnis
Menſa: nefas illic fetum iugulare capellæ.

MENOCHII.

Verſ. 2. TERMINOS TUOS: fines regni tui.

Verſ. 3. INGREDIENTUR DOMUM TUAM, inſtinctu divinitus inſito, aut ab Angelis actæ. Durior hæc plaga, quam plaga ſanguinis: nam ſi flumine in ſanguine verſo adempta aqua eſt, reliqui liquores relicti; at ranæ omnia occupabant, inficiebant, & coaxatione obtundebant, morientes, & vivæ fœtore complebant, ſedentibus, ambulantibus, cubantibus infeſtæ. IN RELIQUIAS CIBORUM TUORUM. Verti etiam poſſet cum LXX. *In maſſis ſive paſtis tuis*, *ἐν τοῖς φυράμασί σου*. Chald. *In panariis tuis*, id eſt in piſtrino, & locis quibus panis conficitur.

V. 5. EXTENDE MANUM TUAM, qua ſcilicet tenes virgam: illa enim mirandorum effectrix; qua extenſa a Deo evocatæ ſunt ranæ.

V. 6. SUPER AQUAS, verſus, vel contra aquas, eminus ex ipſa Pharaonis aula, in qua tunc fuiſſe videtur, quamvis ex ſacro textu clare non conſtet.

V. 7. FECERUNT MAGI SIMILITER, dæmonum miniſterio, non tamen tam multas, ſed pauculas exhibentes.

V. 8. ORATE DOMINUM. Hinc patet graviorem hanc fuiſſe plagam quam ſanguinis: hæc enim compulit Pharaonem orare Moſen ut auferretur; quod prius non fecerat.

V. 9. CONSTITUE MIHI, &c. Iubet Pharaonem tempus conſtituere, ne poſtea cauſari poſſit cauſarum naturalium efficientia ranas ſublatas, & extinctas.

V. 10. QUI RESPONDIT, CRAS: ut tempus orandi daret, & ut interim experiretur an naturaliter, & ex ſe ranæ deficerent.

V. 12. CLAMAVIT, deſiderio, & affectu.

V. 14. CONGREGAVERUNT EAS IN IMMENSOS AGGERES: non ſunt ſtatim ab oculis ſublatæ, ne preſtigiæ putarentur, credibile fœtorem ingentem exhalaſſe, quod tradunt Philo, & Ioſephus. Merito AEgyptii ranis ex fluvio ebullientibus afflicti ſunt, qui infantes fluvio merſerant.

V. 17. CINIPHES. Tertia plaga. Ciniphes alii pediculos, alii pulices, alii culices fuiſſe aiunt: res eſt obſcura, neque enim conſtat quid ſignificet vox כנים *chinnim*, quæ eſt in textu Hebræo.

V. 18. FECERUNT SIMILITER: conati ſunt facere. ET NON POTUERUNT, Deo illos impediente, ut impotentiæ, & mendacii arguerentur incantatores, qui cum maiora feciſſent, in minoribus deficerent.

V. 19. DIGITUS DEI EST HIC, divina ſcilicet virtus, & operatio. *Dei*. Agnoſcunt magi divinam virtutem, & illi nihilominus obnituntur, quod & dæmones faciunt.

V. 21. OMNE GENUS MUSCARUM. LXX. vertunt *κοινομυῖαν*: quam vocem noſter Interpres retinuit Pſalm. lxxvii. 45. & Pſal. civ. 31. *cœnomyam*; quaſi dicas, communem muſcam, omne genus muſcarum.

V. 22. FACIAM MIRABILEM TERRAM GESSEN: quæ immunis erit ab huiuſmodi muſcis, cum tamen pecoribus abundet. IN MEDIO TERRAE; ideſt, dominans in terra ampla, & lata.

V. 23. PONAMQUE DIVISIONEM. Heb. eſt *Ponam redemptionem*; quaſi dicat, redimam, eximam, & liberabo meos Hebræos a communi plaga.

V. 24. VENIT MUSCA. Quartam hanc plagam muſcarum ſine ſenſili ſigno, ſine extenſione virgæ, ſe ſolo inflixit Deus, ne quis ſuſpicaretur aliquid numinis virgæ ineſſe, aut non eſſe Deum qui hoc patraret. GRAVISSIMA, plurima: ſic Pſ. xxxiv. 18. dicitur: *In populo gravi laudabo te*, id eſt multo: vel *graviſſima*, id eſt moleſtiſſima.

V. 26. ABOMINATIONES AEGYPTIORUM. Oves, & boves mactaturi ſumus, quorum cædem AEgyptii abominandam putant, quia eos ut Deos colunt: non ergo expedit ut coram ipſis iſta fa-

Digitized by Google

crificemus, ne nos lapidibus petant, aut alia ratione violent.

V. 32. INGRAVATUM EST. Hebr. *Aggravavit Pharao cor ſuum:* ſic & Septuaginta.

TIRINI.

Verſ. 19. DIGITUS DEI EST HIC; id eſt, potentia & virtus hic ſe prodit longe maior omni noſtra, & dæmonum magiſtrorum noſtrorum virtute: nempe virtus ſolius omnipotentis Dei, qua nos præpedimur, & quaſi ligamur. Ita Chaldæus, Rabbini, Toſtatus, Lipomanus. Græci legunt, *digitus Dei* hoc *eſt*.

Petes cur Deus permittere noluerit dæmoni, ut ſciniphes ſeu culices, rem viliſſimam facillimamque preſtigiis efformaret; cui indulſit longe graviora, ſcilicet ranas, ſanguinem, & dracones? Reſpondeo, ut tam AEgyptiis, quam toti orbi palam faceret, a ſe ſolo pendere omnia: ſe permittente, dæmonem quidvis poſſe in his ſublunaribns; ſe nolente, nec culicem movere poſſe.

Petes ſecundo, an magi præſtigiis ſuis veras produxerint ranas, verum ſanguinem, veros dracones? Reſpondent Ioſephus, Tertullianus, Iuſtinus, Ambroſius, Hieronymus, Rupertus, & Hugo, magos nihil produxiſſe, ſed oculos intuentium ludificaſſe, obiiciendo illis ſpeciem ſeu figuram draconis, ſanguinis, vel ranarum; cum tamen virga maneret virga, & aqua pura aqua, &c. Sed probabilius puto, dæmonem ſubtracta oculis virga, & aqua, &c. veros dracones, & ſanguinem, & ranas aliunde allatas (ut poteſt celerrime) ſubſtituiſſe: ſicut Albertus Magnus refert, & vitulos, & boves in aera a dæmone ſublatos fuiſſe, ut plueret vitulos, & boves. Ita S. Auguſtinus, Theodoretus, Lyranus, Burgenſis, Caietanus, Toſtatus, a Lapide, & alii. Et patet, quia Scriptura æque hos magorum, atque illos Moyſis, dracones vocat. Et quomodo alioqui draco Moyſis diceretur devoraſſe dracones magorum? an baculos devoravit? Et ſi ſolis ſpectris oculos ludificaſſent, an Moyſi promptum non fuiſſet fraudem detegere, & magos, & dæmonem confundere?

Nota, magos hos fuiſſe Iannes & Mambres, ut conſtat ex II. Timoth. III. verſ. 8.

Nota ſecundo, miracula hæc omnia a Moyſe patrata fuiſſe in campo ſeu provincia Taneos, quæ erat urbs regia AEgypti, ut dicitur Pſal. LXXVII. verſ. 43. nempe, ut ubi hominum, maximeque aulicorum, & conſequenter vitiorum, erat copia, ibi & plagæ inundarent. Sed mox ex regia pervaſerunt totam AEgyptum, penetraruntque omnium AEgyptiorum domos etiam in terra Geſſen in qua habitabant Hebræi; ſed in domibus Hebræorum nulla erat plaga. Patet ex verſ. 22. hic, & capite x. verſu 23. Adeo ut Philo, Ioſephus, & alii affirment, ex uno eodemque fonte Hebræos aquam puram hauſiſſe, AEgyptios ſanguinem: in eodem loco Hebræis claram fuiſſe lucem, AEgyptiis denſiſſimas tenebras fuiſſe. Ita Abulenſis, Pererius, & a Lapide.

Nota tertio, has decem plagas non annum integrum tenuiſſe, ut quidam opinantur; ſed veroſimilius ſpatio menſis unius alteriuſve, vel paulo ampliori, omnes inflictas fuiſſe, puta a medio ianuarii uſque ad medium martii, ſeu paſcha, quando egreſſi ſunt AEgypto Hebræi, ut dixi in Chronico cap. XVII.

Nota quarto. Moraliter decem plagas AEgypti accommodat tranſgreſſoribus decem præceptorum decalogi, ſingulas ſingulis *a* S. Auguſtinus: Oroſius decem perſecutionibus primitivæ Eccleſiæ, & plagis immiſſis earumdem perſecutionum auctoribus.

V. 26. ABOMINATIONES AEGYPTIORUM IMMOLABIMUS, id eſt arietes, vitulos, tauros, quos AEgyptii tamquam deos colunt, ac proinde iugulari apud illos nefas eſt & abominatio ſeu abominabile ſcelus. Ita *b* Philo, & Ioſephus, Diodorus Siculus, Plutarchus, Strabo, & Macrobius.

(*a*) S. Auguſt. Tom. IX. Oroſius Lib. VII. hiſt. cap. XXVII.
(*b*) Philo Lib. de Decalogo. Ioſeph. Lib. I. contra Apionem. Diod. Sic. Lib. I. Plutarch. de Iſide. Strabo Lib. XVII. Macrob. Lib. VII. cap. VII.

GORDONI.

Verſ. 3. ET EBULLIET. Ranarum plaga ebullientium in tot locis graviſſima ſane apparet. Scribunt hiſtorici

Digitized by Google

ci integras urbes ſimili plaga aliquoties vel deſertas, vel everſas fuiſſe. De integris regionibus Pæonia & Dardania deſertis ex hoc malo, lege Athenæum Lib. VIII. cap. 11. & ſimilia ex Plinio Lib. VIII. cap. XXIX. RELIQUIAS CIBORUM, cibos, & loca ciborum.

V. 10. RESPONDIT: CRAS. Dedit certum tempus Pharao, ut periculum faceret an res penderet a Deo, & Moſe orante: moram plagæ non dat Scriptura. Ceſſavit vero plaga ranarum tum morte, tum regreſſu ad flumina. Mali procraſtinant: ſic Pharao.

V. 13. IUXTA VERBUM, ut petebat.

V. 17. OMNIS PULVIS TERRAE. Hoc eſt, plurimus, ſeu ubi erant AEgyptii, & eorum iumenta, per talem plagam punienda. Apud Septuag. *σκνῖπες*, vel *σκνίφες* Hebr. כנים *kinnim*. At quænam hæc animalia? certatur. Putantur ſciniphes iſti a multis fuiſſe culices. Hinc tandem vincuntur magi: nam conati ſunt, at non potuerunt, ut ait textus, hic quicquam præſtare.

V. 19. DIGITUS DEI EST HIC. Per digitum hic potentiam Dei plurimi, & recte intelligunt, ut Pſal. VIII. verſ. 4. Nec tamen reiiciendum eſt, quod Auguſtinus, & Hieronymus habent, ſignificari hic tertiam Trinitatis perſonam: quod licet non intellexerunt magi; tamen potuit Deus ſic per eorum ora loqui, ut in Caipha. Sane Spiritus ſanctus eſt qui ſcribit legem etiam in cordibus hominum.

V. 20. UT SACRIFICET. Heb. Ut mihi ſerviat. ויעבדני *veiahhabdeni*.

V. 21. QUOD SI. Quarta plaga eſt muſca. Hinc apud Septuag. *κοινομυῖα*, communis muſca, cœnomia: non eſt legendum *κυνομυῖα*, ſeu canina muſca, ut iam dicam.

V. 22. MUSCAE. In Hebr. eſt ערב *hharob*: Pagninus mixtionem vertit: Noſter, omne genus muſcarum. Aliqui communem muſcam accipiunt. Eadem vox Hebraica habetur Pſal. CIV. verſ. 31. ubi de hac plaga agitur. Sed certatur quæ ſit iſta mixtio, quam dat vox Hebraica. Hieronymus Epiſt. CXXXV. ad Suniam dat *κοινομυῖαν*, communem muſcam. Qui vero in Græco volunt eſſe *κυνομυῖαν*, caninam muſcam, ut conſentiant cum Vulgato, oportet eos dicere, ſpeciem eſſe poſitam pro genere.

V. 26. ABOMINATIONES ENIM AEGYPTIORUM IMMOLABIMUS. Quaſi interrogando negat Moſes, ſe coram AEgyptiis poſſe immolare boves, cum ipſi colant boves; ac ſi diceret, lapidabunt. QUAE COLUNT: animal quod colunt AEgyptii.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 6. SUPER AQUAS, eminus, & verſus aquas.

V. 7. SIMILITER, ſed non in tanto numero ranarum.

V. 18. ET NON POTUERUNT. Non permiſit Deus. Sic qui maiora fecerunt, fatemur in minoribus ſe nihil poſſe.

V. 22. IN MEDIO TERRAE, late, & palam imperans.

V. 23. PONAMQUE DIVISIONEM. Liberabo Hebræos ab hac decreta plaga.

V. 24. GRAVISSIMA, moleſtiſſima. Venit hæc plaga, Deo iubente, & ſine extenſione virgæ, ne putaretur in virga latere myſterium aliquod, aut numen.

Digitized by Google

CAPUT IX.

Quinta plaga eſt peſtis in iumentis, ſexta ulcerum, ſeptima grandinis, ad quam promittit Pharao ſe dimiſſurum populum ſi ceſſet, verum nec id complet: nullus autem filiorum Iſrael in his malis ullum patitur damnum.

1 DIxit autem Dominus ad Moyſen: Ingredere ad Pharao-
nem, & loquere ad eum: Hæc dicit Dominus Deus He-
bræorum: Dimitte populum meum ut ſacrificet mihi.
2. Quod ſi adhuc renuis, & retines eos: 3. ecce manus
mea erit ſuper agros tuos: & ſuper equos, & aſinos, &
camelos, & boves, & oves, peſtis valde gravis. 4. Et
faciet Dominus mirabile, inter poſſeſſiones Iſrael, & poſ-
ſeſſiones AEgyptiorum, ut nihil omnino pereat ex his
quæ pertinent ad filios Iſrael. 5. Conſtituitque Domi-
nus tempus, dicens: Cras faciet Dominus verbum iſtud in terra. 6. Fecit ergo
Dominus verbum hoc altera die: mortuaque ſunt omnia animantia AEgyptio-
rum: de animalibus vero filiorum Iſrael nihil omnino periit. 7. Et miſit Pha-
rao ad videndum: nec erat quidquam mortuum de his quæ poſſidebat Iſrael. In-
gravatumque eſt cor Pharaonis, & non dimiſit populum. 8. Et dixit Dominus
ad Moyſen & Aaron: Tollite plenas manus cineris de camino, & ſpargat illum
Moyſes in cælum coram Pharaone. 9. Sitque pulvis ſuper omnem Terram AE-
gypti: erunt enim in hominibus & iumentis * ulcera, & veſicæ turgentes, in
univerſa Terra AEgypti. 10. Tuleruntque cinerem de camino, & ſteterunt coram
Pharone, & ſparſit illum Moyſes in cælum: factaque ſunt ulcera veſicarum tur-
gentium in hominibus, & iumentis: 11. nec poterant malefici ſtare coram Moy-
ſe propter ulcera quæ in illis erant, & in omni Terra AEgypti. 12. Induravit-
que Dominus cor Pharaonis, & non audivit eos, ſicut locutus eſt Dominus ad
Moyſen. 13. Dixitque Dominus ad Moyſen: Mane conſurge, & ſta coram Pharao-
ne, & dices ad eum: Hæc dicit Dominus Deus Hebræorum: Dimitte populum
meum ut ſacrificet mihi. 14. Quia in hac vice mittam omnes plagas meas ſu-
per cor tuum, & ſuper ſervos tuos, & ſuper populum tuum: ut ſcias quod non
ſit ſimilis mei in omni terra. 15. Nunc enim extendens manum percutiam te &
populum tuum peſte, peribiſque de terra. 16. (a) Idcirco autem poſui te, ut
oſtendam in te fortitudinem meam, & narretur nomen meum in omni terra. 17.
Adhuc retines populum meum: & non vis dimittere eum? 18. En pluam cras
hac ipſa hora grandinem multam nimis, qualis non fuit in AEgypto, a die qua
fundata eſt, uſque in præſens tempus. 19. Mitte ergo iam nunc, & congrega iu-
menta tua, & omnia quæ habes in agro: homines enim, & iumenta, & uni-
verſa quæ inventa fuerint foris, nec congregata de agris, cecideritque ſuper ea
grando, morientur. 20. Qui timuit verbum Domini de ſervis Pharaonis, fecit
confugere ſervos ſuos & iumenta in domos: 21. qui autem neglexit ſermonem
Domi-

Digitized by Google

Domini, dimiſit ſervos ſuos & iumenta in agris. 22 Et dixit Dominus ad Moy-
ſen: Extende manum tuam in cælum, ut fiat grando in univerſa Terra AEgy-
pti, ſuper homines, & ſuper iumenta, & ſuper omnem herbam agri in Terra
AEgypti. 23. (*b*) Extenditque Moyſes virgam in cælum, & Dominus dedit to-
nitrua, & grandinem, ac diſcurrentia fulgura ſuper terram: pluitque Dominus
grandinem ſuper Terram AEgypti. 24. Et grando & ignis mixta pariter fereban-
tur: tantæque fuit magnitudinis, quanta ante numquam apparuit in univerſa Terra
AEgypti ex quo gens illa condita eſt. 25. Et percuſſit grando in omni Terra
AEgypti cuncta quæ fuerunt in agris, ab homine uſque ad iumentum: cunctam-
que herbam agri percuſſit grando, & omne lignum regionis confregit. 26. Tan-
tum in Terra Geſſen, ubi erant filii Iſrael, grando non cecidit. 27. Miſitque
Pharao, & vocavit Moyſen & Aaron, dicens ad eos: Peccavi etiam nunc: *
Dominus iuſtus; ego & populus meus, impii. 28. Orate Dominum ut deſinant
tonitrua Dei, & grando: ut dimittam vos, & nequaquam hic ultra maneatis.
29. Ait Moyſes: Cum egreſſus fuero de urbe, extendam palmas meas ad Domi-
num, & ceſſabunt tonitrua, & grando non erit: ut ſcias quia Domini eſt terra:
30. novi autem, quod & tu, & ſervi tui, necdum timeatis Dominum Deum.
31. Linum ergo & hordeum læſum eſt, eo quod hordeum eſſet virens, & linum
iam folliculos germinaret: 32. triticum autem & far non ſunt læſa, quia ſeroti-
na erant. 33. Egreſſuſque Moyſes a Pharaone ex urbe, tetendit manus ad Do-
minum: & ceſſaverunt tonitrua & grando, nec ultra ſtillavit pluvia ſuper terram.
34. Videns autem Pharao quod ceſſaſſet pluvia, & grando, & tonitrua, auxit
peccatum: 35. & ingravatum eſt cor eius, & ſervorum illius, & induratum
nimis: nec dimiſit filios Iſrael, ſicut præceperat Dominus per manum Moyſi.

(*a*) Rom. IX. 17. (*b*) Sap. XVI. 16. & XIX. 19.

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

V. 9. *Ulcera, & veſica*. Iudicarunt Romani Patres, legendum potius *ulcera*, ideſt שחין, quam *vulnera*, quod eſt in multis manuſcriptis, tam hic quam duobus verſiculis proxime ſequentibus.

V. 27. *Dominus iuſtus; ego & populus meus impii*. Merito deleta eſt coniunctio & ante pronomen *ego*.

Notatio.

Verſ. 9. 10. & 11. Sextam AEgypti plagam alii noſtrorum codicum *ulcera* vocant, alii *vulnera*. Hebraice dicitur [illegible], quam vocem, hoc an illo modo hoc loco Interpres verterit, non ſatis conſtat, cum quod codices varient, tum quod utroque modo aliis atque aliis locis tranſtuliſſe legatur. Deut. XXVIII. verſ. 35. *ulcus*; Iſaiæ XXXVIII. verſ. 21. *vulnus* reddidit: ad hæc, *ulcus* tranſtulit Levitici XIII. verſ. 18. 19. 20. 23. his enim iam commemoratis locis, quinque & triginta conſultis ſcriptis exemplaribus, lectionis nullam reperimus diverſitatem. Secundi autem capitis Iob verſ. 7. ſi genuina eſt lectio quæ a Gregorio lecta eſt, & Correctorio probata, *vulnus* interpretatus eſt. Itaque utra ſit hoc Exodi loco germana Interpretis ſcriptura, non facile quis dixerit. Auctor Correctorii *vulnera* legendum exiſtimat; cuius ſane ſententiam noſtra ſcripta confirmare videntur. Nam tribus *ulcera* legentibus, ſeptemdecim *vulnera* legunt cum ſex ab Hentenio notatis; alia undecim cum tribus Hentenii uno loco hanc, alio illam habent lectionem, ſed eo fere ordine ut primo loco *ulcera* ſcribant, poſterioribus *vulnera*, id quod vulnerum lectionem non parum ſtabilire videtur. Ceterum Iſidorus, Rabanus, & Beda *ulcera* legunt: & Deut. XXVIII, verſ. 27. ubi hanc AEgypti plagam tranſgreſſoribus Iſraelitis Moyſes imprecatur, codicibus ſibi conſentientibus, vertit Interpres: *Percutiat te Dominus ulcere AEgypti*. Atque huic lectioni conforme eſt quod LXXII. inter-

ter-

terpretati ſunt ἕλκως, idque univerſis, quæ iam recenſita ſunt, locis, uno Iſaiæ demto, quo prætermiſerunt, ut Hieronymus annotavit. Sed cum ex ſcabie, ulceribus, apoſtematibus (quibus fere modis Hebræam vocem reddunt) vulnera naſci, & ex vulneribus ulcera redire ſoleant, etſi *vulnera* nuncupentur, eadem intelligi poteſt plaga, quam ad hunc Ioſephus deſcribit modum, δεινῶς αὐτοῖς ἐξηλκοῦτο τὰ σώματα τῶν ἐντὸς διαφθειρομένων. Chaldæus ubique Hebræum verbum retinuit, de cuius ſignificatione Hieronymus productum Iſaiæ locum enarrans, ex propoſito agit.

COMMENTARIA

S A.

Verſ. 1. SACRIFICET. Hebr. *Serviat*.

V. 3. ET SUPER; pro, id eſt ſuper.

V. 4. POSSESSIONES. Chald. *Pecora*. LXX. *Iumenta*.

V. 6. ANIMANTIA, ſcilicet pecora, quæ erant in agris.

V. 8. CINERIS. Alii, *Favillæ*.

V. 14. HAC VICE MITTAM OMNES PLAGAS MEAS, &c. quaſi dicat: Tandem abſolvam, teque & tuos plagis conſumam.

V. 15. PESTE, ſcilicet interfectis primogenitis.

V. 16. POSUI TE, ſcilicet in mundo, vel in regno.

V. 23. DISCURRENTIA FULGURA. Hebr. Chald. & LXX. *Diſcurrentem ignem*.

V. 28. DEI, ideſt magna, vel a Deo miſſa.

V. 32. SEROTINA ERANT; ideſt, nondum in calamum aſſurrexerant.

V. 34. AUXIT PECCATUM. Hebr. *Addidit ad peccandum*; ideſt, peccare perrexit.

V. 35. PRAECEPERAT. Hebr. *Locutus fuerat*. PER MANUM MOYSI, ideſt *per Moyſen*, Hebr.

ÉSTII.

Verſ. 6. MORTUAQUE SUNT OMNIA ANIMANTIA AEGYPTIORUM, ſcilicet ſupra verſ. 3. enumerata, equi, aſini, cameli, oves & boves. Sed quæritur quomodo iſtis non repugnat quod paulo poſt verſ. 19. ante plagam grandinis Moyſes Pharaonem monet his verbis: *Mitte ergo iam nunc, & congrega iumenta tua, &c.* nec non & illud, quod infra cap. XIV. Scriptura narrat Pharaonem cum equitatu, cumque ingenti numero curruum, qui utique ab equis trahebantur, perſecutum fuiſſe filios Iſrael. Solvit hanc quæſtionem Auguſtin. ſuper Exod. Pro qua ſolutione notandum, loco eius quod hic ſuperius verſ. 3. dicitur, *Ecce manus mea erit ſuper agros tuos, & ſuper equos & aſinos, &c.* in Hebræo ſic legi: *Ecce manus Domini eſt in pecudibus tuis, quæ ſunt in agro, in equis, in aſinis, &c.* Ex quibus verbis perſpicuum eſt, hanc plagam, ſicut & illam grandinis de qua verſ. 19. & 25. ad ea tantum animalia perveniſſe quæ tempore ſævientis plagæ in agris fuerunt deprehenſa. Quod ergo dicitur, *Mortuaque ſunt omnia animantia Aegyptiorum*, iuxta comminationem verſ. 3. prout is iam expoſitus eſt ex Hebræo, intelligendum eſt de iis dumtaxat animalibus quæ erant in agris.

V. 12. INDURAVITQUE DOMINUS COR PHARAONIS, ET NON AUDIVIT EOS. Hæc ſententia de Pharaone aliquoties repetita in hoc libro, prave a Luthero, Calvino, aliiſque in iniuriam Dei detorquetur, contra libertatem arbitrii, ſeu voluntatis humanæ, quaſi non ſit in hominis poteſtate ſitum, vias ſuas bonas facere aut malas, ſed in hanc vel illam partem neceſſitate quadam impellatur a Deo; cum tamen capite præcedenti verſu decimo quinto etiam ipſa Scriptura ſe explicet dicens, quod *ipſe Pharao ingravavit cor ſuum*. Ex quo ſatis intelligi poteſt libero eum peccaſſe arbitrio, quando populum Dei dimittere noluit. Videndum ergo quo catholico ſenſu Deus quoque cor Pharaonis induraſſe dicatur. Initium indurationis eſt in gratiæ ſubſtractione ſeu denegatione. Verum id non ſufficit. Non enim quilibet qui peccare permittitur, induratur; ſed proprie tunc a Deo cor hominis induratur, quando ei divina gratia privato, atque ad peccandum parato, ſuggeruntur occaſiones, quibus etiam deterior, & in ſcelere

lere

lere obſtinatior reddatur: nam hæ cauſæ ſeu occaſiones non ſunt in hominis poteſtate, ſed ſubmittuntur a Deo, propter quas Deo adſcribitur conſequens animi obduratio; cuius tamen propria cauſa eſt in prava hominis voluntate, occaſionalis dumtaxat in Deo. Hæc divi Auguſtini doctrina, tum in Quæſt. tum contra Iulianum, & alibi.

Et notandum, quod Pharao obduratus fuit occaſione eorum quæ ei obiecta ſunt, & ante oculos poſita: per quæ quidem debuiſſet converti ad agnitionem veri Dei, & ad faciendum quod ille iubebat; ſed tamen illorum occaſione obduratus eſt, & deterior factus, quaſi per antiperiſtaſim: quomodo frigus ſubterraneum intenditur a calore terræ ſuperfuſo, & quomodo videmus quoſdam lapides magis indureſcere in aquis. Idem accidit Iudæorum pontificibus, ſcribis, & phariſæis, qui tot Chriſti miraculis conſpectis excæcati ſunt, magiſque obduruerunt. Tale quid enim contingit vel ex odio, atque invidia; vel ex ſuperbia, & pertinacia animi. Prius contigit Iudæis, poſterius Pharaoni.

MARIANAE.

Verſ. 4. ET FACIET DOMINUS MIRABILE. הפלה *Hapleh*, potius ſignificat *dividet Dominus*, niſi dicamus ה poſitum pro א in fine: ſic enim ſignificabit *faciet mirabile*, ut Sept. etiam poſuerunt.

V. 5. CONSTITUITQUE DOMINUS TEMPUS. Adde, certum, definitum: ea eſt vocis Hebraicæ vis *mohed*.

V. 9. ULCERA, ET VESICAE TURGENTES. Hebr. *Ulcus germinans inflationes*. Sept. addidere *ferventes*, reſpicientes ad vocem אבעבעות *ababbuboth* deductam a בעה *baha*, quod ſignificat *fervere*.

V. 15. PERCUTIAM TE ET POPULUM TUUM PESTE. Verum hoc non eſt factum; ideo Chald. ſupplet, *Prope eſt ut percutiam te & populum tuum*. Quod ſi ſervo te, id facio (quod proxime dicitur) *ut oſtendam in te fortitudinem meam*.

V. 17. ADHUC RETINES POPULUM MEUM? Heb. *Adhuc elevaris, ſuperbis in populo meo*, ne eum dimittas ſcilicet.

V. 19. MITTE ERGO IAM NUNC, ET CONGREGA IUMENTA. Miram in punitione clementiam! monet quos punire vult, ut plaga ſit minor. Grandine pluere cum velit, ex agro animantes reduci monet.

V. 24. ET GRANDO ET IGNIS MIXTA PARITER FEREBANTUR. Sep. & Chald. *Et ignis ardens*, ſeu *inflamans in medio grandinis*: ſic enim interpretantur vocem eam מתלקחת *mithlakebeth*, quod Hieronymus *ferebantur* dixit; Pagnin. *comprehendens ſe*.

V. 28. ORATE DOMINUM UT DESINANT. ורב *verab*, ideſt *& multum*, quod poteſt coniungi cum verbo *orate*, *& multum*, non perfunctorie, ſic Pagninus iungit; vel cum ſequenti verbo *adeſſe*, ut iungit quidam Hebræus, hac ſententia, *& multum adeſſe*, ut ſit amplius grando; quaſi dicat: Satis iam pluit, ceſſet rogate.

V. 30. NECDUM TIMEATIS DOMINUM. טרם *terem* multa ſignificat, *prius*, *antequam*, *nondum*. Quidam Hebræus ſumens vocem pro *prius*, ſic locum explicat: *Cognovi quod prius timetis Dominum*, nempe priuſquam ego orem; quaſi dicat, Sed peracta oratione reditis ad ingenium.

V. 31. QUOD HORDEUM ESSET VIRENS. אביב *abib* ſignificat *ſpicam*, ſeu *culmum*, aut utrumque: quando enim hordeum non eſt viride ante meſſem? ET LINUM IAM FOLLICULOS GERMINARET: & linum haberet calamum. Sept. *Hordeum ſtans*, *linum ſeminificans*. Ideo a grandine ſunt læſa.

V. 32. TRITICUM AUTEM ET FAR. Pro *farre* alii intelligunt *ſpeltam*, כסמת *chuſemeth*. QUIA SEROTINA ERANT: ſic Sept. & Chald. Alii vocem Heb. אפילות *aphiloth*, quoniam ab אופל *ophel*, id eſt *caligine*, deduci videtur, ſic reddunt: *quia obſcura*, ſeu *cooperta erant*, nempe ſub terra. Sed video Pagninum etiam cum Vulgata conſentire, & recte.

MALVENDAE.

Verſ. 3. MANUS MEA: appoſitive, PESTIS GRAVIS VALDE, in fine huius verſus. Aliqui: Vis maxima & efficacitas iudiciorum Dei, ſine miniſterio humano, ut melius cognoſcas tanti mali auctorem; id eſt, peſtis, ut ſe in fine verſus explicat.

V. 6. MORTUAQUE SUNT OMNIA ANIMANTIA AEGYPTIORUM. Intel-

Digitized by Google

telligе *omnia*, non de ſingulis generum, ſed de generibus ſingulorum. Heb. *Et mortuum eſt omne pecus*, ſeu *peculium AEgyptiorum*. Notant, omne, ſed non totum: nam pars in aliud iudicium fuit reſervata, verſ. 19. 20. 21. 25. Forſan hoc verſu loquitur de pecoribus proprie; in alio vero iudicio infra de iumentis.

V. 7. ET MISIT PHARAO, nempe exploratores, aut nuntios in terram Geſſen, ubi degebant Iſraelitæ, qui viſerent eorum pecora, num etiam mortua eſſent: qui retulerunt omnia ſalva, & incolumia.

V. 9. ULCERA, ET VESICAE TURGENTES. De duabus vocibus שחין *ſchechin*, *ulcus*, & אבעבעת *abaghbuoth*, *bullæ*, diximus affatim in Antichriſto Lib. X. cap. XVIII. ubi totam hanc plagam accurate expoſuimus, atque putavimus, *abaghbuot*, voce haud abludente, eſſe quas Hiſpani vocant *bubas*, nempe morbum Gallicum, ſeu verius Indicum, aut Americum, ſive Colonium, quod ex Novo orbe Colonio advenerit in Europam. Plinius Lib. XIV. cap. VIII. *Boa appellatur morbus papularum*. Hebr. *Et erit ſuper hominem, & ſuper iumentum in inflammationem germinantem ebullitiones*, ſeu *puſtulas*. Iſtud *germinantem*, ſeu *erumpentem*, notant indicare inflammationem nondum maturam, quo tempore dum fit humorum corruptio, dolorem effert graviſſimum; ideoque non unam in unoquoque, ſed multas fuiſſe. *Schechin ulcus* vertit Noſter Deuter. XXVIII. 35. & Iob II. 7.

V. 10. CINEREM DE CAMINO. Hebr. *Inflationem*, *ſufflationem fornacis*, id eſt favillam, quæ ſufflantibus follibus flatu excitatur, & elevatur in aera, & e fornace efflatur. *Cinerem* Noſter & alii reddunt. פיח *piach* hic tantum, & verſ. 8. reperitur.

V. 14. OMNES PLAGAS MEAS: reliquas quas tibi inferre decrevi, quibus ad dimittendos Iſraelitas cogendus es. SUPER COR TUUM. I. Id eſt, ut iis magis obduretur cor tuum. II. Aliæ plagæ petierunt pecora, iumenta, AEgyptios; nunc directe petam cor tuum, te ipſum, vitam tuam. III. Ita graviter & alte ut tuum ipſius cor tranſverberent, non leviter pungant, velut extremam cutem.

V. 15. NUNC ENIM EXTENDENS MANUM PERCUTIAM TE &c. In noſtra Translatione hunc verſum verbatim expreſſimus ex Hebræo: & videtur Moſes præteritis uſus ad indicandam certitudinem divini iudicii, ac ſupplicii, ſi Deo viſum eſſet; ac ſi dicat: Si voluiſſem, momento te; & tuos peſte ſubſtuliſſem; verumtamen ſervavi interim te, ut &c. Verſumque hunc cum præcedenti, ac ſubſequenti ita nectimus: Decrevi in te omnes reliquas plagas meas effundere, ut convincaris meæ omnipotentiæ: neque mihi neceſſe erat tot clades multiplicare, cum unica peſte te, tuoſque potuerim, ſi voluiſſem, velut uno ictu delere; ſed reſervavi te tot cladibus, ut magis magiſque potentia mea tot mirabilibus editis per orbem celebretur. Unde nonnulli hunc verſum varie ex Hebræo reddunt ad ſenſum. I. *Quoniam nunc miſeram, extenderam, manum meam, ut percuterem te*; vel *ſi nunc extendiſſem manum meam, & percuſiſſem te, & populum tuum peſte illa*, verſ. 3. *deletus eſſes de terra*; *verumtamen reſervavi te, &c.* II. *Modo enim* cum *extendi manum meam, percuſſiſſem te, & populum tuum peſte* illa: *ſic fuiſſes exciſus de terra*. *Verumtamen propterea feci ut reſtares, &c.*

V. 16. IDCIRCO AUTEM POSUI TE. Quidam exponunt: Stare feci te in throno regni, conſtitui te, poſui te regem. Sed melius: Feci ut reſtares, ſervavi te hactenus, nec peſte delevi. Hunc verſum Paulus Romanor. IX. verſ. 17. in hunc modum reddidit: *Quia in hoc ipſum excitavi te*, id eſt feci ut exiſteres, *ut oſtendam in te virtutem meam. & ut annuntietur nomen meum in univerſa terra*.

V. 17. ADHUC RETINES POPULUM MEUM? Participium מסתולל *miſtolel* ex Hithpahel varie reddunt. I. *Adhuc tu elevas te, exaltas te, evehis te, extollis te in, contra populum meum?* II. *Adhuc tu calcas, ſubiicis, populum meum?* III. *Adhuc tu teris*, ſeu *conteris populum meum*; aut *conculcare facis populum meum*? IV. *Adhuc tu aggerem, munitionem opponis te ipſum contra populum meum?* V. *Adhuc tu viam ſternis populo meo?* VI. ex vicinia verbi סלה *ſalah*, *Adhuc tu proſternens, proculcans, peſſumdans, complanans in populo meo?* VII. propius ad vocem Hebraicam, *Adhuc tu ſternens, muniens te ipſum in populo meo?* ſumta metaphora ab ſternendo viam, quod fit aggeſta terra, vel lapidibus, aut pavimento aggerato; quaſi dicat: Excitas

te

Google

te ipſum, munis quaſi fortiſſimum aggerem, ut te obiicias, & opponas populo meo, nec ſinas eum abire?

V. 19. Et congrega. Varie reddunt. I. *Congrega*, *collige*, *recipe*, nempe in locum tutum. II. *Confugere fac*. III. *Firma*, *confirma*, *corrobora*; id eſt, condenſa, coge. IV. *Obfirma*, *muni*. Quidam recte reddi Hiſpanice putant, *Retira*.

V. 24. Et ignis mixta pariter. Varie convertunt. I. *Et ignis comprehendens ſe*, *comprehenſus in medio grandinis*. II. *Et ignis ſumtus erat in medio grandinis*. III. *Et ignis apprehenſus inter grandinem*. IV. *Et ignis receptus in medio grandinis*. V. *Et ignis interceptus*, *immixtus*, *in medio grandinis*. VI. *Et ignis intercipiens ſe*, *involvens ſe*. VII. *Et ignis permixtus ſeſe accendebat in medio grandinis*. Hiſpanice eleganter, *El fuego ſe tomava en medio del granizo*; cum alioqui ignis aridis excipiatur & nutriatur. Vide Sapient. xvi. verſ. 19. Atque id tanto mirabilius, quod neget Plinius Lib. II. cap. L. in AEgypto fulmina generari. Admixtam quoque huic plagæ nivem, dicitur Sapient. xvi. verſ. 22.

V. 27. Miſitque Pharao, et vocavit Moſen, &c. Quidam e verſ. 7. & ex accentuum Hebraicorum diſtinguentium ratione, exponunt: Miſit Pharao in terram Geſſen, qui obſervarent num in terra illa fuiſſet grando; & cum retuliſſent nuntii nihil ibi Iſraelitarum a grandine læſum, accerſivit Moſen Pharao &c.

V. 28. Orate Dominum, ut deſinant tonitrua Dei. Hebr. diverſimode reddunt. I. *Orate Dominum*: *& multum fuerunt tonitrua Dei*; id eſt, diu durarunt; aut multa nimis fuerunt tonitrua, &c. II. iungunt cum antecedentibus: *Orate Dominum*, *& multum*, *ut non ſint tonitrua*; id eſt, ardenter, enixe, multum rogate Dominum, ut ceſſent tonitrua. III. *Orate ad Dominum*, *& ſufficiet ne ſint tonitrua Dei*; vel *& ſufficiet quod non ſint tonitrua Dei*. IV. *Placate Iehovah*, *& ſufficiet deeſſe voces Elohim*; id eſt, placato Deo ſatis erit ut non ſint amplius tonitrua; vel ſat erit ut ego plane intelligam hæc a Deo immitti tonitrua. & grandinem, nimirum effectus eſſe Dei vindicantis, & punientis meam duritiem. V. *Orate Iehovah*, *& ſufficiet* illi, ita *ut non ſint* poſthac *tonitrua Dei*. VI. *Supplices orate Iehovah* (nam ſatis eſt) *ne pergant eſſe ſoni Dei*, *& grando*. *Voces Dei*, ſeu *ſonos*, aut *tonitrua Dei* vocat vel immiſſa ſingulariter a Deo, & miraculoſe; vel magna, ingentia, horriſona. Vide Geneſ. I. verſ. 2.

V. 30. Novi autem quod et tu et servi tui necdum timeatis Dominum Deum. Hebr. varie reddunt. I. *Novi quia antequam oravero*, vel *orem*, *timeatis a facie Iehovah*; ac ſi dicat: Nunc antequam orem, timetis iram Dei; at poſtquam oravero, & impetravero ut ceſſent tonitrua, & grando, rurſus redibitis ad obſtinationem. II. *Scio quod nondum timeatis a faciebus*, vel *ob præſentiam Iehovah*. Hunc ſenſum nonnulli Hebræorum improbant; ſed eſt Noſtri, ac germaniſſimus. III. *Novi quod adhuc non timebitis a faciebus Iehovah*. IV. *Scio quoniam antequam timeatis a facie Domini Dei*, ſcilicet fient multa ſigna. Videtur Hebraice oratio conciſa.

V. 32. Virens. אביב *abib* aiunt ſignificare *primam fecunditatem*, *procreſcentiam*, *germinationem*, ſeu *proventum anni*. Hebræi volunt ſignificare *ſpicam cum culmo*, id eſt calamo, a radice uſque ad ſpicam; alii *ſpicam cum novis frugibus*; nonnulli *ſpicam matureſcentem*. Quidam volunt *abib* eſſe *puberem*, *maturum*, *tempeſtivum*, *tendentem ad maturitatem*; item ſubſtantive, *pubem*, *pubertatem*; & uſurpari tantum de terræ naſcentibus, quæ verno tempore progerminant: unde II. Georgicorum:

Hinc omnis largo pubeſcit vinea fetu:

& XII. AEneidos:

Puberibus caulem foliis ...

κατ' ἐξοχὴν ſumi pro ſpica virente & matureſcente. Unde locum varie reddunt; ſed in eumdem fere ſenſum. I. *Quia hordeum virens*, *viride*. II. *Quia hordeum in ſpica*. III. *Quia hordeum primitivum*, *primum*, *præcox*. IV. *Quia hordeum fructificatio*. V. *Quia hordeum* (erat) *pubeſcens*. VI. *Quia hordeum ſpica matureſcens*. VII. *Quia hordeum*, *culmus*, ſeu ſpica mutica; vel *quia hordeo ſpica* erat *mutica*. Varro Lib. I. de Re ruſtica, cap. XLVIII. *Spica mutica dicitur quæ non habet ariſtam: eæ enim quaſi cornua ſunt ſpicarum, quæ primitus cum oriuntur, neque plane apparent.* Semel tantum vox אביב *abib* in Scriptura extat. Noſter hic *virens* dixit, Levitici II.

14. *ſpicas virentes*, Exod. XIII. 4. Deuter. XVI. 1. Ezechiel. III. 15. *novas fruges*, Exodi XXIII. 15. cap. XXXIV. 18. *novos*, nimirum fructus. ET LINUM IAM FOLLICULOS GERMINARET. Quidam hunc verſum ex Hebr. reddunt: *Quia hordeum habebat ſpicam, & linum calamum*: ex verbo, *Quia hordeum procreſcentia, & linum calamus*: ſeu *culmus*, aut *folliculus*. Linum feſtinat in AEgypto, ut auctor eſt Plinius Lib. XIX. cap. 1. ubi multa de copia, & tenuitate lini AEgyptiaci, ac de generibus, quod frequens erat in mercibus.

V. 32. ET FAR. כסמת *cuſemeth* ter tantum legitur, & Noſter Iſaiæ XXVIII. 25. Ezechiel. IV. 9. *viciam* exponit. Alii *zeam*, *ſpeltam*, vel *ſiliginem*; de qua Plinius Lib. XVIII. cap. VIII. & X. QUIA SEROTINA ERANT. Hebr. *Quia caligines*, *obſcuritates*, *tenebræ*, *tenebroſitates*, *ipſa*; id eſt, caliginoſa, tenebroſa, obſcura, abſcondita, latentia. Quidam intelligunt ſemina adhuc latentia ſub terra, quæ nondum prodierant. Sed alii putant non eſſe veriſimile, nec tempus anni vernum patiebatur, cum hordeum iam eſſet in ſpica, ut triticum, & ſpelta in ſemine adhuc ſub terra laterent; præſertim in AEgypto, ubi ob calorem fruges ſolent eſſe præcoces: niſi intelligamus hordeum tum fuiſſe in procreſcentia tantum ut in calamum inciperet aſſurgere; & tunc non eſt mirum triticum in grano adhuc latuiſſe ſub terra. Nonnulli vero volunt *caliginoſa* hic eſſe *ſerotina*; id eſt, quod tum triticum, & ſpelta latebant adhuc in herba humiliore, & terræ affixa, necdum aſcenderant in calamos, aut protruſerant ſpicas muticas, ac proinde minus potuiſſe lædi. Unde cum Græcis hic plerique *ſerotina*, *tardantia*, *tardiva* reddunt.

V. 35. PER MANUM MOYSI. Heb. *In manu Moyſis*, id eſt per Moſen tamquam inſtrumentum & organum: fuerunt enim prophetæ ceu manus Dei, per quos diſpenſavit myſteria, & miracula ſua: nam manus ſunt inſtrumenta & organa quibus homines ſua exercent opera. Sic accipienda deinceps hæc locutio.

MENOCHII.

Verſ. 2. MANUS MEA, flagellum, peſtis nimirum, ut ſtatim ſubditur: SUPER AGROS TUOS, ET SUPER EQUOS. Particula *&* eſt exegetica, & ſententia eſt: Super equos, &c. qui ſunt in agris tuis. Hæc ergo peſtis non homines corripuit, ſed animalia; non quidem omnia, ſed ea tantum quæ erant in agris. OVES, ET BOVES. Non edebant carnes ovium, & boum, ſed veſcebantur lacte, caſeo, &c. & bobus utebantur ad arandum.

V. 4. INTER POSSESSIONES: inter pecora quæ poſſident Hebræi, & AEgyptii.

V. 7. ET MISIT PHARAO AD VIDENDUM. In ſuperioribus plagis non miſit ad explorandum an Hebræi a malis eſſent immunes; vel quia viæ ob ranas, ciniphes, &c. erant inperviæ; vel quia non ſubiit illum hæc cura. INGRAVATUM EST COR PHARAONIS: non petit ut plaga ceſſet, quia iam animalia peſte erant extincta.

Verſ. 8. AD MOYSEN ET AARON. Vide ſupra cap. VII. num. 8. CINERIS DE CAMINO: vox Hebraica proprie ſignificat albam illam favillam, quæ necdum plane verſa eſt in cinerem. Appoſite favilla hac ardentes puſtulæ demonſtrantur: hæ enim inſtar cineris fiunt ex calore. Apteque factum eſt ut AEgyptii qui Hebræos fornace lateritia torſerant, acerbiſſime eadem torquerentur: qua de cauſa de AEgyptia ſervitute loquens Moſes Deut. IV. 20. ait: *Eduxit vos de fornace ferrea AEgypti*. SPARGAT ILLUM MOYSES. Aaron mutarat aquas in ſanguinem, ranas, & ciniphes evocarat: iam Moyſi maiora ſigna reſervantur, ſpargit cinerem in cælum, quia cælitus immittebatur plaga.

V. 9. SIT PULVIS SUPER OMNEM TERRAM. Non plus pulveris, aut cineris Moſes ſparſit, quam manu comprehendiſſet; ſed illum Deus ſparſum in aere in morem denſæ nivis multiplicavit, & in AEgyptios detulit: inde iis hominibus, & iumentis, in quæ delatus eſt, ulcera, & puſtulæ exortæ ſunt. IN HOMINIBUS, ET IUMENTIS; non omnibus, ſed pluri-

rimis: nam reliqua ſequenti grandinis plaga percuſſa perierunt. ULCERA, ET VESICAE TURGENTES: ulcera ardore, & ſanie turgida, & tumentia. Hac ulcerum, & tumoris plaga vindicata AEgyptiorum ſuperbia, & faſtus.

V. 11. NEC POTERANT MALEFICI STARE: licet in tertio ſigno ciniphum victi, adhuc tamen calumniis, & ut poterant Moyſi obnitebantur.

V. 14. OMNES PLAGAS MEAS: non quas poſſum, ſed quas deſtinavi immittere ad te perdendum. SUPER COR TUUM: quæ cor tuum ſaucient.

V. 15. POPULUM TUUM PESTE: Peſtis hic ſignificat omne excidii genus, quod deinceps in Pharaonem immiſit Deus; quaſi dicat: Plagas plagis addam, donec excidaris a terra. LXX. habent *Interficiam*. Sic dicimus ſceleſtum aliquem eſſe peſtem civitatis, aut iuventutis.

V. 16. UT OSTENDAM IN TE FORTITUDINEM MEAM. Te regem conſtitui, ſuſtinui, conſervavi, permiſique ut in populum meum tyrannus inſurgeres, ut ego viciſſim in te inſurgerem, tandemque te mergerem in Mari rubro; ut ſic omnes meam iuſtitiam, ac potentiam agnoſcant, ac vereantur.

V. 17. ADHUC RETINES. Heb. *Adhuc calcas*.

V. 18. A DIE QUA FUNDATA EST; qua habitari cœpit, ex quo gens condita, hoc eſt a 627. annis.

V. 19. CONGREGA IUMENTA TUA. Iram clementia diluit, eaque pœnam temperat, & mitigat, ut notat D. Auguſtin. quæſt. XXXII.

V. 23. DOMINUS DEDIT TONITRUA, per Angelum ſcilicet.

V. 24. GRANDO ET IGNIS MIXTA PARITER. Hebr. eſt, *Erat ignis recipiens ſe*, vel *receptus in grandine*. LXX. *Erat autem grando, & ignis ardens in grandine*. Rem explicat Liber Sapientiæ cap. XVI. XVII. XIX. & XXII. *Mirabile erat quod in aqua, quæ omnia extinguit, plus ignis valebat, & ſupra virtutem ignis exardeſcebat: nix autem, & glacies ſuſtinebant vim ignis, & non tabeſcebant*. QUANTA NUMQUAM APPARUIT IN TERRA AEGYPTI. Ex quo apparet falſum eſſe quod quidam aiunt, numquam pluviam, aut grandinem viſam eſſe in AEgypto.

V. 26. UBI ERANT FILII ISRAEL. Ea tantum pars terræ Geſſen a grandine immunis fuit, quæ ad Hebræos pertinebat: nam AEgyptii in ea habitantes plagam communem cum ceteris non evaſerunt.

V. 30. NECDUM TIMEATIS DOMINUM, timore pietatis ex reverentia, & religione in Deum: ita S. Auguſt. qu. XXXV. vel etiam timore ſervili, qui vobis perſuadeat ut populum dimittatis.

V. 32. QUIA SEROTINA ERANT. In AEgypto, & Iudæa menſe niſan, qui martio, vel aprili noſtro reſpondet, inchoatur meſſis: quare menſis iſte dicitur menſis novarum frugum infra cap. XIII. num. 4. grando autem contigit menſe februario. Vide Bonfrerium in hunc locum. PER MANUM MOSIS, per Moſen: eſt Hebraiſmus.

TIRINI.

Verſ. 24. GRANDO ET IGNIS MIXTA PARITER. Ita Hebræus, Chaldæus & LXX. & Sapientiæ XVI. verſ. 17. pro re mirabili commemoratur, quod ignis de cælo fulminatus invaleſceret magis in aqua, & quod grando igne non liqueſceret. Nempe mole & craſſitie ſua reſiſtebat igni: erant enim quaſi fruſta glaciei, quibus & homines, & iumenta, quæ variis locis peſte abſumpta non fuerant, quin & arbores & ædes hinc inde proſternebantur: ut & ſub Ioſue in Chanaanitide, & anno Chriſti 824. in Gallia, & alias in Germaniæ variis locis horrendæ magnitudinis grandinem etiam noſtro ſæculo incredibilia damna intuliſſe, commemorant Bonfinius, Gaguinus, Olaus Magnus, Krantzius, & Surius *a*.

Nota, tanto admirabiliora hæc viſa AEgyptiis, quanto minus hæc illis videre conſueta: nam, teſte Philone, Ioſepho, Plinio, & Claudiano, nullæ ſolent aut pluviæ, aut grandines in AEgypto decidere, neque fulmina, aut fulgura, aut tonitrua ſentiri. Quod cum Seneca, & Andrea Theveto intelligo de interioribus & altioribus partibus *b*: nam in maritimis AEgypti regionibus, & qua AEthiopiam reſpicit, certum eſt nonnumquam pluere & grandinare; ſed parvis & raris pluviis, & grandine rariore. Omnis vero terræ ri-

gatio fit a Nilo exundante, qui aquis ſuis terram humectat, & limo advecto ſtercorat. Incipit autem hæc inundatio a ſolſtitio æſtivo, & deſinit cum æquinoctio autumnali: quia tum temporis in vicinis locis AEgypto altioribus hiems eſt, & aquæ partim e pluviis hiemalibus, partim ex liquatis nivibus auctæ in Nilum illabuntur, eumque exundare faciunt. Ita Ariſtoteles, Scaliger, & Conimbricenſes, & experientia docet *c*.

(*a*) Bonfinius Dec. I. Lib. X. & Dec. IV. Lib. II. Gaguin. Lib. IX. Olaus Lib. I. cap. XXII. Krantzius Lib. IX. cap. III. Surius anno Christi 1507.

(*b*) Seneca Præfat. in Lib. IV. Naturalium Quæſt. Thevetus in Coſmographia.

(*c*) Ariſt. in Meteorolog. Scaliger exercit. XLVII. Conimbric. tract. IX. in Meteora cap. X.

GORDONI.

Verſ. 4. FACIET MIRABILE. Hebr. יהפלה *hiphleh*, פלה, mirabilis fuit.

V. 6. MORTUAQUE. Qua ratione mortua omnia animalia: nam leguntur occiſa etiam aliqua in plaga grandinis ſeptima, & in poſtrema? Verum hoc loco Moſes videtur loqui de animalibus magnis ex verſ. 3. Porro eſt modus loquendi ſatis uſitatus, ut pro magno numero dicamus omnia, hoc eſt fere omnia.

V. 9. SPARSO PULVERE. Quæſtio apud Theologos frequens eſt, quomodo vel cinis iſte ad ulcera gignenda concurrerit, vel res aliæ ad ſimiles effectus ſupernaturales. Verum controverſia eſt de potentia obedientiali, de qua alibi dixi ex profeſſo. Hic utraque opinio explicat contextum abunde. Certe atrox hæc plaga eſt.

V. 14. HAC VICE. Hoc tempore, antequam te dimittam, & donec pereas. At quomodo ſuper cor Pharaonis? nempe ex afflictione cordis, dum videret populum ſuum affligi: quamvis hæc plaga forte non adeo attigerit ipſum Pharaonem, ſaltem tam graviter, ut alios.

V. 15. PESTE. Poſt peſtem non intelligitur nova plaga, nec peſtis ordinaria; ſed quævis plaga gravis, quæ eſt ad interitum. Hinc Septuag. *Interjiciam* θανατώσω.

V. 16. IDCIRCO POSUI TE. Deus ſane antecedenter, ut loquuntur Theologi, non decernit reprobationem, peccata, aut obdurationem: (an ſtatuerit permittere, idque omnibus, ante omnia hominis peccata, aliud eſt) immo nihil facit eo fine, ut ſequatur peccatum, aut induratio; bene tamen ſuppoſitis præcedentibus demeritis, fiunt non tantum permiſſiones, ſed aliqua etiam a Deo bono fine, unde peccator male eligit indurari: ut hic in Pharaone, ubi Deus per has plagas intendit incitare Pharaonem ad dimittendum populum, inde tamen ille induratur; & Deus voluntate conſequente vult, ut caſtigatus pereat Pharao, & eluceat iuſtitia, potentia, & gloria Dei.

V. 18. A DIE QUO FUNDATA EST AEGYPTUS; hoc eſt, vel numquam antea, vel certe numquam a diluvio; ex quo, quot fluxerunt anni, dixi ſuo loco.

V. 25. ET PERCUSSIT GRANDO &c. Non eſt verum, numquam contingere pluvias in AEgypto. En nunc etiam fulgura, & grando. Intellige autem hic omnia eſſe deſtructa, ex modo loquendi ſupra verſ. 6. Nam cap. X. locuſta comedit quæ erant reſidua.

V. 31. HORDEUM. Heb. אביב *abib* etiam ſpicam ſignificat.

V. 32. SEROTINA; hoc eſt, quæ non eruperant e terra. Ratio hæc eſt, cur grando his non nocuerit.

Ex Eiusdem Auctario.

V. 3. SUPER AGROS. Hæc peſtis invaſit vel tantum magna animalia, vel ea quæ erant in agro. Oves & boves habebant AEgyptii, non ad eſum, ſed ex his lacte, & caſeo veſcebantur.

V. 4. POSSESSIONEM: poſſeſſa pecora ab AEgyptiis, & Iſraelitis.

V. 7. AD VIDENDUM, an plaga ſattigiſſet Hebræos.

V. 9. Pulverem ſparſum a Moſe Deus multiplicavit in terra ad modum nivis denſæ.

V. 19. Quod iubeat, & permittat ſic congregari hæc omnia, eſt conceſſa benevolentia minuens plagam.

V. 26. Pars ubi erant Iſraelitæ remanſit immunis.

CA-

Digitized by Google

CAPUT X.

Octavum ſignum eſt locuſtarum ; quibus ablatis, obduratus Pharao ne ſic quidem iuxta conditum dimittit populum: quapropter nonum additur, nempe tenebrarum denſiſſimarum ; propter quas permittit Pharao ut exeant, ſed protinus idem denegat, Moyſique minatur.

1 ET dixit Dominus ad Moyſen: Ingredere ad Pharaonem : ego
enim induravi cor eius , & ſervorum illius : ut faciam ſigna
mea hæc in eo, 2. & narres in auribus filii tui, & nepotum
tuorum , quoties contriverim AEgyptios, & ſigna mea fecerim
in eis: & ſciatis quia ego Dominus. 3. Introierunt ergo Moy-
ſes & Aaron ad Pharaonem , & dixerunt ei: Hæc dicit Domi-
nus Deus Hebræorum: Uſquequo non vis ſubiici mihi? dimitte populum meum ,*
ut ſacrificet mihi. 4. (*a*) Sin autem reſiſtis , & non vis dimittere eum : ecce e-
go inducam cras locuſtam in fines tuos: 5. quæ operiat ſuperficiem terræ , ne
quidquam eius appareat , ſed comedatur quod reſiduum fuerit grandini ; corro-
det enim omnia ligna quæ germinant in agris. 6. Et implebunt domos tuas , &
ſervorum tuorum, & omnium AEgyptiorum: quantam non viderunt patres tui ,
& avi, ex quo orti ſunt ſuper terram, uſque in præſentem diem. Avertitque ſe,
& egreſſus eſt a Pharaone. 7. Dixerunt autem ſervi Pharaonis ad eum : Uſque-
quo patiemur hoc ſcandalum: dimitte homines, ut ſacrificent Domino Deo ſuo.
Nonne vides quod perierit AEgyptus? 8. Revocaveruntque Moyſen & Aaron ad
Pharaonem: qui dixit eis: Ite, ſacrificate Domino Deo veſtro: quinam ſunt qui
ituri ſunt? 9. Ait Moyſes: Cum parvulis noſtris & ſenioribus pergemus, cum fi-
liis & filiabus, cum ovibus & armentis : eſt enim ſolemnitas Domini Dei noſtri.
10. Et reſpondit Pharao: Sic Dominus ſit vobiſcum, quo modo ego dimittam
vos, & parvulos veſtros, cui dubium eſt quod peſſime cogitetis ? 11. Non fiet
ita , ſed ite tantum viri, & ſacrificate Domino: hoc enim & ipſi petiſtis. Sta-
timque eiecti ſunt de conſpectu Pharaonis. 12. Dixit autem Dominus ad Moy-
ſen: Extende manum tuam ſuper Terram AEgypti ad locuſtam , * ut aſcendat
ſuper eam, & devoret omnem herbam quæ reſidua fuerit grandini . 13 Et ex-
tendit Moyſes virgam ſuper Terram AEgypti: & Dominus induxit ventum uren-
tem tota die illa & nocte: & mane facto, ventus urens levavit locuſtas. 14. Quæ
aſcenderunt ſuper univerſam Terram AEgypti : & ſederunt in cunctis finibus
AEgyptiorum innumerabiles, quales ante illud tempus non fuerant , nec poſtea
futuræ ſunt. 15. Operueruntque univerſam ſuperficiem terræ , vaſtantes omnia .
Devorata eſt igitur herba terræ, & quidquid pomorum in arboribus fuit , quæ
grando dimiſerat: * nihilque omnino virens relictum eſt in lignis , & in herbis
terræ, in cuncta AEgypto. 16. Quam ob rem feſtinus Pharao vocavit Moyſen
& Aaron, & dixit eis: Peccavi in Dominum Deum veſtrum , & in vos . 17.
Sed nunc dimittite peccatum mihi etiam hac vice , & rogate Dominum Deum
veſtrum, ut auferat a me mortem iſtam. 18. * Egreſſuſque Moyſes de conſpectu
Pharaonis, oravit Dominum. 19. Qui flare fecit ventum ab occidente vehementiſſi-
mum,

Digitized by Google

mum, & arreptam locuſtam proiecit in Mare rubrum: non remanſit ne una quidem in cunctis finibus AEgypti. 20. Et induravit Dominus cor Pharaonis, nec dimiſit filios Iſrael. 21. Dixit autem Dominus ad Moyſen: Extende manum tuam in cælum: & ſint tenebræ ſuper Terram AEgypti, tam denſæ ut palpari queant. 22. Extenditque Moyſes manum in cælum: & factæ ſunt tenebræ horribiles in univerſa Terra AEgypti tribus diebus. 23. (*b*) Nemo vidit fratrem ſuum, nec movit ſe de loco in quo erat: (*c*) ubicumque autem habitabant filii Iſrael, lux erat. 24. Vocavitque Pharao Moyſen & Aaron, & dixit eis: Ite, ſacrificate Domino: oves tantum veſtræ & armenta remaneant, parvuli veſtri eant vobiſcum. 25. Ait Moyſes: Hoſtias quoque & holocauſta dabis nobis, quæ offeramus Domino Deo noſtro. 25. Cuncti greges pergent nobiſcum: non remanebit ex eis ungula, quæ neceſſaria ſunt in cultum Domini Dei noſtri: præſertim cum ignoremus quid debeat immolari, donec ad ipſum locum perveniamus. 27. Induravit autem Dominus cor Pharaonis, & noluit dimittere eos. 28. Dixitque Pharao ad Moyſen: Recede a me, & cave ne ultra videas faciem meam: quocumque die apparueris mihi, morieris. 29. Reſpondit Moyſes: Ita fiet ut locutus es, non videbo ultra faciem tuam.

(*a*) Sap. XVI. 19. (*b*) Sap. XVII. 2. (*c*) Sap. XVIII. 1.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 3. *Ut Sacrificet mihi*. Hoc loco non addas *in deſerto*.

V. 12. *Ut aſcendat ſuper eam*. Alii legunt antecedens *terram*, loco relativi *eam*.

V. 15. *Nihilque omnino virens relictum eſt*. Male quidam pro *que* legunt *quoque*: *nihil quoque omnino*.

V. 18. *Egreſſuſque Moyſes de conſpectu Pharaonis oravit Dominum*. Alii libri interſecant hanc ſententiam, additis verbo ſubſtantivo *eſt*, & coniunctione copulativa *&*.

COMMENTARIA

S A.

Verſ. 2. NARRES; pro, narret quiſque veſtrum.

V. 3. SUBIICI MIHI. Hebr. *Humiliari coram me*. SACRIFICET. Heb. Chald. & LXX. *Serviat*.

V. 4. LOCUSTAM, pro locuſtas.

V. 7. SCANDALUM, id eſt damnum, ſeu perniciem.

V. 9. DEI NOSTRI: id a LXX. additum. Hebr. *Nobis*.

V. 13. URENTEM. Hebr. & Chald. *Orientalem*. LXX. *Auſtrum*.

V. 14. INNUMERABILES. Hebr. *Valde graves*. LXX. *Valde multæ*.

V. 15. VASTANTES OMNIA. Hebr. & Chald. *Et obſcurata eſt terra*. LXX. *Corrupta eſt terra*.

V. 22. HORRIBILES. Hebr. *Caliginoſæ*. Chald. & LXX. *obſcuræ*; quaſi dicat, denſiſſimæ, ut ſolent quæ fiunt caligine.

V. 24. SACRIFICATE. Hebr. *Servite*.

V. 29. NON VIDEBO, ſcilicet niſi me accerſieris.

ESTII.

Verſ. 7. USQUEQUO PATIEMUR HOC SCANDALUM. Heb. *Uſquequo erit ille nobis in ſcandalum*? Pagninus, *laqueum*. Senſus eſt: Quare tamdiu patimur nobis ab iſto homine Moyſe tot mala inferri? cur non potius dimittimus eum cum populo ſuo, priuſquam tota AEgyptus pereat? Res enim noxia retenta, fit homini ſcandalum ſeu laqueus, id

id eſt implicamentum quoddam quo trahatur in periculum.

V. 16. PECCAVI IN DOMINUM DEUM VESTRUM, ET IN VOS. Quamvis hæc veniæ petitio, ac pœnitentia ex ſolo timore pœnæ fuerit profecta; id tamen quod petebat impetravit, ſcilicet pœnæ temporalis ablationem: quomodo etiam Achab per ſimilem pœnitentiam, atque humilitatem obtinuit a Deo, ut malum quod ſibi Dominus comminatus fuerat, a ſuis temporibus in tempora filii transferretur,

V. 21. EXTENDE MANUM TUAM IN CAELUM, ET SINT TENEBRAE TAM DENSAE UT PALPARI QUEANT. Cum tenebræ nullæ ſint tactu perceptibiles, ſed viſu diſcernamus inter lucem & tenebras; quæritur quomodo hic tenebræ dicantur tam denſæ, ut palpari queant? Sunt qui intelligant (Gloſſa quoque interlinealis) hoc dictum eſſe hyperbolice, ut per tenebras palpabiles intelligantur denſiſſimæ tenebræ, in quibus nihil omnino videri poſſit. Unde ſtatim additur: *Et factæ ſunt tenebræ horribiles* (vel, ut alii vertunt ex Hebræo, *tenebræ obſcuriſſimæ*) *in univerſa terra AEgypti*; ut obſcuriſſimas dicat, quas antea dixerat palpabiles. Alii dicunt per has tenebras ita condenſatum fuiſſe aerem humidis & craſſis vaporibus, ut etiam manibus palpari potuerint, & hac ratione tenebras ipſas dici palpabiles. Et huic intelligentiæ conſonare videtur quod mox additur: *Tribus diebus nemo vidit fratrem ſuum, nec movit ſe de loco in quo erat*, nimirum propter denſitatem tenebroſi aeris; quamquam alii illud referunt ad horrorem tenebrarum, propter quem non fuerint auſi ſe movere loco: de qua re videndum eſt cap. XVII. Sap. ubi pulcherrime horror & magnitudo deſcribitur harum tenebrarum. An forte ita poſſit intelligi quod dicitur, neminem ſe moviſſe de loco, ſicut inferius dicitur cap. XVI. de die Sabbathi: *Maneat unuſquiſque apud ſemetipſum; nullus egrediatur de loco ſuo die ſeptimo*; id eſt, ne longius abeat, non eat ad negotia. Ita hic nemo moverit ſe de loco ſuo, ut longius abiret negotia curaturus; non quin cibum illo triduo ſumſerit: nam & hæc tridui fames inſignis quoque fuiſſet plaga, quam utique Moyſes, ut videtur, non tacuiſſet.

V. 24. VOCAVITQUE PHARAO MOYSEN ET AARON. Quæritur quomodo in illis tenebris potuerit Pharao ad ſe vocare Moyſen & Aaron? Lyranus dicit, non durantibus tenebris, ſed poſt tertium diem reddita luce, Pharaonem graviora metuentem vocaſſe ad ſe Moyſem & Aaron. Quod probabile eſt, quia huic plagæ determinatum erat tempus tridui. Item quia Pharao non petit tolli tenebras. Ceſſaverunt ergo. Ita plerique alii dicentes iſtud factum poſt triduanas tenebras.

MARIANAE.

Verſ. 2. QUOTIES CONTRIVERIM, ſcilicet ego Deus, AEGYPTIOS. Vocem התעללתי *bithbalalthi* varie interpretantur. Sept. poſuerunt in ſignificatione illudendi, *Quæcumque illuſi AEgyptiis*. Chald. in ſignificatione mira faciendi: ſic quidam Hebr. הראתי בהם מעשי הנוראים והגדולים; hoc eſt, *manifeſtavi in illis opera tremenda & magna*. Pagn. ponit in ſignificatione faciendi: *Quæ feci in AEgypto*. Sed in tanta varietate ab Hieronymi interpretatione non diſcedam, quæ Hebræis etiam aliena non eſt.

V. 7. NONNE VIDES QUOD PERIERIT AEGYPTUS? Ex ſuperiori cap. verſ. 30. hunc locum ſic explicato: *An nondum vides quod periit AEgypus?* Hebræi aliter explicant, vocem טרם *terem* pro *prius* ſumentes, hac ſententia: *Num prius videbis perire AEgyptum?* Sed noſtra hæc explicatio ſimplicior eſt. Chald. *Adhuc neſcis quod perierit AEgyptus?*

V. 13. DOMINUS INDUXIT VENTUM URENTEM. Sept. *Ventum auſtrum*. Chald. *ventum orientalem*, quem ab effectu Hieronymus vocavit *ventum urentem*: quod vox קדים *kadim* non ſignificat alioqui, ſed *oriens*.

V. 15. VASTANTES OMNIA, ſcilicet locuſtæ. Hebr. *Et obſcurata eſt terra*, ſive quod eam locuſtæ cooperirent, ſive quod corrumperent eius decorem, herbas & fruges.

V. 17. ETIAM HAC VICE: tantum hac vice; verumtamen hac vice, ſcilicet rogate Deum, UT AUFERAT A ME MOR-

Digitized by Google

MORTEM ISTAM. Hebr. *Et auferet a me ſolummodo mortem hanc*.

V. 19. FLARE FECIT VENTUM AB OCCIDENTE. Hebraice, *Ventum maris*, ſic etiam Sept. reddiderunt. Sed quoniam mare noſtrum ab occidente eſt terræ Palaſtinæ, ventum occidentalem etiam in AEgypto vocavit ventum maris, & ſic ſæpe in Divinis vocatur.

V. 22. TENEBRAE HORRIBILES. Hebr. *Tenebræ caliginis*, idem videntur ſignificare חושך *hoſech*, & אפלה *aphelah*; ſed poſterior vox auget ſignificationem: idque Hieron. indicavit cum dixit, *tenebræ horribiles*. Sept. *Tenebræ & caligo*.

V. 25. HOLOCAUSTA DABIS NOBIS QUAE OFFERAMUS. Hebr. *Et faciemus Domino Deo noſtro*: ſic Sept. ſic Chald. Ceterum, faciendi vox ſæpe in ſententia offerendi & ſacrificandi ſumitur etiam inter Latinos:

Cum faciam vitulam pro frugibus, ipſe venito.

MALVENDAE.

Verſ. 2. CONTRIVERIM AEGYPTIOS. Verbum עלל *ghalal* in Hithpahel ſepties tantum ponitur in Bibliis. Noſter hic *conterere*, I. Samuel VI. 6. *percutere*, Numeror. XXII. 29. I. Samuel. XXXI. 4. Ieremiæ XXXVIII. 19. *illudere*, Iudicum XIX. 25. *illudere*, *& abuti* vertit. Obſervant in hac coniugatione ſemper conſtrui cum *Beth*, *in*, adverſativa, ac ſignificare, *pro libidine agere cum aliquo*, *ludificari*, *ludicre agere*, *ludicrare*, *moliri*, *operari*, *machinari pro libidine in aliquem*. Alii exponunt *male tractare*, *male habere*. Quidam aiunt eſſe *fecit ſe exercere abruptionem*, ſeu *racemationem* in alios; & hæc eſt, illuſit aliis racemando, vindemiando, & inferendo aliquid mali. Unde hunc locum diverſe exprimunt. I. *Quod illuſi in AEgypto*. II. *Quæcumque ludicre egi*, vel *pro libito molitus fui cum AEgypto*; quaſi dicat: Quæcumque hactenus in plagis, & mirabilibus cum AEgyptiis, vel in AEgyptios deſignavi, ludrica, & luſoria, ludus fuerunt: ſeria erunt, cum interfecero eorum primogenitos, & ipſos mari ſubmerſero. III. *Quæ feci in AEgypto.* IV. *Quæ præclare geſſi*, vel *geſſero*, *in AEgyptios*. Ita Tremellius, & Iunius; ſed male, cum id verbum in hac formula ſemper in malum ſumatur. V. *Quod vindemiaverim AEgyptios*, vel *racemationem exercuerim in eos*, nempe in frugibus, & terræ naſcentibus, & animalibus. VI. *Quid operatus*, *conatus*, *molitus*, *machinatus fuerim in AEgyptios*. VII. nec aliene reddes, *Quod abuſus fui AEgyptiis*: eos tractavi pro libito, eiſque abunde illuſi.

V. 7. PATIEMUR HOC SCANDALUM. Hebr. *Quouſque erit iſte nobis in laqueum*? id eſt, tot cauſa malorum, quibus nos capit tamquam aves laqueo. NONNE VIDES QUOD PERIERIT AEGYPTUS? Hebræa varie reddunt. I. *Num ante ſcies quod periit AEgyptus*? quaſi dicat: Expectas videre prius perditionem AEgypti, antequam dimittas Iſraelitas? Quam certiſſime experieris, niſi dimiſeritis eos quam citius. II. *Num adhuc ignoras quod periit AEgyptus*? III. *Numquid ante quam cognoſces quoniam periit AEgyptus?* exponuntque: Numquid antequam cognoſcas quod periit AEgyptus, ſubaudi, peribit ipſa AEgyptus? ac ſi dicant: Prius peribit AEgyptus, quam tu ſentias, aut advertas eius perditionem. IV. *Nondum advertis, & AEgyptus iam periit*. V. *An nondum cognoſcis periiſſe AEgyptum*?

V. 8. REVOCAVERUNTQUE MOYSEN, ET AARON. Verbum שוב *ſchub* in Hophal conſtructum cum את *eth*, nota accuſativi, indicat revocatos eos inſtantiſſime, & enixiſſime, quaſi AEgyptii multum niterentur in revocandis illis, & ipſi difficiles, & quaſi reluctantes ad redeundum ſe præberent. Quidam reddunt; *Retracti ſunt Moſes, & Aaron*.

V. 10. SIC DOMINUS SIT VOBISCUM QUOMODO EGO DIMITTAM VOS, ET PARVULOS VESTROS. Heb. *Sic ſit* IHUH *vobiſcum ſecundum quod*, *quemadmodum*, *ego dimittam vos*, *& parvulos veſtros*; id eſt, ita vos Deus adiuvet, ita ſit vobis propitius, ut ego dimittam vos cum parvulis veſtris. Formula iuramenti imprecatorii, quam ſcite Hiſpanice repræſentamus: *Aſſi Dios os ayude, como yo os dexeir*; quaſi dicat: Non dimittam vos cum parvulis. Sed dum illis male ſe precari putat, imprudens bene precatur: nam Deus & eduxit illos, & adiuvit. Quidam affirmative exponunt: *Sic ſit Dominus vobiſcum*; id eſt, iam facile Deum propitium ha-

habeatis, quam facile ego vos cum parvulis dimittam. Alii: *Ita ſit Dominus vobiſcum cum dimittam vos, & pubem veſtram*. CUI DUBIUM EST QUOD PESSIME COGITETIS? Hebraica diverſe reddunt. I. *Videte quod malum eſt contra facies veſtras*; id eſt, dirigitis facies veſtras in malum. Hiſpanice, *Os encarays a mal*, cogitatis, machinamini malum. Aliter: Videte quod malum quod vos putatis facere, in faciem veſtram revertetur, Hiſpanice, *Os ſaldra a la cara*; id eſt, in vos recidet. II. *Videte quod malum coram, prope, facies veſtras eſt*; hoc eſt, eſt vobis propoſitum, ac deſtinatum, ex vultu veſtro quivis deprehendere poteſt, vos aliquid mali machinari. Hebræi notant, regem primum conceſiſſe abitum, cum dixit: Ita ſit, abite cum Domino vos, & parvuli veſtri: ſed cum eſſet intuitus Moſen. & Aaron, ſuſpicatum fuiſſe dolum ſubeſſe, ideo adieciſſe: *Videte, malum ex facie veſtra dignoſcitur*: idcirco non fiet quod vultis. III. *Videte an non malum molitamini*. IV. Sed *videte*, conſiderate, *quod hoc malum* eſt *ante facies veſtras*; id eſt, conſiderate malum, quod eſt ante oculos veſtros, advertite hoc eſſe vobis malum; per quod malum intelligit incommoda, & pericula itineris, quæ parvulis poſſent accidere; ac ſi dicat: Per me facile vobis licebit cum parvulis abire; ſed advertite malum hoc vobis eſſe, ſi parvulos vobiſcum ducatis, qui facile incommodis longæ viæ lædi poterunt. V. *Videte* verſari *malum ante faciem veſtram*; quaſi interminetur illis malum, & præſens eſſe denuntiet, niſi porro ſibi moleſtiam afferre deſinant.

V. 11. STATIMQUE EIECTI SUNT DE CONSPECTU PHARAONIS. Heb. *Et eiecit eos a facie Pharaonis*: vel eſt antecedens pro relativo, a facie ſua, ut Gen. IX. 6. & alibi ſæpe: vel aliquis apparitor eiecit eos: aut verbum activum pro paſſivo more Hebraico poſitum, *Eiecti ſunt*, ut Noſter accepit.

V. 13. VENTUM URENTEM, &c. Agatharchides Lib. V. de Mari rubro, cap. XXVII. agens de Acridophagis AEthiopibus ſub AEgypto: *Appetente æquinoctio verno, inenarrabile locuſtarum prægrandium agmen ex terris nondum perveſtigatis una cum ventis advolat*. De eiſdem Diodorus Lib. III. num. 113. *Veris enim illic tempore favonii, & africi infinitum locuſtarum e deſerto numerum inuſitata magnitudine expellunt*. Strabo Lib. XVI. *Vivunt ex locuſtis, quas verni africi, & favonii vehementius flantes in ea loca compellunt*. Circa vernum tempus, & ab eodem vento fuit hæc locuſtarum plaga.

V. 14. INNUMERABILES. Hebr. *Gravis valde*. Sic Geneſ. L. verſ. 9. id eſt numeroſa, & copioſa; ſed & gravis damno quod infert, nam omnia vaſtat. Plinius Lib. XI. cap. XXIX. *Deorum iræ peſtis ea intelligitur*. Pleni ſunt Annales eiuſmodi locuſtarum inundationibus: AEthiopiam ſub AEgypto præcipue hac peſte infeſtari diſces ex Franciſco Alvareſio AEthiopicæ Hiſtoriæ, cap. XXXII. & XXXIII. QUALES ANTE ILLUD TEMPUS NON FUERANT, &c. nempe & magnitudine, & multitudine, & pernicie. Plinius: *In India longitudine ternum pedum eſſe traduntur, cruribus, & feminibus ſerrarum uſum præbere, cum inaruerint*.

V. 15. OPERUERUNTQUE. Plinius: *Solicite ſuſpectantibus populis ne ſuas operiant terras*. UNIVERSAM SUPERFICIEM TERRAE. Hebr. *Oculum omnis terræ*. Quidam radium ſolarem, ſeu ſolem intelligunt, quod is ſit oculus univerſæ terræ: & tunc præ multitudine locuſtarum in tota AEgypto opertus eſt, ut non potuerit videri, aut pertingere ad terram. VASTANTES OMNIA. Hebr. *Et obſcurata fuit terra*. Plinius: *Solemque obumbrant, diraque meſſibus contegunt nube*. DEVORATA EST IGITUR HERBA TERRAE. Plinius: *Multa contactu adurentes, omnia vero morſu erodentes*. Civitatem pulſam a locuſtis in Africa, auctor eſt Plinius Lib. VIII. cap. XXIX.

V. 19. PROIECIT. Hebr. *Infixit, defixit, impreſſit, depreſſit*; id eſt, magno impetu deiecit, ut ibi ſuffocarentur, & non emergerent. Aliqui notant, verbum Hebræum ſignificare *Cum magna colliſione, & fragore deiicere*. Quidam aliene exponunt, *Et elongavit eam*; id eſt, longe exterminavit. IN MARE RUBRUM. Hebr. *In mare* סוף *ſuph*. De voce *ſuph* diſſeruimus cap. II. verſ. 3. Recentiores ſecuti Hebræos, ſummo conſenſu exponunt, *Mare iunci*, vel *caricis*, vel *papyri*, aut *ſcirpi*, aut *cannæ*, ſeu *arundinis*, vel *algæ*; ſeu *mare iuncoſum*, *carectoſum*, *al-*

goſum, ſeu *papyroſum*: quod ad eius littora copioſiſſima ſint iunceta, carecta, papyriones; & ipſum mare alga abundet. Quidam, *Mare termini*, ſeu *finis*: quod ſinus Arabicus anguſtis terminis ſtringatur, ad differentiam Oceani magni, qui videtur ſine termino diffundi: vel quod ſinus terris inſulus eas diſterminet: vel quod AEgyptum ab Arabia, & Palæſtina diſterminet: vel quod ſit extremum mare Terræ ſanctæ. Alii, *Mare turbinoſum, & procelloſum*: quod turbinibus, & procellis agitetur, propter rupes, & promontoria. Equidem Sinum Arabicum eſſe algoſum, Plinius Lib. XIII. cap. xxv. demonſtrat. Sed & Diodorus Siculus Lib. III. num. 121. *Mare paluſtre ac cœnoſum, non altius tribus orgyis, & totum viride eſſe deprehenditur. Cauſam viroris non aquarum illic naturæ, ſed muſci, algæque per aquas tranſparentis copiæ adſcribunt.*. Vide quoque Agatharchidem Lib. V. de Mari rubro, cap. IIII. Cum Chriſtophorus Colombus novum orbem occiduum aperiret, incidit in mare vehementer algoſum, quod herbidum appellavit. LXX. Philo, Ioſephus, Noſter, quod Hebraice *mare ſuph* dicitur, *Mare rubrum*, ſeu Græce *Erythram*, ſeu *Erythræum* appellarunt: non ſane vim ac rationem vocis Hebraicæ *ſuph* exprimentes, quæ nullibi in Scriptura rubrum ſignificat; ſed rem ipſam edicentes: nam ipſemet ſinus Arabicus, quem Scriptura Hebraica *mare ſuph*, id eſt iunci, ſeu algæ, indigitat, communi Græcorum, & Latinorum nuncupatione, *Mare erythræum*, ſeu *rubrum* vocatur. Illud notiſſimum ex auctoribus, Mare erythræum, id eſt rubrum, non ſolum dici proprie ſinum Arabicum, ſed etiam totum magnum Oceanum, qui ab AEthiopia ad Indiam uſque protenditur, & duos illos ingentes ſinus Arabicum, & Perſicum terris infundit: plerumque etiam ſinum Arabicum ſingulariter Mare rubrum appellari. Sed cur dictum ſit *Mare rubrum*, vel quæ ſit eius appellationis ratio, recentiores prolixis diſputationibus ad faſtidium uſque legentium tractavere; & nos ſimili vanitate, atque inani vulgaris eruditionis oſtentatione, dum adhuc ſanguis caleret, plura in Paradiſo cap. xlix. ea de re congeſſimus. Hic tantum auctores, qui genuinam nominis cauſam eruere conati ſunt, indicabimus, Agatharchidem Lib. I. de Mari rubro, cap. II. Strabonem Lib. XVI. Melam Lib. III. cap. VII. Plinium Lib. VI. cap. XXIII. Solinum cap. XXXVI. Q. Curtium Lib. X. Rerum Alexandri, Arrianum in Indicis, ſeu Lib. VIII. Expeditionum Alexandri, Philoſtratum Lib. III. Vitæ Apollonii, cap. xv. Dionem lib. VIII. Priſcianum in Periegeſi, Suidam. Tantum ſubiicio Diodori locum Lib. III. numer. 120. de monte quodam ad littus occidentale ſinus Arabici: *Mons vaſto imminens campo, & rubricoſi coloris offertur, cuius intentiori contuitu oculi videntium offenduntur*. Fortaſſe a rubro colore eius montis, Mari rubro inditum nomen. Sed potior ſententia eſt ab Erythra rege, qui illis in regionibus imperitarit, & ad oram maris ſepultus ſit, mare dictum Erythræum, quod Latinis ſignificat rubrum. Ariolati ſunt quidam hunc Erythram fuiſſe ipſum Eſau, qui dictus ſit Edom, id eſt ruber, vel ruſus. *Edom* Hebraice, *Erythras* Græce, *Ruber* Latine, unum & idem omnino nomen. Luſitanici Indiæ proreges Alfonſus Alburquercius, & Ioannes Caſtrius magnam curam adhibuerunt, miſſis etiam claſſibus, in explorando colore ſinus Arabici, atque in eo maculas, ſeu venas aquarum rubeſcentes deprehenderunt, uti fuſe Ioannes Barrius narrat Aſiatica Decade II. Lib. VIII. cap. I. Periplum Erythræi maris deſcriptum habes ab Arriano ad Adrianum Imperatorem.

V. 21. TAM DENSAE UT PALPARI QUEANT. Hebr. diverſimode exponunt. I. *Et palpabit obſcuritatem*, nempe quiſque AEgyptius, vel terra: nam hæc aliquando eſt maſculini generis Hebræis. II. *Et expellet obſcuritatem*; id eſt, nova hæc immiſſa obſcuritas expellet priorem obſcuritatem nocturnam; quaſi dicat: Tenebræ iſtæ denſiores erunt ipſis nocturnis & ordinariis tenebris. III. Quidam volunt ימש *tameſch* poſitum pro יאמש *iaameſch*, redduntque, *Et heſternabit tenebra*: perdurabunt tenebræ pridianæ, heſternæ, id eſt noctis præteritæ. אמש *emeſch*, *nox præterita*. IV. *Obſcurabitur obſcuritas*; id eſt, adiecta nova caligine condenſabitur tenebra, erunt tenebræ denſiſſimæ. V. *Nocteſcet tenebroſitas*. VI. Plerique intranſitive reddunt, *Et attrectabitur, palpabilis erit, obſcuritas*; quod Noſter eſt ſecutus.

Spe-

Spectris quoque tunc ac viſis horrendis territatos AEgyptios, dicitur Sapient. XVII. verſ. 3. & 4. Oroſius Lib. I. cap. X. *Tenebras imaginibus diras*.

V. 24. ET ARMENTA REMANEANT. Hebr. *Et bos ſtatuetur*. Quidam reddunt, *Siſtuntor*, vel *ſiſtetur*, tamquam pignus reditus veſtri.

V. 26. CUM IGNOREMUS QUID DEBEAT IMMOLARI; id eſt, quibus generibus, & quo numero animalium. Vide cap. VIII. verſ. 26.

MENOCHII.

Verſ. 4. INDUCAM CRAS LOCUSTAM: locuſtarum multitudinem. Hebræum ארבה *arbe*, & locuſtam, & locuſtarum multitudinem ſignificat: nam רבה quæ vocis eſt radix, ſignificat multum eſſe. Ergo locuſtæ domos, lectos, cibos, omniaque AEgyptiorum invadebant, & fœdabant: in viis quoque conculcatæ, & in ſaniem converſæ horrorem, & fœtorem excitabant.

V. 7. HOC SCANDALUM? Quamdiu hoc nobis erit in ſcandalum? quia ſcilicet detinendo Hebræos in duriſſima mala continuo impingimus.

V. 8. QUINAM ITURI SUNT? Quaſi dicat: Non eſt neceſſe omnes ire ad ſacrificium: mulieres, parvuli, immo virorum pars domi hærere poteſt; faciam tamen poteſtatem ut viri omnes eant.

V. 9. EST ENIM SOLEMNITAS. Omnes ire oportet cum pecoribus, quia neſcimus quoties ſacrificaturi ſumus, quot victimas mactaturi: id enim ex Dei iubentis pendet arbitrio, nec par eſt quemquam a tanta ſolemnitate abeſſe. Verum dicebat Moſes: ſæpius enim erant ſacrificaturi in monte Sina in confirmatione legis, in dedicatione tabernaculi, in ſacerdotum conſecratione, ut patet cap. XXIV. & XXIX. Multa tamen ſubticet Moſes, quæ tacere erat prudentiæ.

V. 10. SIC DOMINUS SIT VOBISCUM. Sic Deus vos adiuvet, ſicut ego dimittam vos: eſt formula imprecatoria cum quadam irriſione, &, ut loquuntur Græci, myctériſmo. CUI DUBIUM EST? Res hæc haud dubie ad ſeditionem ſpectat, aut fugam.

V. 11. HOC ENIM ET IPSI PETISTIS. Hic Pharao mentitur, ſed regia licentia, cui nemo contradicere auſit.

V. 12. ET DEVORET OMNEM HERBAM; ſive quæ tempore grandinis ſuperfuerat, ſive quæ poſt grandinem novo germine erat exorta.

V. 13. VENTUM URENTEM. Fere omnes ex Hebræo vertunt, *Ventum orientalem*. Videtur ergo fuiſſe ventus orientalis deflectens ad meridiem, quem Euronotum appellamus. Vide Bonfrerium. TOTA DIE ILLA ET NOCTE: ut calore ſuo, fotuque locuſtas produceret, & productas in AEgyptum inſerret. MANE FACTO: matutino enim tempore, quæ nocte torpuerant ſolis calore excitatæ, factæque vividæ naturali inſtinctu avolare ſolent.

V. 14. NEC POSTEA FUTURAE SUNT. Quod a Moſe ſpiritu prophetico dictum eſt.

V. 15. UNIVERSAM SUPERFICIEM TERRAE, cultæ ſcilicet, & germine veſtitæ: hæc enim vaſtanda, & a locuſtis depaſcenda. POMORUM. *Fructus* generice habent Hebræa, ſive iam fructus maturi penderent, ſive in floribus, ac novis germinibus nuper erupiſſent.

V. 17. AUFERAT A ME. In Hebræo additur *tantum*; & ſenſus eſt: Tantum hac vice parcat Deus, amplius non offendam. MORTEM: hanc peſtem, hanc plagam.

V. 19. VENTUM AB OCCIDENTE. Hebr. *Ventum maris*: mare enim ad occidentem eſt Palæſtinæ. ARREPTAM LOCUSTAM. Hoc fere modo cum locuſtas contingit terris involare, ab eis regiones liberantur, ut tradit Plin. Lib. XI. cap. XXIX.

V. 21. TENEBRAE.... UT PALPARI QUEANT. Loquitur humano more: & caliginoſum, craſſumque aerem, qui tenebras inducebat, nihil palpari vetabat, aut ſaltem ſenſu tactus ſentiri. Apte hæc plaga AEgyptiis immiſſa, qui Hebræos ergaſtulorum tenebris vexaverant. Quales, & quam horrendæ fuerint tenebræ illæ, vide Sap. cap. XVII.

V. 23. LUX ERAT. Heb. eſt, *In ſedibus tuis*: hoc eſt, non tantum in vicis, & plateis; ſed etiam in eadem domo, in cubiculis luce gaudebant.

Digitized by Google

Verſ. 24 VOCAVITQUE PHARAO MOSEN, triduo tenebrarum expleto, dura timens. OVES TANTUM VESTRAE ET ARMENTA REMANEANT, pignoris loco; ne fugiatis, & non redeatis.

V. 25. NON REMANEBIT EX EIS UNGULA. Ne una quidem minima remanebit: formula proverbialis.

V. 29. NON VIDEBO ULTRA FACIEM TUAM. Sponte ad te non accedam, non urgebo; tu potius me videre deſiderabis, quando in primogenitorum plaga nos exire compelles, cap. XII. num. 31.

TIRINI.

Verſ. 21. TENEBRAE TAM DENSAE UT PALPARI QUEANT. Eſt hyperbole; quaſi dicas, Maximæ; & quæ omnem omnino lucem, etiam aſtrorum, etiam ignis & facularum, excluderent, ut habetur Sapientiæ XVII. verſ. 5. Unde Philo, *Ignis*, inquit, *quo utimur, vel aere turbato extinguebatur, vel a craſſiſſimis tenebris vincebatur*. Ubi tenebras vocat *craſſiſſimas* ratione vaporum, & nebularum ſpiſſarum quæ tenebris coniunctæ erant: quarum ratione vult idem Philo, & Toſtatus tenebras hic palpabiles vocari. In libro Sapientiæ ſupra citato additur: *AEgyptiis flammas ignis, & horribiles ſonitus, animalium mugitus, ſerpentum ſibilos, fragorem petrarum ac ventorum, & ſpectra terrifica* apparuiſſe: & *vinculis tenebrarum, ac longæ noctis* (nempe integri tridui) *compeditos, in carcere ſine ferro recluſos* fuiſſe. Quo toto tempore nec edere, nec bibere, nec ſomnum aut quietem capere ullus AEgyptiorum potuit; quin *nec loco* quis *ſuo ſe movit*: ſed timore quaſi exanimati, & ſtupore immobiles, extremum in horas exitium præſtolabantur. Hebræis interea ſuis in domibus luxerat: immo in iiſdem ædibus tenebræ AEgyptiis erant, lux Hebræis, Deo concurſum ſuum quem AEgyptiis ſubtrahebat, non denegante oculis Hebræorum. Ita Lyranus, Toſtatus, Caietanus, Caſtrius *a* & Pererius. Addit S. Bernardus *b*, Deum tantas tenebras AEgyptiis immiſiſſe, ut ex hac quaſi imagine diſcerent primo tenebras ſuæ conſcientiæ, ſecundo tenebras inferni ſibi imminentes; ut innuitur Sap. XVII. verſ. 20.

(*a*) Caſtrius in Sap. XVII. in fine.
(*b*) S. Bern. ſerm. lxxii. in Cant.

GORDONI.

Verſ. 1. ET DIXIT. Monui cap. VII. Calvinum hic facere Deum iniuſtum, impium (ſi eſt auctor peccati) & minime veracem, dum ait ſe pugnantia velle: ſed Calviniana impietas eſt, negans Deum eſſe bonum & iuſtum, & loco citato ſatis refutata.

V. 2. SIGNA MEA. Maniſeſtavi opera tremenda, התעללתי *hithhalalthi*, *feci mire*: nam Chaldæus ponit in ſignificatione mira faciendi.

V. 10. SIC DOMINUS SIT VOBISCUM, &c. Negatio eſt petitionis cum aliqua irriſione; ac ſi diceret: Ita vobis Dominus faveat, ſicut ego dimittam vos cum parvulis; hoc eſt, non dimittam.

V. 13. INDUXIT. Ventus urens, ſeu calidus, & ſiccus tulit locuſtas quæ erant trans Mare rubrum, & intulit in AEgyptum: ſic, inquam, commode locus hic intelligi poteſt. At quomodo verſ. 15. operuerunt univerſam faciem terræ? Hoc indicat multitudinem, adeo ut vix terra videri poſſet; adeo his cooperta fuit. Varia huius plagæ extant exempla.

V. 15. VASTANTES, ſcilicet locuſtæ. Hebr. *Obſcurata eſt terra*, certe amiſſo decore.

V. 17. ETIAM HAC VICE: tantum hac vice.

V. 19. AB OCCIDENTE. Hebr. רוח ים, *ventum maris* ita etiam Sept. Occidentalem ergo vocat Interpres reſpectu Palæſtinæ, quamvis Moſes nunc eſſet in AEgypto.

V. 21. TENEBRAE.... UT PALPARI QUEANT. Forte quia nebula craſſiſſima erat, ut ait Pererius. ψηλαφητὸν σκότος, וימש חשך, *veiamesch choſech*, palpabit obſcuritatem. Radix משש. Atque etiam palpabiles ob mixtos vapores. Sap. XVII.

V. 24. VOCAVITQUE PHARAO MOYSEN. An non obſtabant palpabiles hæ tenebræ, in quibus nemo alium videbat? Sed vocatum intellige poſt diſcuſſas tenebras, quas ſane Deus diſcuſſit, nullo, ut apparet, rogante, idque poſt tres dies, ex verſ. 22.

V. 25.

V. 25. Offeramus. Hebr. & Sept. *faciemus*. Sane facere ſignificat etiam offerre.

V. 29. Non videbo: ſcilicet non veniam ſponte, nec urgebo: nam cap. xii. verſ. 31. & 32. ipſemet Pharao, ſurgens urget, ut abeat populus.

Ex Eiusdem Auctario.

V. 8. & 9. Retinet quoſdam, ut ſic cogat ad reditum. Reſpondet Moſes, a tanta ſolemnitate neminem abeſſe poſſe. Multo minus deeſſe poſſunt pecora in ſacrificiis.

V. 10. Sic Dominus. Sic Deus vos ſanet, ſicut ego vos dimittam. Eſt imprecatio cum irriſione.

V. 11. Hoc ipsi petistis. Mentitur rex.

V. 14. Neç postea. Propheticum hoc eſt.

CAPUT XI.

Ante decimum ſignum quod prædicit Dominus, hortatur ad AEgypti ſpoliationem.

1 ET dixit Dominus ad Moyſen: Adhuc una plaga tangam Pha-
raonem & AEgyptum, & poſt hæc dimittet vos, & exire com-
pellet. 2. (*a*) Dices ergo omni plebi, ut poſtulet vir ab amico
ſuo, & mulier a vicina ſua, * vaſa argentea & aurea. 3. Dabit
autem Dominus gratiam populo ſuo coram AEgyptiis. (*b*) Fuit-
que Moyſes vir magnus valde in Terra AEgypti, coram ſervis
Pharaonis & omni populo. 4. Et ait: Hæc dicit Dominus: * Media nocte egre-
diar in AEgyptum: 5. & morietur omne primogenitum in Terra AEgyptiorum,
a primogenito Pharaonis qui ſedet in ſolio eius, uſque ad primogenitum ancillæ
quæ eſt ad molam, & omnia primogenita iumentorum. 6. Eritque clamor magnus
in univerſa Terra AEgypti, qualis nec ante fuit, nec poſtea futurus eſt. 7. Apud
omnes autem filios Iſrael non mutiet canis ab homine uſque ad pecus: ut ſciatis
quanto miraculo dividat Dominus * AEgyptios & Iſrael. 8. Deſcendentque o-
mnes ſervi tui iſti ad me, * & adorabunt me, dicentes: Egredere tu, & omnis
populus qui ſubiectus eſt tibi: poſt hæc egrediemur. 9. Et exivit a Pharaone i-
ratus nimis. Dixit autem Dominus ad Moyſen: Non audiet vos Pharao, ut mul-
ta ſigna fiant in Terra AEgypti. 10. Moyſes autem & Aaron fecerunt * omnia
oſtenta quæ ſcripta ſunt, coram Pharaone. Et induravit Dominus cor Pharaonis,
nec dimiſit filios Iſrael de terra ſua.

(*a*) Sup. iii. 22. Infr. xii. 35. (*b*) Eccli. xlv. 1.

BRUGENSIS

Romanae Correctiones.

V. 2. *Vaſa argentea & aurea.* Non addas *& veſtem.*

V. 4. *Media nocte egrediar in AEgyptum.* Pro *egrediar*, quod eſt exibo, alii minus recte ſcribunt *ingrediar*, quod eſt intrabo.

V. 7. *AEgyptios & Iſrael.* Non eſt addenda vox *filios* nomini *Iſrael*.

V. 8. *Et adorabunt me.* Non mutes compoſitum verbum *adorabunt*, cum ſimplici *orabunt*.

V. 10.

V. 10. *Omnia oſtenta quæ ſcripta ſunt*. Quod quidam libri addunt, *ſigna &* (*omnia ſigna, & oſtenta*) ſuperfluum eſt.

Notatio.

V. 10. *Moyſes autem, & Aaron fecerunt omnia ſigna, & oſtenta quæ ſcripta ſunt coram Pharaone*. Eſt quidem hæc lectio pleriſque Græcis libris conſentanea, ſed correctoria exemplaria cum Hebræis, atque Chaldæis codicibus, & Græco Regiæ editionis textu nonnihil ſuperfluere docent. Quædam vero *& oſtenta* demunt; at ea præferenda videntur etiam Correctori, quæ *ſigna &* auferunt. Quamquam enim Hebræa vox מֹפֵת *ſignum* denotet, atque ad eum modum huius capitis verſ. 9. & III. Regum XIII. verſ. 3. ac 5. ab Interprete transferatur; tamen non qualecumque ſignum, ſed portentum proprie deſignat: quamobrem Exodi IV. verſ. 21. *oſtentum*, Ezech. XII. verſ. 11. *portentum* reddidit. LXXII. τέρας tranſtulerunt: coniunctiſque duobus his verbis אות & מֹפֵת illud Interpres vulgatus vertit *ſignum*, Exod. VII. verſ. 3. hoc *portentum*, Deuter. XIII. verſ. 1. LXXII. ſimiliter σημεῖον καὶ τέρας. Chaldæus III. Reg. III. & Ezech. XII. מוֹפֵת expoſuit אָתָא; aliis autem locis eas fere retinuit dictiones quæ in Hebræo leguntur.

COMMENTARIA

S A.

Verſ. 4. ET AIT, ſcilicet Pharaoni, antequam expelleretur, vel ab eo iterum vocatus.

V. 5. SEDET; id eſt, ſeſſurus erat.

7. MUTIET; quaſi dicat: Nullus clamor, aut perturbatio erit in hominibus, aut pecoribus.

V. 9. UT MULTA, id eſt ut ea occaſione multa.

E S T I I.

Verſ. 2. UT POSTULET VIR AB AMICO SUO, ET MULIER A VICINA SUA VASA ARGENTEA ET AUREA. Exemplum hoc Iſraelitarum, qui iubente Domino ſpoliarunt AEgyptios (nam & hoc ipſum verbum *ſpoliarunt*, ponitur capite ſequenti, verſu trigeſimo ſexto) non eſt trahendum in excuſationem furti, aut cuiuſcumque defraudationis proximi. Quod enim ab Iſraelitis factum eſt, eo iubente factum eſt qui noverat quid quemque pati oporteret, quique rerum omnium dominus eſt, nec opes tantum privati cuiuſque hominis, ſed & regna atque imperia pro ſuo arbitrio transferre poteſt in alios. Unde dicit Auguſtinus: *Non furtum fecerunt, ſed Deo iubenti miniſterium præbuerunt; quemadmodum cum miniſter iudicis occidit eum quem iudex iuſſit occidi, profecto, ſi id ſponte facit, homicida eſt, etiamſi eum occidat quem ſcit occidi a Iudice debuiſſe; ſi iuſſus faciat, non cædes imputatur ad peccatum, ſed obedientia meretur commendationem*. Quidam Iſraelitas excuſare conantur, quod pro mercede laboris ſui, quia tot annis ſervierant in AEgypto, prædam hanc velut iure ſibi debitam adſportaverint. Quæ excuſatio opportuna eſſet, ſi Pharaonis ipſius, ac præfectorum qui eos ad opus compulerant, bona abſtuliſſent; ſed cum dicat Scriptura eos ab amicis & vicinis vaſa accepta abſtuliſſe, non videtur prætextus ille ad iuſtam excuſationem ſufficere, ſine divina iuſſione. Dicitur quidem Sap. cap. X. quod *Deus reddidit iuſtis mercedem laborum ſuorum*, nam revera mercedem meruerant; ſed niſi Deus dediſſet, non potuiſſent illam ſibi debitam mercedem accipere ab iis qui non debebant. Habetur tamen ea excuſatio apud Epiphanium ſub finem Ancorati, quam & pluribus verbis declarat. Dicuntur quidem cap. ſequenti verſ. 36. accepiſſe commodato; ſed non pugnat accipere aliquid commodato, id eſt accipere rem aliquam utendam in ſuum commodum, eamque ſibi retinere, quia poteſt quoque aliquis rem propriam ab alio detentam utendam, ab eo accipere. Deinde nec in Hebræo eſt verbum *commodandi*.

Et mulier a vicina ſua. At obiicies: Atqui non habitabant Iſraelitæ inter AEgyptios, ſed in regione Geſſen ſeparata: unde & capite præcedenti dicitur: *Ubicumque autem habitabant filii Iſrael, lux erat*; & cap. IX. *Tantum in terra Geſſen, ubi erant*

filii

filii Iſrael, grando non occidit. Reſpon. Saltem regiones erant vicinæ. Item ſciendum eſt, quod etiam in terra Geſſen habitabant AEgyptii, ſicut ante adventum Iacob, & filiorum eius; ſed in eam terram, quia magis vicina erat, & apta paſcendis ovibus, miſſi ſunt inter AEgyptios, qui illic antea erant, filii Iſrael habitare. Unde & illi AEgyptii ex beneficio illo cohabitationis filiorum Iſrael a plagis videntur fuiſſe immunes, ſicut ſubindicare videntur verba illa cap. IX. nequaquam tamen a plaga interſectionis primogenitorum, nimirum quia domus illorum non erant ſignatæ ſanguine agni paſchalis.

MARIANAE.

Verſ. I. POST HAEC DIMITTET VOS ET EXIRE COMPELLET. Hebr. *Cum dimiſerit ipſe perfecte, expellendo expellet vos hinc perfecte*; id eſt, ita ut nemo ex vobis remaneat, aut ſine ullis conditionibus.

V. 2. DICES ERGO OMNI PLEBI. Hebr. *In auribus populi loqueris*.

V. 3. FUITQUE MOYSES VIR MAGNUS. Orig. hom. XII. in Levit. & Cyril. Lib. XII. in Levit. numqnam peccator in Scriptura vocatur magnus. Iſaac, Moyſes, Ezechias, Io. Baptiſta, magni vocantur.

Verſ. 5. ANCILLAE QUAE EST AD MOLAM, ſcilicet filius morietur. Hebr. *Quæ eſt poſt duas molas*: ſunt enim duæ, inferior & ſuperior; Latinis *meta* & *catillus*, Hebræis *Neſeph* & *Reſeph* dictæ.

V. 7. NON MUTIET CANIS. Hebr. *Non movebit canis linguam ſuam*. MIRACULO DIVIDAT. Hebræi putant יפלה *iaphleh* ſignificare tantum *dividet*. Ego magis credo Hieronymo, & Sept. Hi explicant, *Mirificabit*: *Miraculo dividet*, Hieronymus. Porto ה He ſæpe loco א Aleph ponitur; qua mutata littera, noſtra interpretatio conſtat.

V. 8. DESCENDENTQUE OMNES SERVI TUI. Ex hoc loco colligitur, omnia hæc verba Moyſis dicta fuiſſe a verſ. 4. coram Pharaone, cum eum pelleret a conſpectu ſuo.

MALVENDAE.

Verſ. I. ET DIXIT DOMINUS AD MOYSEN. Quidam tres iſtos primos verſus parentheſi includunt, & vertunt per præteritum pluſquam perfectum: *Iam vero dixerat Dominus*, &c. nempe de plaga primogenitorum cap. IV. verſ. 23. de ſpoliis cap. III. verſ. 21. 22. voluntque tres hos verſus idcirco per parentheſim interiectos a Moſe, ut cauſam redderet cur is tanta præſidentia Pharaonem compellaverit extremo verſu præcedentis capitis, fretus nimirum auctoritate, promiſſione, & mandato divino: atque hanc ætiologiam per hyſteroſim a Moſe hic explicari; eſſeque haud infrequentes eiuſmodi hyſteroſes in Scriptura, ut Gen. XI. verſ. I. & alias. Alii vero exiſtimant, antequam receſſiſſet Moſes a conſpectu Pharaonis, interne Deum ei locutum, ſine abſtractione tamen a ſenſibus, ea quæ hic verſ. I. & 2. referuntur. ET EXIRE COMPELLET. Hebr. *Secundum dimittere eum*, vel *cum is dimittet*, *omnino*, *conſummatim*, ſeu *in univerſum*, *expellendo expellet vos*. Quidam exponunt: Cum dimittet vos univerſe omnes uſque ad unum, cum omnibus rebus veſtris, ſine ulla exceptione, aut conditione, ita ut neminem ex vobis, aut nihil veſtrum velit remanere: nam cap. VIII. 28. cum conditione dimittebat, ne longius irent; & cap. X. II. ut viri ſoli ſine parvulis, & pecoribus abirent; & verſ. 24 tantum pecora retinebat. Tunc non cum pace, & tranquille dimittet, ſed vi quodammodo, & urgendo eiiciet vos; nec ſinet ut moram ullam nectatis amplius. Alii adverbium *omnino*, ſeu *univerſe*, ſequentibus iungunt, ita: Cum vere dimittet vos, tunc in univerſum & omnino eiiciet vos: nullum veſtrum, nihilque veſtri remanere patietur, aut retinebit.

V. 2. AB AMICO SUO, AEgyptio, ET A VICINA SUA, AEgyptia. Facile id intelligitur: nam tulerunt ſpolia AEgyptiorum, non ſuorum.

V. 4. ET AIT, Moſes ad Pharaonem. Hic verſus continuatur cum verſu ultimo præcedentis capitis: redit enim ad interruptam hiſtoriam quæ eſt in fine ſuperioris capitis, regrediens ad ſermonem Mo-

ſis cum Pharacne, qui intermiſſus fuerat inde a fine cap. x. MEDIA NOCTE. כחצות *cachatzoth* quidam pro nomine ſingulari capiunt, *Secundum*, *iuxta dimidium*, *medietatem noctis*; quod Varro dixit, *Circa meridiem noctis*. Alii pro nomine plurali, *Circa medietates noctis*; id eſt, cum nox plene media erit. Plerique pro infinitivo, *Circa*, *circiter dimidiare noctem*; & hoc eſt melius.

V. 5. QUI SEDET IN SOLIO EIUS. Quidam pronomen relativum anceps reddunt, *Qui ſedet in ſolio ſuo*, ut ad Pharaonem referatur; ac ſi dicat: Quantumvis Pharao maieſtate regia polleat, ac regio throno inſideat, eius tamen primogenitus interficietur, nullo reſpectu regii faſtigii. QUAE EST AD MOLAM. רחים *rechaim* duale, ſignificat duas molas, ſeu duas molæ partes, ſuperiorem, & inferiorem, quarum ſuperior dicitur *catillus*, inferior *meta*. Notant habere nomen vel a vento, quem velocitate circumrotationis excitat; vel quod inſtar venti rapiatur; vel quod farina, quæ molitur, perpetuum, & gratum odorem ſpiret. Mirum quod non addiderint, quia inſtar venti turbinatur, & circumagitur, ſeu volvitur. Alii, quod farinam expirent, & efflent, id eſt effundant, ut nares, aut os flatum, ſeu fumum, aut exhalationem. Relativum אשר *aſcher*, maſculine quidam exponunt: *Uſque ad primogenitum ancillæ*, *qui eſt poſt molas*, nempe ad eas trudendas manibus, & corpore toto, labore duriſſimo, ad quem ſervi, & captivi adhibebantur, Iudicum XVI. 21. Threnorum V. 13. Infimum, & durum genus ſervitutis: nam tota die molere cogebantur, & noctu in ergaſtulis concludebantur, infra cap. XII. 29. & Iudicum XVI. 21. Plerique feminine reddunt: *Uſque ad primogenitum ancillæ*, *quæ eſt poſt molas*. Intelligunt ſynecdochice per ancillam mancipium infimæ ſervitutis, e cap. XII. verſ. 29. Alii, quod apud Hebræos ſervæ eſſent molitrices, ſeu piſtrices, I. Samuelis VIII. 13. *Poſt molas*. Truſatiles capiunt, quas qui circumagunt, non præcedunt, ſed ſubſequuntur, brachiis, & toto corpore obnixe trudentes. Poſſit hic intelligi ancilla, quæ cum ſervo viro ſuo in piſtrino poſt molas degit, & vitam tolerat.

V. 6. CLAMOR. Hebr. eſt femiaeum, & affixa ſequentia maſculea, ad indicandum futurum clamorem ingentem & validum.

V. 7. NON MUTIET CANIS, &c. quaſi dicat: Tam altum ſilentium, tanta pax, quies, ſecuritas & tranquillitas Iſraelitis erit, ut ne canis, qui alioqui minimo ſtrepitu excitari ſolet, apud eos, nec apud eorum iumenta, audiatur: vel nihil erit quod eos lædat. Notant proverbialem eſſe locutionem, ut Ioſue x. 21.

V. 8. OMNES SERVI TUI ISTI AD ME, &c. Hinc liquet Pharaonem omnia in Iſraelitas egiſſe conſilio & impulſu ſuorum miniſtrorum. Extrema reipublicę pernicies peſſimi conſiliarii: & vocula illa *omnes* indicat inter tam multos Pharaonis conſiliarios ne unum quidem inventum probum, qui recta conſuleret. QUI SUBIECTUS EST TIBI. Hebr. *Qui eſt in pedibus tuis*. Noſter ſenſum expreſſit. Alii, *Qui eſt in veſtigiis tuis*: pes metonymice pro veſtigio; id eſt, qui ſequitur tua veſtigia, qui tecum ſentit, & agit, exagitando, & detinendo Iſraelitas. Conſimilem locutionem habes Iudicum IV. 10.

V. 9. DIXIT AUTEM DOMINUS AD MOYSEN, nimirum cap. VII. 4. & deinceps ſæpius, & hic etiam repetit.

MENOCHII.

Verſ. 1. ET DIXIT DOMINUS. Hæc inſpirata ſunt Moſi antequam ſeſe a Pharaonis conſpectu ſubduceret: nam, ut patet ex præcedenti cap. num. 29. poſt hunc congreſſum non ſe amplius dedit in conſpectu regis. Denuntiavit ergo Pharaoni primogenitorum cladem, deinde iratus ab eo exivit, ut patet hoc cap. IX. num. 9. DIMITTET. Hebr. additur כלה *cala*; id eſt, conſummate, ſive omnino dimittet omnes, & greges etiam abducere permittet.

V. 2. POSTULET, commodato. VIR, unuſquiſque. Heb. איש *iſc*, hoc frequenter ſignificat. AB AMICO SUO, a proximo, vicino, aut ſocio ſuo: habirabant enim AEgyptii Hebræis permixti. VASA ARGENTEA ET AUREA; quaſi ad ſacrificium neceſsaria.

V. 3. DABIT GRATIAM. Inclinabit AEgyptiorum corda, ut dent vobis. FUITQUE MOYSES VIR MAGNUS; quaſi di-

dicat: Eum tam libere loquentem, & minantem violare non eſt auſus Pharao: rurſus, ideo facilius AEgyptii vaſa ſua commodarunt Hebræis.

V. 4. MEDIA NOCTE: proxima nocte, quæ ſcilicet ſecuta eſt decimam quartam diem menſis primi Niſan. Illa enim decima quarta die ad veſperam celebrarunt paſcha, in quo cæſis noctu primogenitis Hebræi liberi ex AEgypto egreſſi ſunt. Hæc ergo locutus Moſes decima quarta die Niſan mane, antequam egrederetur ex aula Pharaonis. EGREDIAR IN AEGYPTUM, non locum mutans, ſed actionem.

V. 5. QUI SEDET IN SOLIO EIUS; vel iam cum ipſo regnans, vel poſtea regnaturus. QUAE EST AD MOLAM: quæ truſatilem molam verſans laborat in piſtrino.

V. 7. NON MUTIET CANIS: proverbialis formula: erit ſumma pax, & tranquillitas.

V. 8. OMNES SERVI TUI: immo & ipſe Pharao, ut patet cap. XII. num. 31.

V. 9. EXIVIT A PHARAONE IRATUS NIMIS, tantæ tergiverſationi, pervicaciæ, & rebellioni Pharaonis.

TIRINI.

Verſ. 2. POSTULET VIR AB AMICO SUO, ET MULIER A VICINA SUA VASA ARGENTEA ET AUREA. His verbis Deus, qui rerum omnium dominus eſt, innuit Hebræis ſe dono illis dare vaſa pretioſa, & theſauros AEgyptiorum: ut ſic idololatriam horum, & luxum, & iniuſtitiam caſtiget: quamquam & ſine expreſſa Dei licentia potuerint Hebræi iuſtis titulis eadem ſibi vindicare. Primo, titulo compenſationis pro laboribus, quibus iniuſte oppreſſi gratis ſervierant AEgyptiis. Secundo, titulo iuſti belli, quo AEgyptios hoſtes ſuos, & tyrannos invadere poterant, & ſpoliare. Ita Philo, & ſanctus Auguſtinus *a*: & inſinuatur Sapientiæ x. verſ. 17. Quare licet per ſpeciem accommodati acceperint ad ſacrificia, & divinam ſolemnitatem peragendam, potuere nihilominus tamquam iuſtam mercedem, & iuſto bello parta ſpolia, & cælitus ſibi donata retinere.

V. 5. AD PRIMOGENITUM ANCILLAE QUAE EST AD MOLAM. Idem eſt cum eo quod capite ſequenti verſ. 29. dicitur, *Ad primogenitum captivæ quæ* eſt *in carcere*. Per carcerem enim deſignatur ergaſtulum & piſtrinum in quod mancipia compingebantur, & fere ad molam cogebantur: ſicut Iudicum XVI. verſ. 21. de Samſone habetur, quod Philiſthæi carcere concluſum molere fecerint. Plura de his ergaſtulis Lipſius *b*, & Bonfrerius. Porro cauſas & convenientiam harum decem plagarum cum ſceleribus AEgytiorum inſinuat partim Moyſes hinc inde, partim Sapiens cap. XI. & XVIII. Verbi gratia, AEgyptii fuderant ſanguinem tot infantium quos in Nilo demerſerant: Deus aquam Nili in ſanguinem convertit. AEgyptii miſero innocentium eiulatu, & luctuoſis Hebræorum lacrymis commoti non fuerant: Deus horrendo ranarum clamore, & fœda ſpurcitie aures, oculos, & ollas illorum complet. AEgyptii moleſtis iniuſtiſque laboribus ac flagellis ſævierant in miſeros, nec quietem capere ſiverant: Deus ſciniphes immittit, & muſcas, quæ morſu, & punctione continua, & inde naſcente pruritu, etiam ipſis quietem adimant. AEgyptii pecudes, & iumenta Hebræis ademerant, immo pecudum inſtar abuſi illis fuerant, & onera, & ſarcinas ſuomet corpore ferre coegerant: Deus immiſſa peſte pecudes illorum omnes abſumit. AEgyptii immanitate flagellorum & verberum ſæpe corpora Hebræorum livida & tumentia fecerant: Deus illos ulcere peſſimo a capite ad pedes flagellat. AEgyptii fulminibus verborum, minarum, conviciorum, grandinibus pugnorum, & vulnerum ſævierant in Hebræos: Deus horrendis viciſſim fulminibus, tonitruis, grandinibus ſata, iumenta, mancipia ipſorum proſternit, & necat. AEgyptii oppreſſione Hebræorum res ſuas augere voluerant: Deus locuſtas mittit quæ omnia depaſcuntur. AEgyptii tenebris & cæcitate mentis obſtinate involvi cupiebant, neque Hebræos iniuſto carcere liberare volebant: Deus etiam palpabilibus tenebris, & infernali nocte ac carcere eoſdem involvit. AEgyptii populum Iſraeliticum, Dei *filium primogenitum* (ut loquitur Deus Exodi IV. verſ. 22.) contra expreſſam Dei voluntatem tam impie, tam iniuſte, tanto tempore afflixerant: Deus omnia illorum primogenita no-

ſte una iugulat, & poſt paulo omnem regni florem, & decus, & robur omne in mare præcipitat.

(a) S. Aug. Lib. XXII. contra Fauſtum cap. lxxi.
(b) Lipſius Lib. II. Elect. cap. xv.

GORDONI.

Verſ. 1. ET DIXIT. Hæc revelatio de primogenitis facta eſt Moſi, dum adhuc (ex verſ. 29. cap. x.) ſtaret Moſes coram Pharaone: quæ deſcribitur hoc capite undecimo. Et eam indicavit Moſes Pharaoni. Poſt hæc Moſes iratus exivit a Pharaone, ut habetur hoc cap. xi. verſ. 9. nec ultra vidit faciem Pharaonis. Nihil hic contra cap. xii. verſ. 31. ut ibidem dicam.

V. 2. DICES ERGO PLEBI, ſcilicet, ut accipiat hæc ſpecie commodati: tamen revera Deo donante vaſa AEgyptiorum, quicquid ſit de compenſatione pro laboribus.

V. 4. MEDIA NOCTE EGREDIAR, ait Deus, IN AEGYPTUM. Hæc eſt nox quæ ſecuta eſt lunam 14. menſis primi Niſan: nam illo die 14. ad veſperam celebrarunt paſcha, quando, cæſis noctu primogenitis, populus Iſrael liber egreſſus eſt AEgypto. Hæc de prædictione decimæ plagæ. *Media* vero *nocte*, hoc eſt ſub mediam noctem; non autem mathematice.

V. 5. ET MORIETUR. Primogeniti nomine inter homines non intelliguntur hic qui, mortuo parente, iam evaſerant capita familiæ: atque ita Pharao hoc nomine nec continetur, nec occidi debuit. Vide cap. xii. verſ. 29. Additur hic, QUI SEDET IN SOLIO, ut intelligas tunc filium Pharaonis ſimul regnaſſe cum patre. Indicat vero nullum primogenitum excipiendum, ſive ignobilis, ſive nobilis ſit. AD MOLAM. Hebr. *Poſt duas molas*: ſunt enim duæ, ſuperior, & inferior.

V. 7. NON MUTIET CANIS; hoc eſt, omnia erunt quieta, & ne canis quidem latrabit, ad mortem ullius, ſive hominis, ſive beſtiæ.

V. 8. SERVI TUI, Ergo dum omnia dicit Moſes, ſtat coram Pharaone continuo a verſ. 4.

Ex EIUSDEM AUCTARIO.

V. 2. VASA, quaſi ad ſacrificium neceſſaria.

V. 3. VIR MAGNUS. Moſen tam ſignis potentem, libere loquentem, & minantem non eſt auſus rex violare.

V. 5. ET MORIETUR. Moſes hæc prælocutus eſt die decimo quarto Niſan, mane, adhuc in aula regis conſiſtente. Nocte inſequente contigerunt; quæ dixi ad verſ. 4.

CA-

Digitized by Google

C A P U T XII.

Paſchalis agni ritu declarato ac celebrato, eiuſque ſanguine domorum ſuperliminaribus illito, cæſis omnibus AEgypti primogenitis, Iſraelitæ cum divitiis AEgypti egrediuntur: de ritu Phaſe ac eſu azymorum, & tempore habitationis Iſrael in AEgypto.

1 Dixit quoque Dominus ad Moyſen & Aaron in Terra AEgypti: 2. Menſis iſte, vobis principium menſium: primus erit in menſibus anni. 3. Loquimini ad univerſum cœtum filiorum Iſrael, & dicite eis: Decima die menſis huius tollat unuſquiſque agnum per familias & domos ſuas. 4. Sin autem minor eſt numerus ut ſufficere poſſit ad veſcendum agnum, aſſumet vicinum ſuum qui iunctus eſt domui ſuæ, iuxta numerum animarum quæ ſufficere poſſunt ad eſum agni. 5. Erit autem agnus abſque macula, maſculus, anniculus: iuxta quem ritum tolletis & hædum. 6. Et ſervabitis eum uſque ad quartam decimam diem menſis huius: immolabitque eum univerſa multitudo filiorum Iſrael ad veſperam. 7. Et ſument de ſanguine eius, ac ponent ſuper utrumque poſtem, & in ſuperliminaribus domorum, in quibus comedent illum. 8. Et edent carnes nocte illa aſſas igni, & azymos panes cum lactucis agreſtibus. 9. Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua, ſed tantum aſſum igni: caput cum pedibus eius & inteſtinis vorabitis. 10. Nec remanebit quidquam ex eo uſque mane: ſi quid reſiduum fuerit, igne comburetis. 11. Sic autem comedetis illum: Renes veſtros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, & comedetis feſtinanter: eſt enim Phaſe (id eſt tranſitus) Domini. 12. Et tranſibo per Terram AEgypti nocte illa, percutiamque omne primogenitum in Terra AEgypti ab homine uſque ad pecus: & in cunctis diis AEgypti faciam iudicia, ego Dominus. 13. Erit autem ſanguis vobis in ſignum in ædibus in quibus eritis: & videbo ſanguinem, & tranſibo vos: nec erit in vobis plaga diſperdens quando percuſſero Terram AEgypti. 14. Habebitis autem hunc diem in monumentum: & celebrabitis eam ſolemnem Domino in generationibus veſtris cultu ſempiterno. 15. Septem diebus azyma comedetis: in die primo non erit fermentum in domibus veſtris: * quicumque comederit fermentatum, peribit anima illa de Iſrael, a primo die uſque ad diem ſeptimum. 16. Dies prima erit ſancta atque ſolemnis, & dies ſeptima eadem feſtivitate venerabilis: nihil operis facietis in eis, exceptis his quæ ad veſcendum pertinent. 17. Et obſervabitis azyma: in eadem enim ipſa die educam exercitum veſtrum de Terra AEgypti, & cuſtodietis diem iſtum in generationes veſtras ritu perpetuo. 18. (a) Primo menſe, quartadecima die menſis ad veſperam, comedetis azyma, uſque ad diem vigeſimam primam eiuſdem menſis ad veſperam. 19. * Septem diebus fermentum non invenietur in domibus veſtris: qui comederit fermentatum, peribit anima eius de cœtu Iſrael, tam de advenis quam de indigenis terræ. 20. Omne fermentatum non comedetis: in cunctis habitaculis veſtris edetis azyma. 21. Vocavit au-

Digitized by Google

tem Moyſes omnes ſeniores filiorum Iſrael, & dixit ad eos: Ite tollentes animal per familias veſtras, & immolate Phaſe. 22. (*b*) Faſciculumque hyſſopi tingite in ſanguine qui eſt in limine, & aſpergite ex eo ſuperliminare, & utrumque poſtem: nullus veſtrum egrediatur oſtium domus ſuæ uſque mane. 23. Tranſibit enim Dominus percutiens AEgyptios: cumque viderit ſanguinem in ſuperliminari, & in utroque poſte † tranſcendet oſtium domus, & non ſinet percuſſorem ingredi domos veſtras & lædere. 24. Cuſtodi verbum iſtud legitimum tibi & filiis tuis uſque in æternum. 25. Cumque introieritis terram, quam Dominus daturus eſt vobis ut pollicitus eſt, obſervabitis cæremonias iſtas. 26. Et cum dixerint vobis filii veſtri: Quæ eſt iſta religio? 27. dicetis eis: Victima tranſitus Domini eſt, quando tranſivit ſuper domos filiorum Iſrael in AEgypto, percutiens AEgyptios, & domos noſtras liberans. Incurvatuſque populus adoravit. 28. Et egreſſi filii Iſrael fecerunt ſicut præceperat Dominus Moyſi & Aaron. 29. Factum eſt autem in noctis medio, percuſſit Dominus omne primogenitum in Terra AEgypti, a primogenito Pharaonis, qui in ſolio eius ſedebat, (*c*) uſque ad primogenitum captivæ quæ erat in carcere, & omne primogenitum iumentorum. 30. Surrexitque Pharao nocte, & omnes ſervi eius, cunctaque AEgyptus: & ortus eſt clamor magnus in AEgypto: neque enim erat domus in qua non iaceret mortuus. 31. Vocatiſque Pharao Moyſe & Aaron nocte, ait: Surgite & egredimini a populo meo, vos & filii Iſrael: * ite, immolate Domino ſicut dicitis. 32. Oves veſtras & armenta aſſumite ut petieratis, & abeuntes benedicite mihi. 33. Urgebantque AEgyptii populum de terra exire velociter, dicentes: Omnes moriemur. 34. Tulit igitur populus conſperſam farinam antequam fermentaretur: & ligans in palliis, poſuit ſuper humeros ſuos. 35. Feceruntque filii Iſrael (*d*) * ſicut præceperat Moyſes: & petierunt ab AEgyptiis vaſa argentea & aurea, veſtemque plurimam. 36. Dominus autem dedit gratiam populo coram AEgyptiis ut commodarent eis: & ſpoliaverunt AEgyptios. 37. Profectique ſunt filii Iſrael de Rameſſe in Socoth, ſexcenta fere millia peditum virorum, * abſque parvulis. 38. Sed & vulgus promiſcuum innumerabile aſcendit cum eis, oves & armenta & animantia diverſi generis multa nimis. 39. Coxeruntque farinam, quam dudum de AEgypto conſperſam tulerant: & fecerunt ſubcinericios panes azymos: * neque enim poterant fermentari cogentibus exire AEgyptiis, & nullam facere ſinentibus moram: * nec pulmenti quidquam occurrerat præparare. 40. Habitatio autem filiorum Iſrael qua manſerunt in AEgypto, fuit quadringentorum triginta annorum. 41. Quibus expletis, eadem die egreſſus eſt omnis exercitus Domini de Terra AEgypti. 42. Nox iſta eſt obſervabilis Domini, quando eduxit eos de Terra AEgypti: hanc obſervare debent omnes filii Iſrael in generationibus ſuis: 43. Dixitque Dominus ad Moyſen & Aaron: Hæc eſt religio Phaſe: Omnis alienigena non comedet ex eo. 44. Omnis autem ſervus emptitius circumcidetur: & ſic comedet. 45. Advena & mercenarius non edent ex eo. 46. (*e*) In una domo comedetur, nec efferetis de carnibus eius foras, (*f*) nec os illius confringetis. 47. Omnis cœtus filiorum Iſrael faciet illud. 48. Quod ſi quis peregrinorum in veſtram voluerit tranſire coloniam, & facere Phaſe Domini, circumcidetur prius omne maſculinum eius, & tunc rite celebrabit: eritque ſicut indigena terræ: ſi quis autem circumciſus non fuerit, non veſcetur ex eo. 49. Eadem lex erit indigenæ & colono qui peregrinatur apud vos. 50. Feceruntque omnes filii Iſrael ſicut

Digitized by Google

ſicut præceperat Dominus Moyſi & Aaron . 51. Et eadem die eduxit Dominus filios Iſrael de terra AEgypti per turmas ſuas.

(*a*) Levit. xxiii. 5. Num. xxviii. 16. (*b*) Hebr. xi. 28. (*c*) Sup. xi. 5. Sap. xxviii. 5. (*d*) Sup. xi. 1. (*e*) Num. ix. 12. (*f*) Ioan. xix. 36.

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

V. 15. *Quicumque comederit fermentatum*. Legendum eſt participium *fermentatum*, non nomen *fermentum*.

V. 19. *Septem diebus fermentum non invenietur in domibus veſtris*. Hic contra legendum eſt nomen *fermentum*, non participium *fermentatum*.

V. 31. *Ite, immolate*. Non eſt interiicienda coniunctio *&*.

V. 35. *Sicut præceperat Moyſes*. Male alii plerique libri, pro uno nomine *Moyſes*, ſcribunt duo, *Dominus Moyſi*.

V. 37. *Abſque parvulis*. Merito confoditur ut ſuperfluum quod in quibuſdam antigraphis ſequitur, *& mulieribus*.

V. 39. *Neque enim poterant fermentari*, ſcilicet panes. Alii ſcribunt numero ſingulari *poterat*, ſcilicet farina.

Ibid. *Nec pulmenti quidquam occurrerat præparare*. Pro *occurrerat*, quidam expoſitionis gratia ſcribunt *curaverant*.

Lectionum Varietas.

V. 23. *Tranſcendet oſtium domus*. Manuſcripta quædam omittunt voculam *domus*.

Notatio.

V. 24. *Cuſtodi verbum iſtud legitimum tibi, & filiis tuis uſque in æternum*. Ita plerique codicum legunt; quatuor autem Hentenii cum uno noſtro: *Cuſtodite verbum iſtud legitimum vobis, & filiis veſtris uſque in æternum*. Fortaſſe reddit Interpres: *Cuſtodite verbum iſtud legitimum tibi, & filiis tuis uſque in æternum*: hoc enim Chaldæo, Græco, &, quod præcipue ſpectandum eſt, Hebræo conforme eſt. Sex ſcriptorum noſtrorum exemplarium hoc habent modo: *Cuſtodi verbum iſtud: legitimum erit tibi, & filiis tuis uſque in æternum*: quæ diſtinctio in aliis etiam exemplaribus *erit* omittentibus conſpicitur: eaque lectioni Hebraicæ aptius convenire videtur.

C O M M E N T A R I A

S A.

Verſ. 2. MENSIS, ſcilicet *Niſan*, qui plerumque reſpondet Martio: atque hinc incipit annus Hebræis, quantum ad feſta: nam quantum ad alia, a ſeptembri, ſeu octobri. Vide inf. cap. xxiii. Secundus dicitur *Iiar*; tertius *Sivan*; quartus *Tammuz*; quintus *Ab*; ſextus *Elul*; ſeptimus *Tiſri*; octavus *Marcheſuan*; nonus *Casleu*; decimus *Tebeth*; undecimus *Sebath*; duodecimus *Adar*: & quidem hos intelligit Scriptura cum dicit *Menſe primo*, *ſecundo*, *tertio*, &c. Sunt autem illa nomina Chaldæa, quæ in captivitate cœpta uſurpari: alioqui aliis ante nominibus utebantur, ut *Abibexo*, Deut. xvi. qui primus: nos illic legimus, *Menſis novarum frugum*. At Hebr. menſis *Abib*, & *Zio* qui ſecundus: & *Bul* qui undecimus, III. Reg. vi. & *Ethanim* qui ſeptimus, III. Reg. viii. Notandum vero, Hebræis annos lunares fuiſſe, ſcilicet ſecundum lunæ curſum, qui conficitur diebus 29. & horis 12. tantum enim intercedit ab una lunæ apparitione uſque ad alteram; 12. autem horæ additæ ſecundo menſi faciebant eum 30. dierum. Ita Hebræis ſemper alter menſis erat 29. dierum, alter 30. & quia deerant dies aliquot ad annum ſolarem, addebant ſpatio 19. annorum ſepties menſem unum, anno ſcilicet 3. 6. 8. 11. 14. 17. & 19. ita anni lunares fiebant ſolaribus æquales. Incipiebat autem annus ſemper a luna propinquiori AEquinoctio vernali, fereque conſtabat primus menſis parte martii & aprilis.

V. 3. Decima, &c. Id præceptum ſolum ad illud primum paſcha pertinebat, ut quidam aiunt: itemque quod intra dicitur de ſuperliminari, & poſtibus tingendis ſanguine. Et domos; pro, id eſt domos.

V. 5. Macula, id eſt vitio; quaſi dicat, integer, cui nihil deſit. Hebr. *Perfectus*. Anniculus, id eſt unius anni, ſcilicet non maior. Et hoedum; quaſi dicat: Accipite vel agnum, vel hœdum. Hebr. *Ex ovibus, aut capris accipietis*.

V. 6. Ad vesperam. Hebr. *Inter duas veſperas*; id eſt, inter occaſum ſolis, & obſcuram noctem. Vide Exod. xxx. Deut. xvi.

V. 8. Cum lactucis agrestibus. Cichoriam quidam putant; alii endiviam. Hebr. *Cum amaritudinibus* id eſt *cum herbis amaris*, ut vertit Chald. & LXX.

V. 9. Crudum, id eſt non plene aſſum. Pedibus: ſic LXX. at Hebr. & Chald. *Cruribus*. Intestinis, ſcilicet prius lotis, & abiectis fæcibus.

V. 10. Usque mane. Hic LXX. addunt, *Et os non confringetis* (ſeu *comminuetis*) *ex eo*: quod citatur Ioan. xix. Residuum, ſcilicet oſſa. Auguſt. in Exod. qu. xli. Hebr. *Si quid reſiduum fuerit uſque mane*.

V. 11. Festinanter, ſcilicet ad cæleſtem patriam anhelandum. Gregor Phase. Hebr. *Peſach*. Chald. *Paſcha*: id quod Eccleſiæ uſu retentum. Domini, ſcilicet percutientis per Angelum AEgyptios, ut infra dicitur.

V. 12. Et transibo; pro, quia tranſibo, ſcilicet in Angelo. Diis, ſcilicet deiiciens. Dicuntur quidem illa nocte omnia deorum ſimulacra corruiſſe.

V. 13. Vobis, id eſt in veſtram utilitatem. Signum, ſcilicet Angelo percutiente.

V. 14. Monumentum, ſcilicet tanti beneficii. Generationibus, id eſt ætatibus, ſcilicet poſteritate. Cultu. Hebr. *Statuto*. Sempiterno, ſcilicet quamdiu lex duraverit.

V. 15. Peribit. Vide Num. xix.

V. 16. Atque solemnis. Hebr. *Convocatio*: ſcilicet ſolebat in ſolemnitatibus populus convocari. Exceptis, &c. quaſi dicat: Licebit tamen cibum parare.

V. 17. Azyma, ſcilicet in ſignum liberationis ab amaritudine ſpiritus.

V. 21. Animal. Hebr. *Pecus*. Phase, id eſt victimam paſchalem.

V. 22. Hyssopi. Vulgo, *origanum*. In limine. Hebr. *In pelvi*. Chald. *in vaſe*. LXX. *ad ianuam*. Usque mane, ſcilicet ſponte ob aliquam incidentem cauſam: coacti quidem poſtea ſunt ab AEgyptiis noctu abire.

V. 23. Percussorem, ſcilicet angelum malum, ut indicatur Pſal. lxxvii.

V. 24. Legitimum, id eſt ex lege ſervandum. Hebr. *Statutum*.

V. 25. Caeremonias, id eſt ritum. Hebraice *Servitium*, ſeu *cultum*.

V. 29. Sedebat; pro, ſeſſurus erat. Captivae. Sic etiam Chald. & LXX. Alii, *captivi*.

V. 30. Domus, ſcilicet ubi eſſet primogenitus: vel hyperbole eſt, pro fere domus.

V. 32. Benedicite mihi; id eſt, orate pro me.

V. 34. Conspersam, ſcilicet aqua; quaſi dicat, Maſſam.

V. 36. Spoliaverunt, ſcilicet pro mercede eis debita ob operas. Tertull. IV. contra Marc.

V. 37. Socoth, id eſt tabernacula, quod ibi primum tabernacula tetendiſſent. Hieron. Epiſt. cxxvii.

V. 39. Nec pulmenti quidquam, &c. Hebr. *Nec ſibi cibos paraverant*.

V. 40. In AEgypto. LXX. *In AEgypto & in terra Chanaan quadringentorum triginta annorum*: ſcilicet computandorum a tempore quo Abraham cœpit in AEgypto peregrinari.

V. 41. Eadem die, id eſt ipſa die, de qua ſupra.

V. 42. Domini. Hebraice, *Domino*; quaſi dicat, Feſta in Domini honorem.

V. 43. Religio. Hebraice, *Lex*, ſeu *ſtatutum*. Chald. *Ritus*. LXX. *Lex*.

V. 45. Advena et mercenarius, id eſt alienigena qui apud vos diverſatur, aut operas ſuas locat.

ESTII.

Verſ. 5. Erit autem agnus sine macula, masculus, anniculus: iuxta quem ritum tolletis et hoedum. Non vult Dominus ut præter agnum etiam

etiam hœdum immolet tota multitudo filiorum Iſrael; ſed ut agnum immolent, vel certe hœdum, ſi agnus ad manum non ſit. Hunc ſenſum ſuggerunt Hebræa, Græca, & Chaldaica. Unde quod dicitur in officio Eccleſiaſtico: *Immolabit hœdum omnis multitudo, &c.* figurate dictum eſt, & ſub hœdo etiam agnum comprehendere oportet. Hebræa ſic habent: *Agnus perfectus, maſculus, anniculus erit vobis, ex ovibus & ex capris accipietis*. Quod Burgenſis ſic exponit: *Ex grege, in quo ſere ſolent eſſe oves & capræ commixtæ, accipietis eum, id eſt, ut ipſe vult, agnum*. Tamen non erat Hebræis in conſuetudine ut hœdum immolarent, ſed tantum agnum. Nec Chriſtus hœdum cum diſcipulis manducat, ſed agnum.

V. 6. Immolabitque eum universa multitudo. Sic & infra verſ. 47. *Omnis cœtus filiorum Iſrael faciet illud*. Quæritur an per ſe, an per ſacerdotes? Legitur IV. Reg. xxiii. quod, Ioſia rege præcipiente, factum fuerit ab univerſo populo Phaſe Domino in Ieruſalem, idque ſecundum quod ſcriptum erat in libro Fœderis: de quo plenius II. Paralip. xxxv. ubi levitis præcipitur ut immolent Phaſe, ac tandem ſubiungitur: *Et immolatum eſt Phaſe: aſperſeruntque ſacerdotes manu ſua ſanguinem, & levitæ detraxerunt pelles holocauſtorum: & ſeparaverunt ea* (intellige quæ mactaverant) *ut darent per domos, & familias ſingulorum, ut offerrentur Domino, ſicut ſcriptum eſt in libro Moyſi*. Et ſimilia ſunt III. Eſdræ 1. & prius de Paſchate celebrato iuſſu Ezechiæ, ſimiliter miniſterio ſacerdotum & levitarum II. Paralip. xxx. Adde quod Exod. xxxiii. & xxxiv. itemque Deut. xvi. præcipiatur, ut in ſolemnitate azymorum omne maſculinum appareat in conſpectu Dei in loco quem elegerit. Ex quibus omnibus videri poſſet, quod iſta immolatio agni paſchalis tantum fieret per ſacerdotes in loco ſacrificiis deputato, quodque agnus immolatus deinde comederetur domi per familias. Nihilominus aliorum ſententia eſt, agnum paſchalem domi a patrefamilias potuiſſe immolari. Cui ſententiæ multum ſavet quod hoc capite verſ. 21. dicitur Moyſes vocaſſe omnes ſeniores filiorum Iſrael, & ad eos dixiſſe: *Ite tollentes animal per familias veſtras, & immolate Phaſe*, ubi nulla ſacerdotum mentio. Adde quod ſacerdotes tunc nondum erant inſtituti. Vide etiam Baronium Tom. I. Annal. anno Chriſti 34. f. 179. referentem verba Philonis, quibus dicitur, ipſos patresfamilias mactaſſe, & in hac parte functos fuiſſe officio ſacerdotum. Et nota, Philonem, utpote Iudæum, non potuiſſe ignorare morem a Iudæis obſervari ſolitum in immolatione paſchalis agni. Sed quid dicemus ad Scripturas II. Paralip. xxx. & xxxv? An illæ loquuntur de aliis ſacrificiis?

V. 7. Ac ponent super utrumque postem, et in superliminaribus: & verſ. 22. *Et aſpergite ex eo ſuperliminare, & utrumque poſtem*. Beda hom. in Cœna Domini dicit, quod ſicut tranſitus Evangelicus conſecratus eſt ſanguine fuſo in cruce, ita tranſitus legalis ſanguine in crucis modum, medio limine & ſuperliminari, mediis aſperſo in poſtibus.

V. 14. In generationibus vestris cultu sempiterno: ſic & verſ. 17. *ritu perpetuo*. Quomodo ſempiternitas hæc accipi debeat, vide Auguſtinum in Quæſt. ubi æternum exponit quod ita inſtituitur per ſucceſſiones temporum obſervandum ut nefas ſit prætermittere, aut ſponte mutare. Nec male Lyranus ſempiternum interpretatur id quod eſt abſque determinatione temporis.

V. 23. Et non sinet percussorem ingredi. Percuſſorem, Angelum intelligit. Sed quæritur, bonus ne fuerit, an malus? Gloſſa ordinaria Strabi non vult inquiri, bonus an malus fuerit. Auguſtinus exponens Pſalm. lxxvii, ad illud, *Immiſſiones per angelos malos*, putat Angelum percuſſorem primogenitorum fuiſſe angelum malum: item Rupertus, & Toſtatus. Attamen qui ſubmerſit AEgyptios, bonus fuit, ut conſtat infra cap. xiv. ergo & qui percuſſit primogenita: nam eſt par ratio, & utrumque æque conveniebat Angelo liberatori. Vel poteſt dici, quod etiam in percuſſione primogenitorum intervenerit opera malorum angelorum, qua uſus ſit ad AEgyptios percutiendos Angelus bonus, tamquam princeps Chriſtum repræſentans, uti iudicem & vindicem peccatorum. Et ſimile quid poteſt etiam dici de aliis percuſſionibus, ut quando Angelus Domini percuſſit peſte populum Iſrae-

Digitized by Google

ſraeliticum tempore Davidis, & quando percuſſit caſtra Aſſyriorum.

V. 30. NEQUE ENIM ERAT DOMUS IN QUA NON IACERET MORTUUS. Intellige de domo in qua erat primogenitus. Sed quid ſi pluresessent primogeniti in eadem domo, ut filius, & pater, & privignus? Reſpondeo more Scripturæ: Primogenitus alicuius familiæ vel domus vocatur, qui in ea domo vel ſamilia eſt primogenitus. At pater alicuius familiæ non erat illius familiæ primogenitus; ſed erat, & dicebatur illius familiæ pater: ita nec privignus erat familiæ primogenitus. Unde non eſt neceſſe dicere, in una aliqua familia fuiſſe plures occiſos.

V. 36. ET SPOLIAVERUNT AEGYPTIOS. Vide explicatum cap. præcedenti verſ. 2.

V. 40. HABITATIO AUTEM FILIORUM ISRAEL QUA MANSERUNT IN AEGYPTO FUIT QUADRINGENTORUM TRIGINTA ANNORUM. In hoc annorum numero debere comprehendi totum illud tempus quod fuit inter promiſſionem Abrahæ factam Geneſ. xv. & exitum filiorum Iſrael de AEgypto, oſtendimus illo loco Geneſeos. Oſtendit id etiam Auguſtinus quæſt. xlvii. in Exodum prolixe de ea re diſſerens. Idem ſentit Euſebius in Chron. Manifeſtiſſime autem oſtenditur ex Galat. iii. ubi Apoſtolus teſtatur legem quadringentis triginta annis datam poſt promiſſionem. Septuaginta interpretes hoc loco ita legunt: *Incolatus filiorum Iſrael quem incoluerunt in terra AEgypti, & in terra Chanaan, ipſi & patres eorum, anni quadringenti triginta*. Quæ lectio nullam habet quæſtionem. Quod autem nos legimus, ita accipi poteſt, ut habitatio eorum in AEgypto fuerit uſque ad finem quadringentorum triginta annorum poſt factam primitus promiſſionem. Vide etiam, ut diximus, ſupra Geneſ. xv.

MARIANAE.

Verſ. 2. MENSIS ISTE, VOBIS PRINCIPIUM MENSIUM. Ante principium menſium erat Tiſri, qui incidit in ſeptembrem, quod tunc crederent mundum conditum; idque in Actis publicis modo ſervant, ut Tiſri ſit primus anni menſis. Poſthac Niſan in martium incidens, quo ad feſta primus eſt habitus.

V. 3. TOLLAT UNUSQUISQUE AGNUM שה *ſeh*, *pecudem* potius, propter id quod dicitur verſ. 5. poſſe tam de ovibus quam de capris ſumi hoſtiam. Addit: PER FAMILIAS ET DOMOS SUAS. Hebr. *Pecudem per domum patrum*. *Pecudem per domum*, ſignificat, ubi eſſet paterfamilias, ibi mactandam pecudem: & quoniam poterant eſſe domus viduarum, aut cælibum, addit in univerſum, *pecudem per domum*.

V. 4. QUAE SUFFICERE POSSUNT AD ESUM AGNI, animas ſcilicet tot aſſumetis. Hebr. *Virum* (id eſt viros) *ſecundum comedere eius* (id eſt pro magnitudine pecudis) *numerabitis ſuper pecudem*. Sententiam expreſſit Hieron. de verbis non ſolicitus.

V. 5. IUXTA QUEM RITUM TOLLETIS ET HOEDUM. Hebr. *De ovibus & de capris accipietis*. Hieron. qui ſuperius pro *pecude* poſuit *agnum*, ne ſibi videretur contrarius, quaſi legem novam, nec comprehenſam in ſuperioribus, hic addit, & loquitur de *hœdis*: unde ſuſpicari quis poſſit, debere ſingulos accipere agnum ſimul & hœdum: quod non eſt ita.

V. 8. CUM LACTUCIS AGRESTIBUS. Hebraice, *Cum amaritudinibus*. Septuag. & Chald. *cum herbis amaris*. Monimentum id erat amaritudinis in AEgypto ſuſceptæ.

V. 11. CALCEAMENTA HABEBITIS, propter feſtinationem. Alioqui accumbentes calceos detrahebant, uti ex Martiali, & Terentio conſtat. COMEDETIS FESTINANTER. Iudæi Paſcha comedunt non ſolum ſtantes, ſed & ambulantes circum menſam, ut dicunt in ſuo Rituali מסבין *meſubin*, *gyrantes*. EST ENIM PHASE (IDEST TRANSITUS) DOMINI. Vox *Paſcha* non a *πάσχω*, id eſt *patior*, deducitur, ſed a verbo Hebraico, quod *tranſire* ſignificat.

V. 12. ET IN CUNCTIS DIIS AEGYPTI FACIAM IUDICIA. Forte ſubvertit idola.

V. 14. CELEBRABITIS EAM SOLEMNEM. חג *hagh* ſignificat *feſtum*, ut verterunt Sept. & eodem reſpexit Hieron, cum dixit *ſolemnem*. Significat etiam *victimam*: Pſalm. cxvii. verſ. 27. *Conſtituite diem*

diem ſolemnem in condenſis uſque ad cornu altaris. Hebr. *Vincite victimam funibus uſque ad cornu altaris*, nempe quouſque eo deducatur, ubi mactanda eſt. Iuxta hanc ſignificationem ſenſus loci erit, Celebrabitis in eo victimam Domino.

V. 15. SEPTEM DIEBUS AZYMA COMEDETIS: IN DIE PRIMO NON ERIT FERMENTUM. Ex hoc loco colligunt Iudæi, die præcedenti ſeptem illos dies azymorum, hoc eſt die quartadecima lunæ non debere eſſe fermentum: quoniam Hebraice legitur אך ביום הראשון. *Verumtamen aut*, *etiam in priori die*, certe qui illos ſeptem præcedit: ſic illi explicant, & obſervant.

V. 17. IN EADEM ENIM IPSA DIE EDUCAM EXERCITUM VESTRUM. Pagnin. *Quia in corpore diei huius*: ſed familiare eſt Hebræis, ut עצם *hezem*, quod eſt *corpus*, ſumant pro pronomine ipſe, ipſa, ipſum.

V. 21. TOLLENTES ANIMAL. Gregem potius, id eſt צאן *zon*: ſignificat ovium, & caprarum multitudinem. *Tollite ergo gregem*, id eſt de grege. Sept. dixerunt *agnum*, non recte. Chald. *de filiis ovium*, quod perinde eſt.

V. 22. TINGITE IN SANGUINE QUI EST IN LIMINE. Plerique, *Qui eſt in vaſe* aut *pelvi*. Sed סף *ſaph* utrumque ſignificat, *vas*, & *limen*; & utrumque verum, ut vas ſanguine plenum in limine poneretur.

V. 29. CAPTIVAE, QUAE ERAT IN CARCERE, percuſſit ſcilicet filium. Hebr. *In domo putei*, id eſt carcere, ſic dicto, quod carcer in putei formam, & rotundus eſſet, uti in Geneſ. dictum eſt cap. XL. verſ. 15.

V. 34. CONSPERSAM FARINAM, nempe maſſam antequam fermentaretur. Hebr. ſequitur משארותם *miſarotham*, quam vocem plerique ſignificare putant *maſſas eorum*, quod Hieron. ſecutus, quaſi repetitionem prætermiſit. Quidam putant *eſcas alias* ſignificare, & *commeatum* a voce שאר *ſeer*, id eſt *carne*, quas ligaverint in palliis. Verum verſ. 39. dicitur pulmenti nihil eos extuliſſe.

V. 37. ABSQUE PARVULIS. Profecti ſunt fere ſexcenta millia viri. Hebr. מטף *mitaph*, quod plerique vertunt *abſque parvulis*. Quidam codices addunt, *& mulieribus*, quod Hieronymum de ſuo addidiſſe nonnulli putant. Chald. *præter familiam*: & id fortaſſe ſignificat ea vox in Geneſ. Hebr. quando Ioſeph dabat alimenta iuxta parvulorum numerum, cap. XLVII. verſ. 12. melius eo loco reddas *iuxta familiam*, ut dixit eo etiam loco Chald. nam alii Interpretes ibi *parvulos* interpretantur. Quod ſi ita eſt, bene Hieronymus poſuerit *abſque parvulis*, *& mulieribus*, nam ex iis conſtat familia.

V. 40. QUADRINGENTORUM TRIGINTA ANNORUM. Communis ſententia eſt, manſiſſe Iudæos in AEgypto 210. annos, non amplius. Sed quomodo hi anni 430. ſint computandi, magna quæſtio. Hinc ſumpta occaſio ut Septuaginta dicerent: *Habitatio filiorum Iſrael in terra AEgypti*, *& in terra Chanaan*, *ipſi & patres eorum*, *quadringenti triginta anni*. Verum Geneſ. XV. verſ. 13. peregrinationis, & ſervitutis 400. anni ponuntur, non amplius. De qua re plura ibi.

MALVENDAE.

Verſ. 1. DIXIT QUOQUE DOMINUS. Notant, ante triduanas tenebras, cap. X. 22. iſta locutum Dominum ad Moſen: unde per pluſquam perfectum convertunt: *Allocutus autem fuerat Iehova Moſen*: id quod evincunt e verſ. 6. nam peſah ex grege ſeligunt quatriduo antequam mactetur in paſchate: quod facere non potuiſſent niſi inter hoc mandatum ſeponendi peſach, & paſchatis tempus verſ. 28. quatriduum interceſſiſſet, nempe triduum tenebrarum, & dies ſequens quo Moſes cum Pharaone poſtremo locutus, cædem primogenitorum proxima nocte, qua Iſraelitæ peſach mactaverunt, denuntiavit, cap. XI. verſ. 4. & 5. Atqui propterea Moſen uſum hac hyſteroſi, ut ibi integram hiſtoriam plagarum ferme coniungeret, & abſolveret, nec eam interrumperet inferendo mandatum celebrandi paſchatis; hoc vero capite hiſtoriam paſchatis uno contextu percurreret.

V. 2. MENSIS ISTE, qui poſtea Chaldaice dictus eſt ניסן *nijan* Nehem. II. 1. Eſther. III. 7. Quidam deducunt נוס *nus*, quod eo menſe ex AEgypto fugerint Iſraelitæ, vel quod tunc frigus aufugiat. Alii a נס *nes*, *vexillo*, quod eo menſe vere no-

novo vireſcentes campi vexillorum ſpeciem præbeant. Hebraice dicitur אביב *abib*, infra cap. XIII. 4. cap. XXIII. 13. de qua voce egimus cap. IX. 31. reſpondet Martio. PRINCIPIUM MENSIUM: PRIMUS ERIT IN MENSIBUS ANNI. Obſervant, Hebræos ante exodum, iam ab ipſis primis parentibus, aliud habuiſſe anni principium, nimirum æquinoctium autumnale, menſemque Thiſri, qui Septembri reſpondet. *Anni*, ſacri, intelligunt: nam aiunt, Hebræos duplex anni principium, ſeu duplicem annum conſtituere, ſacrum, & civilem ſeu vulgarem: ſacrum, quo ad ferias, & feſta, cuius initium erat menſis Niſan, ſeu vernum æquinoctium, ut hoc verſu ſtatuitur; civilem, reſpectu iubilæi, intermiſſionis terræ, proventuum, contractuum; eiuſque initium erat menſis ſeptimus Thiſri, ſeu æquinoctium autumnale, infra cap. XXIII. 16. Ioſephus I. Originum, cap. IV. agens de diluvio: *Contigit autem hæc vaſtitas anno ætatis Noe ſexcenteſimo, menſe ſecundo; qui Dius a Macedonibus vocatur, ab Hebræis Marcheſuan*; qui immediate ſequitur ipſum Thiſri, Octobrique reſpondet: *Sic enim AEgyptii diſtinxerunt annum: Moſes autem Niſan, qui eſt Xanticus, menſem primum in ſuis faſtis ordinavit, quod per hunc Hebræos ex AEgypto eduxiſſet: eumdem etiam omnium quæ ad rem divinam pertinerent, exordium fecit: alioqui quod ad nundinationes rerum venalium, reliquamque diſpenſationem anni attinet, nihil de priſtino ritu innovavit.*

V. 3. AGNUM. שה *ſeh* generale nomen eſſe aiunt, & tam de ove, quam de capra dici in utroque genere: *pecudem* univerſe exponunt: & de una tantum dici, non collective, ut צאן *tzon*. Hebræi, & plerique noſtrum *parvam pecudem* interpretantur.

V. 4. IUXTA NUMERUM ANIMARUM. Hebr. reddunt, *Secundum acceſſionem, annumerationem, collationem, contributionem, computationem, ſuputationem*. Meliora exemplaria legunt *Beth*, *In acceſſione, annumeratione, &c.* id eſt, pro numero. Tremellius, & Iunius infarctionibus miſere hunc verſum excruciarunt: *Si vero minor fuerit aliqua familia quam ut ſit ſuperior parva pecude*, vel *quam ut ſit par edendæ parvæ pecudi, accipiet ipſe* paterfamilias, *& vicinus eius, qui proximus eſt domui eius*, parvam pecudem *pro numero animarum, quiſque ſecundum comedere ſuum*, vel *pro ratione cibi ſui, numerabitis ad ipſam parvam pecudem* comedendam. Licentia hæc ſubauditionum non niſi parciſſime & neceſſariiſſime ſumenda: alioqui eſt pro ſenſus ſui libidine Scripturam torquere. Senſum mirifice Noſter expoſuit; nos verba reddidimus.

V. 6. AD VESPERAM. Deuter. XVI. 6. *Mactabis peſach in veſpera ſecundum venire ſolem*, vel *iuxta, circa, circiter ingredi, occumbere ſolem*: Noſter, *Ad ſolis occaſum*. Hebræa hoc loco, *Inter utramque veſperam*, vel *inter duas veſperas*: nam ערבים *gharbaiim* eſt duale. De duabus his veſperis quanta hic ab Explanatoribus congeries diſputationum! Ego breviter cum eruditis quibuſque exiſtimo, primam veſperam eſſe ab hora nona diei Iudaica, quæ tertiæ noſtræ pomeridianæ reſpondet, quando iam ſol in occaſum properat, uſque ad undecimam, ſeu noctem ineuntem: ſecundam veſperam eſſe vel ſolis occubitum, vel crepuſculum, vel noctem ipſam. Ioſephus Lib. VII. Belli, cap. XVII. de mactatione Peſach. *Quando a nona quidem hora uſque ad undecimam hoſtias cædunt*. Eſt quidem tempus inter duas veſperas, duarum minimum horarum in æquinoctio verno.

V. 7. ET IN SUPERLIMINARIBUS. Heb. *Et ſuper ſuperliminari*, ſeu *proſpectu*, Italice *Facciata*. Nonnulli Hebræorum משקוף *maſchkoph* eſſe aiunt *feneſtram in ſuperliminari, per quam ex alto proſpicitur ſuper pulſantem fores*. Cauſa huius mandati exponitur infra verſ. 13. unde temporarium tantum volunt hunc eſſe ritum illius tantum paſchatis AEgyptiaci, ante exitum.

V. 8. CUM LACTUCIS AGRESTIBUS. Hebr. *Super amara, amarores, amaritudines*. Quidam, *Cum herbis amaris*, vel *amariginibus*: aliqui, *Cum armoraceis*, id eſt raphanis ſilveſtribus. LXX. πικρίδων hic reddiderunt. Plinius Lib. XIX. cap. VIII. de lactucæ generibus: *Peſſimum autem genus, cum exprobratione amaritudinis, appellavere picrida*. Picridas eſſe cichorii, ſeu intybi ſpeciem Theophraſtus Lib. VII. Hiſtoriæ Plantarum cap. XI. & Dioſcorides cap. CLX. docent. Hinc illud Virgilii I. Georgicorum

..... *& amaris intyba fibris*.

VI-

Vide Lævinum Lemnium de Herbis Biblicis cap. IV. Repetitur id mandatum Num. IX. II. conſentiunt omnes, fuiſſe in monumentum amaræ ſervitutis, qua ab AEgyptiis preſſi fuerunt, ſupra cap. I. 14.

V. 9. CRUDUM. נא *na* hoc loco tantum in Scriptura reperitur ſignificare *crudum*, id eſt non ſatis ac bene coctum, ſeu aſſatum: *ſemicoctum*, exponunt. Aiunt in eo ſignificato eſſe vocem Arabicam; quod verum eſt. Quidam deducunt a נוא *noa* redduntque *fractum, diſſectum*: quod non eſſet agnus frangendus, aut diſſecandus in partes, ſed integer aſſandus. NEC COCTUM AQUA. Hebr. *Et coctionem, cocturam, elixationem, coctam, elixatam, aqua*: alii, *Et coctile, coctum aqua*, vel *elixum, elixum aqua*: quidam, per infinitum, *Et coquere* (coquenda) *coctum aqua*. Athenæus Lib. I. cap. 8. *Homerus heroibus, & regibus pariter ac privatis victum ſimplicem tribuit, nempe carnes aſſas*. Servius in I. AEneidos: *Heroicis enim temporibus carne non veſcebantur elixa*.

V. 10. NEC REMANEBIT QUIDQUAM EX EO. Quidam intelligunt non ſolum ex carne, & inteſtinis, ſed ex pelle etiam, oſſibus, &c. SI QUID RESIDUUM FUERIT, IGNE COMBURETIS. Hinc accepiſſe videntur antiqui ut in ſacrificio quod vocabatur *Protervia*, ſi quid ex epulis ſuperfuiſſet, igne conſumeretur, inquit Macrobius Lib. II. Saturnalior. cap. II. vide Chiliadis I. Centuriæ IX. Adagium 44. Adrianus Turnebus Lib. IX. adverſariorum IV. in Macrobio, pro *Protervia*, *Propter viam* legendum vult, ex Feſto, qui habet: *Proter viam fit ſacrificium, quod fit proficiſcendi gratia, &c.* quod hic Hebræis proficiſcentibus congruit. De ſacrificio Propter viam etiam vide Nonium cap. I. ſ. 264.

V. II. RENES VESTROS ACCINGETIS. Hebr. *Lumbi veſtri ſuccincti*; habitus expeditis ad iter, II. Regum IV. 29. CALCEAMENTA HABEBITIS IN PEDIBUS. Nonnulli putant quod alias cœnaturi *calceos* deponerent, ut apud Romanos. Martialis Lib. V.

Depoſui ſoleas...

Terentius.

Accurrunt ſervi, ſoleas detrahunt.

Plinius Lib. VIII. cap. VII. *Quam multi cum lector, aut lyriſtes, aut comedus inductus eſt, calceos poſcunt*: ut ſcilicet abeant e cœna. Melius alii, quod eſſent parati ad iter: nam calceamenta ad iter parabantur, & itinerantes erant calceati, cum alias ſoleis uterentur, Epheſior. VI. 15. TENENTES BACULOS IN MANIBUS AD ITER; ut II. Regum IV. 29. Totus hic verſus præcipit Iſraelitis ut edant peſach, omnino iam comparati ad iter, quaſi iam iam abituri. FESTINANTER. בחפזון *bechiphphazon* reddunt, *Cum feſtinatione, trepidatione, abreptione, ſubtractione, ſubductione, præcipitantia, affeſtinantia*, ut cum quis celeriter, trepide, præcipitanter, affeſtinanter ſe abripit, præripit, ſubtrahit, ſubducit pavidus metu periculi. Vocem *affeſtinantiam*, ſi Latina eſſet, recte exprimere Hebraicum aiunt. Sic Deut. XVI. 3. Obſervant, ſex ritus in celebratione huius AEgyptiaci & primi paſchatis adhibitos, qui temporarium tantum & mandatum, & cauſam habuerint: & ad hoc tantum paſcha ante exodum pertinuerint, nec in anniverſaria deinceps paſchatis celebratione ullo divino mandato, aut præſcriptos, aut uſurpatos. I. tinctionem ſanguinis agni in poſtibus & ſuperliminaribus domorum, verſ. 7. II. ut accincti lumbos. III. ut calceati. IV. ut cum baculis in manibus. V. ut cum feſtinatione comederent, verſ. II. VI. ut tota illa nocte uſque mane pedem domo non efferrent, verſ. 22. Hos enim ritus manifeſtam temporariam cauſam pro loco, & occaſione præſenti dumtaxat habuiſſe: & eorum mandatum non niſi temporarium fuiſſe illius ſolummodo paſchatis, quod tunc in AEgypto celebratum eſt. Quapropter in inſtitutione anniverſarii ritus paſchatis, infra verſ. 14. & ſeqq. & Numer. IX. verſ. 2. & ſeqq. neque ii ritus repetuntur, neque præſcribuntur. Ac proinde Chriſtum in celebratione paſchatis diſcumbentem, & poſt eius eſum in hortum exeuntem minime contra legem feciſſe. EST ENIM PHASE. Heb. *Peſach ipſa Domino*, vel *Domini*. פסח *peſach* proprie *tranſilitio, tranſultatio, tranſultus*, quando per intervalla de loco ad locum, vel de latere in latus, relinquendo aliquid in medio, tranſilitur, & tranſultatur: *tranſaltatio*, quod tum Dominus tranſaltaverit & tranſilierit ab una domo AEgyptiorum in aliam interficiendo primogenita, relictis in medio domibus Hebræorum intactis & il-

O 2

illæſis. Hic biſariam exponunt. I. Iam iam imminet vel inſtat tranſaltatio Domini, ſeu hora, qua Dominus tranſultaturus, vel præteriturus eſt vos, percuſſis AEgyptiis. II. Hæc pecus immolata, eſt peſach, id eſt tranſitus, ſeu tranſaltatio, nempe ſignificat tranſaltationem, qua Dominus ſaltaturus, vel tranſiliturus eſt domos veſtras, percuſſis AEgyptiis: vel mactatur in memoriam & monumentum æternum memorandi illius facinoris quo Deus primogenita AEgyptiorum delevit, tranſiliendo domos Hebræorum. Rationem nominis ſtatim verſu 13. ſequenti declarat.

V. 12. Et in cunctis diis AEgypti faciam iudicia; id eſt, de omnibus idolis AEgypti ſumam pœnas legitimas, exercebo in eos iudicia mea, iis deiectis, confractis, comminutis. Alii exponunt: *Faciam iudicia*; hoc eſt, iudiciis meis declarabo quam vani ſint, fallaces, & omni facultate opis ferendæ deſtituti. Sic Numeror. xxxiii. 4. Nonnulli: *Faciam iudicia*, id eſt miracula, mirabilia, facta & opera memorabilia. Vide ſupra cap. vi. 6. S. Hieronymus epiſt. cxxvii. manſione 1. *Illud Hebræi autumant, quod nocte, qua egreſſus eſt populus, omnia in AEgypto templa deſtructa ſint, ſive motu terræ, ſive ictu fulminis.*

V. 16. Dies prima erit sancta, atque solemnis. Hebr. *Et in die prima convocatio ſanctitatis.* Quidam exponunt, *Proclamatio, indictio ſanctitatis*; id eſt. dies ſancta, & ſolemnis, in qua convocari iubetur populus, ut a reliquis vitæ negotiis vacans, conveniat, & ſacris incumbat. Et dies septima eadem festivitate venerabilis. Notant quidam, Hebræos uno ore tradere, ſeptem dies interceſſiſſe inter profectionem Iſraelitarum ex AEgypto, & AEgyptiorum ſubmerſionem; ideoque mandatum fuiſſe ut primus, & ultimus ſeu ſeptimus dies præ ceteris intermediis celebrarentur, quia cap. xiv. 30. dicitur Iehova eo die, quo ſubmerſi ſunt AEgyptii, ſervaſſe Iſraelitas e manu AEgyptiorum. Quam Hebræorum ſententiam veriſimilem putant: tum quia quemadmodum primo die in eſu paſchatis fuit ſancta convocatio, ſic ſubmerſis AEgyptiis, per convocationem ſanctam Cantico Moſis Deus celebratus eſt: tum quia itinerum rationi cum hac ſententia optime convenit: nam Succotas decimoquinto venerunt, Ethanium decimo ſeptimo, ad fauces Chirotharum decimo octavo, ubi iuſſu Dei ſubſtiterunt expectantes adventum hoſtium: die vigeſimo occurrit Pharaonis exercitus, nocte vero ſequente Iſraelitæ traiiciunt mare, & AEgyptii ſubmerguntur. Itaque hos duos dies primum & ſeptimum azymorum Deus celebriores eſſe voluit, quod in his duo præclariſſima facinora in gratiam Iſraelitarum ediderit: in primo interſecit primogenita AEgyptiorum, in ſeptimo ſubmerſit Pharaonem, & AEgyptios in Mari rubro.

V. 22. Hyssopi. אזוב *ezob*, Rabbi David Kimchi ait eſſe *origanum*: Franciſcus Georgius *roſmarinum*, ſeu *libanotim*: Valentinus Schindlerus, *parietariam*, ſeu *rutam murariam*, ſeu *adiantum*, *capillum veneris*, de qua Dioſcorides cap. cxxxi. *Umbroſis, & paluſtribus circa parietum aſpergines, & fontium ſpecus enaſcitur.* Arabes vocant *chuſbar albir*, *coriandrum putei.* Hiſpani *culantrillo de pozo*. Franciſcus Iunius prius dixerat *muſcum*, ſeu *muſcum marinum*; deinde voluit eſſe latæ ſignificationis, ut Arabicum *tzaghathar*, quod Kimchi idem eſſe cum *ezob* annotavit; ac univerſe complecti & *hyſſopum*, & omnia *origani* genera, & *thymbram*, & *thimum*, & *ſatureiam*, quæ ſunt affinia; per excellentiam tamen anguſtius ſignificare *hyſſopum*: nam quia *ezob* ad fluxus, tuſſim, duritias, collectiones, & manantia ulcera utilis eſt, quæ indicantur ethymo, ſiquidem זוב *zub fluere eſt*, ſpeciatim hac voce *hyſſopus* deſignatur, quæ principatum in eo genere obtinet. Hebræi ſeptem אזוב *ezob* ſpecies tradunt, inter quas unam nominant אברתא *abratha*, quam *abrotanum* putat Mercerus. Oleaſtrius *ezob* interpretatur *aſpergillum*, ſeu *aſperſorium*, a *zub*, *fluere*, quaſi *fuſorium*: & quamvis alicubi poſſit id ſignificare, nempe *aſpergillum*, quod ex faſciculo eius herbæ fieret, uti Pſalm. L. 9. at herbam eſſe humilem, & parietariam perſpicue conſtat e I. Regum iv. 33. De *ezob*, ſeu hyſſopo diſputarunt Druſius in Notis ad Librum Numerorum, cap. lxxv. & Caſaubonus Exercitatione Baroniana xvi. diatriba 89. Fungerus in Trilingui Ethymologico. Ego facile exiſtimo LXX. & Noſtrum dixiſſe *hyſſopum*, non quidem in ſignificatione hyſſopi herbæ Græcis & Lati-

nis

Digitized by Google

nis notæ; ſed reliquiſſe vocem Hebraicam אזוב *ezob* obſcuræ & incertæ ſignificationis, ſed ad ſonum Latinum ſeu Græcum aptatam. Vide Exodi VIII. verſ. 16. QUI EST IN LIMINE. *Saph* & *limen*, & *vas* ſignificare, non eſt dubium: unde hic ſere omnes reddunt, *In pelvi*, *pixiala*, *cratere*, *hydria*, *ſcypho*, *malluvio*. Quidam aiunt eſſe *vas*, *quod ad limen domus*, *ut in promptu eſſe*, *conſtituebatur*. Valentine dicimus *ſapha*, quod Caſtellani voce Arabica vocant *almoſia*.

V. 34. CONSPERSAM FARINAM. בצק *batzek* Paulus Rom. IX. 21. XI. 16. I. Cor. V. verſ. 6. & 7. φύραμα vertit: eſt proprie φύραμα *maſſa farinæ ſubacta*, *& humore macerata ad panificium*, *materia pinſata*, *& ſubacta*. Paulus Rom. IX. 21. etiam de maſſa figuli uſurpavit. Ergo *batzek* reddunt *farinam*, *aqua maceratam*, *ſubactam*, *maſſam conſperſam*, *paſtam*, *conſperſionem*, *conſperſionem turgeſcentem*, *intumeſcentem*. Sed paſta non intumeſcit niſi indatur ei fermentum. Quidam ſubſtantive exponunt *maceratam*. ET LIGANS IN PALLIIS. Varie Hebræa exprimunt: *Pilas ſuas piſtorias*, *mactras*, *magidas ſuas*, *ligatas in veſtimentis ſuis*, ideſt vaſa in quibus ſervabatur maſſa illa. Alii ſubaudiunt præpoſitionem *in*: *maceratam ſuam in mactris ſuis*, *ligatis in veſtimentis ſuis*. Nonnulli *reliquias ſuas*, id eſt reliquias ciborum; & id proprie ſignificat vox משארות *miſcharoth*; de qua vide quæ annotavimus cap. VIII. verſ. 3.

V. 37. DE RAMESSE. Diximus de hac urbe, ſeu regione Geneſ. XLVII. 11. Exodi I. 11. S. Hieron. epiſtola CXXVII. manſione I. *Ad hanc urbem*, *quæ in extremis AEgypti finibus erat*, *populus congregatus eſt*. In ea enim regione Iſraelitæ habitabant, Geneſ. XLVII. 11. Ioſephus Lib. II. Originum cap. V. *Iter autem faciebant per Latopolim tunc deſertam*: *Babylon enim poſt eo loco eſt condita*, *Cambyſe AEgyptum vaſtante*. At Ptolemæus Lib. IV. cap. V. longe diverſas facit Latopolim, & Babylonem, & in diverſis nomis conſtituit. IN SOCHOTH. S. Hieronymus manſione 2. *In hac primum tendunt tabernacula*: *unde & ex re locus nomen accepit*: *Sochoth quippe interpretatur in lingua noſtra tabernacula*, *ſive tentoria*. Et manſione 3. *Ex quo intelligimus locum Sochoth adhuc iuxta AEgypti fuiſſe regiones*. Quidam *tuguria tumultuaria* interpretantur, quæ Latini *tricbilas*, & *umbras* vocant, vulgus *tabernacula*, a quibus hic locus ſortitus eſt nomen, quod in ea ſtatione primum tugurio confecta ſint, & umbracula inſtituta ad commoditatem ſtationum deinceps a toto itinere uſque quo pervenirent in terram promiſſam. Vide Levitici XXIII. verſ. 34 & verſ. 43. circum hæc loca in Antonini Itinerario ponuntur *Scenæ veteranorum*, quæ eſt ipſa vox *ſucchoth*, & *vicus Iudæorum*; & in Notitia Imperii *Caſtra Iudæorum*. Diverſum hoc Succhoth ab illo Geneſ. XXXIII. 17.

V. 38. SED ET VULGUS PROMISCUUM INNUMERABILE. Hebr. *Et etiam mixtio multa aſcendit cum eis*. Intelligunt *vulgus promiſcuum*, turbam miſcellaneam, & promiſcuam, multitudinem variam AEgyptiorum, & aliarum gentium, quæ miraculis territæ ſeſe Iſraelitis adiunxerant, & miſcuerant: de qua vide Numeror. XI. 4.

V. 40. QUADRINGENTORUM TRIGINTA ANNORUM. Ingens hic turba quæſtionum. Nos in Antichriſto Lib. II. cap. XII. receptiſſimam & ineluctabilem amplexi ſumus ſententiam, hos 430. annos numerandos ab anno promiſſionis, qui fuit 75. vitæ Abrahæ, Geneſ. XII. 1. ad diem ipſum exitus. Unde hunc locum Exodi ita rite capiunt: *Et habitatio*, ſeu *peregrinatio*, aut *incolatus*, *filiorum Iſrael*, id eſt non tantum poſterorum Iacobi, ſed etiam ipſius Iacobi, & patris eius Iſaac, & avi eius Abraham, ex quo tempore vocatus fuit ex Ure Chaldæorum (tunc enim Iſrael, id eſt populus Dei, cœpit peregrinari, & incola eſſe in terra non ſua, nempe Chanaan, & AEgypto) uſque ad exitum ex AEgypto: *qua habitaverunt*, *manſerunt*, *peregrinati*, *commorati ſunt*, *in AEgypto*: ſynecdoche, & in aliis peregrinationum ſuarum locis, in terra non ſua. LXX. addiderunt ad explicationem ſynechdoches, *In AEgypto*, *& in terra Chanaan*. Et S. Auguſtinus quæſtione XVII. in Exodum ſic reddidit: *Incolatus autem filiorum Iſrael*, *quem incoluerunt in terra AEgypti*, *& in terra Chanaan*, *ipſi & patres eorum*, *anni quadringenti triginta*.

V. 42. OBSERVABILIS. Hebr. *Obſervationum*, *obſervantiarum*, *cuſtodiarum*. Bifariam exponunt. I. In qua mirifice ſerva-

vavit, & cuſtodivit Iſraelitas, ne læderentur a perditore; & eduxit eos de dura AEgypti ſervitute. II. Maxime obſervanda, & ſumma religione celebris, ac ſolemnis. DOMINI. Hebræa, *Ipſi Domino*, ſcilicet dedicata, conſecrata, in honorem eius inſtituta ad monumentum divinorum eius beneficiorum. HANC OBSERVARE DEBENT OMNES FILII ISRAEL IN GENERATIONIBUS SUIS Hebr. *Nox iſta IHUH*, ſeu *Domino*, *obſervantiæ omnibus filiis Iſrael generationibus eorum*. Quæ ita quidam dilucide reddunt: *Hæc eſt illa nox Iehovæ, plurimum obſervanda omnibus Iſraelitis per ætates ſuas*.

*V.*43. HAEC EST RELIGIO PHASE. Hebraice: *Iſtud ſtatutum Peſach*, id eſt ritus, cæremonia, obſervantia, quam ego vobis conſtituo, qua celebrare debeatis ipſum Paſcha.

MENOCHII.

Verſ. 1. DIXIT QUOQUE DOMINUS. Quæ ſequuntur, a Domino dicta ſunt Moyſi, & ab hoc populo propoſita ſunt ante primogenitorum cladem; ſed nunc tantum narrantur, quia narrationem plagarum ſimul pertexere voluit, ac deinde narrare egreſſum Hebræorum ex AEgypto, cui præmittit ritum phaſe, ſive agni paſchalis, qui egreſſus, & liberationis fuit ſymbolum, & teſſera.

V. 2. MENSIS ISTE. Niſan, qui Martio noſtro reſpondet, vel partim Martio, partim Aprili. PRINCIPIUM MENSIUM: anni initium.

V. 3. LOQUIMINI, vos ſeniores. DECIMA DIE MENSIS HUIUS: quatuor diebus ante agni immolationem, quæ fieri debebat decima quarta die. UNUSQUISQUE, paterfamilias. AGNUM. Vox Hebraica שׂה *ſeh* ſignificat pecudem tam ovinam, quam caprinam; id eſt, tam hœdum, quam agnum: tam ergo hœdus, quam agnus poterat immolari, & eſſe phaſe. PER FAMILIAS, ET DOMOS: in eadem enim domo poterant eſſe plures familiæ, quarum quælibet, ſi erat magna, ſuum habebat, & comedebat agnum.

V. 4. SIN AUTEM MINOR. Ioſephus Lib. VII. belli Iudaici cap. XVII. minimum decem viros vult adeſſe debuiſſe; etſi plures etiam uſque ad vicenos ſubinde eſſent. Extra horum numerum feminæ, & pueri erant, qui plerumque totidem, vel plures.

V. 5. ABSQUE MACULA, non coloris, ſed deformitatis; v. g. claudicationis, ſcabiei, alteriuſve vitii, aut morbi: debet enim eſſe תמים *tamim*, id eſt integer, ut habent Heb. Hoc enim eſt quod de qualibet victima dicitur Lev. XXII. *Omnis macula non erit in eo. Si cæcum fuerit, ſi fractum, ſi cicatricem habens, ſi papulas, aut ſcabiem. aut impetiginem: non offeretis ea Domino*. MASCULUS: quia præſtantior femella; præſtantiora autem Deo offerenda ſunt: vel etiam quia typus Chriſti. ANNICULUS, ut ſcilicet annum unum ætatis non excedat: nam quantumvis minor poterat immolari, modo octavum a nativitate diem attigiſſet, Levit. XXII. 27. TOLLETIS ET HOEDUM, ſi agnus deſit: non enim utrumque, ſed alterutrum iubet immolari.

V. 6. IMMOLABITQUE, ſcilicet decima quarta die. UNIVERSA MULTITUDO: quilibet paterfamilias domi ſuæ, rotius familiæ nomine. AD VESPERAM. Heb. *Inter duas veſperas*, Chald. *inter duos ſoles*. Prima veſpera eſt cum iam ſol declinat ad occaſum, ſecunda ipſe ſolis occaſus; & hoc voluit Chaldæus *Inter duos ſoles*, declinantem ſcilicet, & occidentem: hoc ergo tempus duas circiter horas continebat ante ſolis occaſum. Porro veſpera hæc fuit veſpera diei decimæ quartæ deſinentis, & diei decimæ quintæ inchoantis: immolario enim agni fiebat decima quarta; comeſtio vero præciſe fiebat decima quinta die. Veſpera enim hæc erat limes decimæ quartæ, & decimæ quintæ diei; & una ſui parte ad decimam quartam, altera ad decimam quintam ſpectabat. Itaque Iudæi, & Chriſtus nunc decima quarta, nunc decima quinta die paſcha immolaſſe dicuntur.

V. 7. SUMENT DE SANGUINE EIUS: ut viſo hoc ſanguine Angelus percutiens domos illas Hebræorum pertranſeat, nec eorum primogenita percutiat, ut patet num. 23. DOMORUM, IN QUIBUS COMEDENT ILLUM. Illarum domorum poſtes tincti ſunt ſanguine, in quibus agnus comedebatur, itaque quicumque alteri ſe domui iunxit ut comederet agnum,

quod

quod ſcilicet numero pauci eſſent, nec ſufficerent ad agnum abſumendum, ii pernoctarunt in domo in qua agnum comederant; alioqui ſi ad proprias domos agni ſanguine non conſignatas rediiſſent, in ea percuſſi fuiſſent ab Angelo.

V. 8. CUM LACTUCIS AGRESTIBUS. In Hebr. eſt *Cum amaris*, ſcilicet herbis quibuslibet amaris. LXX. habent ἐπὶ πικρίδων, quas aliqui endiviam eſſe putaverunt, alii cichorium.

V. 9. CRUDUM, non plane aſſum. SED ASSUM TANTUM IGNI: quia citius aſſatur caro, quam elixetur. Hebræis autem feſtinandum erat. Potiſſima ratio videtur petenda a myſterio: nam agnus Chriſtus ſacrificabatur amoris igne aſſatus. CAPUT CUM PEDIBUS, &c. Id exprimit Deus, quia caput, inteſtina, & pedes, utpote oſſea, & cartilaginoſa, vulgo aſſari non ſolent.

V. 10. USQUE MANE: quia feſtini ſummo mane diſcedetis, ne ergo a profanis profane comedi contingat, plane abſumite.

V. 11. RENES VESTROS ACCINGETIS, &c. Omnia hæc feſtinationem indicant, ſuntque viatorum ad iter longum, & laborioſum ſe accingentium. Eodem ſpectat cæremonia baculorum qui manu tenendi, & calceorum qui in pedibus habendi erant. EST ENIM PHASE. Phaſe tranſitum, ſive tranſultum ſignificat, Angeli nimirum, qui domos Hebræorum tranſilibat, & relinquebat intactas, dum AEgyptiorum primogenitos percuteret. Iubentur ergo Hebræi comedere feſtinanter, quia eſt phaſe; hoc eſt, quia hic eſus agni ſignificat celerem, & properum tranſitum Angeli ad feriendos AEgyptios. IN CUNCTIS DIIS AEGYPTI FACIAM IUDICIA. LXX *Faciam ultionem*, ea deiiciendo, & comminuendo, quod aliqui auctores affirmant.

V. 13. ERIT SANGUIS VOBIS IN SIGNUM, quo viſo Angelus vobis parcat. Per hunc ritum implicite profitebantur Hebræi ſe liberandos ab æterna morte per Meſſiæ ſanguinem.

V. 14. IN MONIMENTUM, tanti nimirum beneficii. GENERATIONIBUS: ætatibus, poſteritate. CULTU. Heb *Statuto*. SEMPITERNO, quamdiu ſcilicet lex duraverit.

V. 15. PERIBIT. Vide Num. cap. XIX. morietur, occidetur.

V. 16. ATQUE SOLEMNIS. Heb. *Convocatio*: ſolebat enim in ſolemnitatibus populus convocari.

V. 17. AZYMA: panem ſine fermento, in ſignum liberationis ab amaritudine ſpiritus.

V. 19. TAM DE ADVENIS. Per advenas intellige proſelytos: eſt enim in Hebr. גר *ger*, qua voce Hebræi tam peregrinum, quam proſelytum ſignificant.

V. 22. FASCICULUM HYSSOPI. Hebræum אזוב *ezob*, quod hic habetur, alii hyſſopum, alii origanum, alii roſmarinum interpretantur. IN LIMINE: vel etiam poſſet in vaſe, vel in pelvi. LXX. habent, *Apud ianuam*.

V. 23. PERCUSSOREM. Aliqui bonum, aliqui malum angelum fuiſſe hunc percuſſorem exiſtimant.

V. 29. A PRIMOGENITO PHARAONIS. Primogeniti dicuntur omnes qui primo nati erant ex ſuis parentibus, ſive filios haberent, ſive non. Itaque paterfamilias primogenitus cæſus eſt, & cum illos filius etiam primogenitus, ſi filium habebat; nec in una domo ſemper unum tantum funus fuit. Pharao, qui hanc cladem evaſit, vel primogenitus non fuit, vel a Deo reſervatus, ut huius plagæ particeps in ſuis, tandem cum exercitu fluctibus hauriretur. QUAE ERAT IN CARCERE; in piſtrino, in ergaſtulo, in loco labori ſervili deſtinato.

V. 30. SURREXITQUE PHARAO. Videtur Pharao Moſen adiiſſe, quod etiam clarius ſignificant Hebræa: vel ergo adiit per ſe, vel ſaltem per nuntios.

V. 32. BENEDICITE MIHI: orate pro me, ut vertit Chaldæus.

V. 33. URGEBANTQUE, &c. timore ex tanta ſtrage perculſi.

V. 34. CONSPERSAM FARINAM, paſtam. LIGANS IN PALLIIS, in linteis, aut ſindonibus.

V. 36. DEDIT GRATIAM. Deus corda AEgyptiorum inflexit, ut non timore aliquo inducti, ſed ſponte, ac liberaliter vaſa commodarent. SPOLIAVERUNT AEGYPTIOS: ſpolium iuſtum, quia Dei iuſſu factum. Nec mentiti Hebræi cum petierunt commodato, animo non reſtituendi: nam hæc conſiſtere poſſunt, ut ſcilicet quis commodati contractum ineat, & ſimul reſtituendi animum habeat tantum con-

Digitized by Google

conditionatum, ſi tenebor reſtituere; aut niſi alio titulo res mea fiat.

V. 37. DE RAMESSE IN SOCOTH. Hebræi ex AEgypto tendentes in Chanaan 42. ſtationes habuerunt, ſive manſiones in deſerto. Prima fuit in Rameſſe: illuc enim ex tota AEgypto convenerunt Hebræi exituri. *In ſochoth*. Secunda manſio fuit in Sochoth, quæ ſita erat inter Mare rubrum, & AEgyptum tunc cultam; nam omnia ab AEgypto uſque ad mare rubrum olim pertinuiſſe videntur ad AEgyptum, licet inculta eſſent, & deſerta. Dicta eſt Socoth, ideſt *tabernacula*, quod prima ibi Hebræi exeuntes de AEgypto fixerint tabernacula, ut docet S. Hieronymus ad Fabiol. SEXCENTA FERE MILLIA PEDITUM. Non numerantur qui vigeſimum ætatis annum non expleverant, nec mulieres, nec ſenes, nec vulgus AEgyptiorum, qui Hebræis adhæſerant, quos omnes aliqui putant attigiſſe tricies centena hominum millia, vel, ut loqui ſolemus, tres milliones. ABSQUE PARVULIS. LXX. *Præter ſupellectilem*, non tantum motam, ſed ſe moventem, parvulos, mulieres, &c. inquit S. Aug. quæſt. XLVII.

V. 39. DUDUM .... CONSPERSAM: nam pluſquam uno die integro conſperſa fuerat, nec fermentata. PULMENTI obſonii: verbi gratia carnis, piſcis, oleris

V.40. QUADRINGENTORUM TRIGINTA ANNORUM, ſi numerare incipiamus ab anno 75. Abrahami, quo anno Abraham evocatus a Deo cœpit ab Haram peregrinari verſus terram Chanaan. Dicitur autem habitatio 430. annorum quia media huius temporis parte in AEgypto fuerunt, hoc eſt 215. annis, quæ etiam pars potior fuit, & magnis calamitatibus Hebræorum inſignis.

V. 41. EADEM DIE, paſchæ ſcilicet. NOX ISTA EST OBSERVABILIS DOMINO. Hebr. *Nox cuſtodiarum*, quam ſcilicet omnes cuſtodire, obſervare, & celebrare debent.

Verſ. 43. DIXITQUE DOMINUS, aliquanto tempore poſt egreſſum. HAEC EST RELIGIO: hic eſt ritus phaſe. OMNIS ALIENIGENA, qui eſt alterius gentis, qui non eſt Hebræus. NON COMEDET EX EO, niſi per circumciſionem proſelytus fiat, & vobis adiungatur

V. 44. SERVUS EMPTITIUS CIRCUMCIDETUR. Omnino iubentur circumcidi, ita ut non ſit illis liberum incircumciſos manere, ut advenas, &c. de quibus ſtatim,

V. 45. ADVENA: gentilis verbi gratia mercator, qui inter vos commoratur. MERCENARIUS: famulus, vel operarius qui operas ſuas vobis locat: hi enim non coguntur circumcidi; non tamen phaſe comedent, niſi circumciſionem admittant.

V.46. NEC EFFERETIS DE CARNIBUS EIUS FORAS: itaque pars aliqua ad eos qui in aliis domibus verſabantur, mitti non poterat. NEC OS ILLIUS CONFRINGETIS. Oſſa agni confringi non debebant, quod etiam in Chriſto ſervatum eſt Ioan. XIX. 36. qui agno hoc ſignificabatur.

V. 47. FACIET ILLUD; id eſt, ſacrificabit.

TIRINI.

Verſ. 5. IUXTA QUEM RITUM TOLLETIS ET HOEDUM. Id eſt, eadem omnia quæ de *agno* præſcripſi, ſervabitis etiam in *hædo*, ſi eum loco agni pro paſchali victima aſſumatis: quod omnibus licebat, & deficientibus agnis, ſubinde neceſſum erat. Sive ergo ſumeretur agnus, ſive hœdus, debebat eſſe anniculus, hoc eſt, non exceſſiſſe annum. Nam poterat ſumi etiam ſemeſtris, vel bimeſtris, vel minoris ætatis; dummodo tamen ſeptem dies expleſſet: hæc enim ætas ut minimum neceſſaria erat in omni victima, ut patet Levit. XXII. Secundo, debebat eſſe ſine macula, Hebraice, Chaldaice & Græce eſt, *Perfectus*, *integer*. Ergo macula hic ſumitur pro vitio ſeu defectu, vetaturque ne aſſumatur agnellus cæcus, claudus, mancus, mutilus, æger, ſcabioſus ulceroſus, aut alio vitio laborans, ut explicatur Levit. XXII. verſu 22. Et ideo iubebatur decima die menſis primi Niſan in domum cuiuſque induci, ſcilicet toto quatriduo ante tempus immolationis: ut ſpatium eſſet ſufficiens commode explorandi an omni vitio careret. Non requirebatur autem ut omni ex parte candidus, aut unicolor eſſet, aut nulla nigroris, alteriuſve coloris macula reſperſus, ut quidam imaginantur.

Nota primo. Paſchalis huius ſacrificii

ſeu

ſeu immolationis agni miniſter ſeu ſacrificus non debebat eſſe ſacerdos Aaronicus; ſed quivis paterſamilias id muneris ſubibat nomine omnium qui erant illius familiæ: & ſic dicitur hic *Univerſa multitudo filiorum Iſrael* agnum immolare. Et licet poſt paulo decreverit Deus, ut non niſi uno certo in loco ad id deſignato *a*, verbi gratia Ieroſolymis, vel ubi eſſet arca fœderis, liceret immolare aut edere agnum paſchalem: non tamen iuſſit id per ſacerdotes Aaronicos fieri; ſed privilegium hoc, utpote antiquius ſacerdotio Aaronico, reliquit, iuxta primævam ſuam inſtitutionem, omnibus & ſingulis patribusfamilias, cuiuſcumque demum tribus aut conditionis eſſent. Et hoc nomine dici poſſet, omnes patresſamilias, etiam inſtituto iam Aaronico ſacerdotio, manſiſſe quales ante fuerant ſacerdotes, non quidem abſolute. neque reſpectu alicuius publici ſacrificii (nam hoc ſolis Aaronis filiis conceſſum erat) ſed ſolum diminute quo ad hoc unicum dumtaxat in anno ſacrificium paſchale, quod domeſticum erat & privatum. Ita Philo *b* oculatus teſtis, Lyranus, Dionyſius Carthuſianus, Emmanuel Sa, a Lapide, Bonſrerius, & alii contra Serarium, & Toſtatum.

Nota ſecundo. Cæremonias, & circumſtantias omnes huius ſacrificii paſchalis, & abſumptionis eiuſdem, verbi gratia quod *nocte*, quod *aſſum igni*, quod cum *azymis*, *cum lactucis agreſtibus*, ut endivia, vel cichorio, aliiſve amaris herbis, ut vertit Chaldæus; quod item *cum pedibus, & inteſtinis*, ante tamen purgatis, & exſecto felle; quod *ſuccinctis renibus*, cum *calceis*, & *baculis*, &c. adhiberi iuſſit Deus etiam ſecuturis ſæculis. Primo ad indicandam feſtinationem qua contigit illa ex AEgypto migratio. Secundo ad repræſentandam æternum magnitudinem & celebritatem tanti beneficii. Tertio, & præcipue ad præfigurandum Chriſti veri & immaculati agni ſacrificium tum incruentum SS. Euchariſtiæ in ultima cœna, tum cruentum paſſionis in ara crucis. Nam ut erat figura utriuſque, ita circumſtantiæ & cæremoniæ omnes utrumque ad amuſſim allegorice repræſentant, ut SS. Patres, adeoque & Ioannes *c* Evangeliſta, & S. Paulus *d* aptiſſime exponunt.

Verſ. 40. HABITATIO FILIORUM ISRAEL IN AEGYPTO FUIT QUADRINGENTORUM TRIGINTA ANNORUM: ſcilicet inchoando non a deſcenſu Iacob in AEgyptum, ſed ab initio peregrinationis Abrahæ partim in AEgypto, partim in Chanaanitide. Cœpit enim hæc peregrinatio anno ſeptuageſimo quinto vitæ Abrahæ, quando & promiſſio de Iſaaco cælitus illi facta; & prædictum, poſteros eius peregrinos fore 400. annis: nam ab illa promiſſione & prædictione uſque ad ablactatum Iſaac, fluxerunt anni 30. inde ad egreſſum Hebræorum ex AEgypto, alii 400. anni: qui ſimul faciunt 430. Ita Ioſephus, Euſebius, Athanaſius, Cyrillus, Rupertus, Abulenſis, Caietanus. Et ita habent LXX. qui diſerte addunt, hunc eſſe numerum annorum quibus *habitarunt filii Iſrael & patres eorum in terra AEgypti, & in terra Chanaan*. Vide Serarium, & Bonſrerium.

Nota, egreſſos filios Iſrael ex AEgypto 25. die Martii: nempe eodem menſe, & hebdomadæ die, quo ante annos 2543. creatus fuerat mundus: & poſt annos 1457. incarnatus eſt Chriſtus; & quo 34. poſt annis reſurrexit a mortuis; & quo putatur in fine mundi venturus ad iudicium extremum, nempe 25. Martii die dominica. Vide Chronicon noſtrum capite quadrageſimo octavo in fine. Item Eugubinum, & Andream Maſium, & Chronographos.

V. 43. OMNIS ALIENIGENA NON COMEDET EX PHASE, ſeu victima paſchali: neque *advena*, neque *mercenarius* (ſubaudi) niſi veſtram velint religionem ſuſcipere, & circumcidi: tum enim, neque ante, permitto illis eſum agni. Sed hæc omnia libera ipſis relinquo. Sed *ſervis* veſtris *emptitiis*, ſeu mancipiis, ſi apud vos permanſerint, nolo libera relinqui; ſed illis omnia eadem præcipio: neque enim cupio vos alios emere ſervos, quam qui parati ſint religionem veſtram amplecti, & circumcidi: & cum circumciſi fuerint, volo & illos ad eſum agni admitti. Ita Abulenſis, & alii.

(*a*) Deut. xvi. verſ. 6.
(*b*) Philo Lib. III. de Vita Moyſis, & Lib. de Decalogo.
(*c*) Ioan. xix. verſ. 36.
(*d*) I. Corinth. v.

Digitized by Google

GORDONI.

Verſ. 2. MENSIS ISTE, &c. Hic eſt menſis Niſan, reſpondens Martio noſtro. Hebr. ניסן. Horum menſium dedi indicem in opere Chronolog. Qq. cap. XVII. Fertur & promulgatur lex de hac immolatione ad veſperam diei 14. ut dicitur verſ. 6. Deinceps hic primus menſis erit. Annus deinceps incipiens a Niſan vocatur ſacer, & feſtis inſervit: alter erit vulgaris a Tiſri, ſeu Septembri, inſerviens Iubilæo, negotiis & contractibus. Sed de varia anni ratione dixi loco citato, cap. XIX. fruſtra hic plura de hac rè.

V. 3. DECIMA DIE MENSIS TOLLAT UNUSQUISQUE AGNUM. Menſes ſunt lunares; & luna 14. fiet phaſe: tamen ſtatuitur ut die decimo primo menſis victima paſchalis eligatur, introducaturque in domum. Et ſervari debet hoc præceptum decimi diei etiam quando erunt in terra promiſſionis, ut habet probabilior ſententia. Vide Serarium ad cap. V. Ioſue.

V. 4. SIN AUTEM. Hic de convocandis vicinis ad explendum epulum, ſeu eſum agni. Ioſephus VII. Belli, cap. XVII. putat debuiſſe adeſſe decem viros, præter parvulos & feminas. Heb. eſt שה *ſe*, ſignificans agnum, immo & hœdum, qui proinde accipi potuit, deficiente agno.

V. 5. ABSQUE MACULA, hoc eſt ſine vitio corporis, ſeu non cæcum, non claudum animal, &c. Ita Levit. XXII. verſ. 22. Porro MASCULUS ſit. Sane agnus Latine, maſculum ſignificat; ſed Hebraica illa vox שה utrumque dat ſexum. ANNICULUS vero, hoc eſt unius anni, immo annum ſuperare non debebat. Vide Levit. XXII. verſ. 27. At a quibus immolabatur hæc victima? Certe in hoc primo paſchate a patreſamilias: quia ante legem Moſaicam principes familiarum erant pro ſacerdotibus. Sed quid poſt inſtitutum ſacerdotium Aaronicum? Eſt quidem probabilis ſententia affirmans hanc immolationem relictam fuiſſe principibus familiæ etiam poſt legem, quia privatim tantum gerebatur res. Interim hic habemus in nulla lege omnes promiſcue fuiſſe ſacerdotes: errant Novatores.

V. 6. & 7. UNIVERSA MULTITUDO. Non ergo neceſſarius ibi ſacerdos. AD VESPERAM, ſeu ſolis occaſum. Et ſane ad veſperam poſteriorem diei 14. fiebat, ut iam dicam. *Ad veſperam*. Prius hic de hora dicendum. Et quidquid aliqui nunc dicant, pro veſpera quæ claudebat diem artificialem 13. tamen omnino hic accipere oportet veſperam quæ ſequebatur diem artificialem 14. Eſt Patrum hæc ſententia, & Scripturis conformior: ſicut etiam tunc incipiebat eſus azymorum durans per ſeptem dies. Dubitatum vero eſt, an etiam in terra promiſſionis ſit ſervatus hic ritus de oblitis poſtibus, & ſuperliminaribus. Verum, eſt probabilius permanſiſſe etiam ibi hanc conſuetudinem.

V. 8. CUM LACTUCIS AGRESTIBUS. Septag. πικρίδες. Hebr. על מרורים *hhal merorim*: herbas intellige quaſcumque amarulentas.

V. 9. NON COMEDETIS EX EO CRUDUM QUID; ſed nec ſemicoctum, NEC COCTUM AQUA. Per inteſtina intellige partes vitales, & eas quæ ſunt aptæ ad eſum. VORABITIS, inquit Noſter, deſignans feſtinationem. In Hebræo eſt *Comedetis*. Eamdem feſtinationem deſignat totus verſus undecimus.

V. 11. & 12. EST ENIM PHASE. Tranſitus, פסח *peſach*, πάσχα ἐστὶ κυρίου. Deſignat agnum immolatum pro tranſitu. Rad. פסח tranſire. Nomen vero ſumtum a tranſitu Angeli percuſſoris. Transfertur etiam ad denotandam ipſam ſolemnitatem.

V. 14. EAM SOLEMNEM. Sept. *Feſtum*. Heb. חג *hag* ſignificat tum feſtum, tum victimam, Pſ. CXVII. verſ. 27.

V. 15. SEPTEM DIEBUS AZYMA COMEDETIS. Panis eſt ſine fermento ζύμη, fermentum eſt מצות *matſoth*. Et quæ huc uſque dicta ſunt, pertinuerunt ad paſcha AEgyptiacum: quæ vero ſequuntur ad inſequentium annorum ſolemnitatem paſchalem. Incipiunt dies ſeptem azymorum a veſpera exeuntis diei 14. ſeu, quod idem eſt, ab ipſo die 15. quare licet nunc ille, nunc iſte, primus vocetur dies azymorum, res eadem eſt: nam finiebantur die 21.

V. 17. IPSA DIE. Heb. עצם *bhetſem*, quod aliqui vertunt, *In corpore diei*; nec male: quia τὸ עצם, quod ſignificat corpus, ſumunt ſæpe Hebræi pro pronomine ipſe, ipſa, ipſum.

V. 19.

V. 19. Per advenas hic intelligo proſelytas: his enim opponit indigenas terræ.

V. 21. TOLLENTES ANIMAL. Heb. צאן *tſon*, *tollite gregem*, hoc eſt de grege. Chald. *De filiis ovium.*

V. 22. NULLUS EGREDIATUR USQUE MANE; hoc eſt, antequam nocu tranſierit percuſſor: poſtea tamen mane egreſſi ſunt omnes cum Moſe. Exodus erat.

V. 23. TRANSIBIT. Opera Angeli facta eſt hæc percuſſio: & ſane Angeli etiam boni, ut probabilior habet de hac re ſententia.

V. 29. PRIMOGENITUM. Dixi cap. XI. verſ. 5. qui hic intelligantur nomine primogeniti. Atque inde conſtat Pharaonem hoc nomine non comprehendi, quamvis dimus eum fuiſſe primogenitum patris ſui: nam iam evaſit in caput familiæ.

V. 30. NEQUE ERAT DOMUS IN QUA NON IACERET MORTUUS. Intellige de domibus quæ liberos habebant; niſi quis velit, eſſe uſitatam quamdam hyperbolen ad denotandam ingentem mortuorum multitudinem: nam fieri potuit, ut in quibuſdam domibus, aut novum ac recens eſſet coniugium, aut proles nulla.

V. 31. VOCAVIT PHARAO MOSEN; forte per miſſum, ut videtur, famulum, qui iuberet exire cum populo: non enim venit ad conſpectum.

V. 35. ET PETIERUNT, &c. Hoc narratur cap. XI. & hic iterum, ut intelligas diverſis temporibus populum petiiſſe iſta ab AEgyptiis: nam alioqui in ipſo articulo exodi quomodo potuiſſent ſpoliare totam AEgyptum tam brevi tempore. Petit vero populus concedi iſta titulo commodati, cuius contractus naturam non deſtruit voluntas conditionata non reſtituendi, ſi mea ſit res. Potuit ergo hæc acceptio fieri ſine mendacio petentis.

V. 36. SPOLIAVERUNT AEGYPTIOS. Vide cap. III. verſ. 22. Spolium hoc non eſt furtum, aut rapina; ſed tum iuſta Dei donatio, tum compenſatio.

V. 37. SEXCENTA FERE MILLIA PEDITUM. Numerantur XLII. ſtationes tendentium in Chanaan. Alii tantum dant 40. excludentes terminum a quo, & ad quem. Prima manſio in Rameſſes (vide Geneſ. cap. XLVII. verſ. 7.) ſignificat tonitrum gaudii ex Hieronymo. Secunda in Socoth locus eſt inter AEgyptum & Mare rubrum. SOCOTH, tabernacula: nam ibi primum Hebræi fixere tabernacula. Hieron. ad Fabiol. Vide Lector has 42. ſtationes diligenter expreſſas in Geographico diagrammate de ſitu Terræ ſanctæ, & apud citatum Hieronymum ad Fabiolam. Lege recenſitas Num. cap. XXXIII.

V. 38. Vulgus iſtud eſt turba ex variis nationibus conflata ex ſervis, & aliis, qui prodigiis permoti, proſecuti ſunt vario ſtudio Iudæos.

V. 40. HABITATIO FILIORUM ISRAEL IN AEGYPTO QUADRINGENTORUM TRIGINTA ANNORUM. Frequens quæſtio eſt, unde hi 430. anni incipiant. Non reponam huius definitionem poſitam in opere Chronolog. Qq cap. VII. tantum paucis hic ſtatuo, hos annos numerandos eſſe, non a deſcenſu Iacob in AEgyptum, ut male putavit Genebrardus; ſed a vocatione Abrahæ, ſeu ab anno 1053. quando anno ætatis 75. prima vocatione vocatus eſt e cognatione ſua, ad ipſius hanc, & ſeminis peregrinationem per hos 430. annos. Includitur ergo tempus peregrinationis trium Patriarcharum. Ceterum qui ſunt ſecundum Gen. XV. anni 400. numerantur a nativitate Iſaac, ut oſtendi citato cap. VII.

V. 44. OMMIS AUTEM SERVUS CIRCUMCIDETUR. Non quod cogendi ſint aliqui ad circumciſionem; ſed denotatur hic cavendum eſſe Iſraelitis, nec ſervum ullum admittant, qui non ſit paratus ad recipiendum circumciſionem.

V. 45. ADVENA. Verſ. 19. denotabat proſelytam tum ex Septuaginta, ubi eſt προσήλυτος a προσελεύθω, tum ex Heb. גר *ger*; tamen hic ſignificat inquilinum: πάροικος eſt Græce, & Hebr. תושב *towab*, habitator, vel inquilinus. Ergo ut quis edat Phaſe, non ſatis eſt ut ſit habitator inter Iſraelitas.

V. 46. NEC OS ILLIUS CONFRINGETIS. Feſtinationem enim præcepit Deus, ut feſtinatus Angeli tranſitus deſignaretur, & feſtinatus exitus: non ergo tempus dari debuit contundendis oſſibus, ad medullam habendam. Hoc ad litteram: allegorice Chriſti corpus infractum denotatur.

Ex Eiusdem Auctario.

V. 1. Quæ hic inſequuntur, dicta ſunt a Deo Moſi, & a Moſe ad populum, ante cædem primogentiorum, & exodum.

V. 32. Benedicite mihi: orate pro me, ſi bene vertit Chaldæus.

V. 34. Conspersam farinam; maſſam.

V. 39. Dudum, non fermentata, nempe non plus quam uno die conſperſa.

V. 41. Eadem die, Paſchæ.

CAPUT XIII.

Liberationis ab AEgypto Dominus religione Phaſe ac primogenitorum conſecratione meminiſſe iubet. Inde Iſrael per deſertum egrediens, oſſa Ioſeph ſecum defert, & columnæ ignis ac nubis ducatum accipit.

1 LOcutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens: 2. (*a*) Sanctifica
mihi omne primogenitum quod aperit vulvam in filiis Iſrael,
tam de hominibus quam de iumentis: mea ſunt enim omnia.
3. Et ait Moyſes ad populum: Memento te diei huius in qua
egreſſi eſtis de AEgypto & de domo ſervitutis, quoniam in ma-
nu forti eduxit vos Dominus de loco iſto, ut non comedatis
fermentatum panem. 4. Hodie egredimini menſe novarum frugum. 5. * Cum-
que introduxerit te Dominus in Terram Chananæi & Hethæi & Amorrhæi
& Hevæi & Iebuſæi, quam iuravit patribus tuis ut daret tibi, terram fluen-
tem lacte & melle, celebrabis hunc morem ſacrorum menſe iſto. 6. Se-
ptem diebus veſceris azymis: & in die ſeptimo erit ſolemnitas Domini. 7. Azy-
ma comedetis ſeptem diebus: non apparebit apud te aliquid fermentatum, nec
in cunctis finibus tuis. 8. Narrabiſque filio tuo in die illo, dicens: Hoc eſt
quod fecit mihi Dominus quando egreſſus ſum de AEgypto. 9. Et erit quaſi
ſignum in manu tua, & quaſi monumentum ante oculos tuos: & ut lex Domi-
ni ſemper ſit in ore tuo, in manu enim forti eduxit te Dominus de AEgy-
pto. 10. Cuſtodies huiuſcemodi cultum ſtatuto tempore a diebus in dies. 11.
Cumque introduxerit te Dominus in Terram Chananæi, ſicut iuravit tibi & pa-
tribus tuis, & dederit tibi eam: 12. (*b*) ſeparabis omne quod aperit vulvam Do-
mino, & quod primitivum eſt in pecoribus tuis: quidquid habueris maſculini ſe-
xus, conſecrabis Domino. 13. Primogenitum aſini mutabis ove: quod ſi non
redemeris, interficies. Omne autem primogenitum hominis de filiis tuis, pre-
tio redimes. 14. Cumque interrogaverit te filius tuus cras, dicens: Quid eſt
hoc? reſpondebis ei: In manu forti eduxit nos Dominus de terra AEgypti, de
domo ſervitutis. 15. Nam cum induratus eſſet Pharao, & nollet nos dimittere,
occidit Dominus omne primogenitum in Terra AEgypti, a primogenito homi-
nis uſque ad primogenitum iumentorum: idcirco immolo Domino omne quod
aperit vulvam maſculini ſexus, & omnia primogenita filiorum meorum redimo.
16. Erit igitur quaſi ſignum in manu tua, & quaſi appenſum quid, ob recor-
dationem, * inter oculos tuos: eo quod in manu forti eduxit nos Dominus
de AEgypto. 17. Igitur cum emiſiſſet Pharao populum, non eos duxit Deus per
viam

viam Terræ Philiſtiim quæ vicina eſt: reputans ne forte pœniteret eum, ſi vidiſſet adverſum ſe bella conſurgere, & reverteretur in AEgyptum. 18. Sed circumduxit per viam deſerti, quæ eſt iuxta Mare rubrum: & armati aſcenderunt filii Iſrael de Terra AEgypti. 19. Tulit quoque Moyſes oſſa Ioſeph ſecum: eo quod adiuraſset filios Iſrael, dicens: (*c*) Viſitabit vos Deus, efferte oſſa mea hinc vobiſcum. 20. Profectique de Socoth caſtrametati ſunt in Etham in extremis finibus ſolitudinis. 21. (*d*) Dominus autem præcedebat eos ad oſtendendam viam, per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis: ut dux eſſet itineris utroque tempore. 22. Numquam defuit columna nubis per diem, nec columna ignis per noctem, coram populo.

(*a*) Infr. xxxiv. 19. Num. viii. 16. Luc. ii. 23. Levit. xxvii. 26. (*b*) Infr. xxii. 29. & xxiv. 19. Ezech. xxxxiv. 30. (*c*) Geneſ. l. 24. (*d*) Num. xiv. 14. I. Cor. x. 1.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

Verſ. 5. *Cumque introduxerit te Dominus in terram* &c. *celebrabis hunc morem ſacrorum menſe iſto*. Non mutes numerum ſingularem *te*, *celebrabis*, cum plurali *vos*, *celebrabitis*.

V. 16. *Inter oculos tuos*. Non ſubſtituatur præpoſitio *ante*, pro ea quæ ſignificantior eſt, *inter*; quaſi dicat, inter utrumque oculum.

COMMENTARIA

SA.

Verſ. 2. SANCTIFICA, id eſt conſecra. OMNIA, ſcilicet primogenita.

V. 5. INTRODUXERIT, &c. ſcilicet ante id tempus lex hæc illos non obligabat.

V. 8. HOC EST. Hebr. *Ob hoc*.

V. 10. A DIEBUS IN DIES, id eſt quotannis, vel ſemper.

V. 12. SEPARABIS. Sic etiam LXX. At Hebr. *Adduces*.

V. 13. OVE, ſcilicet immolanda pro aſino, qui erat immundus. PRETIO REDIMES, ſcilicet niſi eſſet levita: redimebatur autem quinque ſiclis, ut dicitur Num. III.

V. 14. CRAS, id eſt futuro tempore.

V. 16. APPENSUM QUID. Hebr. *Frontale*; quaſi dicat, fronti appoſitum.

V. 21. IN COLUMNA NUBIS, &c. Erat inſtar columnæ & nubes, & ignis.

ESTII.

Verſ. 2. SANCTIFICA MIHI OMNE PRIMOGENITUM QUOD APERIT VULVAM. Lucæ II. dicitur: *Omne maſculinum adaperiens vulvam*: & intelligitur primus fetus maſculinus, ſive femininus præceſſerit, ſive non. Iubetur autem ſanctificari Domino. Pro quo nota, ſanctificationem in Scripturis varie accipi. Propriiſſime eſt ſanctum facere, ea ſanctitate qua creatura Deo per verum, & caſtum cultum adhæret. De hac ſanctificatione loquitur Apoſtolus I. Chorinth. VI. dicens: *Abluti eſtis, ſanctificati eſtis, iuſtificati eſtis*. Aliquando ſignificat pro ſancto habere; ſic in oratione Dominica dicimus: *Sanctificetur nomen tuum*; id eſt, ab omnibus colatur ut ſanctum: cui contrarium eſt polluere nomen Domini. Alias autem ſignificat applicationem ac deputationem rei corporalem ad divinum cultum. Id autem fit vel per miniſterium; & hoc modo tribus Levi fuit Domino ſanctificata: vel per uſum, quomodo templum, altare, omniaque templi vaſa ſanctificari Domino dicuntur, quia deputata ſunt ad uſum

Digitized by Google

uſum cultus divini: vel per oblationem, quomodo ea ſanctificantur Deo, quæ deputantur ad hoc ut Deo immolentur; & hoc modo omne primogenitum iubetur ſanctificari Domino, id eſt immolari. Sed quia hominem immolare Deo nefas erat, neque umquam tale ſacrificium a Deo permiſſum fuit, hinc eſt quod primogenitum hominis iubetur pretio redimi, nimirum quinque ſiclis, ut eſt Numer. cap. III. Primogenitum autem aſini, quia immundum erat, & immolari non debebat, redimendum erat ove, aut occidendum citra immolationem. Vide ibi plenius. MEA SUNT ENIM OMNIA. Id vel generaliter ad omnes omnino res referri poteſt; & tum ſenſus eſt: Merito exigo primogenita, utpote qui iure meo omnia exigere poſſem, cum omnia ſint mea. Vel ſpecialiter ad primogenita, ut ſenſus ſit: Sanctificabitis mihi omnia primogenita veſtra: quia omnia ea mihi obligata ſunt per hoc quod percutiens omnia primogenita AEgyptiorum veſtris primogenitis pepercerim Huic expoſitioni favet Hebræa lectio, quæ habet, *Meum eſt enim*, nempe omne primogenitum veſtrum.

V. 4. HODIE EGREDIMINI MENSE NOVARUM FRUGUM. Hic menſis erat primus, qui noſtro Martio fere reſpondet. Vide Ioſue III.

*V.*18. PER VIAM DESERTI, IUXTA MARE RUBRUM. Quidam auctores ſic loquuntur, quaſi mare illud revera coloris ſit rubei. Sic Prudent. in hymno ad incenſum cerei paſchalis: *Tandem purpurei gurgitis hoſpita, rubris littoribus feſſa reſederat*. Id conſtat Latinis dici rubrum, quod vox Græca (quæ alias rubrum ſignificat) hic eſt, a proprio regis cuiuſdam nomine derivata: dicitur enim Græce *Erythræum mare*. Hebraice *Mare Suph*.

V. 19. TULIT QUOQUE MOYSES OSSA IOSEPH SECUM. Quin & ceterorum Patriarcharum corpora, qui mortui fuerant in AEgypto, tulerunt ſecum Iſraelitæ egredientes ex AEgypto, ſi Hieronymo credimus ſcribenti ad Riparium contra Vigilantium epiſt. LIII. qui potuit id habere ex Iudæorum traditione, vel certe ex coniectura. Neque enim veriſimile eſt Iſraelitas voluiſſe in AEgypto relinquere corpora eorum, qui ſingularum tribuum erant primi patres.

MARIANAE.

Verſ. 4. MENSE NOVARUM FRUGUM. אביב *Abib* Pagnin. *Iulium* vertit, quoniam inter menſes eſt *Ab* Hebræis, fere reſpondens Iulio. Verum ea voce potius ſignificatur *ſpica cum culmo*. Ideo plerique cum Hieronymo *Menſe novarum frugum*, quando ſpicæ ſe primum oſtentant, & certe Iulius is menſis eſſe non potuit, quando in eo celebratum eſt paſcha, ſed Niſan, quem Schol. Hebræus deduci a voce אב *Ab* putat, id eſt *patre*: quod ut pater prior eſt filio, ſic Niſan quaſi pater eſt menſium primus.

V. 10. A DIEBUS IN DIES, hoc eſt quotannis, de anno in annum. Hebræus annum vocat *dies*, quoniam certo dierum numero decurrit.

*V.*13. SI NON REDEMERIS, INTERFICIES, aut ſignabis. Elias in Thisbi ערף *haraph*, ut ſcilicet eo ſigno Domini eſſe intelligatur.

*V.*16. APPENSUM QUID, OB RECORDATIONEM, ANTE OCULOS TUOS. *Ob recordationem* non eſt in Hebræo; ſed hoc tantum, *ſicut laminæ inter oculos tuos erit*, ſcilicet nempe in fronte poſitæ. *Frontalia* dicunt alii.

*V.*18. ET ARMATI ASCENDERUNT. חמושים *hamuſim*, proprie eſt *quintati*, ſic vertit Theodot. πενταίζοντες: ac Sept. quoniam id obſcurum erat, putarunt numerum ad generationes referendum, dixeruntque *quinta generatione aſcenderunt*. Verum ea voce ſignificatur *ſuccincti*, quoniam cingulum ponitur ſub quinta coſta, vel ad inguinem, quæ חומש *homes* etiam ob hanc cauſam vocatur. Et quoniam cingebantur tantum cum ibant ad bellum (unde & inter Romanos balteus erat inſigne militiæ) per *ſuccinctos* intelligebant armatos, ut vertit Hieronymus, & Chald. tum inter Græcos Aquila & Symmach. καθωπλισμένοι: ſic etiam R. Selomo explicat.

V. 22. NUMQUAM DEFUIT COLUMNA. Hebr. *Non amovit columnam*, nempe Deus.

MAL-

MALVENDAE.

Verſ. 2. SANCTIFICA MIHI. קדש *kiddeſeg* in Pihel aiunt eſſe *ſancire*, *ſanctificare*, *dedicare*, *accommodare*, *conſecrare uſibus divinis*, *ad ſacrum uſum deſtinare*; a communi, & profano, ſeu vulgari uſu ſegregare, ſeparare, ſeponere, in uſum ſacrum: ad cultum Dei deſtinare, ad ſervitium divinum accommodare, addicere. QUOD APERIT VULVAM. Hebr. *Apertio*, *apertura*, *eruptio*, *emiſſio*, *laxatio vulvæ*. Lucas II. 23. reddidit, *Aperiens vulvam*. Periphraſis primogeniti, qui primus aperit matricem, ut idem bis dicat ſic verſ. 12. & 13. aut certe, *qui natus eſt*: nam aperire vulvam non ſemper eſt primum naſci, ſed naſci ſimpliciter: quotieſcumque enim parit mulier, aperitur ei vulva, etiam ſi antea iam peperit: ut e contra ei quæ iam prius peperit, ſi parere deſiſtat, dicitur eius vulva concluſa. Gen. xx. 18. quaſi dicat: Conſecra mihi omne primogenitum quod naſcetur: ſic Deuter. xv. 19. Primogenita maſcula intelligi, e verſ. 12. & loco Deuteronomii, & Luca, nimis eſt perſpicuum. De primogenitis maſculis Deo adiudicandis magnas hic quæſtiones cient Interpretes, quas apud ipſos inſpice. Ego ſic exiſtimo: in animalibus intelligi primogenitum maſculum matris: nam patris incertum. In hominibus, primogenitum in una domo, ſeu familia ipſius patris, etiam ſi ante ipſum natæ ſint filiæ. Id enim recte reſpondet interfectioni primogenitorum AEgypti.

V. 11. INTRODUXERIT TE. ויבאך *vebiaca*, pro יבאך *iebiaca*: nam eſt duplex lectio; & Iod protractum in Vau videtur myſterium indicare, nempe quam certo, & admirando modo Deus Iſraelitas in terram promiſſam introduxerit.

V. 12. SEPARABIS. Heb. *Transferes*, *traduces*, id eſt a tua poteſtate, & dominio, ac uſu, ut ſit deinceps Domini. Quidam reddunt, *Et emancipabis Domino*. PRIMITIVUM. שגר *ſchegher* aiunt ſignificare *fructum*, ſeu *fetum iumentorum vivum*: alii *emiſſam*, ſeu *emiſſionem*, quod Rabbini verbo שגר *ſchagar* pro *emittere* utantur: nonnulli *eiectionem*, *expulſionem*, a tranſpoſito, גרש *garaſch*. Nec deſunt qui *embryonem*, *abortivum*, *molam* interpretentur abſurdiſſime: neque enim abortiva, ſeu immaturi fetus emancipandi, aut offerendi erant Domino. Fructum, vel fetum vivum, & recentem animalium recte hic exponemus.

V. 13. PRIMOGENITUM ASINI. Volunt eſſe ſynecdochen; id eſt, quodvis iumentum immundum, aut animal immundum, & ineptum ſacrificiis, per analogiam. Hanc autem ſpeciem nominaſſe, quia maior eius, quam aliarum copia illis regionibus erat, Iudicum x. 4. & cap. XII. 14. INTERFICIES. ערף *gharaph* aiunt eſſe *decervicare*, *cervicem frangere*, *torquere*, *intorquere cervicem*, ſeu *collum*, vel *intorquendo cervicem incidere*, ſeu *ſecare cervicem animanti gladio*, *vel ſecuri*, *percutere ex adverſo cervicis*, *decollare*, *iugulare*. Noſter Deut. XXI. 4. *cædere cervices*, Iſaiæ LXVI. 3. *excerebrare* convertit; quod hic recte convenit; quaſi iuſſerit Deus clava, vel alio inſtrumento caput aſini, ſeu animantis immundi contundere, comminuere, excerebrare. Hiſpanice *deſcogotar*. Quidam Hebræorum hic reddunt, *Notabis*, *inſignies in cervice*, aliqua nota ut cognoſcatur eſſe primogenitus. Alienus, & falſus ſenſus.

V. 16. IN MANU TUA. Hebræi *ſiniſtram* intelligunt, quæ ſimpliciter *manus* dicitur, ut Pſalm. LXXII. 11. volunt enim fuiſſe inſtar ſacri manipuli. ET QUASI APPENSUM QUID OB RECORDATIONEM. Quinque his vocibus expreſſit unam Hebraicam טוטפות *totaphoth*. Hæc ſunt celebria illa *thephilin*, vel *thephilloth*, id eſt *oratoria*, ſeu *precatoria*, *phylacteria* in Evangeliis dicta, id eſt *conſervatoria*, de quibus Hebræi tam multa religioſa, aut ſane ſuperſtitioſa præcipiunt. Nos abunde de his egimus in Antichriſto Lib. IX. cap. XXX. quæ nihil opus eſt tranſcribere. Mirum quam varie reddiderint vocem *totaphoth*. I. *inconcuſſa*, *immota*. II. *appendices*, ſeu *appenſa*. III. *ornamenta frontis*, *frontalia*. IV. *monumenta*. V. *typos monitorios*. VI. *ſigna memorialia*. VII. *inceſſoria*, quod iis ornati incederent Iudæi. VIII. *ploſoria*, a טפף *taphaph*, *plaudere*, ut iis plodendo ad frontem, ad omnes ictus & pulſus, admonerentur, tamquam campanulis, legis, & præceptorum, ſeu beneficiorum Dei. IX. *ſpecula*. X. *ocula*

ria,

ria, *perſpicilla*, aut *conſpicilla*. XI. *crepitacula*, ſeu *crepundia*: nos *crepitula*. Feſtus: *Crepitulum ornamentum capitis: id enim in capitis motu crepitum facit*. Tertullianus de Pallio cap. IV. *crepidulum*; & adverſus Iudæos cap. IX. & III. adverſus Marcionem, cap. VIII. *crepitacillum*. Agebat Deus cum Hebræis ut cum pueris, qui crepitulis, crepitaculis, crepundiis eos ſuorum beneficiorum admonebat, & ad memoriam excitabat, & plauſum habere volebat. Reuchlinus annotat: *Habebant autem nodum in occipite, qui formam crucis figurabat: quia omnia Dei præcepta in cruce conſummantur*.

V. 17. QUAE VICINA EST. Ex rationibus geographicis, & peregrinationibus ſatis conſtat, ab AEgypto in Chananæam per viam Philiſthinorum decem dierum ad ſummum iter eſſe. Si Antonini Itinerarii locorum diſtantiæ non ſunt in damno, a Peluſio ad Aſcalonem urbem Philiſthinorum, 152. paſſuum millia ponuntur. Ex initio quintæ Hiſtoriæ Cornelii Taciti colligitur, non multo plures quam ſeptem dies itineris eſſe ab AEgypto in Chananæam. Philo Lib. I. de Vita Moſis: *Decrevit coloniam in Palæſtinam, tunc communi nomine Chananæam, deducere: cuius fines diſterminabantur ab AEgypto trium dierum itinere*. REPUTANS NE FORTE POENITERET EUM, &c. Pulchre Sanctus Auguſtinus quæſt. XLIX. in Exodum: *Hic oſtenditur omnia fieri debere conſilio, quæ conſilio recte fieri poſſunt, ad evitanda quæ adverſa ſunt, etiam cum Deus apertiſſime adiutor eſt*.

V. 8. QUAE EST IUXTA MARE RUBRUM. Nam ſi recta perrexiſſent, potius ad mediterraneum mare, quam ad rubrum declinaſſent: ſed longo circuitu fecit ut ad ſinum Arabicum deflecterent: potiſſimum ut ibi vim mirabilium ſuorum oſtentaret. ET ARMATI ASCENDERUNT. חמשים *chamuſchſchim*, varie interpretantur. I. *quini*, *quintati*, id eſt quini & quini, nam quini plerumque procedere ſolent milites; quaſi dicat: Non confuſe & perturbate, ſed militari ordine & diſciplina (Hiſpanice, *en bileras de cinco en cinco*) procedebant, ut quinis viris ordines agminis denſati fuerint. Vide cap. XII. verſ. 51. Repudiant quidam hanc expoſitionem; ſed ſine cauſa. II. a חמש *chomeſch*, aiunt eſſe eam partem corporis humani infra quinque coſtas, quæ Græcis *hypochondria*, Latinis *inguen* dicitur, ubi iecur, & hepar, & alia membra vitalia latent, II. Samuel II. 23. deducunt *chamuſchſchim*. Notant enim ſub ſeptem integris coſtis utrimque eſſe alias quinque in corpore humano mancas, quas mendoſas, ſeu nothas appellant, ſtomachum hinc inde terminantes, & locum utrimque ſub quinta coſta dici *chomeſch*: & quia in eo loco geſtari ſolent enſes & pugiones accincti: ſeu ſoleat pectus thorace uſque ad inguina, ſeu quintam coſtam armari: propterea hic *chamuſchchim* exponunt *quintati*, id eſt *armati*, ſeu *ſuccincti armis ad quintam coſtam*, ſeu uſque ad hypochondria. Ergo ab hac parte armatos, & tectos uſque ad inguina Hebræi *chamuſchſcim* dixere, non ſecus ac Græci θωρηκτὰς; ad pectus munitos armis. Reiiciunt quidam hanc interpretationem: nam unde quæſo per tot annos miſera oppreſſis ſervitute hominibus tanta armorum copia? III. *chamuſchſchim* idem eſſe volunt quod חלוצים *chalutzim*, voce eiuſdem plane, aut conſimilis ſignificatus; quaſi dicas, *inguinati*, *lumbati*, id eſt *ſuccincti balteis in inguine*, ſeu ad inguina, & lumbos: nam uſitatiſſimum eſſe in Scriptura *cinctis lumbis* ſignificari expeditum robur, atque alacre, & paratum ſtudium, ſtrenuamque fortitudinem. Unde plerique Hebræorum, & nonnulli e noſtris hic reddunt, *Accincti*, *expediti*, *diſpoſiti*, *feſtinabundi*, *ſoliciti*, *circumſpecti*, *alacres*, *parati*, qui eſt geſtus itinerantium, & abeuntium. S. Hieronymus explicat, *Accincti*, id eſt inſtructi, & muniti, propter ſupellectilem, qua AEgyptios ſpoliaverunt. Ergo nos potius ſidemus Noſtro, qui cum vox חמושים *chamuſchſchim* quater in Scriptura occurrat, ſemper *armatos* reddidit. Hebræorum aliqui, & ex noſtris pauci, *quintatos* exponunt, id eſt armatos quinque armorum generibus ſingulos: quæ ita numerant, loricam, galeam, ſcutum, gladium, & haſtam. Polybius Lib. VI. arma Romanorum militum eſſe ait ſcutum, gladium Hiſpanicum, duo pila, ſeu haſtam, galeam, & ocreas. Unde autem tot arma Iſraelitæ habere potuerint ante ſubmerſos AEgyptios, varie Explanatores elucidant. In re obſcura quiſque di-

vi-

vinet. Vide S. Hieronymum epiſt. cxxv.

V. 19. Ossa Ioseph. Notant, detuliſſe quoque oſſa reliquorum patriarcharum, ut ſatis indicare videtur Stephanus Actor. VII. 16. ſed meminit tantum Moſes oſſium Ioſeph, quia is eos iuramento obſtrinxerat, ut ea inde aſportarent. Vide Geneſ. L. 24.

V. 20. In Etham. Nomen etiam huic deſerto ad Mare rubrum dedit Numeror. XXXIII. 8. dictum volunt, quod aſperum & præruptum montibus eſſet. Quidam ab hoc Etham vocatam aiunt urbem Pithom, cap. 1. verſ. 11. quaſi פי·אתם *pi-etham*, *os Etham*, quod in ore, ſeu ingreſſu, vel faucibus eius deſerti ſita eſſet. Suſpicari quis poſſit ab אתנן *athon*, *aſinabus* factum, ut auctor eſt Tacitus ſub initium Hiſtoriæ Quintæ.

V. 21. Per diem. Notant quando ponitur יומם *iomam* geminato Mem, tunc notare continuitatem ſeu perpetuitatem diei artificialis, & fere ſemper coniungi cum nocte. Alii vertunt, *Interdiu*. Per diem in columna nubis, et per noctem in columna ignis. Quidam duplicem columnam ſtatuunt, alteram nubis interdiu, alteram ignis noctu. Alii melius, non duas, ſed unam & eamdem columnam nubis, & ignis fuiſſe putant, quæ interdiu ſpeciem lucidæ nubis, noctu vero ſpeciem ignis exhiberet: quod clare colligi exiſtimant e Numer. IX. verſ. 15. & 16. Huius autem columnæ munus interdiu erat, monſtrare viam, quæ alioqui deſerta, & inſolita, & multis locis ſabuloſa, & incerta erat, aere turbante arenas, ut ne veſtigia extarent: vide Plinium Lib. VI. cap. XXIX. Item protegere ab æſtu, ſole, pluvia, aliiſque cæli iniuriis: noctu, illuminare, etiam & defendere a frigore, & humiditate noctis. Pſal. CIV. 39. Sap. X. verſ. 16. & cap. XVIII. 3. cap. XIX. 7. Interdiu & noctu etiam Iſraelitas iter feciſſe, Hebræa huius verſus ſatis aperte demonſtrant.

MENOCHII.

Verſ. 2. Sanctifica mihi omne primogenitum. Hebræorum primogenita ſervaverat Deus: merito ergo ſibi iubet ſanctificari, hoc eſt a communi uſu ſeparari, ut ipſi dicentur, & offerantur. Quod aperit vulvam: quod principium eſt maternæ generationis. Huc ſpectat illud Luc. II. 23. *Omne maſculinum adaperiens vulvam, ſanctum Domino vocabitur*. Itaque hac lege non comprehendebatur proles femella. In filiis, inter filios. Mea sunt, non ſolum creationis titulo, ſed etiam quia primogenita tua a communi ſtrage AEgytiorum exemi.

V. 4. Mense novarum frugum, menſe Niſan, qui, ut dictum eſt, partim Martio, partim Aprili reſpondet.

V. 5. Cumque introduxerit, &c. Ex hoc patet legem comedendi phaſe, & azyma, ut & præcedentem de primogenitis, non obligaſſe Hebræos totis quadraginta annis quibus in deſerto vagati ſunt.

V. 9. Quasi signum in manu tua, &c. Iudæi ut huic præcepto ſatiſfacerent, legem Decalogi membranulis inſcriptam brachio, fronti, fimbriis, aut oſtiis domus affigebant: & hæc ſunt phylacteria quæ carpit Chriſtus Matth. XXIII. 5. *Præcepta*, inquit S. Hieronymus in cap. XXIII. Matth. citatum, *erunt in manu tua ut compleantur: erunt ante oculos tuos, ut die ac nocte mediteris in eis*.

V. 10. A diebus in dies, id eſt ab anno in annum; quaſi dicat, certa annorum, & continua ſerie. Hebræum enim ימים *iamim*, id eſt dies, in plurali ſignificat annum.

V. 11. Chananaei: ſub quo ceteras intelligit gentes in terra promiſſa habitantes: harum enim omnium pater fuit Chanaan. Geneſ. X. 5.

V. 12. In pecoribus tuis. Pecora hic ſunt quæ paſtum, & cibum præbent, uti ſunt oves, capræ, boves.

V. 13. Primogenitum asini, id eſt aſinæ: huius enim aperitur vulva, & aſinus tam mas eſt, quam femina. Unde agno paſchali additur vox *maſculus*, ſupra cap. XII. 5. Si non redemeris interficies. Si vilior ſit primogenitus aſini, quam ut illum ove redimere velis; tunc non immolabis, ſed præciſa cervice occides: hoc enim ſignificat verbum Hebræum ערף *araph*. Omne primogenitum hominis redimes; ut hæc redemtio refricaret memoriam redemtionis primogenitorum cum a

gladio Angeli ſubducta ſunt: & quia ſolos Levitas ſuo tabernaculo, & cultui deſtinaverat.

V. 14. Cras, futuris temporibus.

V. 15. Usque ad primogenitum iumentorum. Omnia primogenita etiam iumentorum, puta equorum, aſinorum, camelorum, cæſa ſunt in AEgyto: in huius tamen rei memoriam Deus non iumentorum omnium, ſed pecorum tantum (ut dictum eſt numer. 12.) primogenita ſibi ab Hebræis offerri voluit.

V. 16. Quasi appensum quid. Alii vertunt *Frontale*, quod Iudæi craſſe accipiunt de ſcheda in fronte pendente, cui Decalogus inſcriptus ſit: quomodo hæc intelligenda ſint diximus num. 9. ex D. Hier.

V. 17. Per viam terrae Philisthiim. Hoc iter a Chanaan in AEgyptum per Philiſthinos communiter dicitur eſſe decem dierum: Philo ait eſſe trium dierum. Si vidisset adversum se bella consurgere. Etiam alia via pugnandum fuit cum Amalec, cap xvii. ſed illud prælium fuit unicum, & quadrageſimo die ab exitu de AEgypto initum, & divino auxilio facile confectum: ſi autem tranſiſſent Hebræi per Philiſthinos, ſtatim, & aſſidue eis pugnandum fuiſſet cum hoſtibus bellicoſiſſimis: tales enim erant Philiſthini.

V. 18. Armati. Honeſtiores iam ante arma domi ſuæ habuerunt; alii præmoniti ante egreſſum ſibi compararunt: nam eos habuiſſe arma patet ex bello, quod paulo poſt cum Amalecitis geſſerunt.

V. 19. Ossa Ioseph. Veriſimile eſt etiam hoc tempore aliorum patriarcharum fratrum Ioſeph tranſlata: nam ex cap. vii. Act. num. 16. conſtat eos tranſlatos fuiſſe in Palæſtinam, & ſepultos in Sichem.

V. 20. In Etham. Etham ſitum erat in ultima ſolitudine vicina Mari rubro. & montibus prærupta, unde etiam nomen videtur inveniſſe: Etham enim Heb. *fortem*, indeque aſperſum, & præruptum ſignificat.

V. 21. Columna nubis, quæ ab Angelo mota ſignum itineris erat Hebræis: nec tantum hæc columna qua eundum eſſet monſtrabat; ſed etiam Hebræorum caſtra inumbrabat, & æſtum defendebat: quod enim habemus Num. x. 34. *Nubes quoque Domini ſuper eos erat per diem cum incederent*, LXX. vertunt, *Nubes Domini fuit obumbrans* (σκιάζουσα) *ſuper eos*. Porro hæc columna nubis quæ per diem Iſraelitarum iter regebat, idem noctu præſtabat officium, ſed ſpecie ignis, ut facilius cerneretur.

TIRINI.

Verſ. 2. Sanctifica mihi omne primogenitum quod aperit vulvam. Id eſt, conſecra, & offer mihi; & quidem primogenita hominum in perpetuum mei ſervitium, applicando eos obſequio templi mei; primogenita vero animalium mundorum offer in hoſtiam pacificam *a*.

Nota. Loco primogenitorum totius Iſraelis, qui tota vita ſua debuiſſent alligari ſervitio templi, ſelegit, & ſubſtituit Deus ſolam, ſed totam *b* tribum Levi.

Nota ſecundo, ex illo, *quod aperit vulvam*, colligi, non omne paternum primogenitum, ſed ſolum maternum offerendum fuiſſe Deo. Hinc ex vidua quæ ante pepererat, ſuſceptus filius, vel ex non vidua, ſed quæ ſemellam ante pepererat, non erat Deo offetendus: quia non ipſe, ſed alia præcedens proles vulvam matris aperuerat. Qui tamen plures (uti tum licuit) habebat uxores, debebat ſingularum uxorum primum fetum, ſi maſculus erat, Deo conſecrare.

Nota tertio, Chriſtum, quia naſcens vulvam matris non reſeravit, ſed penetravit, hac lege non fuiſſe comprehenſum. Ita Cyrillus Ieroſolymitanus, & Hormiſda Papa *c*: licet contra ſentiant Rupertus, Ianſenius, Toſtatus.

V. 21. Columna nubis, una eademque erat cum columna ignis, quæ mota & directa ab angelo, quaſi a nauclero, interdiu ſpeciem nubis, noctu ignis ſeu flammæ referebat: & inſtar altiſſimæ columnæ ad cælum protenſæ ut a totis caſtris cerni poſſet, præcedebat univerſum agmen cum iter faciendum eſſet; cum vero quieſcendum, ſupra locum tabernaculi immota hærebat. Tantum vero luminis noctu ſubminiſtrabat, ut cum omni alia luce carerent Hebræi, ſolis radiis illuſ-

ſat

Digitized by Google

ſat iuvarentur, etiam in ſuis tentoriis, ad omnia quæ neceſſaria eſſent videnda, & peragenda. Et totis quadraginta annis hoc modo adfuit continuo Hebræis uſque ad mortem Moyſis, cum nempe in proximo eſſet ut Iordanem traiicerent. Nam tum defeciſſe columnam, vel ex eo patet quod in traiectione Iordanis iubeantur Hebræi non iam amplius columnam ducem viæ aſpicere & ſequi, ſed arcam a ſacerdotibus baiulatam eminus præeuntem: cum alioqui longe facilius fuiſſet columnam ducem intueri & ſequi, quam arcam. Ita S. Auguſtinus, Abulenſis, Maſius, Serarius *d*. Neque ſine myſterio: nam cum Ioſue, figura & antitypo Chriſti, ceſſare debebant nubes & velamina Moſaica. Quamquam & hæc columna typus quoque fuerit Chriſti, uti & Spiritus ſancti, ut ſuſe demonſtrant Ambroſius, Gregorius, & Rupertus *e*.

(*a*) Num. XVIII. 15.
(*b*) Num. III. & VIII.
(*c*) Cyrill. hom. de Occurſu Domini. Hormiſda epiſt. I. cap. III.
(*d*) S. Auguſt. quæſt. III. vel V. in Ioſue. Abul. Maſ. Serar. in Ioſue. III.
(*e*) Rup. Lib. II. in Exod. cap. XXVIII.

GORDONI.

Verſ. 2. SANCTIFICA. Sanctificatio iſta eſt ut deinceps primogenita offerantur Deo in memoriam beneficii accepti in AEgypto per extinctionem primogenitorum; nempe ut cederent in Dei cultum. Et quidem munda animalia immolabantur, ex verſ. 12. immunda permutabantur: homines redimebantur, ne eſſent in perpetuum obſequium templi, verſ. 13. Hæc intellige de primogenitis maſculini ſexus. Id vero, PRIMOGENITUM QUOD APERIT VULVAM, eſt ac ſi dicat, quod eſt primus fetus feminini ſexus: quare vir unus poterat habere plures primogenitos, mutatis uxoribus.

V. 4. MENSE NOVARUM FRUGUM. Hic menſis eſt Niſan, ſeu Martius. Male Pagninus Iulium intellexit: eſt enim in Hebr. אביב, ſeu ſpicarum menſis. Eſt quidem אב menſis Iulius; ſed non ita habet textus Hebraicus, & אבב eſt ſpica.

V. 6. SEPTEM DIEBUS. Septuaginta habent *Sex*: ſed in idem recidit propter ſequentia verba.

V. 10. A DIEBUS IN DIES, hoc eſt quotannis.

V. 13. INTERFICIES. Libera dabatur ad hoc optio: nam contingere potuit ut dominus mallet occidere inutilem aſinum, quam eum redimere. Redimitur, inquit, homo pretio, nempe quinque ſiclis. Num. cap. III. verſ. 47.

V. 16. APPENSUM. Sept. ἀσάλευτον, *immobile*, *&* *ſignum permanens*.

V. 17. NON EOS DUXIT PER VIAM PHILISTHIIM. Intellige per viam ex AEgypto in Chanaan per Philiſthinos, quamvis brevior eſſet quam per deſertum: & hoc ad vitanda multa bella.

V. 18. ARMATI ASCENDEBANT. Symmachus καθωπλισμένοι, item Aquila: at diſcrepant Septuag. ubi eſt, *quinta generatione aſcenderunt*. Theodotion habet πεμπταίζοντες, quaſi diceres, quinos & quinos ordine militari, vel quintatos. Sed quid de verſione Septuaginta? Sane Ioſue I. verſ. 14. pro hac voce Hebraica, eſt εὔζωνοι, *accincti*: neſcio proinde an olim hoc loco fuerit vox πεμπτεύζωνοι, quod forte quidam non intelligens, corrupit textum Septuaginta interpretum, & diſcordare fecit ab Hebræo, ubi חמושים *chamuſim* vox eſt a quinque derivata, habens formam participii, & quam plures vertunt *quintatos*. Vide Hieron. epiſt. ad Damaſ. de tribus Quæſt. qu. II. Ceterum non eſt improbabile, Iſraelitas in exodo etiam accepiſſe commodato ab AEgyptiis arma.

V. 20. ETHAM, eſt iuxta Mare rubrum, ubi ſecunda caſtra fixerunt.

V. 21. IN COLUMNA NUBIS. Hæc primo apparuit in Ramaſſes, de quo ſupra. Alii in Etham. Movebatur hæc nubes directore Angelo. Præceſſit Hebræos per 40. annos. Formam denique, & motum mutabat, ut res poſtulabat. Probabile ſatis eſt, non fuiſſe veram nubem, nec verum ignem: nam diuturna horum conſervatio per 40. annos, ne nocerent, aut perirent, exegiſſet ſine neceſſitate miracula continuata. Et facile fuit Deo uti alio corpore.

V. 22. NUMQUAM DEFUIT. Hebr. *Deus non amovit columnam*.

Ex Eiusdem Auctario.

V. 5. Cumque introduxerit. Ex hoc loco colligi poteſt, in deſerto non ſtetiſſe obligationem Iſraelitis de phaſe, azyma, & primogenitis.

V. 9. Ex hoc loco Iudæi tranſtulerunt ad fimbrias, quod ad mentem, & ad memoriam ſpectabat. Vid. Matth. xxxv. 5.

V. 12. Offerri debebant Deo omnia maſculini ſexus primogenita: nec tantum pecorum, quæ ſunt ad eſum, ut ſunt boves, oves, & capræ, & poterant ſacrificari; ſed etiam iumentorum, quæ ſunt ad onera, ut equi, aſini, cameli. Vult quidem Abulenſis non offerri iumenta, quem ſequitur Cornelius. Melius, ut puto, Philo Lib. de ſacerdotum Honoribus, qui nihil excipit. Et bene probatur ex Num. xviii. verſ. 15. ubi immunda iubentur redimi, & ubi τὸ immundum gratis a quibuſdam reſtringitur. Ceterum non omne quod offertur Deo, eſt materia ſacrificii.

C A P U T XIV.

Pharao Iſraelem perſequens, & mare per ſiccum poſt illum ingrediens, cum univerſo equitatu ac curribus ſubmergitur.

1 Locutus eſt autem Dominus ad Moyſen, dicens: 2. Loquere filiis Iſrael: Reverſi caſtrametentur e regione Phihahiroth, quæ
eſt inter Magdalum & mare contra Beelſephon: in conſpectu eius caſtra ponetis ſuper mare. 3. Dicturuſque eſt Pharao ſuper filiis Iſrael: Coarctati ſunt in terra, concluſit eos deſertum. 4.
Et indurabo cor eius, ac perſequetur vos: & glorificabor in Pharaone, & in omni exercitu eius, ſcientque AEgyptii quia ego ſum Dominus.
Feceruntque ita. 5. Et nuntiatum eſt regi AEgyptiorum quod fugiſſet populus: immutatumque eſt cor Pharaonis & ſervorum eius ſuper populo, & dixerunt:
Quid voluimus facere ut dimitteremus Iſrael, ne ſerviret nobis? 6. Iunxit ergo
currum, & omnem populum ſuum aſſumpſit ſecum. 7. Tulitque ſexcentos currus
electos, & quidquid in AEgypto curruum fuit; & duces totius exercitus. 8. Induravitque Dominus cor Pharaonis regis AEgypti, & perſecutus eſt filios Iſrael:
at illi egreſſi erant in manu excelſa. 9. (*a*) Cumque perſequerentur AEgyptii
veſtigia præcedentium, repererunt eos in caſtris ſuper mare: omnis equitatus &
currus Pharaonis, & univerſus exercitus, erant in Phihahiroth contra Beelſephon.
10. Cumque appropinquaſſet Pharao, levantes filii Iſrael oculos, viderunt AEgyptios poſt ſe: & timuerunt valde: clamaveruntque ad Dominum, 11. & dixerunt ad Moyſen: Forſitan non erant ſepulcra in AEgypto, ideo tuliſti nos
ut moreremur in ſolitudine: quid hoc facere voluiſti, ut educeres nos ex AEgypto? 12. Nonne iſte eſt ſermo, quem loquebamur ad te in AEgypto, dicentes: Recede a nobis, ut ſerviamus AEgyptiis? multo enim melius erat ſervire
eis, quam mori in ſolitudine. 13. Et ait Moyſes ad populum: Nolite timere:
ſtate, & videte magnalia Domini quæ facturus eſt hodie: AEgyptios enim, quos
nunc videtis, nequaquam ultra videbitis uſque in ſempiternum. 14. Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis. 15. Dixitque Dominus ad Moyſen: Quid
clamas ad me? Loquere filiis Iſrael ut proficiſcantur. 16. Tu autem eleva virgam
tuam,

tuam, & extende manum tuam ſuper mare, & divide illud: ut gradiantur filii Iſrael in medio mari per ſiccum. 17. Ego autem indurabo cor AEgyptiorum ut perſequantur vos: & glorificabor in Pharaone, & in omni exercitu eius, & in curribus & in equitibus illius. 18. Et ſcient AEgyptii quia ego ſum Dominus, cum glorificatus fuero in Pharaone, & in curribus atque in equitibus eius. 19. * Tollenſque ſe angelus Dei, qui præcedebat caſtra Iſrael, abiit poſt eos: & cum eo pariter columna nubis, priora dimittens, poſt tergum 20. ſtetit, inter caſtra AEgyptiorum & caſtra Iſrael: & erat nubes tenebroſa, & illuminans noctem, ita ut ad ſe invicem toto noctis tempore accedere non valerent. 21. Cumque extendiſſet Moyſes manum ſuper mare, abſtulit illud Dominus flante vento vehementi & urente tota nocte, & vertit in ſiccum: diviſaque eſt aqua. 22. (*b*) Et ingreſſi ſunt filii Iſrael per medium ſicci maris: erat enim aqua quaſi murus a dextra eorum & læva. 23. Perſequenteſque AEgyptii ingreſſi ſunt poſt eos, & omnis equitatus Pharaonis, currus eius & equites, per medium maris. 24. Iamque advenerat vigilia matutina, (*c*) & ecce reſpiciens Dominus ſuper caſtra AEgyptiorum per columnam ignis & nubis, interfecit exercitum eorum: 25. & ſubvertit rotas curruum, ferebanturque in profundum. Dixerunt ergo AEgyptii: Fugiamus Iſraelem: Dominus enim pugnat pro eis contra nos. 26. Et ait Dominus ad Moyſen: Extende manum tuam ſuper mare, ut revertantur aquæ ad AEgyptios ſuper currus & equites eorum. 27. Cumque extendiſſet Moyſes manum contra mare, reverſum eſt primo diluculo ad priorem locum: fugientibuſque AEgyptiis occurrerunt aquæ, & involvit eos Dominus in mediis fluctibus. 28. Reverſæque ſunt aquæ, & operuerunt currus & equites cuncti exercitus Pharaonis, qui ſequentes ingreſſi fuerant mare: nec unus quidem ſuperfuit ex eis. 29. Filii autem Iſrael perrexerunt per medium ſicci maris, & aquæ eis erant quaſi pro muro a dextris & a ſiniſtris: 30. liberavitque Dominus in die illa Iſrael de manu AEgyptiorum. 31. Et viderunt AEgyptios mortuos ſuper littus maris, & manum magnam quam exercuerat Dominus contra eos: timuitque populus Dominum, & crediderunt Domino, & Moyſi ſervo eius.

(*a*) I. Mac. iv. 9. Ioſ. xxiv. 6. (*b*) Pſalm. lxxvii. 13. civ. 37. & cxiii. 3. Heb. xi. 29. (*c*) Sap. xviii. 15.

B R U G E N S I S

Romana Correctio.

V. 19. *Tollenſque ſe Angelus Dei*. Non eſt auferendum pronomen *ſe*, nec mutandum *Dei* cum *Domini*.

Notatio.

V. 19. *Tollenſque ſe Angelus Domini, qui præcedebat caſtra Iſrael, abiit poſt eos*. Quatuor Hentenii manuſcripta auferunt *ſe*, quod Græcis quidem codicibus ſimiliter non additur, ſed vel legendum eſt, vel ſubaudiendum: ſenſus enim eſt, Angelum Dei ex anteriori caſtrorum loco in poſtremum exercitus agmen ſe tranſtuliſſe. Hebraice eſt וַיִּסַּע מַלְאַךְ & *profectus eſt Angelus*. Forte Interpres noſter cum LXXII. legit וַיִּסָּא quod eſt & *ſuſtulit*. ἐξῆρε δὲ quamquam voces iſtæ nec ſignificatis abſimiles ſint; ſicuti, quod Chaldæus reddidit נְטַל, & *levare*, & *proficiſci* ſignificat.

COM-

COMMENTARIA

S A.

Verſ. 2. REVERSI, id eſt reflectentes. QUAE EST INTER. Hebraice *Inter*. CONTRA, id eſt ante, ſeu e regione. Sic infra verſ. 9.

V. 3. COARCTATI. Hebraice *Concluſi*, vel *perplexi*. LXX. *Errant*.

V. 4 GLORIFICABOR; id eſt, glorioſus apparebo.

V. 6. CURRUM, ſcilicet ſuum. Olim e curribus pugnabant.

V. 8. EXCELSA; quaſi dicat, cum magna Dei potentia, animique audacia, & alacritate.

Verſ. 9. VESTIGIA PRAECEDENTIUM. Hebr. *Poſt eos*. ERANT IN; pro, acceſſerunt prope.

V. 12. RECEDE A NOBIS. Sic etiam Chald. at LXX. *Dimitte nos*.

V. 13. MAGNALIA DOMINI QUAE. Hebr. *Salutem Domini quam*. VIDEBITIS, ſcilicet vivos.

V. 15. DIXITQUE; pro, dixerat antea, ſcilicet oranti. CLAMAS: ſcilicet corde clamabat.

V. 19. POST TERGUM, ſcilicet ſequens: vel iunge cum DIMITTENS, ſcilicet recedendo.

V. 20. TENEBROSA, ſcilicet AEgyptiis. ILLUMINANS, ſcilicet Iudæos.

V. 21. URENTE. Hebr. & Chald. *Orientali*. LXX. *Auſtro*.

V. 24. INTERFECIT. Hebr. *Contrivit*, ſeu *conturbavit*. Chald. & LXX. *conturbavit*.

V. 26. ET AIT, pro & dixerat.

V. 27. AD PRIOREM LOCUM. Heb. *Ad fortitudinem ſuam*. Chald. *Ad vigorem ſuum*, ſcilicet recuperavit obruendi vim ante impeditam.

V. 31. MANUM, id eſt potentiam.

E S T I I.

Verſ. 7. TULITQUE PHARAO SEXCENTOS CURRUS ELECTOS. Cum curruum uſus communiter non ſit ſine animalibus, a quibus trahantur, & ſup. cap. IX. dictum ſit omnia animalia AEgyptiorum fuiſſe peſte conſumpta; quomodo hæc concilientur, vide dicto cap. IX. verſ. 6.

V. 15. QUID CLAMAS AD ME? Cum Moyſem externo vocis ſono ad Deum clamaſſe non legamus, intelligendum eſt Moyſem etiam tacentem clamaſſe, quandoquidem interno cordis deſiderio pulſaverit aures divinæ bonitatis; de quo clamore Apoſtolus dicit ad Galatas cap. IV. *Dedit Deus ſpiritum Filii ſui in cordibus noſtris, clamantem, Abba, Pater*. Et quidem Moyſes, etſi ſecurus de divino auxilio, non tamen prætermittit propterea orationis ſubſidium. Talis enim eſt & Chriſti interpellatio, immo omnium ſanctorum qui in cælis ſunt, oratio pro nobis. Neque enim putandum eſt quemquam eorum fruſtra orare: etenim ſine eorum oratione Deus multa non eſſet daturus; & vult ab eis orari, ad declarandum quanti faciat eorum merita.

V. 22. ET INGRESSI SUNT FILII ISRAEL PER MEDIUM SICCI MARIS. Refert Ioſephus Lib. II. Antiquit. cap. ult. ſimile quid accidiſſe Alexandro Magno, cuius ductu Macedonibus ceſſerit Panphylium mare, & aliam viam non habentibus illac iter aperuerit, cum Deus eius opera ad deſtruendum Perſarum imperium uti decreviſſet. *Id quod omnes*, inquit, *teſtantur qui res geſtas illius regis ſcripto prodiderunt*. Quod ſi verum eſt, eo forte divinitus actum eſt ut doceretur, neque impoſſibile eſſe, neque ſtulte & inaniter credi, quod de tranſitu Maris rubri duce Moyſe, ſacræ Litteræ hoc loco tradunt.

V. 25. FUGIAMUS ISRAELEM: DOMINUS ENIM PUGNAT PRO EIS CONTRA NOS. Pro *Dominus*, Hebraice eſt *Iehova*. Ex quo apparet id nomen etiam notum, & uſitatum fuiſſe AEgyptiis.

V. 31. ET CREDIDERUNT DOMINO, ET MOYSI SERVO EIUS. Reſpicitur ad illud quod Moyſes dixit ad Dominum cap. IV. *Non credent mihi*. Senſus igitur eſt: Crediderunt Deum eſſe omnipotentem, & veracem in promiſſis ſuis; crediderunt etiam Moyſem tamquam Dei ſer-

ſervum ad ſe miſſum, per quem talia ſigna fierent, quem initio vix recipere volebant. Et ſignificatur quod plenius crediderint quam antea, quia iam hoſtes ſuos videbant oppreſſos, ſicut & Ioann. 11. dicitur poſt miraculum aquæ in vinum converſæ: *Et crediderunt in eum diſcipuli eius*.

MARIANAE.

Verſ. 7. Et duces totius exercitus. Hebr. *Et duces ſuper omnes ipſos*, ſupple *conſtituit*, ut explicat Chald. Porro *duces* vocantur שלשים *ſaliſim*, id eſt *tertiarii*; vel quod tertium locum poſt regem obtinuerent; vel quod tertiæ parti exercitus ſinguli præeſſent.

V. 8. In manu excelsa. Quod erecta manu tenetur, extra periculum eſt: ſeu *in manu excelſa*, id eſt forti, egreſſi ſunt Iudæi.

V. 16. Et divide illud, ſcilicet mare. Non explicat, unam diviſionem an plures fecerit Moyſes. Plerique iuxta numerum tribuum putant diviſiones factas: certe Epiphanius hæreſ. 46. & Midras Thilim.

V. 20. Et erat nubes tenebrosa, et illuminans noctem: AEgyptiis tenebroſa, lucida Iudæis.

V. 21. Abstulit illud Dominus flante vento vehementi et urente. Hebr. *Et abire fecit Dominus* (ſcilicet mare ſiccavit) *vento orientali vehementi*. קדים *kadim* eſt *oriens*, quod *urens* vertit Hieron. fere ab effectu. Sup. x. verſ. 13.

V. 24. Interfecit exercitum eorum. Alii *conturbavit*; alii *contrivit*.

V. 25. Et subvertit rotas curruum: abſtulit rotas curruum. Ferebanturque in profundum. Hebraice, *Et ducebant eum* (pro, eos) *graviter*, ægre movebant AEgyptii currus.

V. 27. Ad priorem locum. Heb. *Ad vigorem ſuum rediit mare*.

V. 28. Et involvit eos Dominus in mediis fluctibus. ינער *ienaœer* alii explicant, *rapuit AEgyptios in medium mare*; idque ſignificat id verbum in lingua Aramæa, ut ait quidam Hebræus. At Chald. *Suffocavit AEgyptios* dixit; alii *excuſſit AEgyptios*: una omnes ſententia. Nec unus quidem superfuit ex eis. Hebr. *Non ſuperfuit in eis uſque ad unum*. Ex quo quidam putant, unum ex AEgyptiis evaſiſſe, nempe Pharaonem, quo maior eſſet afflictio: ſic particulam עד *bad*, pro *præter* ſumunt: verum hæ fabulæ ſunt. Maior quæſtio, Iudæi ne traiecerint mare ab occaſu ad ortum, an ad Candem ripam prodierint: quod plerique ſentiunt, quod in Num. cap. xxxiii. verſ. 6. poſt tranſitum maris ponatur deſertum Etham, in quo antequam tranſiſſent mare, eos fuiſſe, conſtat ex capite ſuperiori verſ. 20.

MALVENDAE.

Verſ. 2. Phihahiroth. Exponunt, *Os*, ſeu *fauces Chirotarum*, putant eſſe fauces montium, locum, inquam, anguſtum inter duos montes, prope mare, munitum utrimque rupibus, qua ulterius niſi per mare erumpere non poſſent; regredientibus obſiſteret exercitus AEgyptiorum: quaſi arctis locis concluſos, vel trucidarent AEgyptii, vel facile ut greges reducerent. Deſtinato id fecit Deus, ut ea ſpecie AEgyptii allecti aggrederentur eos, ſpe retrahendi eos in priſtinam ſervitutem. חירות *chiroth*, *foramina*, *ſpeluncas*, *cavernas rupium*, *anguſtias montium* ſignificat. Magdalum. Hebr. *Migdol* Turris forte ſpeculatoria monti impoſita in mare proſpiciens. Huius loci fit mentio Ieremiæ xliv. 1. Ezech. xxx. 7. vide in II. Samuel xxiii. verſ. 29. Beelsephon. Forſan locus in receſſu, ſeu abſcondito, vel ſeptentrioni expoſitus: unde nomen nactus. Quidam putant eſſe *Suez*. Alii nomen idoli AEgyptiaci, quod illis locis coleretur arcano ritu.

V. 3. Coarctati sunt in terra. נבכים *nebuchim*. Varie exponunt: *Perplexi*, *intricati*, *diſtracti*, *confuſi*, *vagati*, *ipſi*. Inepte quidam: *Suſpenſi*, *concluſi*: *concluſit eos deſertum*. Situm locorum quo tum incluſi Hebræi, & Pharaonis exercitus eos prementis obſidionem, ita paucis deſcribit Ioſephus: *Ecce AEgyptiorum multitudo circumfuſa in arctum eos compellit. Aderant enim ſeptingenti currus cum equitum quinquaginta millibus, & ducenta millia ſcutatorum peditum: ii vias omnes*

omnes obſederant quibus effugium Hebræis patere poterat, inter rupes & mare concluſis: quo loco mons præ aſpretis invius, ad littus uſque procurrit. Atque ita ne fugæ quidem ſpe relicta, Hebræos mare inter & montem obſidione premebant, oppoſitis armatis qua exitus in campos aperiebatur. In hac locorum iniquitate concluſi, cum eſſent rupibus, & mari, & armatis circum circa cincti, nec ulla ſpes effugii relinqueretur, &c.

V. 5. IMMUTATUMQUE EST COR PHARAONIS. Hebr. *Verſum eſt cor Pharaonis, & ſervorum eius ad populum.* Bifariam capi poteſt. I. Quod deſiderio eorum affect. fuerint, & cordi eis fuerint Iſraelitæ. II. Quod mutaverint propoſitum & voluntatem: nam cum antea eos dimiſerint, & abire compulerint, nunc eos retrahere conantur.

V. 7. SEXCENTOS CURRUS ELECTOS. Quidam reddunt, *Sexcentos currus electi*, ſubaudi *militis*. ET DUCES TOTIUS EXERCITUS. שלשים *ſchalſchim* varie exponunt. I. *Et terni ſuper omnem eum*, videlicet currum: quod ſic accipiunt quod quilibet currus habebat ſaltem novem viros pugnatores, tres in parte anteriori, tres a dextris currus, & tres a ſiniſtris. Vel quod tres eſſent in quolibet curru: unus qui regeret, alius qui pugnaret, tertius qui pugnantem protegeret. II *Et principes, duces, magnos, ac celebres viros, heroas, ſuper omnem eum*. III. *Et tertios, tertiarios, triarios, ternarios*; id eſt. vel qui tertii eſſent dignitate a rege, vel qui triginta viris præeſſent, aut præſtarent, vel qui tertiæ parti exercitus præfecti eſſent: ut Romani aciem in cornu ſiniſtrum, & dextrum, & mediam aciem diſtribuebant: vel a שליש *ſchaliſch, maxima menſura*, ſic dictos duces, magnos & celebres viros, ac heroas. Sed triarii aliud erant in militia Romana, illi nempe qui in tertia acie pugnabant. IV. *Et tribunos ſuper omnem illum* currum, aut exercitum. V. LXX. *Et triſtatas ſuper omnes*. Qui ſint *triſtatæ*, quia res nota eſt, pluribus docet S. Hieronymus in Ezechiel. XXIII. & in Daniel. V. Agunt plenius de *triſtatis* Henricus Stephanus Tomo III. Theſauri, colum. 1605. Notæ ad Latinam Editionem LXX. Interpretum, Exod. XIV. & XV. Druſius in Difficilioribus Exod. c. XXII.

V. 8. IN MANU EXCELSA. Pluriſariam exponunt. I. Divinis, & admirandis Dei operibus, præſenti, & excelſa Dei ope. II. Magnis copiis & exercitibus. III. Inſtructi copia rerum omnium, cum multis divitiis & opibus. IV. Tuti, ſecuri, illæſi, ut eos nemo poſſet attingere. Infra cap. XIX. verſ. 4. *Quomodo portaverim vos ſuper alas aquilarum*. V. In magna audacia, & animo alacri, animoſi, magna ſperantes, hilares: qui enim læti ſunt, manus elevant, altiuſque incedunt. VI. Non ut fugitivi, trepide manibus remiſſis, ſed ſublata manu ſecure, inſtructa acie, ut deſcribitur cap. XIII. verſ. 18.

V. 9. OMNIS EQUITATUS, ET CURRUS PHARAONIS. Hebr. *Omnis equus currus Pharaonis*. Quidam reddunt: *Omnes equites ciſiarii Pharaonis*. Ciſum vehiculi biroti genus, Nonio, ex Cicerone, II. Philippica. Quaſi dicat: Tam equi currales, vectarii, ſeu iugales, quam alii equites, vel levis armaturæ, vel cataphracti.

V. 10. CUMQUE APPROPINQUASSET PHARAO. הקריב *hikrib* in Hiphil tranſitive exponunt, *Appropinquavit, admovit, applicuit*, ſubaudi caſtra, ſeu exercitum: alii intranſitive, *Appropinquavit, ſe ipſum*. Et formula Hiphil ſignificatum intendit: Quam maxime, quam proxime potuit fieri, poſuit caſtra ſua iuxta caſtra filiorum Iſrael.

V. 11. FORSITAN NON ERANT SEPULCRA IN AEGYPTO? Rarus loquendi modus Hebraice, המבלי-אין-קברים *bamibbeli-en-kebarim*, forte metu turbatorum: quem varie reddunt. I. *An quod non ſepulcra?* II. *Num abſque non ſepulcra?* III. *An propterea quod nulla ſint ſepulcra?* IV. *Numquid omnino nihil ſepulcrorum in AEgypto?* V. *An de*, vel *præ inveteratione non ſepulcra in AEgypto?* id eſt, adeo inveterata, aut vetuſtate conſumpta fuerunt ſepulcra in AEgypto, ut nulla penitus exſtarent. Ex verbo: *An de nequaquam, neutiquam omnino non ſepulcra in AEgypto?* Duæ hic negationes maxime ſenſum augent, quaſi Latine geminantes diceremus, Nequaquam, nullo modo omnino.

V. 12. RECEDE A NOBIS. Hebr. *Ceſſa, deſine, abſtine, deſiſte a nobis*; id eſt, diſcede, faceſſe, deſine nos ſervire AEgyptiis.

V. 13

V. 13. STATE; id eſt, ſiſtite gradum, conſiſtite, ne commoveamini, aut fluctuetis animo, ſed ſpe firma opem Domini expectate.

V. 14. TACEBITIS. תחרישון *tacheriſchun* omnia iſta includit, *ceſſabitis*, *ſilebitis*, *quieſcetis*; id eſt, tranquilli & quieti eritis, cogitabitis, nimirum tam præſentem divinæ opis efficaciam.

V. 20. ET ERAT NUBES TENEBROSA, AEgyptiis ſcilicet, ne videre poſſent caſtra Hebræorum. ET ILLUMINANS NOCTEM, ipſis videlicet Hebræis, quos illuminabat, & quibus omnia clara & perſpicua reddebat. ITA UT AD SE INVICEM TOTO NOCTIS TEMPORE ACCEDERE NON VALERENT; id eſt, exercitus AEgyptiorum præ tenebris ad caſtra Hebræorum accedere nullo modo potuit.

V. 22. ET INGRESSI SUNT FILII ISRAEL PER MEDIUM SICCI MARIS. Longos hic diſputationum acervos explanatores accumulant. Nos breviter ita ſentimus, ſinum tunc Arabicum, non diſſectum in duodecim vias, pro numero tribuum, ſed in unam ſatis amplam, qua omnes Iſraelitæ ſimul per ordines ſuos tranſierint traiectum fuiſſe a littore AEgyptio, ſeu Africano, aut occidentali in adverſum & oppoſitum littus Arabicum, ſeu Aſiaticum, vel orientale, emenſa ea parte, tota latitudine ſinus de littore in littus, qui ſe iam ibi in arctum cogit. Spatium tunc traiecti maris, quidam ſex millium, alii novem millium faciunt. Vide quæ de his notavimus in Paradiſo cap. XXXVIII.

V. 24. INTERFECIT EXERCITUM EORUM. Hebr. varie reddunt. I. *Attonitum fecit*. II. *Tumultuari fecit*; id eſt, ſubitum tumultum excitavit. III. *Conſternavit*, *conturbavit*, *diſturbavit tumultu maximo*. IV. *Profligavit*, *fudit*. V. *Quaſſavit*, *contrivit*, *fregit*. VI. *Sonando contrivit caſtra AEgyptiorum*, nimirum immittens tonitrua, fulgura, procellas, Pſalm. LXXVI. verſ. 18. 19. & Sapient. XIX. verſ. 12. Artapanus apud Euſebium Lib. IX. Præparationis Evangelicæ cap. IV. *Cum poſt Iudæos perſequerentur AEgyptii, cum fulminibus, tum refluentibus aquis perierunt*. Ioſephus Lib. II. Originum cap. VII. *Ergo cum iam univerſus exercitus* AEgyptiorum *introgreſſus eſſet. refunditur iterum mare, & AEgyptios fluctibus involvit, ventis etiam eodem impellentibus, acceſſerunt & imbres de cælo, & aſpera tonitrua, fulguribus ſimul intermicantibus: fulmina quoque deferebantur; & nihil omnino deerat eorum quæ ab irato Deo hominibus ad perniciem immitti ſolent*.

V. 25. ET SUBVERTIT. Heb. *Avertit*, *diſcedere fecit*. Forſan in totum ſuſtulit, & amovit, ſeu detraxit; vel laxavit, aut luxavit ab axe. Quidam, *Conſtrinxit*; id eſt, impedivit hærentes in luto. FEREBANTURQUE IN PROFUNDUM. Hebr. *Et deduxit eum in gravitatem*. Noſter intellexit in profundum, quod gravia quæque in profundum tendant: alii, *Et deducebat, agebat illum*, nempe currum, *in gravitate*, id eſt cum difficultate, tarde, & graviſſime, nimirum cum immiſſis iam aquis terra fermenteſceret, quæ tenaciter hærebat rotis, curribus, & pedibus, ut penitus luto infigerentur, & fruſtra de fuga cogitarent, Iudith IX. verſ. 8. Sed amotis rotis difficulter poterant currus trahi etiam in ſicco.

V. 28. REVERSAEQUE SUNT AQUAE. Plerique veterum gentilium, ad quos tanti fama miraculi pervenit, conati ſunt malitioſe illud fluxui & refluxui maris, non divinæ omnipotentiæ adſcribere. Artapanus apud Euſebium Lib. IX. Præparationis Evangelicæ cap. IV. *Memphitas enim dicere, cum magnam locorum Moſes haberet peritiam, refluxum maris obſervaſſe, ac ita cum populo tranſiviſſe*. Strabo Lib. XVI. pag. 780. de AElii Galli in ſinu Arabico navigatione: *AEſtu maris reciprocantis maxime iis in locis adverſante*. Agatharchides Lib. V. de Mari rubro cap. LII. LIII. ſinum Arabicum ſubiectum fluxui & refluxui eſſe, pluribus docet. Herodotus Lib. II. numero 2. *In quo ſinu quotidie reciprocatio aquarum, & vadoſum æſtuarium eſt*. Huius inſignis miraculi tenuem auram apud accolas rubri maris manſiſſe, Diodorus Siculus Lib. III. numero 122. indicare videtur, cum ſcribit: *Apud Ichthyophagos brevium illorum accolas, ex fama per multas proavorum ætates conſervata traditur, quod tota ſinus regio virorem oculis offerens ingenti quondam refluxu deſiccata ſit, mari in oppoſita tum littora refuſo. Iamque terra uſque ad ipſum maris fundum detecta, per gravem denuo æſtum priſtino undam alveo reſtitutam eſſe*. Hæc mire quadrant

drant cum his quæ in tranſitu filiorum Iſrael per mare rubrum Scriptura memorat. Mare Pamphylium utcumque ceſſiſſe Alexandro, Hiſpanicum ad Carthaginem novam P. Cornelio Scipioni, Scythicum Changio Chan, pluribus narramus in Antichriſto Lib. VI. cap. XXXII.

V. 31. MANUM MAGNAM. I. Vindictam, plagam, percuſſionem, ſtragem, ut Ezechiel. XIII. 9. Actor. XIII. 11. II. Virtutem, potentiam, efficaciam, operationem. III. Opus maximum: metonymice.

MENOCHII.

Verſ. 2. E REGIONE PHIHAHIROTH: quarta hæc eſt Hebræorum ſtatio. LXX. vertunt *e regione ſuburbii*, vel *villæ*. Vox Hebraica ſignificat *os foraminum*; erant quippe ingreſſus inter montes, qui erant ab utroque latere. Poſſet etiam verti *os ſiccitatum*, quod illac a Mari rubro eſſet aditus qua ibatur ad ſolitudinem Etham, ſiccam nempe, & aridam. MAGDALUM, quod Hebraice *turrim* ſonat, fortaſſe fuit arx monti impoſita. BEELSEPHON. Hebraice idem eſt quod *Dominus ſpeculæ*; quæ nominis interpretatio oſtendit loca illa edita fuiſſe, & prærupta. SUPER MARE, iuxta, vel verſus mare.

V. 3. SUPER FILIIS ISRAEL, de filiis Iſrael. COARCTATI, in illis locorum anguſtiis, animi etiam pendentes, & anxii. GLORIFICABOR IN PHARAONE, mergens eum aquis maris: tunc enim apparebit mea potentia, & iuſtitia. SCIENTQUE AEGYPTII, ſuo, ſuorumque malo docti tandem intelligent.

V. 5. IMMUTATUMQUE EST COR, voluntas, ſententia.

V. 7. SEXCENTOS CURRUS. Olim curribus falcatis, & in curribus depugnabant: currus enim ſuis falcibus demetebant homines, & equos; milites vero de illis bellantes ferebantur in hoſtem. DUCES TOTIUS EXERCITUS. LXX. vertunt *τριςάτας*. S. Greg. Nyſſ. in cant. Moſis. & Græcus Scholiaſtes aiunt, antiquos magnos feciſſe currus, qui tres caperent, quorum unus erat auriga, duo reliqui milites, & hos *triſtatas* dictos volunt. Alii putant fuiſſe milites fortiſſimos, quorum ſcilicet unuſquiſque contra tres ſtare poſſet. Alii vertunt, *triarios*. Probabile, fortes iſtos milites in alios præfecturam exercuiſſe; quod indicat vulgatus interpres.

V. 10. TIMUERUNT VALDE: non enim erant armis aſſueti, & bello, ſed oneribus, & iugo. CLAMAVERUNTQUE AD DOMINUM, orantes, an expoſtulantes, hoc videntur ſuadere quæ ſequuntur.

V. 13. NOLITE TIMERE. Molliter, & blande reſpondet Moſes vir mitiſſimus. MAGNALIA. Hebr. *ſalutem*.

V. 14. ET VOS TACEBITIS: vos quieſcetis, otioſe, & iucunde hanc Dei pro vobis pugnam, & prælium ſpectando.

V. 15. QUID CLAMAS AD ME? *Clamor*, inquit D. Bernard. ſer. XVI. in Pſal. XC. *in Dei auribus eſt deſiderium vehemens*. Huiuſmodi fuerat Moſis clamor, licet Scriptura non exprimat. Proinde eum exaudiens ait Deus: *Quid clamas ad me?* non reprehendens, ſed ſe adeſſe oſtendens, & ad futurum miraculum excitans, & præparans.

V. 16. IN MEDIO MARI, per ipſum mare altum, & vaſtum. Medium ergo hic non præciſe medium ſignificat; ſic ille ait: *Mediis ſitimus in undis*.

V. 17. UT PERSEQUANTUR VOS. Adimam illis timorem, ut audacter in alveum maris ſe immittere non vereantur ut vos aſſequantur.

V. 18. ANGELUS DEI, in columna nubis deliteſcens.

V. 20. TENEBROSA, ET ILLUMINANS: illuminabat Hebræos, AEgyptiis tenebras offundebat. Huius lucis beneficio iter ſuum Hebræi proſequebantur per Mare rubrum tranſeuntes.

V. 21. VEHEMENTI, ET URENTE. Vide ſupra cap. X. num. 13. Ventus tantum immiſſus eſt ad alveum maris lutoſum exſiccandum, nam diviſio, & ſuſpenſio aquarum Angeli miniſterio facta eſt. Oportet admodum latam fuiſſe viam, per quam tres hominum milliones unius noctis ſpatio tranſierunt. TOTO NOCTIS TEMPORE, nimirum uſque ad ingreſſum Hebræorum in mare. DIVISA EST AQUA. Quia in Pſalm. CXXXV. 13. dicitur: *Quia diviſit Mare rubrum in diviſiones*: tradunt Hebræi tot fuiſſe in mari vias, quot erant tribus Iſ-

Digitized by Google

Iſrael. Sed incerta traditio, & eo loco Pſalm. vox *diviſiones* ſignificat duo latera maris diviſi, inter quæ via patebat Hebræis.

V. 22. SICCI MARIS, quantum ſatis erat ad commode tranſeundum: itaque Sap. xix. 7. dicitur: *In Mari rubro via ſine impedimento*.

V. 24. RESPICIENS DOMINUS: Angelus Deum referens, qui latebat in columna ignis. VIGILIA MATUTINA. Dividebant tam Romani, quam Hebræi unamquamque noctem in quatuor partes æquales, quarum ſingulæ erant ternarum horarum; eæque ab excubiis militaribus, quæ nocte quater mutari erant ſolitæ, vocabantur vigiliæ; eædemque ordine vigilia prima, vigilia ſecunda, &c. cenſebantur. Erat ergo vigilia matutina quarta & ultima noctis vigilia ſub auroram, & diluculum. INTERFECIT EXERCITUM, partem exercitus: eſt ſynecdoche: nam alia pars hac cæleſti ſuorum ſtrage territa, dum fugam parat, ab aquis recurrentibus abſorpta eſt.

V. 25. FEREBANTURQUE IN PROFUNDUM: currus enim prius elati per rotas, iam rotis excuſſis, ſimul cum rotis deprimebantur in profundum,

V. 27. REVERSUM EST PRIMO DILUCULO AD PRIOREM LOCUM. Heb. *Ad fortitudinem ſuam*, ad ſuum vigorem, ut ſcilicet ſicut prius aquæ tumeſcerent, & fluctus agerent.

V. 31. MANUM MAGNAM, ingentem cladem, quam potenti ſua dextera Dominus patraverat.

TIRINI.

Verſ. 20. ERAT NUBES TENEBROSA. Quomodo ergo ILLUMINANS NOCTEM? Reſpondeo: Migrarat Angelus cum columna nubis a fronte caſtrorum ad tergum, poſitaque erat nubes media inter Hebræos & AEgyptios inſequentes: & parte ſui poſteriore qua reſpiciebat AEgyptios, denſior, & latior erat, atque ideo tenebroſa, præpediens & aſpectum ipſis, & acceſſum ad Hebræos; anteriore vero ſui parte lucida erat & flammea, radios lucis ſuæ emittens ultra omnia caſtra uſque ad primam Hebræorum aciem, & hoc novo modo viam illis per mare demonſtrans. Ita Toſtatus & Pererius.

V. 22. INGRESSI SUNT FILII ISRAEL PER MEDIUM SICCI MARIS. Præibat Moyſes, & uſque in adverſam ripam ſalvos omnes & ſicco veſtigio deduxit, nempe per ſpatium trium leucarum ſeu milliarium horariorum. Ita Ioſephus, Adricomius & Ioannes de Barros ex Philone, Gregorio Nyſſeno, Lyrano *a* & Caietano. Addunt Hebræi, tribum Iuda duce Aminadab ceteris trepidantibus primam poſt Moyſen iniiſſe mare; ideoque deinceps fuiſſe perpetuo primam, & ducem reliquarum, promeritamque regium ſceptrum quod Iudæ promiſſum erat Gen. xlix. verſ. 10.

V. 24. VIGILIA MATUTINA eſt quarta & ultima noctis vigilia *b* quę auroram & diluculum advehebat. ET ECCE DOMINUS INTERFECIT EXERCITUM AEGYPTIORUM: nempe emicabant e nube fulmina, fulgura, tonitrua; & lapides & tela ignita vibrabantur, quibus & rotæ curruum confractæ, & equi deiecti, & *in profundum* ſeu in terram deorſum præcipitati ſunt. Et hæc ab angelo facta prius quam mare in ſuum locum revolveretur: qua deinde revolutione, reliqui a priori clade exemti AEgyptii, aquis obruti ſunt omnes ad unum. Numerus pereuntium hic AEgyptiorum, ex calculo Ioſeph *c* fuit quinquaginta millium equitum, & ducentorum millium peditum, præter ſexcentos currus falcatos, ſeu falcibus undique armatos, de quibus hic verſ. 7. Veſtigia vero curruum iſtorum, & rotarum conſpicua non ſolum in littore, ſed etiam in ipſo rubro mari, tradunt Oroſius & Diodorus Tarſenſis *d*.

Nota, mare hoc in ſinu Arabico ſitum non vocari rubrum a ſanguine AEgyptiorum, quo ſubmerſis illis fuerit quaſi rubricatum, ut quidam opinati ſunt; ſed neque aquam illius eſſe natura ſua rubram: nam pellucida prorſus eſt inſtar alterius cuiuſvis aquæ, ut haurientibus patet. Sed rubrum colorem repræſentant pluribus locis herbæ * rubeæ ſeu corallinæ, quibus maris illius fundus ſcatet. Ita Barradius, Andreas Maſius, & Conimbricenſes *e*. Allegorice mari huic comparat baptiſmum Apoſtolus

Paulus I. ad Corinth. x. & fuſe exponunt Origenes, Theodoretus, Rupertus.

(a) Ioſeph. Lib. II. Antiquit. in fine Adrichom. de Terra ſancta. Barros in hiſt. Aſtæ. dec. II. Lib. VIII. cap. 1. Philo Lib. III. Vitæ Moyſis. Greg. Nyſſ. de Vita Moyſis.

(b) Chron. cap. 11.

(c) Ioſephus ſupra.

(d) Oroſius Lib. 1. hiſt. cap. x. Tarſenſis Chryſoſtomi præceptor, in Catena.

(e) Conimbr. in Meteora tract. VII. cap. 12.

* In Edit. Lugd. an. 1723. pro *herba*, legitur *arena*.

GORDONI.

Verſ. 2. STatio hæc tertia, vel quarta vocatur Hebræorum, prope mare. Vide hic tabulam Geometricam.

V. 3. Coarctati sunt. Verum eſt Pharaonis iudicium de natura loci: nam Iſraelitæ, relicto itinere verſus Philiſthæos, regreſſi ſunt verſus auſtrum, ſcilicet de Ethan in Phihaherath; qui locus ab oriente habebat mare, & montes verſus meridiem. & patebat ab occidente inſequentibus AEgyptiis.

V. 4. Et indurabo cor eius. Vide cap. VII. verſ. 3. Placet ſane iſto more loquendi Hebræorum commendari ſupremam Dei providentiam: quicquid enim a ſingulari eius manat providentia, ſolent illi dicere id a Deo fieri. Sic hic obdurat non ſolum permittendo, ſed etiam (dum bona, & bono fine agit) obiiciendo occaſionem Pharaoni, unde ille obduratur volens & liber.

V. 7. Duces. Hebr. שלשים, *waliſim*, quaſi dicas tertiarios, qui tertiam partem exercitus ducebant.

V. 20. Et erat nubes, &c. Apparet ex verſu 9. Pharaonem nocte ingruente perveniſſe ubi erant Iſraelitæ. Erant ergo tenebræ ea parte quæ reſpiciebat AEgyptios; at lumen erat verſus Hebræos ex columna. Ne autem lumen apud Hebræos videretur ab AEgyptiis, ſatis efficiebat tum averſa ab AEgyptiis columna, tum interiectæ denſæ nubes: atque ſic quidem nunc ſequebatur hæc columna; tamen ita, ut lumine ſuo iter monſtraret.

V. 21. Cumque extendisset. Diviſio maris facta per Angelum ex verſ. 19. & 20. ventus vero fundum exſiccabat. Non fuit hic maris reciprocatio, ſed diviſio, ut habet textus. Paulus I. Corinth. x. figurate ac typice hinc baptiſmum deſignat. Ceterum narratio hæc habet nunc prolepſim, ſeu præoccupationem; nunc anacephalæoſim ſingularum partium. Immo in hoc etiam eſt ſpeciale miraculum de tam celeri tranſitu tot millium hominum, & iumentorum, ſpatio quinque fere horarum: nam media nocte commiſere ſe mari, & ſub auroram evaſerunt in littus oppoſitum: tamen pars maris traiecta fuit borealis, & lata tres leucas horarias, ex Adrichomio.

V. 24. Interfecit. Sept. *conturbavit*. Hebr. *contrivit*.

Ex Eiusdem Auctario.

V. 2. Super mare, verſus mare.

V. 3. Super filiis Israel, de filiis Iſrael.

V. 18. Tollensque se. Angelus in nube eſt poſt Iſraelitas.

V. 24. Vigilia quarta eſt matutina, & noctis ultima. Respiciens Dominus, Angelus e nube.

CA-

CAPUT XV.

Iſraelitæ, gratiis Deo cum cantu peractis, venerunt in Marath; ubi amaritudine aquarum verſa in dulcedinem, venerunt in Elim.

1 TUnc cecinit Moyſes & filii Iſrael carmen hoc Domino, & dixerunt:
Cantemus Domino: glorioſe enim magnificatus eſt, equum &
aſcenſorem deiecit in mare.
2. (*a*) Fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus eſt mi-
hi in ſalutem: iſte Deus meus, & glorificabo eum: Deus pa-
tris mei, & exaltabo eum.
3. Dominus quaſi vir pugnator, omnipotens nomen eius.
4. Currus Pharaonis & exercitum eius proiecit in mare: electi principes eius
ſubmerſi ſunt in Mari rubro.
5. Abyſſi operuerunt eos, deſcenderunt in profundum quaſi lapis.
6. Dextera tua Domine magnificata eſt in fortitudine: dextera tua, Domine,
percuſſit inimicum.
7. Et in multitudine gloriæ tuæ * depoſuiſti adverſarios tuos: miſiſti iram
tuam, quæ devoravit eos ſicut ſtipulam.
8. Et in ſpiritu furoris tui congregatæ ſunt aquæ: ſtetit unda fluens, congre-
gatæ ſunt abyſſi in medio mari.
9. Dixit inimicus: Perſequar & comprehendam, dividam ſpolia: implebitur a-
nima mea: evaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea.
10. Flavit ſpiritus tuus, & operuit eos mare: ſubmerſi ſunt quaſi plumbum in
aquis vehementibus.
11. Quis ſimilis tui in fortibus Domine? quis ſimilis tui, magnificus in ſan-
ctitate, terribilis atque laudabis, * faciens mirabilia?
12. Extendiſti manum tuam, & devoravit eos terra.
13. Dux fuiſti in miſericordia tua populo quem redemiſti: & portaſti eum in
fortitudine tua, ad habitaculum ſanctum tuum.
14. Aſcenderunt populi, & irati ſunt: dolores obtinuerunt habitatores Philiſthiim.
15. Tunc conturbati ſunt principes Edom, robuſtos Moab obtinuit tremor:
obriguerunt omnes habitatores Chanaan.
16. Irruat ſuper eos formido & pavor, in magnitudine brachii tui: fiant im-
mobiles quaſi lapis, donec pertranſeat populus tuus Domine, donec pertranſeat
populus tuus iſte, quem poſſediſti.
17. Introduces eos, & plantabis in monte hereditatis tuæ, firmiſſimo habita-
culo tuo quod operatus es Domine: ſanctuarium tuum Domine, quod firmave-
runt manus tuæ.
18. Dominus regnabit in æternum & ultra.
19. Ingreſſus eſt enim † eques Pharao cum curribus & equitibus eius in mare:
& reduxit ſuper eos Dominus aquas maris: filii autem Iſrael ambulaverunt per ſic-
cum in medio eius.
20. Sumſit ergo Maria prophetiſſa, ſoror Aaron, tympanum in manu ſua:
egreſ-

egreſſæque ſunt omnes mulieres poſt eam cum tympanis & choris, 21. quibus præcinebat, dicens: Cantemus Domino, glorioſe enim magnificatus eſt, equum & aſcenſorem eius deiecit in mare. 22. Tulit autem Moyſes Iſrael de mari rubro, & egreſſi ſunt in deſertum Sur: ambulaveruntque tribus diebus per ſolitudinem, & non inveniebant aquam. 23. Et venerunt in Mara, nec poterant bibere aquas de Mara, eo quod eſſent amaræ: unde & congruum loco nomen impoſuit, vocans illum Mara, id eſt amaritudinem. 24. Et murmuravit populus contra Moyſen, dicens: Quid bibemus? 25. At ille clamavit ad Dominum, qui oſtendit ei lignum: quod cum miſiſſet in aquas, in dulcedinem verſæ ſunt: (*b*) ibi conſtituit ei præcepta, atque iudicia, & ibi tentavit eum, 26. dicens: Si audieris vocem Domini Dei tui, & quod rectum eſt coram eo feceris, & obedieris mandatis eius, cuſtodieriſque omnia præcepta illius, cunctum languorem, quem poſui in AEgypto, non inducam ſuper te: * ego enim Dominus ſanator tuus. 27. (*c*) † Venerunt autem in Elim filii Iſrael, ubi erant duodecim ſontes aquarum, & ſeptuaginta palmæ: & caſtrametati ſunt iuxta aquas.

(*a*) Sap. x. 20. Iſa. xii. 2. Pſal. cxvii. 14. (*b*) Iudith. v. 15. Eccli. xxxviii. 5. (*c*) Num. xxxiii. 9.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 7. *Depoſuiſti adverſarios tuos*. Pronomen ſecundæ perſonæ *tuos* ſervandum eſt, pro eo quod alii codices habent, pronomine primæ perſonæ *meos*.

V. 11. *Faciens mirabilia*. Non præponas *&* coniunctionem.

V. 26. *Ego enim Dominus ſanator tuus*. Non augeas orationem, ut alii, hoc modo: *Ego enim ſum Dominus Deus ſanator tuus*.

LECTIONUM VARIETAS.

V. 19. *Ingreſſus eſt enim eques Pharao*. Alii legere malunt *equus* ſecundæ declinationis pro equitatus, quam *eques* tertiæ. Vide Notationes noſtras.

V. 27. *Venerunt autem in Elim filii Iſrael*. Non temere libri quidam omittunt *filii Iſrael*.

NOTATIO.

V. 19. *Ingreſſus eſt enim eques Pharao cum curribus, & equitibus eius in mare*. Sincera eſt, quod etiam Epanorthotes annotavit, aliorum codicum lectio, *equus Pharao*: ita enim Hebraice eſt, ita Græce סוס פרעה ἵππος φαραώ. Accipitur autem *equus* collective: quamobrem Chaldæus vertit: *Ingreſſa eſt* סוּסָוַת פַּרְעֹה *multitudo equorum Pharaonis cum curribus ſuis, & equitibus ſuis in mare*. F. Magdalius in ſuo Bibliorum Correctorio notat: „ *Equus* legi debet, non *eques*, niſi „ equitem pro ipſo iumento cui inſidetur, „ accipere velimus. Utrumque enim eques „ ſignificat, ut refert Aulus Gellius Libro „ XVIII. cap. v. “ Hæc ille recte. Rabanus legit ex Græco (nam Græcam translationem quandoque intermiſcet) *Intravit equitatus Pharao cum quadrigis, & aſcenſoribus in mare*. ἵππος enim etiam equitatum ſignificat.

Teſtatur inſuper Epanorthotes (Auctorem illum ἀνώνυμον intelligo, cuius Correctorium M. N. Hunnæus commodavit) in antiquis ſuis libris non legi pronomen *eius*, ut in quibuſdam noſtris non legitur: & in Græco quidem id non additur; in Hebræo autem, & Chaldæo etiam geminatur. Hebraice eſt: *Cum curru*, id eſt curribus, *eius*, vel ſuo, *& cum equitibus eius*, vel ſuis, *in mare*.

COMMENTARIA

SA.

Verſ. 1. CANTEMUS: ſic etiam Chald. & LXX. at Hebr. *cantabo*. DOMINO, id eſt ad Domini laudem. MAGNIFICATUS EST; id eſt, magnum ſe oſtendit. Hebr. *Magnificando magnificatus eſt*, ſeu *glorioſe glorificatus eſt*.

V. 3. OMNIPOTENS. Hebr. *Iehova*: quod *Dominus* ſolet verti, cum potius ſignificet illum *qui eſt*. Vide ſupra cap. VI. LXX. *Dominus*.

V. 6. MAGNIFICATA EST IN FORTITUDINE; id eſt, ex fortiter actis oſtenſa magna.

V. 7. DEPOSUISTI. Alii, *diruiſti*, Chald. *confregiſti*.

V. 8. SPIRITU FURORIS, id eſt furore; vel vento a furore, id eſt ira vehementi emiſſo. CONGREGATAE, ſcilicet contra AEgyptios. STETIT, &c. Hebr. *Steterunt aquæ ſicut acervus*.

V. 9. IMPLEBITUR, ſcilicet voluptate; quaſi dicat: Capiam ex eorum nece voluptatem.

V. 10. SPIRITUS TUUS, id eſt ventus a te miſſus.

V. 11. IN FORTIBUS. LXX. & alii, *In diis*. ATQUE LAUDABILIS. Hebr. *laudibus*.

V. 12. TERRA, ſcilicet demerſi in profundum. Auguſtinus tamen in Exod. qu. LIV. *terram*, id eſt *aquam* interpretatur: *dividitur enim* (inquit) *mundus in cælum & terram; ſic & Deus dicitur cælum & terram feciſſe*.

V. 13. PORTASTI, pro portabis, id eſt deduces. HABITACULUM, ſcilicet tabernaculum, vel templum.

V. 14. ASCENDERUNT, &c. Præterita pro futuris; quaſi dicat, tentabunt reſiſtere. Hebr. *Audierunt*, pro audient. IRATI, id eſt indignati.

V. 17. FIRMAVERUNT, pro firmabunt. Chald. & LXX. *Paraverunt*.

V. 18. IN AETERNUM ET ULTRA, id eſt per totum ſæculum præſens, & per futurum. Hebr. *In ſæculum, & in æternum*.

V. 19. EQUES, legendum *equus*, id eſt equitatus, ſeu *equi*.

V. 21. IN MARE. Intellige cantaſſe etiam reliqua Cantici.

V. 25. LIGNUM, id eſt arboris ramum. Auguſtinus in Exod. quæſt. LVII. ait, forte lignum fuiſſe, quod poſſet naturaliter facere dulcem aquam. IUDICIA, ſcilicet ſtatuta, ritus, mores.

V. 26. CUNCTUM LANGUOREM, &c. id eſt, nullum languorem ſeu plagam inducam ex iis quibus AEgyptum afflixi.

ESTII.

Verſ. 1. CANTEMUS DOMINO. Canticum hoc compoſitum eſt a Moyſe, licet a ſorore eius Maria, & aliis decantatum: qua ratione etiam vulgo vocatur canticum Mariæ ſororis Moyſi: at Apocal. XV. vocatur *Canticum Moyſi*. Habet autem hoc canticum præter ſenſum litteralem gratiarum actionis pro liberatione ab hoſtibus AEgyptiis, ſenſum allegoricum, quo baptizati, & eorum nomine Eccleſia Deo gratias agit pro beneficio remiſſionis omnium peccatorum in baptiſmo, velut in Mari rubro demerſorum: nam per Mare rubrum ſignificari baptiſmum etiam Apoſtolus docet I. Corinth. X. Hac ratione carmen hoc canit Eccleſia pridie Paſchæ, & Pentecoſtes, quibus temporibus agi ſolent myſteria baptiſmi. Habet præterea carmen hoc ſenſum anagogicum, quo beati cum Chriſto regnantes agunt Deo gratias pro beneficio perfectæ liberationis ex omnibus malis & preſſuris huius ſæculi, quod per mare frequenter in Scripturis ſignificatur. Ea ratione victores beſtiæ & imaginis eius, Apocal. cap. XV. ſtantes ſuper mare vitreum in cytharis cantant canticum Moyſi ſervi Dei.

V. 13. PORTASTI EUM IN FORTITUDINE TUA AD HABITACULUM SANCTUM TUUM. Per habitaculum ſanctum intelligitur terra promiſſionis. Græce: *Advocaſti fortitudine tua ad diverſorium ſanctum tuum*. Pro diverſorio Græce κατάλυμα, quod ſignificat diverſorium, cænaculum, triclinium, ubi eſt refectio corporis: unde & quidam reddidit hoc loco refectionem. Atque hinc eſt quod in of-

officio divino feriæ v. cænæ Domini ad Laudes pro cantico Moyſi canitur iſta Antiphona: *Exhortatus es in virtute tua, & in refectione ſancta tua Domine*: ubi, ni fallor, reſpicitur ad cænam quam habuit Dominus cum diſcipulis, quæ etiam Marc. XIV. refectio vocatur; Græce κατάλυμα. Sed quæritur quomodo hic dicat Moyſes, *Portaſti eum in fortitudine tua*. cum Iſrael eo non pervenerit, niſi demum poſt 40. annos? Similis quæſtio eſt de verſu ſequenti; ubi dicitur: *Aſcenderunt populi, & irati ſunt*; ſcilicet cum tunc adhuc vix rumor Iſraelis perveniſſet ad populos vicinos, qui poſtea contra eos in prælium aſcenderunt. Ad utrumque reſpondeo: Primo pro *portaſti*, Hebraice eſt *duxiſti*, Græce, *advocaſti*; quæ duo ſatis proprie intelligi poſſunt in tempore præterito: iam enim Deus advocaverat eos, iam aliquos eduxerat, ut in terram promiſſam venirent. Et ſimiliter pro *aſcenderunt* verſ. 14. tam Græca quam Hebræa habent *audierunt*: prius autem eſt audire de adventu hoſtium, quam contra eos ad prælium aſcendere. Aut etiam, quia ea quæ ſequuntur non facile omnia iam facta intelligi poſſunt, aptius intelligemus in his verbis poſitum eſſe præteritum tempus pro futuro, more prophetico: quia tam certo hæc eventura erant, quam ſi iam facta fuiſſent.

V. 18. DOMINUS REGNABIT IN AETERNUM ET ULTRA. Quomodo ultra, cum ultra æternitatem nihil ſit: nam æternitas univerſum tempus in ſe complectitur? Reſpondeo: Si æternitas proprie accipitur, hyperbole eſt, qua ſignificatur prorſus infinitum Dei regnum: ſi autem accipitur, ut frequentiſſime in ſacra Scriptura, pro tempore admodum diuturno cuius non eſt præſtitutus terminus, tum proprie accipi poteſt, Deum regnaturum etiam ultra omne eiuſmodi tempus.

V. 20. SUMSIT ERGO MARIA PROPHETISSA. Quidam putant Mariam ſororem Moyſi, & Aaron vitam in virginitate duxiſſe. Sic Ambroſius in exhortatione ad virgines, *In veteri*, inquit, *teſtamento, terra & mari clauſum Hebræorum populum virgo per mare pedes duxit*. Et ſub finem denique tribuit Mariæ huic ſorori Aaron virginitatem, ſicut & Matri Domini. Nihilominus Hebræi dicunt eam fuiſſe uxorem Hur, de quo dicitur: *Habetis Aaron, & Hur vobiſcum*; & qui Moyſis in monte orantis manus una cum Aarone ſuſtentavit.

V. 25. QUI OSTENDIT EI LIGNUM, Baptiſta Mantuanus Lib. I. de Patientia, cap. XXX. dicit, lignum hoc naturali vi ſua valuiſſe ad tollendam ex aquis amaritudinem. Denique ideo hoc lignum oſtendiſſe, cum alioqui potuiſſet ſolo verbo aquas ſanare, ne res naturales fruſtra feciſſe videretur. Interim quid myſterii altioris hic lateat, facile Chriſtianus intelligit, qui novit per lignum Crucis redditam mundo ſalutem, & omnem peccatorum noſtrorum amaritudinem verſam in dulcedinem gratiæ Dei. IBI CONSTITUIT EI PRAECEPTA, ATQUE IUDICIA. Quæ fuerint hæc præcepta atque iudicia, non exprimitur. Veriſimile tamen eſt fuiſſe quædam legis poſtea datæ præcepta, & inter ea in primis præceptum obſervandi ſabbati, quod intelligi poteſt etiam ex capite proxime ſequenti, ubi tam religioſe pro ſabbato canitur.

MARIANAE.

Verſ. 1. TUNC CECINIT MOYSES, ET FILII ISRAEL. Ex hoc loco, & verſ. 21. perſpicitur, Moyſem cum viris ex una parte, ex altera Mariam cum mulieribus hoc Canticum decantaſſe, ſive ſeparati, ſive alternis hinc inde canendo. Moyſes præibat, viri ſequebantur; Maria cum feminis tantumdem.

V. 2. FORTITUDO MEA ET LAUS MEA. In Hebræo eſt tantum, *Fortitudo mea & laus*: ſed bene Hier. ſupplevit *mea*, quod fecit etiam Chald. & Hebræus quidam id pronomen deeſſe putat. ET GLORIFICABO EUM. Hebr. *Faciam ei tabernaculum, habitare faciam eum*: ſic ad verbum. Sed hoc ipſum eſt *glorificare*, ut Hier. ex Sept. poſuit.

V. 3. DOMINUS QUASI VIR PUGNATOR. Hebraice, *Dominus vir pugnæ*. Ut vir uxorem ſubditam habet, ſic belli eventus ex Deo pendent. OMNIPOTENS NOMEN EIUS. Hebr. *Iehova nomen eius*; nempe quod faciat exiſtere, impleat quæ promiſit. Id Hieron. expreſſit per vocem *Omnipotens*.

V. 4.

Digitized by Google

V. 4. Submerſi ſunt in mari rubro. Ab Hebræis vocatur *Mare ſuph*, id eſt *careƈtoſum*, quia multo carice littora abundant. A Latinis *Mare rubrum*, a colore arenæ. A Græcis *Erythræum*; ſive ob eam cauſam, ſive ab Erythro Rege, cuius ſepulcrum ad littus erat: ſic Curtius, & Mela.

V. 8. Congregatae ſunt abyſſi. *Congelatæ ſunt*, *coacervatæ*, Hebr.

V. 9. Inteficiet eos manus mea. *Thoris* vox Hebraica poteſt etiam ſignificare *Poſſidebit eos manus mea*, quod Septuag. ſunt ſecuti cum dixerunt, *Dominabitur manus mea*. Sed & *expellere* poteſt ſignificare.

V. 11. In fortibus. Vox Hebræa *Elim*, *fortes* & *deos* ſignificat, quare Sept. *Quis ſimilis inter deos tibi Domine*? Terribilis, atque laudabilis. Hebr. *terribilis*, *laudes*: ſed Hebr. formæ nomen pro ſubiecto ſumitur, *laudes*, id eſt *laudabilis*.

V. 14. Aſcenderunt populi, et irati ſunt. *Audierunt populi*, *commoti ſunt*, Hebr. Qui populi? nempe Chananæi, & finitimæ regiones.

V. 16. Fiant immobiles quaſi lapis. *Taceant quaſi lapis*, Hebr. nempe ii populi.

V. 19 Ingreſſus eſt enim eques Pharao. Hebraice, *equus*: ſic Sept. ſed & plerique Vulgatæ codices ſic legunt, ſic Gotthicus. Porro *equus* pro *equitatu* ponitur, ut Chald. In quibuſdam Bibliis hoc vitium correctum non eſt, neque in Regiis.

V. 20. Maria propheteiſſa. Sic dicitur, ſive quod Deus ei ſe oſtendit Num. cap. xii. verſ. 2. ſive quod laudes Dei celebraret: ab eo enim filii Prophetarum olim ſunt dicti qui inter nos Lectores.

V. 21. Quibus praecinebat. Verbum ענה *hanah* & *canere* ſignificat, quod poſuit Hieronym. non quovis modo, ſed contenta voce, ut ait Hebræus. Significat etiam *reſpondere*, quod poſuit Chald. at Hebræis *reſpondere* idem eſt quod *incipere*, quod verbum poſuere Sept. eoque Hebraiſmo in Novo teſtamento frequens uſus eſt; ſicut & Græcis *ſuſcipere* ὑπολαμβάνειν eamdem vim habet: cuius rei exempla etiam extant in Evangeliis.

V. 22. Tulit autem Moyſes Iſrael. Hebr. *diſcedere* ſeu *movere fecit de Mari rubro*.

V. 23. Congruum loco nomen impoſuit, vocans illum Mara. Hebraice, *Vocavit nomen eius*, ſcilicet loci, *Mara*, ab amara aqua.

V. 25. Ibi conſtituit ei praecepta, atque iudicia, ſcilicet Moyſes populo. Quæ fuerint hæc præcepta, non ſatis conſtat; hinc tamen colligunt ante Legem latam aliqua præcepta & cæremonias ei populo mandatas.

MALVENDAE.

Verſ. 1. Cantemus Domino. Semel hic annotatum volumus, Sanctum Hieronymum variis in locis docuiſſe, Cantica, quæ in Scriptura Hebraica extant, ut etiam librum Pſalmorum, Iob, Proverbia, metrica, & poetica ratione conſtare, ac diverſis carminum generibus fuiſſe conſcripta. Conati ſunt plurimi priſcam eam Hebræorum poeſim explicare; ſed nemo hactenus potuit. Quocirca vaniſſime Thuanus Lib. III. Hiſtoriarum ſcripſit, Ioannem Mercerum veterem Hebraicorum carminum rationem, quæ hactenus nobis incognita eſt, perſpectam illum habuiſſe, ac proditurum ſcriptis ſe recepiſſe. Alii contendunt, nihil eſſe in tota Scriptura ulla vera metri ratione ac lege aſtrictum; niſi forſan alicubi quædam rythmi tinnulæ neceſſitates inveniantur, diverſæ longe a metricis verorum carminum rationibus, quos Virgilius II. Georgicorum, *verſus incomptos* appellat; id eſt, *Carmina*, inquit Servius, *Saturnio metro compoſita*, *quod ad rythmum ſolum vulgares componere conſueverunt*. Vide in Iſai. v. verſ. 1. qua ratione aiunt compoſita, Canticum Moſis extremo Deuter. Iob, Pſalmos, & Proverbia Salomonis. Vide Scáligerum in Euſebianis pag. 6. & 7. Ceterum Ioſephus Lib. II. Antiquit. cap. vii. de hoc Cantico inquit: *Et Moyſes carmen laudes Dei, & ob præſentem favorem gratiarum actiones continens hexametro verſu compoſuit*. Glorioſe enim magnificatus eſt. Hebr. diverſimode reddunt. I. *Magnificando magnificatus eſt*. II. *Excellendo excelluit*. III. *Superbiendo ſuperbivit*, vel *ſuperbe egit*. *Superbum* Latinis interdum al-

altum, *elatum*, *opulentum*, *nobile*, ex Nonio, & Servio, pluribus exemplis diſces. IV. *Magnificentiam exercuit*; vel *magnifice magnificentiam ſuam exercuit*; id eſt, magnum, fortem, ſtrenuum ſe eſſe oſtendit. V. *Admodum excelluit*. Noſter Ezechiel. xlvii. 5. *intumeſcere* reddidit, quod hnic loco non eſt alienum: *Intumeſcendo intumuit*, de aquis, quæ alveum deplent, & ſupergrediuntur. Hiſpanice: *Salio de madre*.

V. 2. ET LAUS MEA. זִמְרָת *zimrath* exponitur *pſalmus*, *pſalmodia*, *cantus*, *cantatio*, *carmen*, *modulatio*, *ſermocinatio*. Quidam nomen inſtrumenti muſici eſſe volunt quod *pſalterium* vocant. Quaſi dicat: Materia & argumentum carminis mei, & muſici inſtrumenti mei, quo carmen canam, eſt *Iah*. Vide Geneſ. xliii. verſ. 11. DOMINUS. Hic primum occurrit Dei nomen יה *Iah*, quod ex ſacro illo quadrilitteio IHUH, ſeu *Iehovah*, decurtatum, abbreviatum, & imminutum eſſe, atque idem omnino ſignificare, fere omnes affirmant. De IHUH egimus Geneſ. 11. verſ. 4. obſervant nonnulli, hoc eſſe diſcrimen inter hæc duo nomina, quod ut vox hæc *Iah* diminuta, decurtata, & abbreviata eſt ab IHUH, ita quoque Deum diminutum, decurtatum, & abbreviatum, id eſt *Ieſum Chriſtum* in carne diminutum, exinanitum, humiliatum, paſſum, & mortuum ſignificet. Quod alienius putat Mercerus, & curioſius. Sed alienus ipſe ſatis a pietate. & myſteriis. Alii putant *Iah*, cum IHUH, eſſe quaſi *Eſſentium Eſſentii*, *Eſſentiatorem Eſſentiatoris*, *Ens Entis*, *Deum Dei*, vel *Deum de Deo*, nempe verum & vivum, æternumque Dei Filium, a Patre æterno genitum. Vide Iſaiæ xii. 2. Ridicule quidam hinc conflant nomen Iovis, quaſi *Iupiter* ſit *Iah* pater. Vide in Pſal. lxvii. 2. ET GLORIFICABO EUM. Hebr. varie exprimunt. I. *Et tabernaculabo*, *tuguriabo*; ſeu *tabernaculum*, *tugurium faciam*, *conſtruam teſquum*, *mapale*, *nomum*, *caſam*, *caulam*, *ei*. II. *Et habitare faciam eum*, *habitaculum conſtituam ei*. III. *Et habitaculum amœnum ponam ei*; id eſt, conſtituam gentem ipſius, & cultum in habitatione promiſſa conſtabiliam. IV. *Et domum reducam eum*. V. *Et habitabo eum*; id eſt, exiſtam cum ipſo mente, votis, affectibus, atque operibus. Imperite Druſius taxat hanc interpretationem. VI. *Et decorabo eum*; id eſt, laudabo, ſeu celebrabo eum; vel *extruam ei laudabile habitaculum*, in quo nomen eius perpetuo colebatur. Eorum nobis ſententia placet qui reddunt: *Et amœnum*, *iucundum*, *decorum*, *formoſum*, *pulchrum*, *gratioſum*, *volupem*, *allubeſcentem*, *abblandientem*, *invitantem*, *concupitum*, *concupiſcendum faciam eum*; id eſt, prædicabo, celebrabo, canam amœnitatem, iucunditatem, decorem, formoſitatem, pulchritudinem, gratias, delicias, amores eius, qui omnibus propter tantas virtutes ſumme concupitus & deſideratus eſſe debet. Verbum נוה *navah* in Hiphil non alibi quam hoc loco reperitur. Quidam Hebræorum reddit: *Narrabo*, *pulchritudinem*, *& laudem eius*. Chaldæi: *Extruam ei ſanctuarium*.

V. 3. DOMINUS QUASI VIR PUGNATOR. Hebr. *Dominus vir belli*, id eſt magnus bellator, bellicoſiſſimus.

V. 5. ABYSSI OPERUERUNT EOS. Exponunt duas illas aquarum congeries & moles, quæ Iſraelitis ceſſerant a dextris & a ſiniſtris, & tantiſper conſtiterant, dum omnes AEgyptii in mare deſcendiſſent; quæ demiſſæ, & coeuntes abſorpſerunt, & operuerunt AEgyptios. QUASI LAPIS; quaſi dicat: Nihil eis profuit natandi peritia. Idem alia ſimilitudine plumbi dicitur verſ. 10.

V. 6. MAGNIFICATA EST. נאדרי *needdari* quidam Niphal cum affixo exponunt, *Magnificat ſe*, *magnificata eſt mivi*, *in virtute*; id eſt, tu per te ipſum, & ſine alieno ſubſidio oſtendis te eſſe potentiſſimum. Alii *Toar* eſſe volunt cum Iod paragogico, dicique aiunt de amplitudine, quantitate, & quantitatis decore, excellentia, maieſtate; id eſt, *perampla*, *prægrandis*, *præpotens*, *lata*, *prævalida*, *excellens*, *præſtans*, *inſignis*, *illuſtris*, *præclara*, *præmagnifica*, *ingens*: & Iod paragogicum ſignificatum intendit; quaſi dicat, *præampliſſima*, *præpotentiſſima*. *ingentiſſima*, *&c.* Quidam: *Dextra tua Domine excellenti virtute eminuit*. PERCUSSIT. רעץ *raghatz* hic tantum, & Iudicum x. 8. habetur, ubi Noſter per *opprimere* vertit. Hic aliqui, *Confregit*, *attrivit*: alii, *Dirupit*, *vehementer dilaceravit*: nonnulli, *prævalide oppreſſit*. Neſcio cur quidam in ſecunda perſona ad Deum referunt, *Confringes*. Ex verbo,

Digitized by Google

bo, *Prævalide opprimet inimicum*: futurum pro præterito: vel utitur futuro, ac ſi diceret: Ut nunc cum AEgyptiis feciſti, facies deinceps ſemper cum opus fuerit cum hoſtibus populi tui.

V. 8. ET IN SPIRITU FURORIS TUI CONGREGATAE SUNT AQUAE. Hebr. *Et in flatu narium tuarum coacervatæ ſunt aquæ*, nempe flante euro, ſeu euro auſtro potentiſſimo, cap. XIV. verſ. 21. immiſſo a Deo, quo eodem poſtea velut fractis obicibus erumpentes aquæ, profuſæ fuerunt, verſ. 10. Quidam reddunt: *Concinnatæ in harmoniam*, *coagmentatæ decenter*, *conſtitutæ apte fuerunt aquæ*. Nam verbum ערם *gharam harmonice concinare* exponunt. Hi ſunt qui vocum aſſonantiam e longinquo plerumque ac frigide aucupantur. Aliqui: *Involutæ*, *complicatæ fuerunt aquæ*: aliene. STETIT UNDA FLUENS. Hebr. *Steterunt*, *conſtiterunt ſicut cumulus* (tumulus, acervus, moles) *fluxus*, fluctus, fluenta, melius participialiter, *fluentia*. Quidam: *Fuerunt ſtantes ſicut acervus colantes*, ſeu *fluentes*; id eſt, aquæ, quæ natura ſunt fluidæ & colantes, ſteterunt ſolidæ in cumulum. Priſca Romana Editio: *Gelaverunt tamquam murus aquæ*: quia ſic ſteterunt quaſi congelatæ, & in durum, ſolidumque gelu compactæ, ut murus cryſtallinus. CONGREGATAE SUNT ABYSSI. Hebr. *Coagulatæ*, *congelatæ*, *condenſatæ*, *conglomeratæ*, *compactæ*. Verbum קפא *kapha defigere* reddit Noſter Sophoniæ I. 12. quod hic recte convenit: *Defixæ fuerunt aquæ*: quia ſteterunt immobiles, & quaſi defixæ.

V. 9. INTERFICIET EOS. Hebr. diverſe convertunt. I. *Hereditabit eos*, *in hereditatem capiet*, *aſſeret*. II. *Poſſidebit eos* III. contraria ſignificatione verbi ירש *iaraſch*, *Exhereditabit*, *hereditate depellet*. IV. *Eiiciet*, *expellet*, *exterminabit*, *exterminio perdet*, *delebit eos*. V. Alii a רוש *ruſch* deducunt: *Depauperabit eos*: ſpoliabit eos, auferet ſpolia quæ ipſi a nobis rapuerant; & ſic ad ſummam pauperiem rediget eos. Verbum in Hiphil ſignificatum auget: omnino, penitus, funditus vel hereditabit, ſeu poſſidebit, vel exterminio delebit.

V. 10. FLAVIT SPIRITUS TUUS. Hebr. *Flaviſti in ſpiritu tuo*. Nonnulli: *Obtenebraſti*, *invexiſti noctem*, ſeu *tenebras*, *vento tuo*. SUBMERSI SUNT. צללו *tzalalu* hæc omnia complectitur, *profundarunt*, *profunda petierunt*, *demerſi*, *abſorpti*, *obtecti*, *obumbrati*, *occluſi*, *operti fuerunt quaſi plumbum*: poſſis reddere, *quaſi plumbo*.

V. 11. TERRIBILIS, ATQUE LAUDABILIS. Hebr. *Formidatus laudum*, vel *laudibus*. Exponunt: Cuius laudes ſunt formidini tam hominibus, quam Angelis, quia ſuperant vires & facultatem laudantium, cum ſit maior omni laude: quem omnes formidant laudare, quod inveniantur eius laudibus impares. Et quod Deus cum timore ſemper ac tremore, ſummaque reverentia ſit laudandus. Quidam exponunt, *Timendus elevationibus*, id eſt cum ſe elevat, & attollit, ac vim ſuam exerit.

V. 12. DEVORAVIT EOS TERRA; id eſt, alveo maris carectoſi, & algoſi, aqua relabente fermentato, & glutinoſo, veluti paludinoſis voraginibus hauriebantur. Simile quid Ionæ II. 7.

V. 13. AD HABITACULUM SANCTUM TUUM. Hebr. varie exprimunt. I. *Ad caulam paſtoritiam*, *caſam paſtoralem ſanctitatis tuæ*. II. *Ad tugurium*. III. *Ad villam*. IV. *Ad rus*. V. *Ad decorum*, *amœnum*, *ſpecioſum*, *pulchrum habitaculum ſanctitatis tuæ*. VI. *Ad paſcuum ſanctitatis tuæ*; id eſt, ubi homines ceu oves paſcuntur verbo Dei, & ſacramentis. Vocem נוה *naveh* exponunt *locum amœnum*, *graminoſum*, *&* *paſcuum*, *ſeu paſcuoſum*, *in quo eſt villa*, *aut tugurium*, *ſeu rus*. S. Epiphanius hæreſi XXIV. ſub initium: *Vicinos circumcirca Alexandriæ locos*, *quos nomos*, *hoc eſt paſcua*, *ſive præfecturas AEgypti vocant*. Nomos enim Græce etiam paſcua ſignificat, inde nomades, paſtores qui paſcua ſequuntur: putantque vocem *nomos* correſpondere Hebraicæ *naveh*: quam etiam *mapales*, ſeu *teſquum*, vel *teſcum* interpretari poſſumus. Varro Lib. VI. de Lingua Latina cap. 11. *Teſqua*, vel *teſca*. *Loca quædam agreſtia*, *quod alicuius Dei ſunt*, *dicuntur teſca*: de quibus vide Varronem ibidem, & Feſtum; & Scaligeri Notas ad utrumque, & Iacobi Gutherii Lib. III. de veteri Iure Pontificio cap. III. Quidam notant vocem Hiſpanicam *nava* ex hac Hebraica defluxiſſe; ut *nava de Sevilla*, *nava del mangano*, *nava hermoſa*, *naval peral*, *navas de Toloſa*, & alia eiuſmodi.

V. 14. Et irati sunt. Verbo רגז *ragaz* omnia iſta ſubſunt, *commovebuntur*. *turbabuntur*, *iraſcentur*, *contremiſcent*, *concutientur*, nimirum præ timore, ira, indignatione. Vide de ratione verbi Geneſ. xlv. verſ. 24.

V. 16. Fiant immobiles. Hebr. *Tacebunt*, *ſilebunt*, *conticeſcent*, *obmuteſcent*, *quieſcent*; proprie, *in ſilentium*, *& quietem redigentur*. Quidam, *Obſtupeſcent*: alii, *Domabuntur*; id eſt, occidentur in ſilentio. Quem possedisti. Hebr. *Acquiſiviſti*; id eſt, vindicaſti a ſervitute AEgyptiorum, & aſſeruiſti, ut ſerviat tibi.

V. 17. Monte hereditatis tuae: quia Chananæa, quam eis daturus, cum ipſis habitaturus, præſentiaque ſua ſanctificaturus erat, tota montoſa eſt. Vide Deut. III. verſ. 25.

V. 20. Maria. Hebr. *Miriam* diſſyllabum. Innumera ſunt quæ de eius etymo alii differunt. Ridiculum, quod quidam a רום *rum*, cum Mem formativo deducunt, quaſi *Excelſam*, *ſublimem*. Simpliciſſimum eſt, *Gutta*, ſeu *Amaritudo maris*. Et choris. LXX. Noſter, & plerique vocem מחולות *mecholoth choros* interpretantur: aiunt eſſe *choreas* publicas & profanas. in quibus canitur tibia, & luditur tympano. Alii *tripudia* exponunt: nonnulli, *tibias*: nec deſunt qui *fiſtulas*. Hic certe choros, & choreas ſi accipimus, ſacras oportet intelligi.

V. 21. Quibus praecinebat. Hebr. *Et reſpondebit eis*. Et quia *eis* Hebraice eſt maſculeum, quidam intelligunt, viris concinentibus. Volunt viris ſingulos verſus decantantibus, mulieres, præeunte Maria, unicuique verſui alternis hunc primum Cantici verſum Intercalaſſe, uti factum videmus in Pſal. cxxxv. & in Cantico Danielis III. Alii volunt, Mariam cum feminis totum Canticum recinuiſſe poſt viros; ſed Moſen, ne repeteret, tantum primum verſum hic poſuiſſe.

V. 22. In desertum Sur. Hoc ipſum deſertum eſt per quod Agar ancilla Saræ fugere in AEgyptum feſtinabat: extenditur enim longe a rubro mari uſque ad Cades ſolitudinem ſupra Petram urbem Arabiæ. Vide quæ de eo notavimus Geneſ. xvi. verſ. 7. Proculdubio par huius deſerti Sur, aut unum & idem, ut etiam annotavit S. Hieronymus manſione v. erat deſertum Etham, de quo ſupra cap. xiii. verſ. 20. quod facile intelliget qui hunc verſ. 22. cum 8. verſu cap. xxxiii. Numer. contulerit: niſi quod ex ſitu locorum, & ratione itineris Iſraelitarum apparet, deſertum Sur, ab ipſo Mari rubro interius verſus auſtrum, & anterius orientem verſus ſeſe extendiſſe; Etham vero magis ſiniſtrorſum verſus mare mediterraneum ſe diffudiſſe. שור *Sebur* nomen nactum videtur, quod contemplationi & meditationi aptus eſſet locus, item canendis Dei laudibus. Et non inveniebant aquam. Hinc nacti ſunt occaſionem gentiles comminiſcendi fabellam, quam Tacitus ſub initium Quintæ Hiſtoriæ ita narrat: *Sed nihil æque quam inopia aquæ fatigabat. Iamque haud procul exitio, totis campis procubuerant; cum grex aſinorum agreſtium, e paſtu in rupem nemore opacam conceſſit. Secutus Moſes, conjectura herbidi ſoli, largas aquarum venas aperit*.

V. 23. Et venerunt in Mara. Immanuel Tremellius, & Franciſcus Iunius huic loco hoc affigunt Scholion: ***Mara***, *id eſt amarum. Eſt autem hic ipſe locus quem fontes amaros vocavit Plinius Lib. VI. Naturalis Hiſtoriæ cap.* xxix. *Qui locus ad huius profectionis intelligentiam maxime pertinet*. Sed omnes iſtos fugit geographiæ ratio: *fontes* enim *amari*, qui Agatharchidi Lib. V. de Mari rubro cap. xlii. & therma, & fons, & lacus amarus dicuntur, ut etiam Straboni Lib. XVII. pag. 804. uti ex his tribus auctoribus liquet, ſunt inter Nilum & rubrum mare, ad Arſinoen urbem, qua Ptolemæus foſſam a Nilo in mare rubrum perducebat; at Mara eſt ultra ſinum Arabicum. in deſerto Arabiæ verſus Palæſtinam, ſeu Chananæam. Errat quoque Caſaubonus, qui hos *lacus amaros* Strabonis putat eſſe *amarum lacum*, ſeu *paludem*, Diodori Siculi Lib. XVII. num. 588. in itinere Alexandri ad Hammonis templum.

V. 24. Et murmuravit. Verbum לון *lun* hic varie exponunt. Quidam notant in coniugatione Niphal, ut hic ponitur, conſtructum cum על *ghal*, id eſt *ſuper*, idem ſignificare quod ילל *ialal*, hoc eſt more animalium feralium eiulare, quod noctu in vaſtis ac deſertis locis, cum fame ac ſiti premuntur, querulas has voces emit-

emittant: & quia nox alioqui de ſe triſtis & tetrica ſit: nam *lun* alioqui eſt *pernoctare*. Unde hoc ſignificatu per *querulari*, *queri*, *murmurare*, *conqueri*, *eiulare*, vertunt: *Et queruli fuerunt populus contra Moſen*. II. *Et pernoctaverunt*, *coiverunt noctu*, *coniurarunt populus contra Moſen*: quod in ſeditionibus & tumultibus ſoleant fieri nocturnæ coitiones & cœtus. III. *Et oppoſiti fuerunt*, *oppoſuerunt ſe*, *reſtiterunt populus Moſi*. IV. *Et permanſerunt*, *perſtiterunt*, *obſtiterunt populus contra Moſen*; id eſt, pertinaci & obſtinato animo inſtabant, perſtabant flagitantes aquam.

V. 25. OSTENDIT EI LIGNUM. Ex verbo, *Et iecit*, *iaculatus fuit eum*, vel *ei Dominus lignum*. Fere omnes exponunt: Docuit eum, oſtendit ei lignum, &c. Nec abſurde intelligemus, Deum ieciſſe Moſi lignum aliquod mirabile, vel a cælo, aut aliunde allatum, quod vim dulcorandi aquas habuerit. Certe lignum illud naturalem virtutem expellendi amarorem ab aquis habuiſſe; ſed eam tunc miraculo auctam, & intenſam, ut breviter, & plene aquas dulces redderet, ſatis innuitur Eccleſiaſtici XXXVIII. verſ. 5. Quidam reddunt: *Oſtendit ei arborem, ex qua decerptum ramum proiecit in aquas*. IN DULCEDINEM VERSAE SUNT. Quidam annotant, ad præſentem tantum populi neceſſitatem, non quod poſtea dulces remanſerint. Sed putaverim manſiſſe deinceps dulces, quod Dei perfecta ſint opera, & permanentia. IBI CONSTITUIT EI PRAECEPTA, ATQUE IUDICIA. Hebr. *Ibi poſuit ei conſtitutum*, *& iudicium*. חוק *chok*, & משפט *miſchpat*. De voce *chok* diximus Geneſ. XXVI. verſ. 5. Notant Hebræis חקים *chukim* maſculine, vel חקות *chukkoth* fœmine, *conſtituta*, & *ſtatuta*, dici interdum *ritus & cæremonias præſcriptas aliquid referentes & repræſentantes*; quorum, ut Hebræi inquiunt, magna ex parte ratio ignoratur: dignumque obſervatione aiunt, quod quando hoc nomen *chok* conſtruitur, aut coniungitur cum nomine *miſchpat*, *iudicium*, ut hoc loco, tum plerumque pro cultu, ſeu ritu poni eccleſiaſtico ad religionem, & Dei cultum pertinente; ut ſunt ſacerdotium, circumciſio, ſacrificia, neomeniæ, feſta, ſabbatum, templum, altare, ſacræ veſtes, & aliæ cæremoniæ præſcriptæ a Deo: at *miſchpat*, *iudicium*, pro politicis ritibus, & conſtitutionibus, quibus vita humana, & ſocietas politica regitur, & conſervatur, & in ſecunda tabula continentur, ſumi. Exiſtimantque Deum hic viva voce præcepta aliquot cæremonialia, & iudicialia, ut Theologi loquuntur populo ſuo conſtituiſſe, ut iam in ſacris & politicis formam recte conſtitutæ reipublicæ habere inciperet: quæ poſtmodum uberius & exactius lata lege in Sina explicaverit. ET IBI TENTAVIT EUM. Quidam exponunt: *Poſtquam ibi tentavit ipſum*, id eſt explorans ipſorum fidem, & obedientiam, fecit ut ſe ipſi proderent quales eſſent. Alii reddunt: *Et ibi elevavit eum*; id eſt, extulit in formam reipublicæ, *altiora*, *& maiora ab eo petiit*, propoſitis cæremoniis, & legibus. Vide ſimilem locutionem Gen. XXII. verſ. 1.

V. 27. ET SEPTUAGINTA PALMAE. Hunc locum videtur deſcripſiſſe Agatharchides Gnidius Lib. V. de Mari rubro cap. XLIV. ſic ſcribens: *Palmeti illic ſuperiora, quæ oculis ſe offerunt, obtinentur a petris celſitudine variis. Torrectis autem ad mare littus ſubiectum eſt anguſtum, & longum. Mare illud attingit locus, quem Neſſam* (Anatem) *ab animalis huius multitudine nuncupant. Iacet hæc iuxta promontorium apprime ſilvoſum, & ſi directe ſpectetur, ad Petram huius nominis locum, & Palæſtinam uſque expanditur. In hanc Gherrhæi, & Minæi, & omnes in propinquo Arabes, thus, ut ferunt, & rerum fragrantiam, ſarcinas e ſuperiori provincia deportant*. Nec gravabor quæ de eodem loco Diodorus Siculus, & Strabo tradiderunt, hic ſuppingere, quod ſtationem iſtam Elim duodecim fontium, & ſeptuaginta palmarum mirifice illuſtrent. Diodorus Lib. III. num. 123. *Ad ſinum* (Arabicum) *deinceps locus eſt maritimus, quem propter utilitatem apprime honorant accolæ, Palmeti nomine inſignem: plurimis enim palmis conſitus eſt, quæ ſumma ubertate fructus, tam ad voluptatem, quam ad victum conducentes, proferunt. Sed totus in propinquo ager aquis fluvialibus deſtitutus eſt; & quia ad meridiem vergit, maximos ſolis ardores ſuſtinet. Propterea locum ita fertilem, inque remotiſſimis ab hominum cultu terris tam largum nutrimenti, non immerito barbari conſecrarunt. Nam aquarum fontes non exigui, & ri-*

Digitized by Google

& rivi frigiditate aquarum nivi haud cedentes ibidem promanant: quibus ad utrumque terræ latus vireſcunt omnia, & dulci amœnitate perfunduntur. Ara etiam illic e duro ſaxo vetuſtiſſima eſt, obſoletis & incognitis litterarum notis inſcripta. Huic vir & mulier continenti per vitam ſacerdotio præſunt. Palmetum hoc prætervectus (Ariſton a Ptolemæo miſſus) *in continentis promontorio inſulam offendit, quæ a belluis inibi ſtabulantibus Phocarum nomen habet. Prætentum huic inſulæ promontorium Petram Arabiæ, & Palæſtinam reſpicit. In hanc thus, aliaſque odoriferas merces, ut fertur, ex Arabia ſuperiori Gerrhæi, & Minæi convehunt. In palmeto ante memorato, ad quinquennem feſti celebritatem undique finitimi conveniebant, cum ut ſaginatorum hecatombas camelorum diis loci præſidibus immolarent, tum ut de aquis inde ſcaturientibus aliquid in patriam referrent; quarum potu ſanitatem conciliari traditum eſt.* Hæc Diodorus. Strabo Lib. XVI. pag. 776. ex Artemidoro: *Poſſidio vero* (loco in Elanitico ſinu) *continuum eſſe palmetum quoddam aquis abundans; & in magno honore haberi, propterea quod tota circumſtans regio æſtuoſa ſit, & arida, & umbrarum expers. Ibi, ut ait, mirum in modum ſunt feraces palmæ. Luco vir & uxor præſunt, ratione generis conſtituti, pelliti ambo, victum ex palmis ducentes. Poſtea eſt Phocarum inſula. Prope eſt promontorium, quod uſque ad Arabum Petram pertendit, qui Nabathæi dicuntur, & uſque in Palæſtinam. Eo & Minæi, & Gherrhæi, & vicini omnes aromata covehunt.* Nec ullus prudens poterit dubitare, palmetum iſtud, & fontes aquarum, locumque amœnum, & fertilem ab iis auctoribus deſcriptum, ex circumſtantiis, & ſitu locorum, eumdem ipſum eſſe Elim, quo hic deveniſſe Iſraelitas Moſes narrat. Sed & illud mirabile, quod de ara vetuſtiſſima, obſoletis, & incognitis litterarum notis, de cultu, & religione loci, de aquarum ſalubri vi Diodorus refert: hæc enim omnia monumenta eſſe videntur manſionis, ſeu ſtationis iſtius, qua comitante Deo, & miracula ingentia pro ipſis edente, Iſraelitæ, in eo loco caſtrametati ſunt. ELIM, אילם vero appellatio inde ducta videtur, quod iis in locis amœna paſcua Arabum arietibus & gregibus eſſent: unde Iſaiæ lx. 7. celebrantur *arietes Nabathæorum*. Plinius Lib. VI. cap. XXVIII. *Minæis fertiles agros, palmetis, in pecore divitias.*

MENOCHII.

Verſ. 1. CARMEN HOC. Quo genere carminis conſcriptum ſit hoc canticum ignoratur. Ioſephus verſus hexametros fuiſſe affirmat.

CANTEMUS. Hebr. *Cantabo*: nam Moyſes hoc carmen Spiritu ſancto ſuggerente compoſuit, nomine ſuo, & ſuorum. EQUUM, ET ASCENSOREM, equum, & equitem, ac præcipue Pharaonem.

V. 2. FORTITUDO MEA; quaſi dicat: Non noſtræ fortitudini, ſed divinæ hanc victoriam aſcribimus. LAUS MEA, argumentum, & materia laudis meæ. FACTUS EST MIHI IN SALUTEM: factus eſt mihi Salvator. ISTE DEUS MEUS; quaſi dicat: Hic Deus, qui nos ſalvavit in Mari rubro, Deus verus eſt, & fortis (nam in Hebræo eſt אל *El*, quæ vox Deum fortem ſignificat) ceteri dii infirmi ſunt, & dii non ſunt. GLORIFICABO EUM. Chaldæus vertit, *Ædificabo ei ſanctuarium*; Caietanus, *Habitabo eum*; hoc eſt, habitaculum ei excitabo. Vatablus, *Decorabo eum*. EXALTABO EUM. Eum altiſſimum palam confitebor, & quantum potero prædicabo.

V. 3. DOMINUS QUASI VIR PUGNATOR. Hebr. *Vir belli*. LXX. *Deus conterens bella*.

V. 4. PROIECIT IN MARE. Hebr. *Eiaculatus eſt*, quaſi dicat, ea facilitate, qua ſagittarius ſagittam emittit.

V. 5. ABYSSI, aquarum voragines.

V. 6. MAGNIFICATA EST: palam facta eſt potentia, & virtus tua magna.

V. 7. GLORIAE TUAE, fortitudinis, qua gloriam conſecutus es. Ornatus & poeſeos cauſa vario ſchemate idem effert. DEPOSUISTI. Hebr. *Subvertiſti, diſſipaſti*. IRAM TUAM, pœnas, ac ſupplicia, quæ iuſtæ iræ tuæ ſunt effectus. SPIRITU FURORIS TUI, in indignatione, & furore tuo; ſic Pſal. CXXXVIII. dicitur: *Quo ibo a ſpiritu tuo?* & Iſai. xxx. 28. *Spiritus eius velut torrens inundans*. CONGREGATAE SUNT AQUAE, hinc & inde, ut tranſitus Hebræis pateret. STETIT UNDA FLUENS, in Hebræo ad-

additur *ſicut acervus*: unde Pſal. lxxvii. 13. dicitur: *Statuit aquas quaſi in utre*. CONGREGATAE. Hebr. *Coagulatæ*. Idem LXX. *ἐπάγη τὰ κύματα*, *compacti ſunt fluctus*.

V. 9. IMPLEBITUR ANIMA MEA, deſiderium meum ſaturabitur.

V. 10. FLAVIT SPIRITUS TUUS, potentia ultionis tuæ.

V. 11. QUIS SIMILIS TUI IN FORTIBUS DOMINE? LXX. *Quis ſimilis tui in diis, Domine?* אל *El* Deum fortem ſignificat; inde *Elim dii fortes*, dii qui falſo fortes habentur. TERRIBILIS ATQUE LAUDABILIS. Hebr. *Terribilis laudibus*: quia ſcilicet omni præconio maior, non mortales modo, ſed etiam Angeli eius laudes exequi formidant, cum ſciant ſe non poſſe pro merito laudare.

V. 12. DEVORAVIT EOS TERRA, alveus maris.

V. 13. POPULO QUEM REDEMISTI, ex AEgypti ſervitute. ET PORTASTI EUM. Hoc prophetice dicitur. Senſus eſt, & portabis ad terram Chanaan: quam habitaculum ſanctum vocat, quia in ea Abraham, Iſaac, Iacob viri ſancti habitarunt; quia in ea futurum templum, & in ea naſciturus, & verſaturus Chriſtus, B. Virgo, Apoſtoli, &c.

V. 14. ASCENDERUNT POPULI, ET IRATI SUNT. Heb. *Audierunt populi*. Audierunt, conſultarunt, aſcenderunt, ſive egreſſi ſunt contra Hebræos, ut eos prohiberent aditu Chananææ. Dicuntur hæc ſpiritu prophetico.

V. 15. OBRIGUERUNT: ſimiles ſtupentibus facti ſunt præ timore.

V. 16. FIANT IMMOBILES. Hebr. *Sileant ut lapides*. Moſis votum ſuperavit Deus: nam eos Hebræi non modo vicerunt, ſed etiam pene ad internecionem ceciderunt. DONEC PERTRANSEAT POPULUS TUUS, in terram promiſſam Chanaan.

V. 17. INTRODUCES EOS, ET PLANTABIS: ut ſtabilem, firmam, & naturalem inſtar plantarum, & arborum fixis radicibus ſedem obtineant. IN MONTE HEREDITATIS TUAE. In monte Sion, in quo ædificandum templum, quod futurum erat domus, & hereditas Dei.

V. 18. IN AETERNUM ET ULTRA. AEternum ſæpe vocatur ſæculum longiſſimum, cuius finis, & terminus non videtur, etiamſi ipſum vere, & proprie æternum non ſit: hoc enim ſignificat Hebræum verbum עולם *olam*. Itaque quando abſolutam æternitatem ſignificare volunt, addunt particulam ועד *ultra*. Poſſumus etiam dicere eſſe hyperbolem, cuius ſententia ſit: Dominus regnabit, & regnet in æternum, & ultra, ſi aliquis ulterior terminus, qui æternitate non comprehendatur, ſtatui poſſit.

V. 20. PROPHETISSA: vel quia cum ea Deus collocutus Num. 11. 2. vel quia doctrix, & magiſtra; vel quia præcentrix. SOROR AARON. Dicitur potius ſoror Aaron, quam Moſis, quia Aaron Moſe erat ſenior, & proxime poſt Mariam natus. Hinc Greg. Nyſſ. Lib. de Virg. cap. vi. Mariam fuiſſe virginem docet: alioqui potius a marito, quam a fratre agnominaretur. Adde quod nuſquam Scriptura mariti eius, aut liberorum meminit. Idem docet S. Ambr. & alii. Fuit ergo virgo, & B. Virg. Mariæ typus. TYMPANIS. *Tympanum*, inquit Iſidorus Lib. II. orig. cap. xxi. *eſt pellis, vel corium ligno ex una parte extenſum*. Dicitur *ἀπὸ τῦ τύπτειν*, quod ad manus, aut bacilli pulſum reſonet. ET CHORIS. Chorus non eſt nomen muſici inſtrumenti, quamvis ita aliqui ſenſerint; ſed chorus eſt multitudo canentium, vel ſaltantium. Mos fuit apud Hebræos ut mulieres, & puellæ in Dei laudem, vel hominum canerent, & ſaltarent: ſic Pſal. lxvii. 26. *Prævenerunt principes coniuncti pſallentibus in medio iuvencularum tympaniſtriarum*.

V. 21. QUIBUS PRAECINEBAT. Hebr. eſt, *Et reſpondebat illis*; Maria ſcilicet, & mulierum chorus, Moſi, & virorum choro. Mulieres vel eoſdem verſus quos cecinerant viri repetebant, vel primum illum verſum, *Cantemus Domino*, &c. tamquam intercalarem. Alii putant, ſeorſim a viris feminas totum illud canticum percurriſſe.

V. 22. TULIT .... ISRAEL DE MARI RUBRO. Caſtra movit, profectus eſt, Iſraelitas abduxit. DESERTUM SUR, quod alio nomine vocatur Etham, Num. xxxiii. 7.

V. 23. VENERUNT IN MARA. Hæc eſt quinta manſio in deſerto. Mara dicitur ab aquarum amaritudine, & eſt

pro-

prolepſis: nam ita poſtea locus dictus eſt a Moſe, poſtquam aquas illas guſtavit.

V. 25. OSTENDIT EI LIGNUM. Nomen ligni Scriptura non exprimit; dulces tamen aquas reddebat naturali facultate, non miraculo. IBI CONSTITUIT EI PRAECEPTA, ATQUE IUDICIA. Deus dedit Iſraeli, dum eſſet in Mara, aliquas leges, cæremoniales, & iudiciales. IBI TENTAVIT EUM. Populum Iſrael tentavit Deus, leges iam dictas ſanciendo, quibus obedientiam populi experiri ſtatuerat.

V. 26. CUNCTUM LANGUOREM, ex ulceribus, ſiti, peſte, aliiſque plagis AEgyptiacis manantem. DEUS SALVATOR TUUS. Hebr. *Ego medicus tuus*.

V. 27. VENERUNT IN ELIM, ſexta manſio.

T I R I N I.

Verſ. 13. PORTASTI EUM: enallage temporis præteriti pro futuro, eſt enim prophetia; id eſt, portabis. AD HABITACULUM SANCTUM TUUM, ſeu in terram ſanctam; puta Chanaanitidem, quam verſ. 17. vocat *montem hereditatis*, & *ſanctuarium* Dei: quia Deus illam terram peculiariter deſignarat ſanctificare non ſolum in habitatione Patriarcharum, totiuſque populi ſui ſancti, qui erat *hereditas* Dei; ſed & templo ſuo iſtic exædificando, & cultu divino publice ibi excitando. Vocat vero *montem*, quia ut plurimum montuoſa, & clivoſa erat terra Palæſtinæ; & quia in ea erat mons Sion vel Moria, in quo prævidebat Moyſes conſtructum iri templum Domini a Salomone. In hoc templo *regnabit Dominus*, ſeu rex ab omnibus agnoſcetur, coletur, laudabitur, adorabitur, *in æternum & ultra*. Hyperbole, id eſt perpetuo, ſcilicet quamdiu ſynagoga ſtabit, & quamdiu Eccleſia Chriſti durabit, tum militans in terris, quæ allegorice; tum triumphans in cælis, quæ anagogice per ſynagogam, & templum Ieroſolymitanum ſignificatur. Ita S. Auguſtinus: Rabbi Salomon, & Lyranus etiam ad litteram hæc omnia exponunt de patria cæleſti ſeu Eccleſia triumphante.

V. 20. MARIA PROPHETISSA. Nam revelationes ipſi peculiariter a Deo factas conſtat ex verbis Num. XII. verſ. 2. *Nonne & nobis ſimiliter locutus eſt Dominus?* Petes, an Maria ſoror Moyſis virgo permanſerit, an vero fuerit matrimonio copulata? Virginem manſiſſe cenſet Gregorius Nyſſenus, Ambroſius, Coſmas Magallianus *a*, fuiſſeque inſtar Sibyllæ. Nam ſi coniugata fuiſſet, iam non *ſoror Aaronis*, aut Moyſis; ſed uxor talis more S. Scripturæ hoc cap. & alibi vocaretur. Nolim tamen contendere cum Serario, & aliis qui ſecuti Ioſephum *b* cenſent nupſiſſe *Hur* avo *Beſeleelis*, cuius mentio fit Exod. XXIV. verſ. 14. ut fuſe demonſtrat Bonfrerius, & ex eo maxime quod illo tempore virginitatis ſtudium & rarum eſſet, & laudi non daretur.

V. 25. OSTENDIT EI LIGNUM. Veriſimilius eſt, fuiſſe certam ſpeciem ligni, cui naturalis ineſſet virtus dulcorandi (ut ſolet glycerizæ) & adultas terræ partes quæ reddunt aquas amaras, ſecernendi, ac fugandi. Quod colligitur ex XXXVIII. cap. Eccleſiaſtici verſ. 5. ubi ex profeſſo deprædicans vim medicam variarum rerum naturalium, pro exemplo dat id de quo hic agimus lignum, cum ait: *Nonne a ligno indulcata eſt aqua amara?* Certe ſi ſolo miraculo id huic ligno obtigiſſet, nulla eſſet vis exempli ad commendandas, aut comprobandas res medicas naturales. Ita Caietanus, Lyranus, & Franciſcus Valeſius *c*. Allegorice adumbratur virtus Crucis Chriſti; ſicut verſ. ult. per 12. fontes 12. Apoſtoli, per 70. palmas 70. diſcipuli Chriſti deſignantur, quorum opera totius mundi ſitis, & fame ſpiritualis depulſa fuit. Ita SS. Patres omnes & Doctores.

(*a*) Nyſſ. Lib. de Virginit. cap. XIX. Ambr. de Virginibus, & epiſt. lxxxii. Magall. Canticum Moyſis.
(*b*) Serarius Lib. I. Ioſue cap. XII. quæſt. x. Ioſephus Lib. V. Antiqu. cap. II. & IV.
(*c*) Valeſius de S. Philoſophia cap. XV.

G O R D O N I.

Verſ. 1. TUNC CECINIT. אז ישיר, *tunc canet*: futurum pro præterito. Noſter, *tunc cecinit*. Radix שיר: & initio pſalm. אשירה *aſhira*, *cantabo*.

V. 3. VIR PUGNATOR. Hebr. *Vir pugnæ*, quaſi habens in poſſeſſione ſua even-

ventum belli. OMNIPOTENS. Hebr. *Iehova*.

V. 4. Rubrum mare, a colore arenæ, vel potius herbarum in fundo: a Græcis Erythræum, ab eodem colore. Vide Torniellum ad an. 2544. num. 19.

V. 8. CONGREGATAE SUNT AQUAE. Septuag. διέςη, *diviſa eſt aqua*. Aquila ἐσωρεύθη, *acervata*. STETIT UNDA, ſeu erecta inſtar muri non defluxit. Sept. ἐπάγη, *compacta*.

V. 9. INTERFICIET. Sept. *dominabitur*. Hebr. תורישמו *thoriſcemo*: rad. ירש, *poſſidere*, *depauperare*.

V. 11. IN FORTIBUS. Septuag. *Inter deos*.

V. 12. DEVORAVIT EOS TERRA; hoc eſt, fundum maris excepit eos, aquis in terra obrutos, ac ſi eſſent devorati.

V. 14. & 15. ASCENDERUNT. Timor invaſit, tum nunc, tum in itinere in terram promiſſam, de quo hic per anticipationem. Immo & de templo prophetizat.

V. 17. INTRODUCES. Mons hereditatis eſt hic mons Sion, ſeu Moria, de quo ſupra Geneſ. XXII. verſ. 2. Prophetat hic Moyſes de ædificando ibi templo. SANCTUARIUM dicitur, quia in eo ſacrificia erant peragenda. Vide hic more prophetico poni præterita loco futuri: nam ab exodo ad templum numeravi cap. primo annos 480.

V. 18. IN AETERNUM ET ULTRA. עולם deſignat ſæculum aliquando. Additur ועד *vahhed*, *&* *ultra*, ad deſignandam veram æternitatem; quaſi dicat, non tantum per ſæcula noſtra.

V. 19. EQUES PHARAO. Hebr. *equus*, pro equitatu Pharaonis.

V. 20. MARIA. Maſſoretæ מרים *Miriam* legunt diſſyllabum. Rectius *Mariam* apud Septuaginta, & Hieronymum. Latini expuncto Mem finali, triſſyllabum faciunt. Etymologia optime reddit, *dominam maris*: nam מורה *mora* eſt domina, ים *iam* mare. Soror etiam erat Moſis; ſed an manſerit virgo certatur.

V. 22. TULIT. Heb. *Diſcedere fecit a mari rubro*.

V. 23. VENERUNT IN MARA. Quarta Hebræorum ſtatio eſt מרה *Marah*: alluſionem habet ab amaritudine aquarum. Radix מרר *marar*. Quod hic verſ. 25. oſtenditur lignum, quo dulcorantur aquæ, vim hanc naturalem habuiſſe putatur.

V. 25. CONSTITUIT PRAECEPTA, quædam, & ante legem: neſcitur quænam fuerint.

V. 27. ELIM. Sexta ſtatio *Elim*: & amœnitas loci deſcribitur. Septima hic omittitur. Vide Num. XXXIII. verſ. 10. eſt ad mare.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 1. Ioſephus opinatur ſcriptum hoc canticum carmine heroico: ſcriptum ſane a Moſe, ſuggerente Spiritu ſancto.

V. 13. QUEM REDEMISTI, liberaſti a ſervitute AEgypti.

V. 20. SOROR AARON, immo & ſoror Moſis: ſed ex duobus fratribus nominat ſeniorem, ſicut & Maria ſenior erat Moſe. Greg. Nyſſ. de Virg. virginem vocat. Certe nec coniugii, nec liberorum meminit Scriptura.

V. 22. SUR, vocatur etiam Ethan, Num. XXXIII. 7.

V. 23. MARA, quarta, vel quinta ſtatio.

V. 24. TENTAVIT EOS. Deus dans illis leges, quibus obtemperarent.

BOSSUET.

V. 1. CECINIT MOYSES .... CANTEMUS DOMINO, &c. Hæc igitur Moyſe viris, ut Maria feminis præcinente, cecinerunt. Qua de re videſis egregium Philonis locum, præfat. cap. VI. num. 36. & in Pſal. LXVII.

V. 26. EQUUM, ET ASCENSOREM: Pharaonem cum omni equitatu ſuo, ut habet verſ. 19.

V. 2. FORTITUDO MEA. Unumquemque Iſraelitam loquentem inducit, ut maior demonſtretur pietatis, gratique animi ſenſus.

V. 3. OMNIPOTENS, NOMEN EIUS. Dominus, nomen eius. Heb. *Iehovah*. LXX. κύριος.

V. 8. ET IN SPIRITU FURORIS TUI; ſive ipſa ira Dei, ſive per eam vi venti vehementis immiſſa, ut Exod. XIV. 21. CONGREGATAE SUNT, coacervatæ ſunt AQUAE; non pro natura ſua liquidæ ac diſuſæ, ſed in firmam congeriem

com-

compoſitæ: idque ex ira Dei in AEgyptios, quos veluti repreſſis aquis invitabat ad ingreſſum; ingreſſos immiſſis rurſus aquis obruit. STETIT UNDA FLUENS: *ſteterunt fluenta ſicut acervus*, Hebr. CONGREGATAE SUNT: *coagulatæ ſunt*, Hebr. ac veluti congelatæ. ABYSSI: gurgites, velut in aggerem verſi.

V. 10. FLAVIT SPIRITUS TUUS, ventus: ut enim *Dominus mare abſtulit flante vento vehementi & urente tota nocte, & vertit in ſiccum: diviſaque eſt aqua*, Exod. XIV. 21. ſic etiam immiſſo vento, recidere fluctus in AEgyptios.

V. 12. DEVORAVIT EOS TERRA; aquis ſuperfuſis, atque alte ſubiectam arenam in cadavera volventibus.

V. 14. ASCENDERUNT POPULI: *audierunt*, Heb. LXX. ET IRATI SUNT: *commoti ſunt, conturbati ſunt*. DOLORES OBTINUERUNT: ſic Pſal. XLVII. 6. 7. 8. *Conturbati ſunt, commoti ſunt: tremor apprehendit eos. Ibi dolores ut parturientis*: ac paſſim apud prophetas.

V. 15. TUNC CONTURBATI SUNT, longe lateque diffuſo metu per vicinas regiones: dicebant enim: *Sicut fecit in mari rubro; ſic faciet in torrentibus Arnon*: Num. XXI. 14. adeoque nihil erit impervium. Ac ſic poſt longiſſima quoque tempora ſub Heli Pontificis principatu, inclamabant Philiſthæi: *Quis nos ſalvabit de manu deorum ſublimium iſtorum? hi ſunt dii qui percuſſerunt AEgyptum omni plaga, in deſerto*: I. Reg. IV. 8. quanto magis territi, recente rei memoria?

V. 16. FIANT IMMOBILES ... DONEC PERTRANSEAT: filii enim Eſau & alii, hoc metu velut obſtupefacti, facilem Iſraelitis tranſitum præbuerunt: *tranſibitis* enim *per terminos fratrum veſtrorum filiorum Eſau, & timebunt vos*: Deut. II. 4.

V. 18. DOMINUS REGNABIT. Finis Cantici, ut videtur, collata in Deum gloria.

V. 19. INGRESSUS EST: quo loco intermiſſa narratio reſumitur: hunc etiam verſum integrum canit Eccleſia.

CAPUT XVI.

Murmurantibus in Sin pro cibo Iſraelitis, pluit Dominus coturnices & Man ad ſaturitatem: iuſſio Domini de eo colligendo, & in monimentum reponendo.

1 PRofectique (*a*) ſunt de Elim, & venit omnis multitudo filiorum
Iſrael in deſertum Sin, quod eſt inter Elim & Sinai: quintodecimo die menſis ſecundi, poſtquam egreſſi ſunt de terra AEgypti.
2. Et murmuravit omnis congregatio filiorum Iſrael contra Moyſen & Aaron in ſolitudine. 3. Dixeruntque filii Iſrael ad eos:
Utinam mortui eſſemus per manum Domini in terra AEgypti, quando ſedebamus ſuper ollas carnium, & comedebamus panem in ſaturitate: * cur eduxiſtis nos in deſertum iſtud, ut occideretis omnem multitudinem fame?
4. Dixit autem Dominus ad Moyſen: Ecce, ego pluam vobis panes de cælo: egrediatur populus, & colligat quæ ſufficiunt per ſingulos dies: ut tentem eum utrum ambulet in lege mea, an non. 5. Die autem ſexto parent quod inferant: & ſit duplum quam colligere ſolebant per ſingulos dies. 6. Dixeruntque Moyſes & Aaron ad omnes filios Iſrael: Veſpere ſcietis quod Dominus eduxerit vos de terra AEgypti: 7. & mane videbitis gloriam Domini: * audivit enim murmur veſtrum contra Dominum: nos vero quid ſumus, quia muſſitaſtis contra nos?
8. Et ait Moyſes: Dabit vobis Dominus veſpere carnes edere, & mane panes in ſatu-

Digitized by Google

turitate: eo quod audierit murmurationes veſtras * quibus murmurati eſtis contra eum, nos enim quid ſumus? nec contra nos eſt murmur veſtrum, ſed contra Dominum. 9. Dixit quoque Moyſes ad Aaron: Dic univerſæ congregationi filiorum Iſrael: Accedite coram Domino: audivit enim murmur veſtrum. 10. Cumque loqueretur Aaron ad omnem cœtum filiorum Iſrael, reſpexerunt ad ſolitudinem: & ecce gloria Domini apparuit in nube. 11. Locutus eſt autem Dominus ad Moyſen, dicens: 12. (*b*) Audivi murmurationes filiorum Iſrael, loquere ad eos: Veſpere comedetis carnes, & mane ſaturabimini panibus: ſcietiſque quod ego ſum Dominus Deus veſter. 13. Factum eſt ergo veſpere, & aſcendens coturnix, cooperuit caſtra: mane quoque ros iacuit per circuitum caſtrorum. 14. Cumque operuiſſet ſuperficiem terræ, (*c*) apparuit in ſolitudine minutum, & quaſi pilo tuſum, in ſimilitudinem pruinæ ſuper terram. 15. Quod cum vidiſſent filii Iſrael, dixerunt ad invicem: Manhu? quod ſignificat: Quid eſt hoc? ignorabant enim quid eſſet. Quibus ait Moyſes: (*d*) Iſte eſt panis, quem Dominus dedit vobis ad veſcendum. 16. Hic eſt ſermo, quem præcepit Dominus: Colligat unuſquiſque ex eo quantum ſufficit ad veſcendum: gomor per ſingula capita, iuxta numerum animarum veſtrarum quæ habitant in tabernaculo ſic tolletis. 17. Feceruntque ita filii Iſrael: & collegerunt, alius plus, alius minus. 18. Et menſi ſunt ad menſuram gomor: (*e*) nec qui plus collegerat, habuit amplius: nec qui minus paraverat, reperit minus: ſed ſinguli iuxta id quod edere poterant, congregaverunt. 19. Dixitque Moyſes ad eos: Nullus relinquat ex eo in mane. 20. Qui non audierunt eum, ſed dimiſerunt quidam ex eis uſque mane, & ſcatere cœpit vermibus, atque computruit, & iratus eſt contra eos Moyſes. 21. Colligebant autem mane ſinguli, quantum ſufficere poterat ad veſcendum: cumque incaluiſſet ſol, liqueſiebat. 22. In die autem ſexta collegerunt cibos duplices, id eſt duo gomor per ſingulos homines: venerunt autem omnes principes multitudinis, & narraverunt Moyſi. 23. Qui ait eis: Hoc eſt quod locutus eſt Dominus: Requies ſabbati ſanctificata eſt Domino cras, quodcumque operandum eſt, facite: & quæ coquenda ſunt coquite: quidquid autem reliquum fuerit, reponite uſque in mane. 24. Feceruntque ita ut præceperat Moyſes, & non computruit, neque vermis inventus eſt in eo. 25. Dixitque Moyſes: Comedite illud hodie, quia ſabbatum eſt Domini: non invenietur hodie in agro. 26. Sex diebus colligite: in die autem ſeptimo ſabbatum eſt Domini, idcirco non invenietur. 27. Venitque ſeptima dies: & egreſſi de populo ut colligerent, non invenerunt. 28. Dixit autem Dominus ad Moyſen: Uſquequo non vultis cuſtodire mandata mea, & legem meam? 29. Videte quod Dominus dederit vobis ſabbatum, & propter hoc die ſexta tribuit vobis cibos duplices: maneat unuſquiſque apud ſemetipſum, nullus egrediatur de loco ſuo die ſeptimo. 30. Et ſabbatizavit populus die ſeptimo. 31. Appellavitque domus Iſrael nomen eius Man: quod erat quaſi ſemen coriandri album, guſtuſque eius quaſi ſimilæ cum melle. 32. Dixit autem Moyſes: Iſte eſt ſermo, quem præcepit Dominus: Imple gomor ex eo, & cuſtodiatur in futuras retro generationes: ut noverint panem, quo alui vos in ſolitudine, quando educti eſtis de Terra AEgypti. 33. Dixitque Moyſes ad Aaron: Sume vas unum, & mitte ibi Man, quantum poteſt capere gomor: & repone coram Domino, ad ſervandum * in generationes veſtras, * 34. ſicut præcepit † Dominus Moyſi. Poſuitque illud Aaron in tabernaculo reſervandum. 35. (*f*) Filii autem Iſrael comederunt Man quadraginta annis, donec venirent in terram habitabilem:

hoc cibo aliti ſunt, uſquequo tangerent fines terræ Chanaan. 36. Comor autem decima pars eſt Ephi.

(a) Sap. xi. 2. (b) Eccli. xlv. 11. (c) Num. xi. 7. Pſalm. lxxvii. 24. Sup. xvi. 20. Ioan. vi. 31. (d) I. Cor. x. 3. (e) II. Cor. viii. 15. (f) II. Neh. ix. 21. Iudith v. 15.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES

V. 3. *Cur eduxiſtis nos in deſertum iſtud?* Non recte quidam mutarunt *eduxiſtis* cum *induxiſtis*.

V. 7. *Audivit enim murmur veſtrum*. Tertia perſona *audivit* non eſt mutanda cum prima *audivi*.

V. 8. *Quibus murmurati eſtis contra eum: nos enim quid ſumus?* Nec hic mutandum eſt pronomen tertiæ perſonæ *eum* cum primæ *nos*; neque coniunctio *enim* cum *autem*.

V. 33. *In generationes veſtras*. Merito deletum eſt *futuras retro*, quod a quibuſdam exemplaribus additur.

Sequitur: *Sicut præcepit Dominus Moyſi*. In aliis libris, pro perfecto, eſt pluſquam perfectum *præceperat*.

NOTATIO.

V. 34. *Sicut præcepit Dominus Moyſi*. Hoc & ad præcedentia referri poteſt, ut ſint Moyſis ad Aaron loquentis verba, quomodo quæſtione ſuper Exodum lxi. Auguſtinus ſe referre ſignificat; & ad ſequentia. Alii libri habent: *Sicut præceperat Dominus Moyſi*; id quod ad ſequentia apte refertur, ſicut & Hebræorum codicum diſtinctio refert: ut ſenſus ſit: Sicut præcepit, aut præceperat (utrumvis enim legi & verti poteſt) Dominus Moyſi, ita poſuit illud Aaron in tabernaculo reſervandum. Phraſis eſt Hebræis familiaris, ad hunc modum copulativam coniunctionem accipere adverbio ſimilitudinis præcedente.

COMMENTARIA

SA.

Verſ. 3. SUPER, id eſt iuxta. OLLAS CARNIUM. Deſiderabant alias carnes quam pecorum, quæ habebant; ideoque Dominus dedit coturnices: Aug. in Exod. qu. lxii.

V. 4. TENTEM, id eſt probem. AMBULET, ſcilicet colligendo ſolum, quantum diei ſufficiat.

V. 5. INFERANT, ſcilicet in tabernacula.

V. 14. ET QUASI PILO TUSUM. Hebr. *rotundum*. LXX. *quaſi coriandrum album*. Chald. *quaſi decorticatum*, id eſt album, ut ligna decorticata.

V. 15. MANHU! pro *Mah*; quamquam etiam *Man*, *quid* interdum ſignificat in Scriptura: ſed Syriacum eſt.

V. 16. SERMO, id eſt res, ſeu præceptum.

V. 18. REPERIT. Vel miraculo factum eſt, ut quiſque tantum reperiret quod ſatis eſſet; vel quiſque eo ſolo contentus erat, etiamſi plus collegiſſet. CONGREGAVERUNT, vel miraculo, ut proxime dixi; vel tantum cuique permiſſum ſumere ex collectis ſolum, quantum ſufficeret.

V. 22. NARRAVERUNT, ſcilicet collectum eſſe duplicem cibum.

V. 23. DOMINO, id eſt ad Domini honorem. QUODCUMQUE OPERANDUM EST, FACITE. Id non eſt Hebr. RELIQUUM, ſcilicet ex cibis. REPONITE, ſcilicet edendum poſtridie.

V. 30. SABBATIZAVIT, id eſt *quievit*.

V. 31. CORIANDRI, ſcilicet figura, non colore.

V. 32. FUTURAS RETRO. Hebr. *veſtras* quaſi dicat, poſteros veſtros.

V. 33. SUME. &c. Hæc per anticipationem dicta: facta enim poſt extructum tabernaculum. CORAM DOMINO, id eſt in Arca teſtimonii.

ESTII.

Verſ. 4. ECCE EGO PLUAM VOBIS PANES DE CAELO. Catachreſis eſt in utroque verbo, *pluam*, & *pa-*

panes. Nam manna proprie panis non erat, ſed quid coagulatum in cælo aereo: hoc enim cæli nomine hic intelligitur more loquendi in Scriptura uſitatiſſimo. Proprie autem manna non fuiſſe panem ipſe Moyſes Deut. cap. VIII. declarat his verbis: *Dedit Dominus tibi cibum manna, quod ignorabas tu & patres tui; ut oſtenderet tibi quod non in ſolo pane vivit homo*. Et populus dicebat: *Deeſt panis, anima noſtra nauſeat ſuper cibo iſto leviſſimo*. Vocatur autem panis, nempe quia in refectione locum panis proprie dicti ſupplebat.

V. 8. DABIT VOBIS DOMINUS VESPERE CARNES EDERE, ET MANE PANES IN SATURITATE. Et idem ordo repetitur verſ. 12. Quæritur quid ſibi velit quod prius carnes, & poſtea panes? Reſponderi poteſt primo, quod is ordo fuit murmurationis: nam ita dixerant verſ. 3. *Quando ſedebamus ſuper ollas carnium, & comedebamus panem in ſaturitate*. Secundo, forte quia deplumandæ erant coturnices pridie, alioqui non ſatis aptæ eſui. Sed in primis in hoc ordine carnium, & panum (ſive ille ad comeſtionem, ſive ad acceptionem referatur) latet non contemnendum myſterium. Nam in carnibus nobis ſignificantur ſacrificia veteris teſtamenti; in pane vero, præſertim eo de quo nunc loquimur, id eſt in manna, ſacrificium novi teſtamenti. NEC CONTRA NOS EST MURMUR VESTRUM, SED CONTRA DOMINUM. Congruit hæc ſententia cum doctrina Apoſtoli ad Rom. XIII. ubi dicit, eos qui reſiſtunt poteſtati, Dei ordinationi reſiſtere; cum non ſit poteſtas niſi a Deo. Unde conſequens eſt, omnem rebellionem contra quamcumque legitimam ſuperiorem poteſtatem eſſe contra Deum, a quo poteſtas illa eſt derivata. Senſus igitur eſt: *Non contra nos eſt murmur veſtrum*, nempe principaliter. *Nos enim*, inquit Moyſes, *quid ſumus*? quaſi dicat: Nihil aliud ſumus quam miniſtri Dei, annuntiantes vobis voluntatem eius. Sic ſcilicet more Scripturæ ſacræ negatur id quod eſt minoris momenti; quale eſt & illud, *Miſericordiam volo, & non ſacrificium*: Matth. IX. verſ. 13. & rurſum Matth. XII. verſ. 7.

V. 19. NULLUS RELINQUAT EX EO IN MANE. Obiicitur a Lutheranis: Ergo & Euchariſtia, cuius typus manna erat, non debet ſervari in alterum diem? Reſpondetur: Manna ſervatum fuit in ſabbatum, deinde (verſ. 33.) in ſequentes quoque generationes. Quod vero ordinarie non ſervaretur in craſtinum, in eo non erat typus Euchariſtiæ; ſed præceptum illud Dei eo tendebat, ut diſcerent homines pendere toti ex providentia Dei, qui in ſingulos dies recens manna promittebat; quomodo & Chriſtus orare nos iuſſit: *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*.

V. 33. SUME VAS UNUM, ET MITTE IBI MAN, ET REPONE CORAM DOMINO. Subditur mox verſu ſequent. POSUITQUE ILLUD AARON IN TABERNACULO RESERVANDUM: nempe poſtea, nam nondum hoc tempore erat tabernaculum. Sed tam ſtudioſe notat Scriptura, illud nunc quidem coram Domino, poſtea autem in ipſo tabernaculo repoſitum, ut diſcamus quanto magis conveniat partem Crucis dominicæ, in qua ſalutem noſtram Chriſtus operatus eſt, pia devotione a chriſtianis aſſervari, tum quidquid in nobis excitat memoriam beneficiorum Dei, ac ſanctorum eius, Hæretici iſta rident, & ubicumque inventa diſperdunt: & puto, quod ſi & ipſum manna in hodiernum diem fuiſſet ſervatum, a furioſis iſtis diſperderetur.

V. 35. COMEDERUNT MAN QUADRAGINTA ANNIS, DONEC VENIRENT IN TERRAM HABITABILEM. Myſtice ſignificatur, Euchariſtiæ uſum, ſicut & aliorum Sacramentorum, tantum durare tempore huius peregrinationis donec veniamus ad patriam cæleſtem.

MARIANAE.

Verſ. 2. ET MURMURAVIT. וילנו *vaialonu*. Hoc verbum poſſet ſignificare *& ſteterunt*, ut quidam vertit: ſed Daghes poſitum in Lamed, ut Hebræi affirmant, indicat vocem ſumi in ſignificatione *murmurandi*; poſitum loco Nun, nota coniugationis Niphal.

V. 4 QUAE SUFFICIUNT PER SINGULOS DIES. Hebr. *Verbum diei in die ſuo*. *Verbum* vocat alimentum.

V. 14. MINUTUM, ET QUASI PILO TUSUM, IN SIMILITUDINEM PRUINAE. Hebr. *Minutum, rotundum, minutum ſicut pruina*. In voce מחספס *mehuſpam* eſt diſcrimen. Chald. *decorticatum* di-

dixit, eoque Hieronymus reſpexit, cum *pilo tuſum* poſuit. Sept. pro ea voce *coriandrum* dixere.

V. 15. MANHU? QUOD SIGNIFICAT: QUID EST HOC? In Hebræo tantum eſt *Manhu*, alia addidit Hieron. Ceterum Hebræi nolunt ut id ſignificet *Quid hoc?* quia debebat dicere non *manhu*, ſed *mahu*: ita volunt ſignificari tantum, *manna eſt hoc*, & vocem eam putant ſignificare, *donum eſt hoc*; & illis verbis, IGNORABANT ENIM QUID ESSET, reddi cauſam cur generali *doni* nomine *manna* vocarunt. Verum Hieron. & Sept. non temere explicarunt, *Quid eſt hoc?* & proclive eſt in lingua Hebraica Nun adiici, & redundare multis locis. Illud contendo, Chald. priorem interpretationem ſecutum, non poſteriorem, quod eius interpres Latinus non advertit.

V. 20. SCATERE COEPIT VERMIBUS, ATQUE COMPUTRUIT. Prius computruit, deinde ebullierunt vermes: ideo quidam Hebræus explicat, ut ſit perinde atque *Iam computruit, poſtquam computruit*: ſic Iſaias cap. LXIV. verſ. 5. *Tu iratus es, & peccavimus*, id eſt poſtquam peccavimus.

V. 23. REQUIES SABBATI SANCTIFICATA EST DOMINO CRAS: QUODCUMQUE OPERANDUM EST, FACITE. Hebr. *Quod aſsaturi eſtis, aſsate; aut quod coquendum eſt, coquite.*

V. 31. GUSTUSQUE EIUS QUASI SIMILAE CUM MELLE. Hebr. *Quaſi lagana frixa, & delibuta melle*, ut explicat Chald.

V. 34. IN TABERNACULO RESERVANDUM. *Coram teſtimonio in cuſtodiam*: ſic Septuag. unde colligitur, aliqua ſacra publica geſtaſſe Iudæos, & habuiſſe aliquod tabernaculum ante id quod Moyſes fecit.

V. 36. GOMOR AUTEM DECIMA PARS EST EPHI. Chald. *Decima trium ſatorum*: *ephi* enim tria ſata continet. Eodem reſpicientes Sept. pro tribus ſatis *tres menſuras* poſuerunt: decima trium menſurarum erat. Sane *chorus* ſeu *gomor* triginta modios Italicos continebat; *ephi*, eius decima, tres modios; *gomor*, quæ erat decima *ephi*, tertiam fere modii; nempe Toletani modii fere duas tertias, quod uni homini in diem alimenti ſatis erat. Ea menſura ſinguli colligebant manna.

MALVENDAE.

Verſ. 1. PROFECTIQUE SUNT DE ELIM, ET VENIT OMNIS MULTITUDO FILIORUM ISRAEL IN DESERTUM SIN. Notant, omitti hic ſtationem, ſeu manſionem ſeptimam ad mare Suph, ad ſinum AElaniticum, de qua Numer. XXXIII. 10. Nam ab Elim deflexerunt ad mare algoſum; inde ad deſertum Sin. Omiſſam hic ſeptimam ſtationem idcirco putant, vel quod in ea nihil memorabile contigerit, vel quod raptim & tumultuarie tantum eo in loco tantiſper egerint. Non hic omittimus verba S. Hieronymi manſione VII. *Profectique de Elim, caſtrametati ſunt ad mare rubrum, quod Hebraice dicitur Iamſuph. Et quæritur quomodo poſt tranſitionem maris rubri, & fontis Marah, & Elim, rurſum ad mare rubrum venerint: niſi forte in itinere pergentibus ſinus quidam maris occurrerit* (proculdubio AElaniticus) *iuxta quem caſtrametati ſint. Aliud enim eſt tranſire mare, aliud in proximo figere tabernacula. Verbum Iam ſuph apud Hebræos ex mari, & rubro compoſitum eſt: Suph autem & rubrum, & ſcirpus vocatur: unde poſſumus ſuſpicari, quod venerint ad paludem quamdam, & lacum, qui & carecto, & iuncis plenus fuerit. Quod autem omnes congregationes aquarum Scriptura ſancta mare vocet, nulla dubitatio eſt. Hæc manſio in Exodo non habetur.* In his duo non probanda: alterum *Suph* rubrum ſignificare; alterum *Iam ſuph* intelligi hic paludem, non ſinum Arabicum. Vide ſupra X. verſ. 19. *Sin* deſertum nomen accepiſſe videtur a rubis, & dumis, quibus abundabat. Vide cap. III. verſ. 2. S. Hieronymus manſione VIII. *Sciendum quod omnis uſque ad montem Sinai eremus Sin vocetur, & ex tota provincia etiam locus nomen unius manſionis acceperit.*

V. 3. PER MANUM DOMINI, id eſt cladibus illis, ſeu plagis AEgyptiacis, quibus Dominus afflixit AEgyptum; vel morte ſolita, & naturali, non violenta, & deſperata, qualis eſt famis, aut ſitis.

V. 4. QUAE SUFFICIUNT PER SINGULOS DIES. Hebr. *Verbum, rem, de.*

men-

menſum, ordinarium, conſtitutum diei in die ſuo. Quidam reddunt : *Demenſum cuiuſcumque diei quotidie*; id eſt, colligent quotidie quantum ei diei ad edendum ſatis ſit. Obſervant, voluiſſe Deum dare eis cibos non in ſingulos menſes, ſed in ſingulos dies, ut nullus præteriret dies, in quo eius beneficentiam erga ſe non ſentirent, atque ob id ſemper illius eſſent memores. Ob ipſam eamdem cauſam videtur Chriſtus docuiſſe nos orare, Luc. xi. 5. *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*. Ut tentem eum: vel probem eum, & experiar an credant verbis meis, & non plus colligant quam eis opus ſit per ſingulos dies. Hebr. *Ad correſpondentiam elevabo eum*; hoc eſt, ad correſpondentiam tanti beneficii, quo eum pane cæleſti paſcam, elevabo eum, maiora ab eo petam, num ſervare velit legem meam nec ne. Vide cap. xv. verſ. 25.

V. 6. Vespere scietis. Hebr. *Veſpera, & ſcietis*; id eſt, veſpera erit, aut veniet, & ſcietis, nempe verſ. 13. Quod Dominus eduxerit vos de terra AEgypti; quaſi dicat: Non vos nos eduximus, ut exprobraſtis verſ. 3. ſed Dominus ipſe vos eduxit.

V. 7. Et mane videbitis. Hebr. *Et mane, & videbitis*; id eſt, erit mane, & videbitis, nempe verſ. 10.

V. 9. Accedite coram Domino; id eſt, verſus columnam, quæ populum antecedebat in deſerto, in qua Deus tunc externo ſymbolo præſentiam ſuam exhibebat, verſ. 10.

V. 10. Gloria Domini. כבוד *cabod* omnia iſta complectitur, id eſt *gravitas, honor, gloria, dignitas, excellentia, ſplendor, maieſtas, claritas*. Paulus *pondus gloriæ* interpretatus eſt II. Corinth. iv. 17. Apparuit nimirum in nube ingens, & extraordinarius ſplendor, maieſtas, & gloria, divinum, & auguſtum iubar, mirifice radians, ac ſcintillans, certiſſimum ſignum præſentiæ Domini: quæ gloria interdum in Scriptura *facies Domini* dicitur. Vide Geneſ. iv. verſ. 16. Apparuitque tunc hæc gloria in nube illa, ſeu columna nubis, quæ deſerto impendebat, quaſi populum ſuo anteceſſu per ipſum deductura.

V. 13. Coturnix. שלו *ſelau*, id eſt *coturnix, qualea*. Sic dictam volunt, quod in abundantia frumenti otioſa, & , ut apologus AEſopius indicat, quieta & ſecura deſideat, & luxui dedita, corporis pinguedine ingrandeſcat; a שלה *ſchalah*; quaſi dicas, ſalva, ſecura, felix, pinguis, bene habens, proſpera, opulenta. Quibuſdam id non probatur, quod *ſelau* per Scin ſiniſtrum, *ſchalah* vero per dextrum ſcribatur. Ros iacuit. Hebr. varie convertunt: *Et fuit cubatio, cubitus, recubatio, ſtratum, lectiſternium roris*: alii, *Deſcenſio, effuſio roris*: nonnulli, *Iacentia roris*.

V. 14. Cumque operuisset superficiem terrae. Hebr. *Et aſcendit cubatio roris*, vel *ſublata fuit, elevata fuit, diſceſſit, abſceſſit, evanuit, diſparuit*; id eſt, ſoluta eſt in aquam. Vide Geneſ. xvii. verſ. 22. Quidam: *Et cum ſuſtolleretur ſtratum roris*, nempe evaneſceret in vapores ut fumus aſcendens: calore enim ſolis eliquabatur ros, & in fumum aſcendebat, & apparebat man. Et quasi pilo tusum. Participium, aut nomen participiale מחספס *mechuſpas* varie interpretantur. I. *Rotundum, orbiculatum, ſphæricum, in modum granorum rotundorum*. II. Quidam componunt ex חסס *chaſas*, id eſt *lenticula*, voce Rabbinis tantum uſitata, & ex פסס *paſas*, id eſt *tenuis fuit*; exponuntque, *In modum lenticulæ attenuatum*, ſeu *ſparſum*. III. Alii, *Multiplicatum, extenſum*, pro cerebri tantum ſui ratione. IV. Nonnulli, *Denudatum, detectum ex acere*, ſeu *acore, excoriatum, decorticatum*, quaſi detracto cortice album, ſeu candidum. Valentino conſimili vocabulo appellamus *deſcorpbat*. Quidam deducunt a כסה *caſah* contrario ſignificato, & inſerta littera Phe: alii melius a חשף *chaſap* geminato, cum Scin ſiniſtro, ut Geneſ. xxx. 37. (מחשוף הלבן *machſoph hallaban, nudatio albi*, ſeu *decorticatio alboris*) Scin ſemel in Samech, ut ſæpe fit, mutato; quaſi fuerit ſpecies granorum alborum decorticatorum, excuſſo acere, & gluma, ſeu folliculo. In re obſcuriſſima (nam vox iſta nullo alio Scripturæ loco legitur, niſi hic tantum) nihil tutius quam noſtro Interpreti inhæreſcere. *Pilo tuſum* dixit, quod quæ pilo tunduntur, in grana quædam rotundeſcant.

V. 15. Manhu. Hæc eſt inſignis illa vox *man*, aut Chaldaice מנה *mana*, de cuius ſignificato tantopore variatum eſt.

I. *Man*,

Digitized by Google

I. *Man*, id eſt *deſtinatum*. Sic enim totem illum cæleſtem, tamquam ſingulare donum, a Deo ipſis deſtinatum in cibum, Iſraelitæ vocabant; quaſi dicat: *Deſtinatum ipſum*, vel *deſtinatum eſt*. II. *Numeroſum*, quia deſcendebant grana in magno numero. Videntes autem Hebræi illud in magna copia deſcendiſſe, & ignorantes quid in ſpecie eſſet, vocarunt מן הוא *man hu*, id eſt *numeroſum ipſum*. III. Conſentiente voce *munus*, *donum ipſum*: neſcientes enim proprium ipſius nomen, generaliter munus, donum Dei appellant; quaſi dicerent: Hoc eſt donum, quod Dominus nobis pollicitus eſt. IV. *Paratum*, *præparatum*, *præparamentum*, id eſt cibus aptus, paratus, præparatus, obvius ad comedendum, ut colligitur ſine alio hominis labore; aut comparatus ſine labote: nulla enim alia præparatione indigebat. Sapientiæ XVI. verſ. 20. *Et paratum panem de cælo præſtitiſti illis*. V. *Portio*, *pars ipſa*; id eſt, hæc eſt portio ſeu pars noſtra, quam dedit nobis Dominus. VI. *Numeratum*, *partitum*, *diſtributum*, id eſt cibus diſtribute e cælo delapſus, & qui diſttibuebatur inter filios Iſrael. VII. *Man* Arabicum, *ipſum* eſt: vide paulo inferius. Imperite carpunt Noſtrum quod interpretatus fuerit *Man hu*, *Quid eſt hoc*, pro *Mah hu*; cum euphoniæ cauſa in *Mah*, ne duæ litteræ He concurrerent, videatur additum Nun paragogicum, *Man hu*, pro *Mah hu*, proprie, *Quid hoc*? Nam iſtam interpretationem ſecuti ſunt veteres Græci, & Latini. Nonnulli exiſtimant, verba hæc eſſe impatientiæ, & contemptus, quod cum viderent, ſibi non piſtum panem, ut forte expectavetant, advenire, indignatione, & contemptu dixerint, Quid eſt hoc? quaſi dicat ſcilicet: Iſte ne eſt panis delicatiſſimus nobis promiſſus? Sic non ſolum non contentos, ſed etiam ingratos ſe exhibuerunt. Sed rectius eſt, eos admirabundos dixiſſe, *Quid eſt hoc*? Neque nobis quorumdam Hebræorum ſententia diſplicet, qui eos putant uſos vocabulo Arabico *man*, quod manna ſignificat, nempe rorem Sytiacum, ſeu acromel, id eſt aerium mel, cuius in medicinis maximus uſus: quod huic mannæ naturali, illud cæleſte & miraculoſum cum primis ſimile eſſet. Notant; manna illud naturale in calidioribus regionibus maxime provenire, in quibus ob ſereniores noctes ros plurimus, nec in nubium naturam facile cogitur. Erant tunc Hebræi in Arabia calidiori terra, ubi forſan copioſum manna: unde e re ipſa videntur uſi vocabulo noto & vulgari ob ſimilitudinem; putantes eſſe ipſum manna. nec ſcientes aliud revera eſſe, nempe novum, & cæleſtem cibum, ſed candore, & forma referentem manna naturale. De manna vide plura apud Franciſcum Valleſium in ſacra Philoſophia cap. LVII. Lævinum Lemnium in Herbis Bibliacis cap. III. Henricum Salmuth in Commentariis ad Nova reperta Guidonis Pancirolli, titulo VI. Sic infra verſ. 31. Ioannem Bochium in Pſal. LXXVII. ad verſ. 24.

V. 16. GOMOR. עומר *ghomer* decima pars eſt *ephah*, infra verſ. 36. De ſacris menſuris tam multi ſcripſerunt ut pigeat in his tempus terere. Aiunt, continere quantum homini ſufficit ad diurnum cibum. Addunt. Hebræos hanc menſuram alitet vocare עשרון *ghiſaron*, id eſt *decimam*, & Græcos *chœnicem*; & valere ac ſi Latine dicas *merendam*. Alii *manipulum*, ſeu *mergitem*, nimirum victus diurni, exponunt. Notant, continere hanc menſuram 43. ova, & quintam ovi partem; cum epha continere dicatur 432. ova. Sanctus Hieronymus in Nominibus Hebraicis Exodi: *Gomor eſt menſura Atticorum chœnicum trium*. Quidam volunt, cepiſſe cotylas, ſeu heminas ſeptem cum quinta parte, ſive chœnices duos cum dimidio quinta minus: unde colligitut quanta ſit capacitas ephæ, & quam largiter Deus Iſraelitas aluerit tam longo tempore: nam chœnix olim demenſum erat mancipiis attributum. Vide plura de chœnice apud Eraſmum, & Lilium Gyraldum in ſymbolis Pythagoricis.

V. 18. NEC QUI PLUS COLLEGERAT HABUIT AMPLIUS, &c. Senſus, quem ex Hebr. Noſter expreſſit, facilis & planus eſt, nimirum, quod licet quidam plus quam opus fuerat, & plus quam gomor collegiſſent, quidam minus; nihilominus cum metirentur man, nullus plus, minuſve inveniebat quam integrum gomer, nempe diarium: id quod proculdubio miraculo tribuendum videbatur. Alii alium ex Hebræis, quæ in noſtra Translatione reddidimus, ſenſum erucre; nimirum, man ab omnibus collectum, & in

com-

Digitized by Google

commune comportatum, adhibita menſura diſtribuebant patresfamilias ita accurate ut nulli plus aut minus quam opus eſſent darent. S. Paulus II. Corinth. VIII. 15. hunc locum perite admodum, ad inſtitutum ſuum accommodavit, atque ita reddidit: *Qui multum, non abundavit; & qui modicum, non minoravit.*

V. 20. Et scatere coepit vermibus. Hebr. *Et verniculavit vermes*, vel *elevavit*, *extulit vermes*; id eſt, intumuit, turgeſcebat in vermes, vel vermibus.

V. 23. Requies sabbati. שבתון שבת *ſchabbaton ſchabbath* quidam reddunt, *Sabbatum*, *ſabbatum ſanctitatis Domino*; id eſt, magnum ſabbatum: geminatio enim magnitudinem, celebritatem, ſolemnitatem maiorem ſolita indicat: nimirum ſabbatum non ſimplex & ordinarium, ſed in quod & feſtum aliquod ſolemne incidat. Alii, *Requies*, *ceſſatio*, *ſabbati*. Nonnulli volunt *ſcabbaton* eſſe diminutivum, exponuntque: *ſabbatulum*, *ceſſatiuncula*, *ſabbatum ſanctitatis Domino*. Pauci e contrario *ſchabbaton* putant ſignificare *plus quam ceſſationem* aut *requiem*. Aliqui שבתון *ſchabbaton* eſſe generale nomen feſtorum, in quibus ceſſatur ab opere; שבת *ſchabbath* vero ſpeciale diei ſeptimæ, ſeu ſabbati; quaſi dicat: Feſtum *ſabbatum* ſanctum eſt Domino. Utrumque nomen ſignificat quietem, ceſſationem ab opere.

V. 29. Nullus egrediatur de loco suo, nimirum ad colligendum manna, vel ad aliquid operis ſervilis faciendum: alioqui enim mandatum erat ut exirent ad convocationem ſanctam, Levitici XXIII. 3.

V. 31. Quasi semen coriandri, album. *τὸ album* non refertur ad coriandrum, ſed ad man: aſſimilatur enim man coriandro, non colore, cum ſemina coriandri ſint nigra; ſed figura, quod man fuerint granula parvula, in modum granulorum coriandri. Vide Numeror. XI. verſ. 7. Gustusque eius: quidam intelliguut, *crudi*: quod enim coquebatur, fiebat ut coctione diverſos ſapores acquireret, pro voluntate, & guſtu coquentium, Sapientiæ XVI. 21. Quasi similae cum melle. Vox צפיחת *tzappichat* alibi non legitur in Scriptura: communiter reddunt, *placentam*, *laganum*, *cruſtulam*, *ſimilam*, *fritillam*. Quidam arbitrantur vocem eſſe peregrinam, quam alii a צפחת *tzappachat*, *ſcypho*, aut *lecytho* deducentes, a ſimilitudine *ſcyphi* appellationem habere volunt, quaſi placentam in modum *ſcyphi* confectam. Nonnulli aiunt eſſe cruſtulum oleo, & melle piſtum, & conditum. Sunt qui, haud abludente voce ab Hebræa, *epichyton* vertunt: eſt autem *epichytos* apud Athenæum Lib. XIV. cap. XIII. genus quoddam placentæ oleo, & melle conditæ, quod Nichochares refert, & Pamphilus, atque Hipponax *attanitam* vocant. Nec deſunt qui *epichyton* putent eſſe *globulos Catonis*, quos nos *Bunnuelos* vocamus. Quidam hic reddunt, *Tamquam conſperſionis cum melle*. Vide Numer. XI. 8.

V. 32. Et custodiatur in futuras retro generationes. Notant, hunc, & duos ſequentes verſus poſitos per prolepſim: facta enim ſunt hæc iam erecto tabernaculo, exſtructaque arca, ante quam aſſervabantur man, & virga Aaronis, de qua Numeror. XVII. verſ. 10. Hic enim voluiſſe Moſen totam hiſtoriam de man contexere, ut apparet infra verſ. 35. Similis prolepſis eſt I. Samuel. XVII. verſ. 54.

V. 33. Vas unum. צנצנת *tzintzenet* alibi non occurrit. Quidam vertunt *paropſidem*, *ſcutellam*, *phialam*, *urceum*, *pateram*. Alii notant, genus eſſe vaſis, cui venter eſt latus, & orificium acuminatum & ſtrictum: *urnam* vertunt. Paulus Heb. IX. 4. ſecutus LXX. ςάμνον ſeu ςάμνον reddidit; eſt autem ςάμνος *urna*, *hydria*, *amphora*: nam inter vaſa etiam vinaria cenſetur a Polluce Lib. VII. cap. XXXIII. Nec deſunt qui *vas in modum umbonis confectum* arbitrentur. Aureum fuiſſe, LXX. & Paulus diſerte affirmant. Et repone coram Domino; id eſt, in ſacrario ipſo, ſeu oraculo, aut adyto tabernaculi, ubi erat arca, ſupra quam inter Cherubinos Dei maieſtas apparebat, atque aderat.

V. 34. In tabernaculo. Hebr. *Coram teſtimonio*. Teſtimonium hic ſynecdochice, & metonymicos poni aiunt, pro arca teſtimonii, quod teſtimonium, id eſt lex, ſeu legis tabulæ, in ea eſſet repoſita. Vide infra cap. XXV. verſ. 11. & 21. Teſtimonium ſimpliciter vocatur etiam i-

V. 14. Apparuit in solitudine. Non videtur cecidiſſe manna in caſtris, quia ſordida, nec ex illis commode colligi potuiſſet. Et quasi pilo tusum. Manna erat album inſtar tritici, cui pili tunſione cortex detractus eſt.

V. 15. Dixerunt, Man hu. Hinc mannæ nomen factum.

V. 16. Gomor, eſt menſura quæ ad hominis victum per unum diem ſatis eſt: reſpondet chænici Græcorum.

V. 17. Collegerunt alius plus, alius minus. Unuſquiſque, prout illi promptum erat, vaſe aliquo ſive maiore, ſive minore, colligebat manna; quod domum relatum menſuram unius gomor implebat, ſive plus, ſive minus collectum fuiſſet. Eadem menſura viro, & puero, valido, & infirmiori qui minus cibi deſiderabat, ſufficiebat: quæ omnia divino miraculo contingebant.

V. 19. Nullus relinquat ex eo in mane. Ita præceptum ad incredulam, & importunam eorum cohibendam providentiam qui in diem ſequentem ſibi parare cibum voluiſſent.

V. 20. Scatere coepit vermibus; quod miraculo non caruit: neque enim erat mannæ natura ut ſervari non poſſet ultra unum diem, nam quod colligebant feria ſexta erat illis uſui ſabbato.

V. 21. Colligebant mane ſinguli. Ita a Domino præceptum. Quid hoc ſignificaretur docet Liber Sapient. cap. XVI. 28. *Ut notum omnibus eſſet*, inquit, *quoniam oportet prævenire ſolem ad benedictionem tuam* (ad te benedicendum, & adorandum) *& ad ortum lucis te adorare*. Cum incaluiſſet ſol, liqueſiebat. Voluit Dominus liqueſcere manna in agro, ne cæleſtis ille cibus manens in terra putreſceret, aut calcaretur, atque ita dehoneſtaretur, & vilipenderetur.

V. 22. Et narraverunt Moysi, ut ex eo cognoſcerent quorſum hoc eis fuiſſet iuſſum: neque enim adhuc Dominus declaraverat ſe ob ſabbati religionem id præſcripſiſſe, quod ſtatim Moſes explicat.

V. 31. Quasi semen coriandri album. Non eſt ſenſus, fuiſſe manna album ut ſemen coriandri (nam ſemen hoc nigrum eſt) ſed ſententia eſt, manna fuiſſe album, & figura, & quantitate ſimile ſemini coriandri. In hoc enim tantum valet ſimilitudo. Gustus eius quasi similae cum melle. Hic ſapor ipſi mannæ erat quaſi congenitus, & naturalis; & ita ſapiebat ſi comedens nullum alium cibum deſideraret: ſi enim ipſe aliud quid deſideraret, mox id manna ſapiebat; quod diſerte dicitur in Lib. Sapientiæ cap. XVI. num. 20. Idque non tantum piis, ut quidam tradunt, ſed etiam impiis accidebat, quæ verior eſt ſententia.

V. 33. Coram Domino, coram tabernaculo, & arca cum fuerit ædificata. Posuitque illud Aaron in tabernaculo aſſervandum. Hoc dicitur per prolepſim: nam poſt tabernaculum factum eſt, & in eo aſſervatum manna.

TIRINI.

Verſ. 9. Accedite coram Domino; id eſt, convenite ad tabernaculum, ubi Deus publice colebatur, & quo omnes ſtatis temporibus convenire ſolebant religionis, & precationis cauſa. Nam tale aliquod tabernaculum fuiſſe in caſtris iam inde ab initio, etiam ante quam extaret illud maius quod paulo poſt, Deo ex Sinai iubente, conſtructum fuit, patet ex cap. XXXIII. verſ. 7. & ſequ. Super hoc tabernaculo, cum Deus Moyſi loqui vellet, apparebat *gloria Domini in nube*; id eſt, ex nube admodum lucida & ſplendida emicabat gloria & potentia divina, obumbrans veroſimiliter Moyſen illic orantem.

V. 14. Quasi pilo tusum, id eſt quaſi in mortariolo in minuta grana redactum, & decorticatum: ita Chaldæus; LXX. *quaſi cryſtallus*, quia erat colore albicante *a*, & inſtar pruinæ, ut hic *b* dicitur, concretæ & conglaciatæ. Numerorum tamen undecimo dicitur fuiſſe coloris bdellii, hoc eſt albi ad flavedinem tendentis. Forte ſplendor albedini adiunctus flavum ex parte apparere faciebat: licet etiam, teſte Franciſco Valeſio *c*, manna reperiatur nonnihil revera flaveſcens.

Petes, an cæleſte illud manna fuerit eiuſdem ſpeciei cum noſtro manna vulgari, quod in monte Libano *d*, & in Ara-

bia *e* paſſim. & etiam in Calabria *f* colligi ſoleret? Reſpondeo, quo ad ſubſtantiam videri fuiſſe eiuſdem ſpeciei. Ita Franciſcus Valeſius, Lemnius, & Conimbricenſes *g*. Sed accidentariis præcellentiis longe nobilius erat noſtro: nam (ut de quantitate taceam, quæ vicies, aut tricies centenis hominum millibus quotidie paſcendis ſufficeret) præter morem vulgaris mannæ, quod ſolis diebus æſtivis, ſerenis, & rorulentis generatur; iſtud Moyſis manna quotidie depluebat, tam hieme, quam æſtate, idque totis quadraginta annis, ſolis ſabbatis exceptis: ſed tunc pridie, ſcilicet die veneris, duplum depluebat, quantum nempe biduo nutriendis omnibus neceſſum & ſatis eſſet. Secundo, manna Moyſis aſſervatum in alterum hebdomadæ diem quam ſabbatum, putreſcebat, Angelo materiam diſſolvente, cum tamen natura ſua poſſet diutius aſſervari. Tertio, ſole liqueſcebat quod in agro remanſerat; cum quod in vaſis collectum erat, uſque eo durum eſſet ut & pilo & mola tunderetur, nec igne liqueſceret, ſed in tortulas formaretur, Num. xi. verſ. 8. Quarto, æquali apud omnes menſura *gomor* (ſcilicet quæ cuivis, etiam edaciori ſtomacho ſufficeret) collectum domi reperiebatur, quantumcumque quis ex agro ſeu plus ſeu minus corraſiſſet. Quinto, ſapore erat præſtantiſſimo: nam præter melleum qui mannæ congenitus eſt, ad vitandam nauſeam indiderat Deus ſupra naturam illi omnem ſaporem quem comedentium quiſque optabat. Ita Sapient. xvi. verſ. 20. & 21. Unde & ibidem cap. xix. verſ. 20. in Græco manna vocatur ambroſia, quæ ob delicias a poetis fingitur eſſe cibus deorum, & ferculum immortalitatis. Ita Abulenſis, Hugo Cardinalis, & alii. Sed hoc non murmuratoribus, aut dyſcolis, qui nauſeabant *ſuper cibo iſto leviſſimo*, Num. xi. ſed ſolis filiis Dei, ſeu iuſtis, privilegium conceſſum erat, inquit S. Auguſtinus. Qui & allegorice hæc omnia applicat venerabili Euchariſtiæ. Tropologice S. Gregorius gratiæ, & conſolationi divinæ. Anagogice uterque deliciis beatorum, ut etiam inſinuatur Apocal. ii. verſ. 17. Vide etiam Cyrillum, Chryſoſtomum, Theophylactum & Rupertum. Non tamen ideo manna iſtud *Panis cæli*, & *Panis angelorum* vocatur, quaſi eo veſcerentur & Angeli; ſed quia ope Angelorum ex vicino aere, qui nomine *cæli* intelligitur, quotidie producebatur: vel per catachreſin, *Panis angelorum*, id eſt panis optimus, & Angelis dignus. Simile manna ſimili miraculo poſt Chriſti tempora, Honorio & Theodoſio imperatoribus, in inſulis Balearibus depluit rurſum Deus in gratiam Iudæorum qui tum plurimi ad fidem Chriſti accedebant. Et alias iterum eoſdem manna pavit aliquamdiu decem illa martyrum millia. de quibus Serarius noſter cap. iii. in Ioſue qu. xxxvii.

(*a*) Hic verſ. 31.
(*b*) Verſ. 14.
(*c*) Valeſ. Supra cap. lvii.
(*d*) Galenus Lib. III. de Alimentis.
(*e*) Ioſephus ſupra cap. 1.
(*f*) Matthiolus in Dioſcoridem Lib. I. cap. lxxiii.
(*g*) Lemnius de Herbis Biblicis cap. iii. Conimbric. tract. vii. in Meteor.
(*h*) Baron. v. tom. V. ex Severo Epiſcopo Minoricenſi.

GORDONI.

Verſ. 1. **V**ENIT ..... IN DESERTUM SIN. Eſt octava manſio inter mare rubrum & montem Sinai. Non venerunt immediate de Elim in deſertum Sin: præterit enim unam manſionem. Vide citatum Hieron. ad Fabiolam de 40. manſionibus. Plures fuerunt manſiones in deſerto Sin, ſed in diverſis partibus illius deſerti, ex Hieron. citato. Vide de hoc deſerto Num. xx. verſ. 1. *Sin* Hebr. eſt סין Ceterum hic dies decimus quintus ſecundi menſis eſt trigeſimus ab egreſſu.

V. 2. ET MURMURAVIT. Certe quod conſumtis azymis, deficeret farina ſubacta, ac proinde deeſſet panis. Iam ergo de manna: & panis vocatur verſ. 4.

V. 4. QUAE SUFFICIUNT. Heb. *Verbum diei in die ſuo*. En verbum pro alimento.

V. 9. ACCEDITE. Accedere iubentur ram Domino: nam ex cap. xxxiii. verſ. 7. colligi videtur, fuiſſe illis locum orandi ad ſpeciem tabernaculi, ante extructum tabernaculum fœderis.

V. 13. FACTUM EST. Deus bis tantum in deſerto ſubmiſit populo coturnices; hic nempe, & Num. cap. xi. at manna quotidie dabatur. MANE QUOQUE ROS

IA-

IACUIT. Erat manna inſtar roris mелliti, ſed concreti, ut putant ſcriptores; & decidens in modum pruinæ. De vario uſu mannæ ad eſum, habes Num. cap. XI. verſ. 8. Variis in locis colligi manna conſtat: quod nunc dicitur vulgare, eſt purgativum. An vero hoc vulgare ſit ſpeciei eiuſdem cum Iſraelitico, diſputant Conimbricenſes in Meteor. tract. VII. cap. I. & alii. Sed de ſapore mannæ Iſraeliticæ, & ſimilibus, vide Sap. XVI. verſ. 20. & 21. De nomine Hebraico dicam verſ. 15.

V. 14. APPARUIT IN SOLITUDINE MINUTUM: nempe manna, non in caſtris, ut ſordida erant, ſed extra caſtra in deſerto pluebat. Simile erat rori, & cryſtallinis guttis, conglobatis in formam ſeminis coriandri. Septuag. ὡσεὶ κόριον λευκὸν, *minutum*. Hieronymus ponit *pilo tuſum*.

V. 15. QUOD CUM VIDISSENT &c. מנהוא, *manhu*. Septuag. τί ἐστι τοῦτο. Interpres addit, *quod ſignificat*. Dicet aliquis, Hebræis notam interrogandi eſſe מה *mahu*, quid hoc? Non autem *man*, vel *manna*: verum, eſt familiare Hebræis Nun paragogicum adhiberi. Vide radicem מנה. Et verſ. 31. מנא Chaldaicum eſt. Fruſtra plura de hac voce. Manna Polonicum huic Hebræorum manna perſimile eſt; ſed Hebraicum tam verno, quam alio tempore colligebatur, nec ceſſavit per 40. annos. Vide Levit. XIV. 10.

V. 16. GOMOR PER SINGULA CAPITA. Menſuram ponit, de qua verſ. 36.

V. 17. ALIUS PLUS, ALIUS MINUS: nempe prout aliquis plura, vel pauciora capita habebat in familia, ac demum in colligendo fuerit inæqualitas: tamen fiebat tandem domi ut nulli quod ſufficeret deeſſet, Deo ſupplente quod ad iuſtam menſuram pertinebat; certe Angelis ſubducentibus, vel addentibus quod requirebatur ad explendum gomor. Atque ita quando fiebat menſuratio domi, tot gomor reperiebantur quot erant capita. Ex hac porro ſic domi menſurata manna, potuit quidem aliquid ſupereſſe non comeſtum; ſed non debebat reſervari in craſtinum.

V. 18. ET MENSI SUNT. Gomor menſura eſt, & decima pars Ephi, ut habet hic verſ. *36*. Vide quæ de hoc dicta ſunt Gen. cap. XVIII. verſ. *6*.

V. 31. QUASI SIMILAE CUM MELLE, quaſi lagana frixa, & melle condita.

V. 33. SUME VAS. Servandum hoc vas ex verſ. *32*. iubetur hic recondi in tabernaculo. Vide quæ dixi verſ. *9*. Certe ponendum hoc vas, & conſervandum in tabernaculo Fœderis, quod & teſtamenti, & Moſaicum vocatur, multi docent. Et forte interim dum illud extruetur, uſus eſt Moſes illo tabernaculo de quo verſ. *9*.

V. 35. FILII. Vide ſenſuum huius verculi Ioſue V. verſ. 12.

V. 36. GOMOR, decima pars ephi: & ephi tria ſata continebat.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 1. Omiſſa ſeptima ſtatione, ponitur hic octava.

V. 4. UT TENTEM, ut apparere faciam.

V. 5. DIE SEXTO, veneris, paraſceve a parando tunc cibo in ſabbatum.

V. 20. SCATERE COEPIT. Hoc habebat miraculum: nam manna potuiſſet ſervari integra. An non a feria ſexta ſervabatur in ſabbatum?

CA-

CAPUT XVII.

Rurſum murmurantibus in Raphidim pro aqua filiis Iſrael, dat Dominus aquam de petra: & in monte Moyſe extenſis manibus orante, vincunt ipſi Amalecitas.

1 IGitur profecta omnis multitudo filiorum Iſrael de deſerto Sin
per manſiones ſuas, iuxta ſermonem Domini, caſtrametati
ſunt in Raphidim, ubi non erat aqua ad bibendum populo.
2. (*a*) Qui iurgatus contra Moyſen, ait: Da nobis aquam, ut bibamus. Quibus reſpondit Moyſes: Quid iurgamini contra me? cur tentatis Dominum?
3. Sitivit ergo ibi
populus præ aquæ penuria, & murmuravit contra Moyſen,
dicens: Cur feciſti nos exire de Ægypto, ut occideres nos, & liberos noſtros,
ac iumenta ſiti?
4. Clamavit autem Moyſes ad Dominum, dicens: Quid faciam
populo huic? adhuc paululum, & lapidabit me.
5. Et ait Dominus ad Moyſen: Antecede populum, & ſume tecum de ſenioribus Iſrael: & virgam qua (*b*)
percuſſiſti fluvium, tolle in manu tua, & vade.
6. En ego ſtabo ibi coram te,
ſupra petram Horeb: percutieſque petram, & exibit ex ea aqua, ut bibat populus. Fecit Moyſes ita coram ſenioribus Iſrael:
7. & vocavit nomen loci illius,
Tentatio, propter iurgium filiorum Iſrael, & quia tentaverunt Dominum, dicentes: Eſt ne Dominus in nobis, an non?
8. (*c*) *Venit autem Amalec, & pugnabat contra Iſrael in Raphidim.
9. Dixitque Moyſes ad Ioſue: Elige viros: &
egreſſus, pugna contra Amalec: cras ego ſtabo in vertice collis, habens virgam
Dei in manu mea.
10. Fecit Ioſue ut locutus erat Moyſes, & pugnavit contra
Amalec: Moyſes autem & Aaron & Hur aſcenderunt ſuper verticem collis.
11. Cumque levaret Moyſes manus, vincebat Iſrael: ſin autem paululum remiſiſſet,
ſuperabat Amalec.
12. Manus autem Moyſi erant graves: ſumentes igitur lapidem,
poſuerunt ſubter eum, in quo ſedit: Aaron autem & Hur ſuſtentabant manus eius ex utraque parte. Et factum eſt ut manus illius non laſſarentur uſque ad occaſum ſolis.
13. Fugavitque Ioſue Amalec, & populum eius in ore gladii.
14. Dixit autem Dominus ad Moyſen: Scribe hoc ob monimentum in libro, & trade auribus Ioſue: delebo enim memoriam Amalec ſub cælo.
15. Ædificavitque
Moyſes altare: & vocavit nomen eius, Dominus exaltatio mea, dicens:
16. *Quia
manus ſolii Domini, & bellum Domini erit contra Amalec, a generatione in
generationem.

(*a*) Num. xx. 4. (*b*) Supr. xiv. 20. Pſal. lxxvii. 15. I. Corinth. x. 4. (*c*) Iudith iv. 12. Sap. xi. 3. Deuteron. xxv. 17.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 8. *Venit autem Amalec*, Non addas *ad pugnam*.

V. 16. *Quia manus ſolii Domini*. Caves mutes *ſolii*, quod eſt throni, cum *ſolius*.

COM-

Digitized by Google

COMMENTARIA

SA.

Verſ. 10. HUR. Hic dicitur fuiſſe Mariæ ſororis Moyſis vir.

V. 11. REMISISSET, id eſt demiſiſset.

V. 13. FUGAVITQUE. Hebr. *Debilitavit*, vel *contrivit*. Chald. *contrivit*. LXX. *fugavit*. POPULUM, ſcilicet qui ei auxilio venerat, & non erat Amalecites: vel quaſi dicat, & duces, & milites omnes fugavit. ORE, id eſt acie.

V. 14. TRADE, id eſt commenda, inculca.

V. 16. SOLII. Hebr. *ſuper ſolium*; quaſi dicat: Iuravit Dominus per ſolium ſuum, futurum bellum, &c. A GENERATIONE, &c. id eſt per omnes ætates, ſeu ſemper.

ESTII.

Verſ. 6. EN EGO STABO IBI CORAM TE, SUPRA PETRAM HOREB: PERCUTIESQUE PETRAM, ET EXIBIT EX EA AQUA. Simile miraculum narratur Num. cap. XX. atque adeo Oleaſter putat unum idemque eſſe; ſed omnino diverſum eſt: hoc enim contigit in Raphidim anno primo poſt egreſſum ex AEgypto; illud vero Num. cap. XX. in deſerto Sin apud Cades, ſub initium anni quadrageſimi poſt exitum ex AEgypto. Accedit quod ibidem Num. cap. XX. murmurantes dicunt: *Utinam periiſſemus inter fratres noſtros coram Domino*; quod hoc loco Exodi cap. XVII. dicere nondum poſſunt, quando populus nulla adhuc plaga percuſſus eſt a Domino. Movetur Oleaſter eo argumento, quoniam qui in libro Numer. ob aquæ penuriam murmurarunt, erant ex iis qui egreſſi fuerant ex AEgypto: dicunt enim: *Quare nos feciſtis aſcendere de AEgypto?* *Atqui*, inquit, *quadrageſimo poſt egreſſionem anno nulli eorum qui de AEgypto aſcenderant, ſuperſtites erant, præter Moyſem, Aaron, Ioſue, & Caleb*. Sed facile reſpondetur. Quod enim allegat Oleaſter, de iis tantum intelligendum eſt qui tempore egreſſionis ſuperarant vigeſimum ætatis annum, & non de aliis: ſic enim clare loquitur Scriptura Num. XIV. 29. 30. *In ſolitudine hac iacebunt cadavera veſtra. Omnes qui numerati eſtis a viginti annis & ſupra, & murmuraſtis contra me, non intrabitis terram ſuper quam levavi manum meam ut habitare vos facerem, præter Caleb filium Iephone, & Ioſue filium Nun*. Supererant ergo Numer. cap. XX. plurimi qui egreſſi erant ex AEgypto; ſed nondum, cum populus recenſeretur (de quo Num. cap. I.) attigerant annum ætatis vigeſimum: atque hi, ſcilicet murmurantes, dicunt Num. XX. *Quare nos feciſtis aſcendere de AEgypto?* Denique & Apoſtolus I. Corinth. X. non de utraque petræ percuſſione agit (quod idem Oleaſter aſſerit, faciens utramque unam) ſed de illa potiſſimum de qua hic narratur. Vide, ſi placet, noſtra ad eumdem Apoſtoli locum.

V. 14. SCRIBE HOC OB MONIMENTUM IN LIBRO. Hic primum ſcriptionis, & libri fit mentio; tametſi Moyſem non primum ſcribendi auctorem fuiſſe, vel inde conſtat quod Enoch, teſte Iuda Apoſtolo, prophetiam poſt ſe reliquerit, utique ſcriptam: neque enim ſine ſcriptione conſervari potuiſſet.

V. 16. QUIA MANUS SOLII DOMINI. Ita recte ſubſtantivum *ſolii*, id eſt tribunalis, pro adiectivo *ſolius*. Ita enim habent omnia Mss. & conſentiunt Hebræa, quæ habent *Super thronum Domini*.

MARIANAE.

Verſ. 3. SITIVIT ERGO IBI POPULUS PRAE AQUAE PENURIA. Hebr. *Sitivit ibi populus ad aquas*, id eſt propter aquas, quod Hier. intellexit *propter aquæ penuriam*. Sept. *Sitivit populus aquam*; ſed verbum *ſitiendi*, præſertim Hebraice, intranſitivum puto.

V. 5. QUA PERCUSSISTI FLUVIUM: ſic vocat Mare rubrum ob eius anguſtiam; aut Nilum, quod ante non ſemel inter plagas illum percuſſit Moyſes virga.

V. 10. MOYSES AUTEM ET AARON ET HUR. *Hur* putat Ioſephus ſororium fuiſſe Moyſis, maritum Mariæ.

V. 12.

V. 12. ET FACTUM EST UT MANUS ILLIUS NON LASSARENTUR. Hebr. *Et factum eſt, manus eius conſtantia*, id eſt conſtantes fuere, *uſque ad occaſum ſolis*.

V. 13. FUGAVITQUE IOSUE. Id ex Septuag. ſumſit Hieron. alioqui Chald. *contrivit* expoſuit: idque verbo Hebraico חלש *balas* ſignificari contendunt Hebræi.

V. 15. DOMINUS EXALTATIO MEA. Quidam vertunt *vexillum meum*, quidam *miraculum meum*; ſic vocans *altare* propter miraculum aquæ, quod contigit: hoc ſecutus eſt Chald. at Sept. *Dominus refugium meum*.

V. 16. QUIA MANUS SOLII DOMINI, ET BELLUM, &c. Formam potius iurandi continent Hebraica verba: *Quia manus* (ſupple mea, vel Dei) *ſuper thronum Domini*; *bellum Domino* (ſupple erit) *contra Amalec a generatione in generationem*, hoc eſt perpetuo: & poteſt eſſe aut Dei iuramentum, aut Moyſis, quod magis credebam. Iuſtæ indignationis cauſam habes Deut. XXV. Gotthicus *Quia manus ſolius Domini* habet.

MALVENDAE.

Verſ. 1. PER MANSIONES SUAS; nimirum, a deſerto Sin in Daphkah, & a Daphkah in Alus, ab Alus in Rephidim; de qua hoc verſu. Itaque omiſſæ ſunt hic duæ ſtationes, nempe Daphkah, & Alus: forte quia nihil memorabile aut dignum, quod proderetur, in eis geſtum, quæ tamen expreſſæ ſunt Num. XXXIII. verſ. 11. & 12. Euſebius, & S. Hieronymus in locis Hebraicis: *Raphidim* (פרידים) *locus in deſerto, iuxta montem Horeb: in quo de petra fluxerunt aquæ, cognominatuſque eſt Tentatio: ubi & Ieſus adverſus Amalek dimicat prope Pharan*. De vocis notione multa S. Hieronymus in XI. manſione. Forte dictus locus a ſtratis pecorum & armentorum, quod ibi multum ſtramen, fenum, aut paleæ eſſent.

V. 2. CUR TENTATIS DOMINUM? Heb. *Quid elevatis Dominum?* ſeu *quid maiora & altiora a Domino affectatis, petitis, exigitis?* Quid vultis experiri, aut periculum facere de Deo? Quidam exponunt: Quid veſtra incredulitate Deum provocatis, ut vobis edat potentiæ ſuæ, præſentiæque ſuæ ſigna? Sic explicatur infra verſ. 7.

V. 4. ADHUC PAULULUM ET LAPIDABIT ME; id eſt, parum abeſt ut me lapidibus obruant. Alii: *Si res paulo magis proceſſerit, proculdubio lapidabunt me*. Aliter: *Si adhuc pauliſper differas eis conſulere*, metuendum eſt, *ne vocer ab illis in diſcrimen vitæ*.

V. 5. ANTECEDE POPULUM. Heb. *Tranſi ad facies populi*. Quidam hoc confidentiæ eſſe volunt; quaſi dicat: Tuto ac ſecure te eorum faciebus ſiſte: neque enim me protegente, pilum lædere audebunt. Noſter, & alii: *Præi, præcede populum*. Nonnulli exponunt: *Caſtra moveant Chorebum verſus, & tu eis præcedas cum ſenioribus*.

V. 7. TENTATIO. Heb. מסה *maſſah*, id eſt *levatio, elevatio, experimentum, tentatio, probatio*. IURGIUM. מריבה *meribah, lis, litigium, contentio, rixa*.

V. 8. VENIT AUTEM AMALEC. Ex ſitu locorum conſtat Amalecitas propinquos fuiſſe ſtationi Raphidim, atque a tergo, & a latere dextro adortos fuiſſe Iſraelitas. Vide quæ de ſitu Amalecitis regionis notavimus Geneſ. XIV. verſ. 7. Huius prælii Amalecitarum meminit Moſes Deuteronomii XXV. verſ. 17. 18.

V. 11. CUMQUE LEVARET MOYSES MANUS. Quidam intelligunt, elevaſſe manus ſuas cum baculo, ſeu haſta, ut ſolent vexilliferi: nam tum Moſem baculum, ſeu virgam illam ſuam thaumaturgam, habuiſſe in manu, diſerte dicitur ſupra verſ. 9. Alii volunt ſuſtuliſſe manus ſuas in oratione ad Deum.

V. 12. ERANT GRAVES: nimirum cum alternis baculum tenerent, gravabantur, & laſſitudine demittebantur.

V. 13. FUGAVITQUE. Verbum חלש *chalaſch* varie interpretantur: *Et fregit, contrivit, domuit, deiecit, ſubiecit, infirmavit, delaſſavit*. ET POPULUM EIUS. Quidam accipiunt copias alias auxiliares, & confœderatas, quæ Amalecitis auxilio venerant. Niſi velimus Amalec intelligi regem, ac proceres; & populum eius, reliquum vulgus.

V. 14. IN LIBRO: quidam, bellorum Domini, vel legis: alii, in tuis commentariis de rebus iſtis, ut infra cap. XXXIV. 27 & Deuteronomii XXXI. verſ. 9. & 22.

V. 15.

Verſ. 15. DOMINUS EXALTATIO MEA. יְהוָה נִסִּי *Iehovah niſſi*, varie convertunt. I. *Dominus vexillum meum*; id eſt, ſub cuius vexillo, & præſidio vicimus Amalek. II. *Domini, vexilli mei*; id eſt, hæc ara eſt Iehovæ, qui per me populo ſuo in conflictu iſto vexillum erexit, & perpetuo eriget; ut alludat ad ſublatum baculum, ſeu virgam, inſtar haſtæ & vexilli, verſ. 11. III. *Dominus ſignum meum*. IV. *Dominus miraculum meum*: quia miraculo, & ope divina tanta victoria parta fuit. V. *Dominus trophæum meum*; quaſi devictis Amalekitis, ſtatuerit Moſes altare illud tamquam trophæum victoriæ. VI. *Dominus elevatio, exaltatio mea*: quia memorabili illo prælio ac victoria extulit Deus nomen, vires, famam Iſraelitarum, ſupra hoſtes ſuos, & effecit ut aliis gentibus eſſent terrori, & admirationi.

V. 16. QUIA MANUS SOLII DOMINI, ET BELLUM DOMINI ERIT CONTRA AMALEC. Hebr. ex verbo: *Quia manus ſuper thronum Iah: bellum ipſi* IHUH *in Ghamalek &c.* Quidam eclipticam putant orationem, atque ſic complent: *Quia manus Hamaleki fuit contra ſolium Iah, bellum Iehovæ in Hamalekum erit de ætate in ætatem*; id eſt, quia tam impie proterveque ſe geſſit Amalek, tamquam ſolium Dei ſubruiturus cum populo eius violentia ſua: & quamvis non provocatus non potuit conquieſcere, quin populum Dei perſequeretur indigniſſime, & aciem eius extremam infeſtaret: & quidem eo tempore, quo populus ad ſpectandam Dei gloriam erat convocatus, idcirco bellum irreconciliabile huic genti denuntiat Deus, & populo ſuo inimicitias æternas imperat, Deuteronom. xxv. verſ. 17. 18. 19. Alii verba traiecta, & ordinem inverſum eſſe aiunt: *Quia manus ſuper thronum Domini*; pro, quia manus Domini ſuper thronum; id eſt, iuravit Dominus per ſolium ſuum, quod eſt cælum, ſtabile & firmum ſibi futurum eſſe bellum cum Amalek per omnes ætates, & in ſempiternum. Nonnulli reddunt: *Et Dixit*, ſublata *manu ſuper ſolium Dei*: Iuro, *quod prælium Domino* futurum ſit *contra Amalek*, *per omnia ſæcula*. Nonnulli: *Quia manus cum vexillo erit extenta ſuper ſolium Domini, ut faciat bellum cum Amalek a generatione in generationem, donec memoria eius deleatur*. Dilucidius: Deus in ipſo ſolio maieſtatis ſedens, manum exertam habet, erectumque vexillum ad pugnandum contra Amalekitas in ſempiternum. *Manus* interdum in Scriptura ponitur pro *ſtatua*, *monumento*, *columna*, ſeu *arcu triumphali*, aut *trophæo*. I. Samuel. xv. verſ. 12. *Nuntiatum eſt Samueli, eo quod veniſſet Saul in Carmelum, & erexiſſet ſibi fornicem triumphalem*, Hebr. *manum*, ubi alii trophæum interpretantur: neque hic male convenit: Quia manus, id eſt monumentum, columna, ſtatua, fornix, trophæum, erit hæc arca, quaſi thronus & ſolium Dei conſtituta, quod æternum Domino bellum erit adverſus Amalekitas.

MENOCHII.

Verſ. 1. PER MANSIONES SUAS, per ſtationes, quas omnes enumerare Moſi animus non fuit. IN RAPHIDIM. Undecima hæc manſio fuit, iuxta montem Sinai, in qua petra dedit aquas, & victus eſt Amalec. Hic locus dictus quoque eſt *Maſſa*, id eſt tentatio, ex tentatione, & murmure Hebræorum n. 7.

V. 2. CUR TENTATIS DOMINUM? Miraculo enim diſcere volebant an adeſſet illis Dominus: dicebant enim Moſi: *Eſtne Dominus in nobis, an non?* ut patet n. 7.

V. 5. QUA PERCUSSISTI FLUVIUM, Nilum per manus Aaronis cap. VII. num. 20. Alii per fluvium intelligunt Mare rubrum. Sane Homerus mare alicubi flumen vocat. Odyſſ. μ. initio *αὐτὰρ ἐπεὶ ποταμοῖο λίπεν ῥόον ὠκεανοῖο*, &c.

V. 6. EGO STABO ... SUPER PETRAM HOREB: ſtabo in columna nubis, quam defigam ſupra petram Horeb, & ex ea aquam educam. Horeb eſt Sinai. Erat ergo petra in deſerto Sinai; vicinior tamen Raphidim, quam monti Sinai.

V. 7. VOCAVIT NOMEN LOCI ILLIUS TENTATIO. Hebr. *Tentatio*, & *contentio*, ſive *iurgium*.

V. 8. AMALEC, Amalecitæ, qui ex Eſau prognati odium parentis fovebant contra Iſraelitas Iacobi filios.

V. 11. CUMQUE LEVARET MANUS MOYSES VINCEBAT ISRAEL. Hoc ſymbolo ſignificabat Deus victoriam Domino adſcribendam, non imbelli turbæ He-

bræorum. Moſes extenſis brachiis typus fuit Chriſti crucifixi,

V. 12. MANUS MOYSI ERANT GRAVES: iam enim ſeneſcebat, & diuturna extenſione in altum magis gravabantur.

V. 13. FUGAVITQUE IOSUE AMALEC. Hebr. ſignificat debilitavit, deiecit, proſtravit, profligavit. IN ORE GLADII, in acie gladii: unde gladius biceps dicitur *δίςομος*, quaſi habens duo ora, quibus vulneratos abſumat,

V. 14. SCRIBE HOC OB MONIMENTUM; quaſi dicat, ſcribe in Chronicis, in annalibus. ET TRADE AURIBUS IOSUE. Indica Ioſue, ut ipſe ſequentibus ſe populi ducibus, & iudicibus, & illi aliis deinceps Dei decretum quaſi per manus tradant de peragenda vindicta, & delendo Amalec, DELEBO MEMORIAM AMALEC SUB CAELO. Tulit Deus tam ſeveram ſententiam in Amalecitas, eo quod tam immani bello appetiiſſent innoxios, & vacillantes Hebræos, & a Dei ductu in Chanaan, quantum in ipſis erat, abſterruiſſent, quodque, ut dicitur Deuter. xxv. 18. extremos agminis laſſos, & fame, laboreque confectos cecidiſſent.

V. 15. VOCAVIT NOMEN EIUS, DOMIMUS EXALTATIO MEA; ex Hebræo etiam verti poteſt *Dominus vexillum meum*; quaſi diceret; Dominus dux meus, & vexillum meum, ipſum ſecutus victoriam reportavi. Verti etiam poteſt, *Dominus miraculum meum*, quia in mei, & populi huius gratiam tot miracula patravit.

V. 16. QUIA MANUS SOLII DOMINI, &c. Chaldæus huius loci ſenſum clare expreſſit ſua paraphraſi: *Cum iuramento dictum eſt hoc a facie terribilis, cuius maieſtas eſt ſuper ſolium gloriæ, ut committatur prælium a facie Domini contra viros domus Amalec, ut conſumat eos a generationibus ſæculi*. In Hebræo eſt, *Quia manus ſuper ſolium Domini eſt*, manus ſcilicet Domini iurantis per ſolium ſuum, bellum fore perpetuum contra Amalecitas.

TIRINI.

Verſ. 11. CUMQUE LEVARET MOYSIS MANUS, ſcilicet in cælum ad Deum; ſupple, cum ferventi prece, & contentione animi. Oleaſter, & Caietanus volunt Moyſen ita elevaſſe manus ut eas invicem coniungeret, & inter utramque tenuiſſe virgam Dei, id eſt illam thaumaturgam qua ope Dei patrabantur tot miracula. Sed Iuſtinus *a*, Tertullianus, & Proſper dicunt, expandiſſe utrimque manus in formam crucis. At primo ſic ſtantem oraſſe vult S. Chryſoſtomus, Hugo de S. Victore, & Seranus *b*: deinde cum graves fierent manus, id eſt cum diuturna expanſione gravarentur, & præ laſſitudine ſubſiderent, ſaxo impoſitum ſediſſe, atque ita brachia ſedentis commode ab Aarone & Hur ſuſtentari potuiſſe. Hoc vero publico ſymbolo proteſtabatur Moyſes ſe non ab imbelli ſuorum turba, ſed cælitus a Deo ſperare & orare victoriam. Dicit Ioſephus, ex Hebræis eo bello ne vel unum cecidiſſe, Sed hoc veriſimile non videtur: cum hic expreſſe dicatur, Moyſe remittente manus, ſuperaſſe Amalec Hebræos; quod inſinuat, ſaltem aliquot ex Hebræis cæſos fuiſſe. Narrat Baronius *c* ex Niceta Choniata ſimiles victorias complures ex Scythis retuliſſe Calo-Ioannem Alexii Comneni filium in Oriente Imperatorem, cum ſimili brachiorum expanſione Deum exoraret. Narrat & Pater du Iarric, pauculos Luſitanos in Africa duodecies centena millia Angolanorum incredibili celeritate fudiſſe fugaſſeque, cum Pater Barreira e Societate Ieſu manus ex urbis vicinæ mœnibus inſtar Moyſis, ad cælum protenderet, non niſi pauculis ſuorum amiſſis, qui, dum idem Pater manus non nihil remiſiſſet, proſtrati fuerant.

V. 14. SCRIBE HOC OB MONIMENTUM, hoc eſt in memoriam perpetuam, ET TRADE AURIBUS IOSUE, ſeu refer & indica Ioſue reliquorum bellorum duci futuro. Refer, inquam, quod ſequitur, nempe delendam MEMORIAM AMALEC SUB CAELO: unde verſu ult. additur: *Quia manus ſolii Domini*, id eſt potentia ſeu virtus divina, a ſolio maieſtatis eius protenſa, *& bellum Domini*, id eſt bellum *d* ſæviſſimum crudeliſſimumque, *erit* perpetuo Hebræis cum Amalecitis. Ita Lyranus & Dionyſius Carthuſianus. Cuius eiuſdem rei præceptum Iſraelitis datur Deut. xxv. verſ. 17. Exterminati vero ſunt de facto a Saule I. Reg. xv. cum, iubente Deo, internecione deleti ſunt Amalecitæ. Erant hi oriundi, & denominati ab Amalec nepote Eſau Geneſ. xxxvi.

xxxvi. verſ. 12. & I. Par. 1. verſ. 36. Cauſæ belli erant vetus odium poſterorum Eſau in poſteros Iacobi, quodque ob ereptam olim primogenituræ prærogativam, ab illis ſibi metuerent. Tropologice, egreſſis ex AEgypto vitiorum occurrent Amalecitæ, ſeu hoſtium, & rentationum omne genus: ſed virtute crucis Chriſti omnia facillime diſſipantur.

(a) Iuſt. contra Tryphonem.
(b) Serarius Lib. I. Ioſue cap. III. q. 12.
(c) Baron. tom. XII. ad annum Chriſti 1123. Iarric in hiſt. Indic.
(d) Geneſ. x. verſ. 8. & cap. xxxi. verſ. 15.

GORDONI.

Verſ. 5. VIRGAM QUA PERCUSSISTI FLUVIUM. Nempe hac virga Nilum percuſſit Aaron imperio Moſis; aut Mare rubrum, ſi fluvius hic vocatur.

V. 6. EN EGO. Hæc fuit prima aquæ eductio e petra in loco hic deſcripto, & anno primo peregrinationis. Ergo diverſa ab illa quæ deſcribitur Numer. 11. in Cades, & anno 40. peregrinationis, ubi numeratur manſio 33.

V. 8. VENIT AUTEM AMALEC. Vincitur a Ioſue in Raphidim. Eſt hic ex progenie Eſau, Gen. xxxvi. verſ. 16. Regio vero in deſerto ad meridiem Iudæ. De cauſa belli divinandum eſt an ex veteri odio præreptæ primogenituræ. Hos delebit poſtea Saul I. Reg. xv. Deo iubente. Amalecitæ ab Amalec nepote Eſau, ex Geneſ. xxxvi. verſ. 12.

V. 10. HUR, putatur ab aliquibus ſororius Moſis, & maritus Mariæ. Ita Ioſephus. Fuit autem una cum Aarone conſtitutus iudex populi, abſente Moſe.

V. 12. NON LASSARENTUR. Heb. *Manus eius fuerunt conſtantia*, id eſt conſtantes.

V. 13. FUGAVITQUE. At quibus armis pugnabant Iſraelitæ? Sane tum exportatis ex AEgypto, tum armis repertis ex ſtrage AEgyptiorum,

V. 14. Iubet Deus ſcribi rem hanc geſtam, & forte in hoc ipſo Exodi libro. Delenda dicitur natio hæc, & factum eſt per Saulem I. Reg. xv.

V. 15. AEDIFICAVITQUE. Erectum altare pro trophæo inſcribitur. יהוה נסי, *niſſi*. Aliqui vertunt, *Dominus vexillum meum*. נסס, *vexillum*. Et decernitur in Amalec deinceps bellum.

V. 16. MANUS SOLII. Hebr. *ſuper ſolium*; ac ſi diceret: Iuravit Dominus per ſolium ſuum, futurum bellum.

Ex Eiusdem Auctario.

V. 5. PERCUSSISTI FLUVIUM, Mare rubrum. Aliqui hoc referunt ad cap. vii. verſ. 20. de percuſſo Nilo per Aaronem.

V. 6. HOREB, Petra in deſerto Sinai.

V. 14. TRADE AURIBUS: dic hoc Ioſue, ut per eum & inſequentes duces caſtigetur Amalec.

C A P U T XVIII.

Iethro ſocer Moyſi uxorem cum filiis ad eum reduxit: & auditis Dei operibus, cum Domino ſacrificaſſet, ſanum conſilium Moyſi dedit in conſtituendis iudiciorum magiſtratibus.

1 CUmque audiſſet Iethro, ſacerdos Madian, cognatus Moyſi, omnia quæ fecerat Deus Moyſi, & Iſraeli populo ſuo, & quod eduxiſſet Dominus Iſrael de AEgypto: 2. tulit Sephoram uxorem Moyſi quam remiſerat. 3. & duos filios eius; quorum unus vocabatur Gerſam, dicente patre: (a) Advena fui in terra aliena. 4. Alter vero Eliezer: Deus enim, ait, patris mei adiutor meus, & eruit me de gladio Pharaonis. 5. Venit ergo Iethro cognatus Moyſi, & filii eius, & uxor eius, ad Moyſen in deſertum, ubi erat caſtrame-

tatus iuxta montem Dei. 6. Et mandavit Moyſi, dicens: Ego Iethro cognatus tuus venio ad te, & uxor tua, & duo filii tui cum ea. 7. Qui egreſſus in occurſum cognati ſui, adoravit, & oſculatus eſt eum: ſalutaveruntque ſe mutuo verbis pacificis. Cumque intraſſet tabernaculum, 8. narravit Moyſes cognato ſuo cuncta quæ fecerat Dominus Pharaoni, & AEgyptiis propter Iſrael; univerſumque laborem, qui accidiſſet eis in itinere, & quod liberaverat eos Dominus. 9. Lætatuſque eſt Iethro ſuper omnibus bonis, quæ fecerat Dominus Iſraeli, eo quod eruiſſet eum de manu AEgyptiorum, 10. & ait, Benedictus Dominus, qui liberavit vos de manu AEgyptiorum, & de manu Pharaonis, qui eruit populum ſuum de manu AEgypti. 11. Nunc cognovi, quia magnus Dominus ſuper omnes deos: eo quod (b) ſuperbe egerint contra illos. 12. Obtulit ergo Iethro cognatus Moyſi holocauſta & hoſtias Deo: veneruntque Aaron & omnes ſeniores Iſrael, ut comederent panem cum eo coram Deo. 13. Altera autem die ſedit Moyſes ut iudicaret populum, qui aſſiſtebat Moyſi a mane uſque ad veſperam. 14. Quod cum vidiſſet cognatus eius, omnia ſcilicet quæ agebat in pupulo, ait: Quid eſt hoc quod facis in plebe? cur ſolus ſedes, & omnis populus præſtolatur de mane uſque ad veſperam? 15. Cui reſpondit Moyſes: Venit ad me populus quærens ſententiam Dei. 16. Cumque acciderit eis aliqua diſceptatio, veniunt ad me ut iudicem inter eos, & oſtendam præcepta Dei, & leges eius. 17. At ille: Non bonam, inquit, rem facis: 18. ſtulto labore conſumeris & tu, & populus iſte qui tecum eſt: ultra vires tuas eſt negotium, (c) ſolus illud non poteris ſuſtinere. 19. Sed audi verba mea atque conſilia, * & erit Deus tecum. Eſto tu populo in his quæ ad Deum pertinent, ut referas quæ dicuntur ad eum: 20. oſtendaſque populo cæremonias & ritum colendi, viamque per quam ingredi debeant, & opus quod facere debeant. 21. Provide autem de omni plebe * viros potentes, & timentes Deum, in quibus ſit veritas, & qui oderint avaritiam, & conſtitue ex eis tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos, 22. qui iudicent populum omni tempore: quidquid autem maius fuerit, referant ad te, & ipſi minora tantummodo iudicent: leviuſque ſit tibi, partito in alios onere. 23. Si hoc feceris, implebis imperium Dei, & præcepta eius poteris ſuſtentare: & omnis hic populus revertetur ad loca ſua cum pace. 24. Quibus auditis, Moyſes fecit omnia quæ ille ſuggeſſerat. 25. * Et electis viris ſtrenuis de cuncto Iſrael, conſtituit eos principes populi, tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos. 26. Qui iudicabant plebem omni tempore: quidquid autem gravius erat, referebant ad eum, faciliora tantummodo iudicantes. 27. Dimiſitque cognatum ſuum: qui reverſus abiit in terram ſuam.

(a) Sup. 11. 22. (b) Sup. 1. 14. v. 7. x. 10. xiv. 8. (c) Deut. 1. 12.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES

V. 19. *Et erit Deus tecum.* Non ſurroges *Dominus* in locum nominis *Deus*,

V. 21. *Viros potentes, & timentes Deum.* Prudenter Correctores Romani, textu expulerunt *ſapientes*, & admiſerunt *potentes*, quod eſt fortes, ſtrenuos, conſtantes.

COM-

COMMENTARIA

S A.

Verſ. 1. SACERDOS. Chald. *Princeps*. MADIAN, civitas erat Amalecitarum. COGNATUS. Hebr. *Socer*: & ſic vertit Chald. & LXX. ſic & infra.

V. 2. REMISERAT, ſcilicet Moyſes in domum ſoceri ex AEgypto, vel ex itinere. Vide ſupra cap. IV.

V. 5. MONTEM DEI: ſic dictus quod ibi Deus Moyſi apparuiſſet in rubo, vel legem dediſſet.

V. 6. MANDAVIT, ſcilicet nuntiari.

V. 7. PACIFICIS; quaſi dicat, interrogantes invicem de pace, dicendo more illo antiquo, Paxne tibi? Valeſne proſpere?

V. 11. EGERINT, ſcilicet AEgyptii. ILLOS, ſcilicet Hebræos.

V. 12. CORAM DEO, id eſt prope locum ubi Deus conſulebatur. Auguſtinus tamen qu. LXVI. in Exod. interpretatur, ad honorem Dei.

V. 13. IUDICARET, id eſt ius redderet.

V. 14. PRAESTOLATUR. Hebr. *Stat iuxta te*.

V. 15. SENTENTIAM. Chald. *Inſtructionem*. DEI, id eſt ſecundum Dei voluntatem, vel oraculum.

V. 18. STULTO. Hebr. *nimio*. LXX. *intolerabili*.

V. 19. ERIT DEUS TECUM; quaſi dicat: Conſilium meum ſequendo, bene tibi ſuccedet, Deo iuvante. IN HIS QUAE AD DEUM PERTINENT. Hebr. *coram Deo*; quaſi dicat: Age cauſam populi apud Deum.

V. 20. CAEREMONIAS, ET RITUM COLENDI. Hebr. *Statuta & leges*.

V. 21. POTENTES, id eſt ſtrenuos, magnanimos, patientes laboris. TRIBUNOS. Heb. *Qui mille præſint*.

E S T I I.

Verſ. 1. CUMQUE AUDISSET IETHRO SACERDOS MADIAN. Hic Iethro ſocer Moyſi ſupra cap. II. appellatus eſt Raguel, & utrobique dicitur fuiſſe ſacerdos Madian: Ubi occurrit quæſtio, utrum ſacerdos idolorum, an ſacerdos unius veri & ſummi Dei, qualis fuit Melchiſedech. Quidam dicunt, neutro modo eum ſacerdotem fuiſſe, ſed appellari in Scriptura ſacerdotem, id eſt principem vel magnatem, & primarium virum in ſuo populo; quomodo II. Regum cap. VIII. dicuntur filii David ſacerdotes fuiſſe. Verum ut ita de Iethro interpretemur, nulla nos cogit neceſſitas: immo veriſimile admodum eſt, eum fuiſſe ſacerdotem, non idolorum, ſed unius veri Dei: legimus enim hoc eodem capite verſu duodecimo: *Obtulit ergo Iethro cognatus Moyſi holocauſta & hoſtias Deo*. Certe hunc honorem ſacerdoti idolorum Moyſes non detuliſſet, ut eum in populo Dei permitteret ſacerdotis officio fungi. Ac deinde cum ex Abrahæ poſteris fuerit (nam Madian fuit filius Abrahæ ex Cetura) non eſt improbabile, eum traditam ſibi a parentibus veram religionem accepiſſe, & excoluiſſe.

V. 2. TULIT SEPHORAM UXOREM MOYSI QUAM REMISERAT. Quomodo hoc concilietur cum eo quod ſupra cap. IV. verſ. 26. dicitur Sephora Moyſem dimiſiſſe, vide ibi explicatum.

V. 5. IUXTA MONTEM DEI: ſic per prolepſim vel anticipationem Oreb vel Sina vocatur, nempe quia in eo monte paulo poſt Deus legem populo dedit.

V. 11. NUNC COGNOVI QUIA MAGNUS DOMINUS SUPER OMNES DEOS. Videri hinc poſſet, Iethro nunc primum cognoviſſe Deum verum, ac proinde fuiſſe ſacerdotem idolorum; ſed ſenſus eſt: Nunc ſcilicet etiam experientia didici id quod prius ſciebam; ſicut cum dicit mulier Sarephtana ad Eliam III. Reg. cap. XVII. *Nunc in iſto cognovi quoniam vir Dei es tu*: ſciebat enim & antea quando dixerat: *Quid mihi, & tibi vir Dei*? itemque in miraculo farinæ, & olei non diminuti; ſed ex novo miraculo pueri ſuſcitati certius illud iam cognoſcebat.

V. 19. SED AUDI VERBA MEA ATQUE CONSILIA. Mirabitur aliquis cur hoc conſilium ipſi Moyſi non prius venerit

rit

rit in mentem homini tam prudenti, aut cur de ea re a Domino non fuerit admonitus. Ad poſterius reſpondeo, Dominum id ei noluiſſe immediate præſcribere, ut etiam aliquid per homines diſceret; idque ad cuſtodiam humilitatis. Ita Saulus a Chriſto miſſus eſt ad Ananiam inſtituendus in his quæ facere eum oporteret. Ad prius dico, Moyſem in populi regimine quod a Deo ſuſceperat, privato ſuo conſilio nihil conſtituere voluiſſe. ſed putaſſe exſpectandam ſibi eſſe Dei iuſſionem, vel hominum ſapientum ſuggeſtionem; quod erat & prudentiæ, & humilitatis.

V. 21. ET CONSTITUE EX EIS TRIBUNOS, ET CENTURIONES, ET QUINQUAGENARIOS, ET DECANOS. Ex hoc conſilio, & ſubſecuto Moyſi facto propagatus eſt mos in populo Iſraelitico, ut non tantum pace in iudiciis, ſed etiam bello contra hoſtem ſibi hos ordines ducum conſtituerent; & in his *quinquagenarios*, quod peculiare fuit illi populo, quemadmodum Hieronymus teſtatur in Comment. ſuper Iſaiæ cap. III. ſicut etiam rex Iſrael VI. Reg. cap. I. ad accerſendum Eliam tres miſit quinquagenarios. Et mirum videri poteſt, cur præter centuriones etiam quinquagenarios præfectos conſtitui placuerit. Sed arbitror quinquagenarios non fuiſſe ſubiectos centurionibus, quomodo decem centuriones ſubiecti erant uni tribuno, & decem decani uni centurioni, & decem homines uni decano. Ut quid enim attinebat duobus dumtaxat quinquagenariis unum præfici centurionem? Quare crediderim poſt tribunos, qui mille hominibus præerant, conſtitutos fuiſſe alios quidem centuriones, tamquam digniores; alios vero quinquagenarios, tamquam dignitate minores: utroſque tamen proxime ſubiectos tribunis; centuriones quidem numero decem, quinquagenarios autem viginti. Tale eſt & quod Marcus refert cap. VI. Chriſti convivas in deſerto diſcubuiſſe per partes *per centenos & quinquagenos*. Vide etiam I. Machabæorum III.

MARIANAE.

Verſ. 2. SEPHORAM UXOREM MOYSI QUAM REMISERAT. Hebr. *Poſt dimiſſiones eius*: ſic Septuag. & Chald. Hieronym. pro אחר *abar* videtur legiſſe אשר *aſer*, *Quando dimiſerat?* certe ob circumciſionem filii cap. IV. Quidam per שלוחיה *ſilubeha* intelligunt dona quæ ei dedit pater, ut donatam afferret denuo ad Moyſem.

V. 5. IETHRO COGNATUS MOYSI. Hic ſemper vocem חתן *boten* ponit in ſignificatione *cognati*; & revera ſocer erat, quod vox ea etiam ſolet ſignificare. Fuit filius Raguel, de quo cap. II. pater Hobab, de quo Num. X. ſic eſt ſententia Heb.

V. 11. EO QUOD SUPERBE EGERINT CONTRA ILLOS. Iunge hoc cum illis verbis: *Qui eruit populum ſuum de manu AEgypti*. Hebr. *Eo quod in re qua ſuperbierunt*, aut *peccaverunt contra eos*. Oratio defectiva: ſupplendum *puniti ſunt*, aut *iudicati ſunt*, ut ponit Chald.

V. 15. VENIT AD ME POPULUS QUAERENS SENTENTIAM DEI. Hebr. *Quærens Deum*, hoc eſt, ſententiam, ſeu iudicium Dei.

V. 23. SI HOC FECERIS, IMPLEBIS IMPERIUM DEI, &c. Locus eſt difficilis. Hebr. ſic habent: *Si verbum hoc feceris, & præcipiet tibi Deus, & poteris ſtare, & etiam omnis populus hic ad locum ſuum ibunt in pace*. Tria erant prius præpoſtera. Populus toto die manebat prope Moyſem reſponſum eius expectans, deinde ipſe labore conſumebatur, tertio tempus non ſupererat ad conſulendum Deum. Quæ tria incommoda converſo ordine amoventur. Deus enim præcipiet, reſpondebit conſultationi tuæ; tu poteris ſuſtentare, populus tempeſtive domum revertetur. Id etiam Hieron. verba ſignificant.

MALVENDAE.

Verſ. I. QUAM REMISERAT. Heb. *Poſt miſſiones eius*. *Eius* eſt femineum; id eſt, poſtquam eam remiſerat Moſes cum filiis in domum paternam. Quidam aiunt non conſtare ex Scriptura quando remiſit Moſes uxorem, & filios in domum Iethro ſoceri ſui. Alii cenſent, remiſiſſe ex itinere e Madian in AEgyptum, quando in diverſorio Dominus voluit occidere ipſum, & Sephora circumcidit filium. Vide ſupra cap. IV. verſ. 25. Nonnulli hic reddunt, *Poſt munera eius*, vel *poſt dona, miſſus, eius*; ideſt, poſtquam mul-

Digitized by Google

multa dona miſiſſet Moſi viro ſuo; vel poſtquam Moſes miſiſſet ei munera. Putant enim quidam Hebræorum, Moſen poſtquam populum ex AEgypto eduxiſſet, & iam in deſerto eſſet, uxori, liberis, ſocero munera miſiſſe, quo ſocer ſuus Iethro eos ſibi rurſum eo facilius adduceret. Nec deſunt qui exponant, *Poſt munera eius*; id eſt, ornatam & cumulatam donis & muneribus a patre Iethro. Vocem שלוחים *ſchilluchim dotem* reddidit Noſter I. Regum IX. verſ. 16. unde aliqui hic exponunt, *Poſt*, vel *poſtea*, *dotem eius*; id eſt, accepit, ſeu tulit ipſam cum bonis dotalibus, ut adduceret ad Moſen. Eamdem vocem *ſchilluchim* Noſter *emiſſarios* exponit Michææ I. verſ. 14. unde poſſis hic vertere, *Poſt miſſos emiſſarios*, *eius*; id eſt, poſtquam ipſa per certos homines miſſos ad Moſen rogaſſet, & impetraſſet reductionem ſuam ad virum; vel poſtquam ipſa miſiſſet ad virum qui eum certiorem facerent de ſuo reditu ad ipſum.

V. 5. MONTEM DEI, Horeb, e cap. XVII. verſ. 5. & 6. qui erat vel idem cum Sina, vel iugum aliquod occidentale eius. Vide cap. III. verſ. 1.

V. 11. QUOD SUPERBE EGERINT CONTRA ILLOS. Hebr. *Quia in verbo, quo ſuperbierunt ſuper illos*. Notant conciſam eſſe orationem; proinde varie explent, ac reddunt. I. *Quia in eadem re qua ſuperbierunt contra illos*, ſcilicet perdidit eos Deus, vel perierunt, nempe AEgyptii; quaſi dicat: AEgyptii voluerunt perdere Iſraelitas, ſuffocando pueros eorum in aquis; at Deus apoſtrophe facta, illos aqua perdidit ſubmerſos in mari rubro, Deo ſcilicet eadem menſura remetiente illis qua ipſi menſi fuerant filiis Iſrael. II. *Quoniam in ea re qua illi inſolenter egerunt contra illos*, perierunt. III. *Quia in re qua ſtudioſe impietatem exercuerunt ſuper ipſos*, punivit eos Deus: per aquam enim AEgyptii voluerunt perdere Hebræos; & aquam Deus vertit ſuper ipſos. IV. *Quia non ſuſtinuit rem quam AEgyptii ſuperbe contra eos*, ſcilicet Iſraelitas, *egerunt*. V. *Nunc agnoſco magnum eſſe Iehovam præ omnibus diis, ea ipſa re qua ſuperbiunt*, *ſuperiorem* eſſe *illis*: exponuntque: *Ea ipſa re qua ſuperbiunt*; id eſt, in omni gloria, & virtute, quam glorioſe de ſuis idolis gentes prædicare ſolent. Quod bifariam accipi poteſt. Vel univerſe, Deum eſſe ſuperiorem omnibus diis, ſeu cunctis poteſtate præditis, & res ipſas de quibus gloriantur, pro arbitrio moderari: vel ſpeciatim de diis AEgyptiorum, & de his quæ AEgyptiis ob Iſraelitas contigerunt; ut ex hypotheſi eruatur theſis. Hebræa ſic apte poſſint intelligi: *Quia in re qua ſuperbiunt*, *ſuper illos*: ſubaudi, eſt Deus, illis ſuperior eſt; id eſt, quantacumque ſuperbiunt gloria, & virtute, ſemper Deus illis ſuperior eſt. Tuncque illud, *Super illos*, non ſignificabit *contra illos*. Verbum זוד *zud* reddunt *intumeſcere*, *ebullire*, *efferveſcere*, *ſuperbire*, *temere*, *præſumptuoſe agere*, *non ex ignorantia*, *aut errore*, *ſed ex propoſito*, *ſtudio*, *data opera inſolenter*, *& ſuperbe agere*.

V. 12. CORAM DEO. Proculdubio iuxta altare, in quo holocauſtum, & victimas Deo obtulerant, quod erexerant ante columnam nubis, & ignis, quæ caſtra antecedebat, & in qua Deus maieſtatem, & præſentiam ſuam exhibebat. Alii quod idem prope eſt, Non longe ab eo loco ubi Deum conſulebant, nempe ad columnam nubis: nam tabernaculum fœderis nondum erat conſtitutum; quamvis alii iam tunc utcumque fuiſſe tabernaculum fœderis haud perperam exiſtiment, nempe locum ſacris operandis, & divinis oraculis deſtinatum: quod poſtea ſacratioribus ritibus, & apparatibus a Deo conſtitutum fuerit, infra cap. XXVI. Nonnulli, *Coram Deo*; id eſt, in honorem Dei, vel cum gratiarum actione Deo. Nam epulum fuiſſe ſacrum, & euchariſticum facile intelligitur, ut etiam ſacrificium. Simile habes Geneſ. XXXI. 54.

V. 15. QUAERENS SENTENTIAM DEI. Hebr. *Ad inquirendum Deum*: alii, *Ad conſulendum Deum*, nempe de rebus publicis cum ad religionem & cultum Dei, tum ad res civiles pertinentibus. Sic I. Samuel. IX. 9. Nec diſplicet, quod Interpretes Chaldæi intelligunt, ut quærat doctrinam & inſtructionem a facie Domini; nimirum, quod Moſes docebat eos de verbo Dei, de vera doctrina fidei, & religionis. Præcipuum munus legiſlatoris, doctoris, epiſcopi, ac prælati tantæ multitudinis.

V. 18. STULTO LABORE CONSUMERIS. Hebræa hæc omnia ferunt: *Marceſcen-*

ceſcendo marceſces, *langueſcendo langueſces*, *defluendo deflues*, *cadendo cades*, *deficiendo deficies*, *decidendo decides*, *flaveſcendo flaveſces*, id eſt expalleſces, emarceſces, *exhauriendo exhaurieris*, *ſuccumbendo ſuccumbes*, *flacceſcendo flacceſces*, *infatuando infatuaberis*, *deſipiendo deſipies*. נבל *nabal* proprie eſt *humore & ſucco naturali deſtitui*; ſeu a ſuo ſtatu & conditione, in quo erat, meliore excidere; deſinere eſſe humidum, ſuccoſum, vivum, ſanum, vegetum, ſapidum.

V. 19. ATQUE CONSILIA. Hebr. *Sternam tibi*, vel *te*; id eſt, diſponam, apparabo te, ſternam tibi viam qua tantum onus poſſis ſuſtinere. Quidam quod conſilium ſit quaſi ſtratum, cui incumbunt actiones noſtræ, reddunt, *Conſulam tibi*. Pari analogia a יסד *iaſad fundavit*, סוד *ſod*, *conſilium*: quod ſit actionum fundamentum. ESTO TU POPULO IN HIS QUAE AD DEUM PERTINENT, UT REFERAS QUAE DICUNTUR AD EUM. Quidam ex Hebr. reddunt: *Sis tu populo frons Elohim*; quaſi dicat: Refer tu frontem Dei, eſto vice Dei, repræſenta perſonam Dei in iudicio apud populum. Alii: *Eſto tu populo præciſe ad Deum*; vel *eſto tu populo diviſo ad Deum*; id eſt, ſis medius, intermedius inter populum & Deum; id eſt, tu eris mediator & ſequeſter inter Deum & populum, ut ſi in rebus gerendis gravior aliqua inciderit difficultas, quæ a te explicari non poſſit, Deum adeas, ab eoque conſilia petas, quæ populo denunties, ſiſque quaſi interpres divinæ voluntatis.

V. 21. VIROS POTENTES. Hebr. *Viros virtutis*. id eſt ſtrenuos, fortes, magnanimos, qui ſint ferendo tanto oneri, patientes laboris. Alii, *Viros roboris*, id eſt conſtantia animi præditos, qui ſolo Dei timore, non variis affectibus ferantur. Nonnulli, *Viros conſtantes*, *& divites*, qui in iudicio nec minis, nec muneribus a recto deflecti poſſint. Nec deſunt qui, *Viros nobiles*. Aliqui, *Viros valoris*, ſeu *valentes*, quos Itali vocant *valenti uomini*; quæ nuncupatio Hebræis communis eſt tam valentibus ingenio, ſeu arte aliqua, quam valentibus viribus, armis, vel opibus, aut divitiis, ſeu facultatibus. Vide Gen. XXXIV. 29. Hic valentes ingenio accipiunt, qui apti ſunt rerum regimini, nempe ſapientes; redduntque, *Viros ingenii*. Et ut Latinis copiæ & divitias opeſque, & copias militares ſignificat; ita Hebræis חיל *chaiil*: unde hic poſſis reddere, *Viros exercitus*, id eſt militares, qui idonei eſſe ſolent ad regendum. Nec Romani ad reipublicæ magiſtratus admittebant niſi eos qui per cuncta militiæ munera tranſegiſſent. Auſi ſunt quidam exponere, *Viros ſucceſſus*, id eſt viros promptos, expeditos, qui optimos iudiciorum ſucceſſus habeant, & qui recte negotia expediant, ac prompte. IN QUIBUS SIT VERITAS. Hebr. *Homines fidei*, *conſtantiæ*, *ſtabilitatis*, *veritatis*, *certitudinis*. *ſimplicitatis*, ut opponitur fuco, & hypocriſi. ET CONSTITUE EX EIS TRIBUNOS, ET CENTURIONES, ET QUINQUAGENARIOS, ET DECANOS. Hebræa ita reddunt: *Et conſtitues ſuper eos præfectos millenis*, *præfectos centenis*, *præfectos quinquagenis*, *& decuriones*, ſeu *decanos*, vel principes decadum, decuriarum, id eſt decuriones. Notant quidam, conſtitutos nimirum ſexcentos in ſexcenta millia, centenis præfectos ſexies mille, quinquagenis duodecies mille, denis ſexagies mille. Hi præfecti cum numero, tum etiam munere diſtinguuntur ab illis ſeptuaginta, de quibus Numeror. XI. 16. Numero, quia hi longe plures fuerunt quam illi; munere vero, quia penes illos, veluti ſenatum quemdam, fuit conſilium publicum, atque auctoritas; penes hos autem veluti centum-viros poteſtas iudiciorum fuit; quemadmodum oſtendit locorum comparatio. Vide Deuter. I. verſ. 9. & ſequentibus.

V. 22. LEVIUSQUE SIT TIBI, PARTITO IN ALIOS ONERE. Hebræa varie reddunt. I. *Et allevia a te*, *ut portent tecum*. II. *Et ita leviorem tibi reddent ſarcinam*, *cum tulerint tecum*. III. Putant eſſe infinitivum: *Et alleviare de ſuper te*, vel *& alleviando de ſuper te*, *& ferent tecum*. Quidam volunt infinitivum poſitum pro futuro: *Et levabunt a te*, te ſublevabunt, onus tuum levius reddent. IV. *Sic alleva te* onere, *ut ferant tecum*; vel *leva de ſuper te*, *& tollent tecum*.

V. 23. SI HOC FECERIS, IMPLEBIS IMPERIUM DEI. Hebr. *Si rem iſtam facies*, *& præcipiet tibi Deus*. I. Facile audies, & percipies præcepta Dei, facile poteris vacare divinis oraculis, haud diſtractus, aut avocatus civilibus curis. II. Si

hoc

Digitized by Google

hoc egeris, facies quæ tibi præcepit Deus, implebis eius imperium. III. Si id feceris, gratum habebit Deus. IV. Et præceperit tibi Deus, hoc meum conſilium approbans; quaſi dicat: Si hoc feceris approbante & mandante Deo, &c. ſi id facias, idque mandato Dei, poteris ſufficere huic labori. REVERTETUR AD LOCA SUA CUM PACE. Quidam exponunt: Revertentur in domos ſuas in ſumma tranquillitate, compoſitis rixis ac litibus. Alii: Opportuno tempore revertentur in domos ſuas, non coacti expectare a mane uſque ad veſperam, ut ſupra verſ. 14. mature redibunt ad privata ſua negotia cum pace, id eſt compoſitis litibus.

V. 26. OMNI TEMPORE. Quidam explicant, etiam eo tempore, quo Moſes apud Deum occupatus erat, aut in conſilia publica incumbebat. Ego potius intellexerim; *Omni tempore*, quo interpellati a popularibus fuerint, aut quo litigantes eorum opera indiguerint; ut prompti ſemper ac parati eſſent ad ius populo dicendum.

MENOCHII.

Verſ. 1. IETHRO SACERDOS MADIAN. Vide dicta cap. II num. 16. COGNATUS MOYSI, ſocer Moſis,

V. 2. UXOREM MOYSI QUAM REMISERAT. Moſes cum Pharaone decertaturus, tantam, tamque periculoſam negotiorum molem ſuſceperat, ut uxori, & liberis vacare non poſſet; itaque eam ſibi a Pharaone timentem, libentem, & volentem cum filiis remiſit in Madian.

V. 5. IUXTA MONTEM DEI, Horeb, ſive Sinai, ut patet cap. III. 1.

V. 7. ADORAVIT: reverentiam more gentis exhibuit. SALUTARUNTQUE SE VERBIS PACIFICIS. Heb. *Rogarunt de pace*, vel *an pax*; hoc eſt, an ſalva, & proſpera eſſent omnia: hoc enim ſignificat Hebræorum ſalutatio, *Pax tecum*.

V. 9. LAETATUS EST. LXX. ἐξέστη *obſtupuit*, quaſi in ecſtaſim raptus eſt.

V. 11. NUNC COGNOVI, &c. clarius ſcilicet quam antea: ideoque Gentium diis neglectis, vero Deo adhæreo. Hanc fidem, & pietatem Iethro in poſteros propagavit: ab eo enim orti ſunt Rechabitæ, ut patet I. Paral. II. 55. quos ab abſtinentia, & obedientia laudat Ieremias cap. XXXV. EO QUOD SUPERBE EGERINT CONTRA ILLOS: eſt ellipſis; hoc eſt, oratio imperfecta. Senſus eſt, Deum malis mulctaſſe AEgyptios, quod ſuperbe Hebræos tractaſſent, & iniuſte vexaſſent.

V. 12. OBTULIT, vero Deo, non, ut ante, idolis. UT COMEDERENT PANEM CUM EO CORAM DEO. Hoſtiæ Deo dicatæ, & in gratiarum actionem oblatæ (quales hic obtulit Iethro) magna ex parte in ſolemne epulum cedebant: quod proinde coram Domino fieri dicebatur, quaſi ille hoſtiis ſibi oblatis, illarumque epulo præſens adeſſet, maxime ſi epulum fieret iuxta altare, in quo immolatæ erant hoſtiæ Deo. Si tabernaculo iam facto, & erecto in fine anni, venit Iethro ad Moſen, ut vult Abulenſis; tunc, *coram Domino*, id eſt coram tabernaculo, quod erat quaſi domus Dei, factum eſt hoc epulum.

V. 13. IUDICARET, ius diceret.

V. 15. QUAERENS SENTENTIAM DEI. Hebr. *Quærens Deum*. Chald. *quærens doctrinam a Deo*. LXX. *quærens iudicium a Deo*. Poſtulans ſcilicet controverſias quæ exoriebantur, diſceptari, & finiri iuxta voluntatem Dei, quam mihi cum Deo familiariter verſanti exploratam eſſe; ſibi perſuadent.

V. 17. NON BONAM REM FACIS. Facis quod minus aptum, & conveniens eſt.

V. 18. STULTO LABORE CONSUMERIS. LXX. *intolerabili*. Latini etiam inſanum appellant quod valde magnum eſt; ſic dicitur inſana moles, &c.

V. 19. ERIT DEUS TECUM; quaſi dicat: Conſilium meum ſequendo, bene tibi ſuccedet, Deo iuvante. IN HIS QUAE AD DEUM PERTINENT. Hebr. *Eſto tu populo coram Deo*, vel *ante Deum*: eſto advocatus populi, eiuſque internuntius apud Deum. UT AD EUM REFERAS QUAE DICUNTUR: ut populi vota, poſtulata, ac neceſſitates ad Deum referas.

V. 20. OSTENDASQUE POPULO CAEREMONIAS, &c. Sis populi advocatus apud Deum, & viciſſim Dei interpres apud populum: ut quæ Deus præſcribit ad religionem pertinentia, & ad formandos mores, a te populus diſcat.

V. 21. VIROS POTENTES. Heb. *viros virtutis*. Italice diceremus, *Uomini di valore*:

lore. In quibus sit veritas: qui recte ſentiant, & iuſte iudicent.

V. 23. Si hoc feceris, implebis imperium Dei. Hebr. ſic habent: *Si verbum hoc feceris, & præcipiet tibi Deus, & poteris ſtare, & etiam omnis populus hic ad locum ſuum ibunt in pace*. Tria erant prius præpoſtera. Populus tota die manebat prope Moſen reſponſum eius exſpectans: deinde ipſe labore conſumebatur: tertio tempus non ſupererat ad conſulendum Deum: quæ tria incommoda converſo ordine amoventur. Deus præcipiet; hoc eſt, reſpondebit conſultationi tuæ: tu poteris laborem ſuſtinere: populus tempeſtive domum revertetur. Idem noſtri textus verba ſignificant.

V. 24. Fecit omnia. Elegit inferiores magiſtratus, eoſque officii ſui admonuit. Vide Deuteronom. cap. I. a num. 9. uſque ad 19. ubi hæc fuſius narrantur.

V. 25. Principes, qui ſtatim recenſentur. Tribunos, Chiliarchas, qui mille viris præeſſent.

TIRINI.

Verſ. 1. Iethro cognatus Moysi. In Hebr. Chald. & Græco eſt, *ſocer Moyſi*; ut conſtat ex cap. III. verſ. 1. ſupra.

V. 11. Nunc cognovi, quia magnus Dominus; id eſt, certa claraque experientia didici potentiam divinam. Unde patet, hinc non ſat ſolide collegiſſe Rabbi Kimhi, Toſtatum, & Pererium, hunc *Iethro* non fuiſſe hucuſque cultorem veri Dei, ſed ſacerdotem idolorum: nam ſimili modo colligere liceret, Deum neſciviſſe Abraham timere Dominum, quia Geneſ. XXII. ſimili phraſi ait, *Nunc cognovi quod timeas Deum*. Et vero ſimile eſt, hunc Iethro, qui & Raguel vocatur, fuiſſe ex filiis Abrahæ e Cethura prognatum, ut vult Demetrius hiſtoricus, & alii apud Euſebium *a*; qui illum ab Abrahamo quintum faciunt, & veri Dei ſacerdotem, ſimul & ſuæ gentis principem vocant. Et ut daremus fuiſſe aliquando idololatram, ante Moyſis ad eum acceſſum; quis credat, quadraginta annorum ſpatio, quibus apud eum Moyſes permanſit, non fuiſſe a Moyſe inſtructum in cognitione, & cultu veri Dei?

(*a*) Euſeb. Lib. IX. præparat. Evang. cap. IV.

GORDONI.

Verſ. 1. Cognatus. חתן *choten*, affinem, & cognatum deſignat: hinc verſ. 2. reducit Sephoram quam remiſerat; de qua Exod. cap. IV. verſ. 26. adde cap. III. verſ. 1.

V. 3. Duos filios. Idem habetur ſupra cap. II. verſ. 22. cum eadem explicatione nominis גר *ger*, advena, שם; *ſam*, ibi. *Eliezer*, *Deus adiutor*.

V. 5. Iethro cognatus Moysi. Hebr. חתן *hoten*, cognatus. Erat ſocer Moſis.

V. 9. Laetatus est Iethro. Septuag. ἐξέστη, *obſtupuit*. At in Hebr. *lætatus eſt*, a radice חדה, cum quo conſentit Hieronymus.

V. 11. Nunc cognovi. Madian filius Abrahæ, Madianitis nomen dedit; ſic Iethro Abrahamum proavum habuit: atque ita fides Abrahæ ad Madianitas pervenit. Iam vero Iethro Madianita auditis prodigiis a Moſe perfectius Deum agnoſcit, & fidem in eum profitetur: hinc verſ. 12. ſane offert ſacrificia. Additur: Eo quod superbe egerint contra illos, hoc eſt AEgyptii contra Hebræos: ſic ellipſin ſupplet Chaldæus; & ſatis intelligitur ex verbis verſ. 10.

V. 15. Quaerens sententiam. Hebr. *Quærens Deum*, hoc eſt iudicium Dei.

V. 23. Implebis imperium Dei. Hebr. *Et præcipiet tibi Deus*: obſcurum hoc eſt, clare Vulgatus.

V. 24. Quibus auditis. Moſes uſus prudenti conſilio ſoceri ſui, conſtituit varios iudicum ordines ut ius dicerent. Qui vero fuerint hi iudicum ordines, & qualem in ſpecie obirent præfecturam, non explicat textus.

Ex Eiusdem Auctario.

V. 5. Montem Dei: eſt Horeb, ſeu Sinai, ut ſupra cap. III. Porro hic, verſ. 7. *adoravit*, honorem detulit civilem.

V. 13. Obtulit, non idolis, ſed Deo.

V. 19. & 20. Suadet Moſi, ut ipſe ſit populi advocatus ad Deum & porro Dei interpres ad populum.

V. 24. Fecit Omnia. Elegit aptos iudices ad minores magiſtratus.

CA-

Digitized by Google

C A P U T XIX.

Iuxta montem Sinai, commemorato liberationis ex AEgypto beneficio, populus ſanctificari iubetur, ut deſcendat Dominus in fulgure & tonitru, coram omni plebe Moyſi locuturus.

1 MEnſe tertio (*a*) egreſſionis Iſrael de Terra AEgypti, in die hac
venerunt in ſolitudinem Sinai. 2. Nam profecti de Raphidim,
& pervenientes uſque in deſertum Sinai, caſtrametati ſunt in eo-
dem loco, ibique Iſrael fixit tentoria e regione montis. 3. (*b*)
* Moyſes autem aſcendit ad Deum, vocavitque eum Dominus de
monte, & ait: Hæc dices domui Iacob, & annuntiabis filiis I-
ſrael: 4. Vos ipſi vidiſtis, quæ fecerim AEgyptiis, quo modo portaverim vos ſu-
per alas aquilarum, & aſſumpſerim mihi. 5. (*c*) Si ergo audieritis vocem meam,
& cuſtodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis: (*d*)
mea eſt enim omnis terra. 6. (*e*) Et vos eritis mihi in regnum ſacerdotale, &
gens ſancta: hæc ſunt verba quæ loqueris ad filios Iſrael. 7. Venit Moyſes: &
convocatis maioribus natu populi, expoſuit omnes ſermones quos mandaverat
Dominus. 8. Reſponditque omnis populus ſimul: Cuncta quæ locutus eſt Domi-
nus, faciemus. Cumque retuliſſet Moyſes verba populi ad Dominum, 9. ait ei
Dominus: Iam nunc veniam ad te in caligine nubis, ut audiat me populus lo-
quentem ad te, & credat tibi in perpetuum. Nuntiavit ergo Moyſes verba po-
puli ad Dominum. 10. Qui dixit ei: Vade ad populum, & ſanctifica illos ho-
die, & cras, laventque veſtimenta ſua. 11. Et ſint parati in diem tertium: in
die enim tertia deſcendet Dominus coram omni plebe ſuper montem Sinai. 12.
Conſtitueſque terminos populo per circuitum, & dices ad eos: Cavete ne aſcen-
datis in montem, (*f*) nec tangatis fines illius: omnis qui tetigerit montem, mor-
te morietur. 13. * Manus non tanget eum, ſed lapidibus opprimetur, aut con-
fodietur iaculis: ſive iumentum fuerit, ſive homo, non vivet: cum cœperit clan-
gere buccina, tunc aſcendant in montem. 14. Deſcenditque Moyſes de monte
ad populum, & ſanctificavit eum. Cumque laviſſent veſtimenta ſua, 15. ait
ad eos: Eſtote parati in diem tertium, & ne appropinquetis uxoribus veſtris.
16. Iamque advenerat tertius dies, & mane inclaruerat: & ecce cœperunt audiri
tonitrua, ac micare fulgura, & nubes denſiſſima operire montem, clangorque buc-
cinæ vehementius perſtrepebat: & timuit populus qui erat in caſtris. 17. Cum-
que eduxiſſet eos Moyſes in occurſum Dei de loco caſtrorum, ſteterunt ad ra-
dices montis. 18. (*g*) Totus autem mons Sinai fumabat: eo quod deſcendiſſet Do-
minus ſuper eum in igne, & aſcenderet fumus ex eo quaſi de fornace: eratque
omnis mons terribilis. 19. Et ſonitus buccinæ paulatim creſcebat in maius, &
prolixius tendebatur: Moyſes loquebatur, & Deus reſpondebat ei. 20. Deſcendit-
que Dominus ſuper montem Sinai in ipſo montis vertice, & vocavit Moyſen in
cacumen eius. Quo cum aſcendiſſet, 21. dixit ad eum: Deſcende, & conteſtare
populum: ne forte velit tranſcendere terminos ad videndum Dominum, & pereat

ex eis plurima multitudo. 22. Sacerdotes quoque qui accedunt ad Dominum, ſanctificentur, ne percutiat eos. 23. Dixitque Moyſes ad Dominum: Non poterit vulgus aſcendere in montem Sinai: tu enim teſtificatus es, & iuſſiſti, dicens: Pone terminos circa montem, & ſanctifica illum. 24. Cui ait Dominus: Vade, deſcende: aſcendeſque tu, & Aaron tecum: ſacerdotes autem & populus ne tranſeant terminos, nec aſcendant ad Dominum, ne forte interficiat illos. 25. Deſcenditque Moyſes ad populum, & omnia narravit eis.

(a) Num. xxxiii. 15. (b) Act. vii. 38. (c) Deut. xxix. 2. (d) Pſalm. xxxii. 2. (e) I. Pet. ii. 9. (f) Hebr. xii. 18. (g) Deut. iv. 11.

BRUGENSIS

Romanae Correctiones.

V. 3. *Moyſes autem aſcendit ad Deum*. Non addas *in montem*.

V. 13. *Manus non tanget eum*. Non eſt mutandus numerus ſingularis *tanget* in pluralem *tangent*.

COMMENTARIA

S A.

Verſ. 1. Hac, ſcilicet prima menſis, vel tertia potius: dixerat enim menſe tertio; vel quaſi dicat eadem qua profecti ex Raphidim: fuit quidem 47. dies egreſſionis ex AEgypto: nam poſt tres dies data Lex, ſcilicet die 50.

V. 2. Loco; quaſi dicat, in ipſo deſerto.

V. 3. Vocavit, pro vocaverat.

V. 4. Super alas; id eſt, ut ſolet aquila pullos ſuper alas. Chald. & LXX. *Quaſi ſuper alas*. Assumpserim mihi. Heb. *Ad me adduxerim*.

V. 5. Peculium, id eſt theſaurum; quaſi dicat, unice dilecti. Hebr. *ſegullah* סגלה, id eſt *res cara*. Mea est; quaſi dicat: Quamquam omnes populi mei ſunt, tamen vos electi præ ceteris.

V. 6. Regnum sacerdotale; id eſt, in quo Dei cultus vigeat: ſcilicet in quibus Deus regnet, & a quibus colatur. LXX. *Regale ſacerdotium*. Chald. *Reges, & ſacerdotes*.

V. 9. Nuntiavit, pro nuntiaverat.

V. 10. Sanctifica, id eſt præpara. Chald. *Præparabis*.

V. 13. Non tanget; quaſi dicat: Nemo eum conetur a ſupplicio liberare: vel non conſueto genere mortis puniatur, ſcilicet contactu manus; ſed, &c. Opprimetur, ſcilicet a Deo, vel populo. Coeperit clangere. Hebr. *Prolixum ſonum ediderit*. Chald. & LXX. *Fecerit finem ſonandi*.

V. 15. Estote parati. Id dictum tertii menſis die quarto; ſexto autem data Lex, adeoque 51. die ab exitu ex AEgypto: duo enim menſes lunares faciunt dies 59. quibus adde 6. tertii menſis, fientque 65. a quibus demendi 15. nam 15. egreſſi, ita relinquentur 50. qui ſunt dies Pentecoſtes numerandi a 2. die Azymorum, ut dicitur Levit. xxiii & Deu. xvi.

V. 17. Radices. Huc poterant accedere poſt tubæ ſonum, ſed non aſcendere in montem.

V. 18. Terribilis. Hebr. & Chald. *Contremiſcens*.

V. 19. Respondebat ei. Hebr. *Reſpondebat ei in voce*; id eſt, clara & exaudibili voce.

V. 22. Accedunt; id eſt, acceſſuri ſunt poſtea. Sanctificentur, id eſt operam dent ſanctimoniæ.

V. 23. Sanctifica illum; quaſi dicat: Conſtitue terminos, ne, utpote res ſancta, contingatur.

ESTII.

Verſ. 6. Vos eritis mihi in regnum sacerdotale, et gens sancta. Regnum ſacerdo-

cerdotale quidam intelligunt poſitum pro regno inclyto & eximio; ut ſacerdotii nomen hoc loco nihil aliud quam eminentiam quamdam ſignificet. Sic Caietanus & nonnulli alii hanc locutionem accipiunt. Verum ſi inſpiciamus alia ſimilia Scripturæ loca, in quibus ad hunc Exodi locum reſpicitur, inveniemus in ſacerdotii nomine plus aliquid intelligendum eſſe. Apocal. cap. I. ita legitur de Chriſto: *Fecit nos regnum & ſacerdotes Deo & patri ſuo*: ubi manifeſte ſeparantur velut diverſa, regnum, & ſacerdotium. Rurſum I. Petri cap. II. ita legitur: *Vos autem genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta*. Et quamvis ibi coniunctim dicat *regale ſacerdotium*, ſicut hoc loco *regnum ſacerdotale*; tamen proprium aliquid in ſacerdotii nomine ſignificari ſatis oſtendit verbis ſuperioribus eiuſdem capitis, quibus vocat fideles domum ſpiritualem, ſacerdotium ſanctum. Et vim ſacerdotii explicans addit: *Offerre ſpiritales hoſtias, acceptabiles Deo per Ieſum Chriſtum*. Cum ergo manifeſte alludat Petrus ad locum præſentem; conſequens eſt, etiam hic in ſacerdotii nomine peculiare aliquid debere intelligi. Senſus igitur eſt: Vos eritis mihi populus, in quo mihi conſtituam regnum, & ſacerdotium. Vel, ut exponit Paraphraſtes Chald. *Eritis mihi reges & ſacerdotes*. Omnes enim quadam animorum colligatione quodammodo reges ſunt in uno rege, & omnes ſacerdotes in uno ſummo ſacerdote. Unde non incongrue totus populus offerre ſacrificium dicitur, ſacrificante ſacerdote: ſic enim & in canone Miſſæ legimus de toto cœtu fidelium, *Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt*: offerunt enim non miniſterio, ſed coniunctione animorum. *Gens autem ſancta* dicuntur, id eſt divino cultu deputata. Ita Eccleſia ſancta dicitur profeſſione, ac deputatione; quia veram Dei religionem profitetur, eiuſque cultui ſe mancipavit.

V. 13. CUM COEPERIT CLANGERE BUCCINA, TUNC ASCENDANT IN MONTEM. Sic intellige: Tunc aſcendant uſque ad terminos præſcriptos, & non ultra. Hoc enim ita factum eſſe docent iſta verba ſubiecta: *Cumque eduxiſſet eos Moyſes in occurſum Dei de loco caſtrorum, ſteterunt ad radices montis*, ſcilicet uſque ad terminos, iuxta præſcriptum Domini.

V. 18. TOTUS AUTEM MONS SINAI FUMABAT, EO QUOD DESCENDISSET DOMINUS DEUS SUPER EUM IN IGNE. Ob hanc cauſam Deut. cap. XXXIII. vocatur ignea lex. Hic tamen etiam aliquid adhuc tacetur quod ibi dicitur, nempe Dominum deſcendiſſe cum multis millibus Angelorum. Vide eius loci Annotationes.

V. 22. SACERDOTES QUOQUE QUI ACCEDUNT AD DOMINUM, SANCTIFICENTUR. Et infra v. 24. *Sacerdotes autem & populus ne tranſeant terminos*. Quæritur, quomodo hic nominentur ſacerdotes, cum hoc tempore nondum ſacerdotium in populo illo inſtitutum fuerit, ſed demum poſt ſcelus adorati vituli. Reſpondeo, probabiliſſimum eſſe ſacerdotes hic vocari Levitas per anticipationem & per enallagen, quia ex illis ſacerdotes aſſumendi erant; iamque propter Moyſem & Aaron (qui erant ex eadem tribu Levitica, erantque totius populi, iuſſu Dei, ductores & principes) cœperant honorabiliori loco haberi, & Moyſi in negotio accipiendæ legis, ſeu aliis ad Deum pertinentibus ſubſervire.

MARIANAE.

Verſ. I. IN DIE HAC, ſcilicet ipſa die qua completus eſt menſis tertius.

V. 4. SUPER ALAS AQUILARUM. Chald. & Hebr. *Quaſi ſuper alas aquilarum portaverim vos*. Aquila altiſſime volat, eoque ab ictu tuta. Quod Hebræi addunt, geſtare pullos ſuper alas, ut Deus populum, fabuloſum puto.

V. 5. ERITIS MIHI IN PECULIUM. Vox *ſegulah* ſignificat ex argento, auro, & gemmis conflatum theſaurum: quod per *peculium* recte exprimitur, ſi addatur *magni pretii*.

V. 6. IN REGNUM SACERDOTALE. Hebr. *Regnum ſacerdotum*, qui ſint ſcilicet mundi ab omni fœditate, quod explicat proxime GENS SANCTA. Sept. *Regale ſacerdotium, gens ſancta*: ad quem locum iuxta hanc interpretationem reſpexit I. Pet. II. verſ. 9.

V. 9. IN CALIGINE NUBIS. Hebraice: *In denſitate nubis veniam ad te*.

V. 13. CUM COEPERIT CLANGERE BUCCINA. Hebraica verba ſunt ambigua:

gua: *In trahendo buccinam*. Sept. & Chald. *Quando ſubtracta fuerit buccina*, nempe cum ſonare deſierit, tunc poteritis vos populares in montem aſcendere. Alii *in trahendo*; id eſt, cum prolixius inſonuerit, tunc aſcendetis. Vocatur autem *buccina cobelbeb*, quæ vox *arietem* ſignificat, quoniam e cornu arietis erat.

V. 15. ESTOTE PARATI IN DIEM TERTIUM, ET NE APPROPINQUETIS UXORIBUS. Hebr. *Eſtote parati, per tres dies ne appropinquetis uxori*: ſic Sept. Verum accentus Hebr. iungunt *tres dies* cum *eſtote parati*, ut Hieron. & Chald.

V. 21. NE FORTE VELIT TRANSCENDERE TERMINOS AD VIDENDUM DOMINUM. Hebr. *Ne forte evertant* (ſupple, *terminos conſtitutos*) *& aſcendant ad Dominum ad videndum*.

V. 22. SACERDOTES QUOQUE QUI ACCEDUNT AD DOMINUM. Per *Sacerdotes* poſſemus intelligere Principes, niſi obſtaret additum, *qui accedunt ad Dominum*. Sed nec ſacerdotes Leviticos interpretari poſſumus nondum conſtitutos. Quid ergo? Hebræi primogenitos intelligunt, quibus ius ſacrificandi erat ante ſacerdotium Leviticum. Atque eodem modo vox eadem accipiatur repetita verſ. 24.

V. 24. NE TRANSEANT TERMINOS, NEC ASCENDANT AD DOMINUM. Hebr. repetitur quod verſ. 21. dictum erat, & ex hoc loco illum intellige. Verba Hebraica, *Ne evertant* (terminos) *ut aſcendant ad Dominum*. Ad quid aſcenſuri erant? Ad videndum quod ſuperius dictum hic omiſit: ad videndum, inquam, quæ gerebantur.

MALVENDAE.

Verſ. 1. IN DIE HAC. Diverſe intelligunt. I. Hac ipſa die, qua caſtra moverunt de Raphidim, pervenerunt in Sinai. Hoc ideo dictum putant, quia non modica diſtantia erat a Raphidim in Sina; quaſi dicat: Plus itineris confecerunt eo die quam aliis diebus. II. *In die hac*, ſcilicet tertia menſis tertii. Dixerat, *In menſe tertio*, addit, *In die hac*, id eſt eiuſdem numeri, nempe tertia. III. *In die hac*, nempe prima menſis tertii. Præmiſerat, *In novilunio tertio*, ſubdit, *Ipſa die*, qua nimirum incipit novilunium, nempe prima menſis tertii. Et hanc nos ſententiam magis probamus. Vide infra verſ. 11.

V. 2. IN DESERTUM SINAI, CASTRAMETATI SUNT IN EODEM LOCO, IBIQUE ISRAEL FIXIT TENTORIA E REGIONE MONTIS. Mons Sina ſacris Litteris inclytus, a plurimis deſcriptus: vide quæ de eo notavimus cap. III. verſ. 2. Quidam putant partem eſſe Melanium montium, quos Ptolemæus in Arabia Petræa in hunc modum deſcribit Lib. V. cap. XVII. *Protenduntur in regione montes, qui Melanes, vel nigri appellantur, a Sinu ſcilicet, Arabico, qui iuxta Pharam eſt, quaſi ad Iudæam: genteſque ſunt ab occaſu quidem horum montium ad Ægyptum, & Saracenæ*.

V. 4. QUOMODO PORTAVERIM VOS SUPER ALAS AQUILARUM. Quidam metaphorice alluſum putant ad columnam nubis, quæ in modum extenſionis alarum Iſraelitas protegebat, ac deducebat, ſupra cap. XIII. verſ. 21. 22. Alii exponunt: *Super alas aquilarum*; id eſt, breviſſimo tempore, celeriter vos a duriſſima ſervitute liberans, huc incolumes extra omnem teli iactum, ſumma fide, paternoque ſtudio tranſtuli, ut aquila pullos. Sic Deuteronomii XXXII. 11. Aquilæ volatus perniciſſimus, & altiſſimus, quo tela non perveniunt.

V. 5. ERITIS MIHI IN PECULIUM. סגלה *ſegullah* aiunt ſignificare Hebræis quod Latinis *proprium*, *proprietas*, ſeu *res peculiaris*, *& propria*, *quæ rara eſt*, *pretioſa*, *cara*, *eximia*, *ſingularis*: ut ſi quis habeat ſingularem theſaurum, præ aliis rebus carum, nimirum ſive argentum, ſive aurum, ſive gemmas, aut bullam ex collo ſuper pectus pendentem, ut reges ac principes ſua ſigilla habent, & clenodia, ſeu cimelia, & ſigna, quæ ſymbola vocant: poſtea etiam ad alia transferri, quæ propria ſunt, & omnium cariſſima. Notat Gellius Lib. VI. cap. V. Latinos argentum valde purum dixiſſe *purum putum*; ſicut *novum novitium* dici valde novum; & *proprium propitium* valde proprium: adiectiones enim iſtas augere, atque intendere *novi*, *& proprii* ſignificationem. Unde *ſegbullah* recte reddi poſſit *proprium propitium*. A voce Hebraica *ſegbullah* factam Latinam *ſigillum*, &, inſerto N, *ſingulare*, quidam annotarunt: nam ſono & ſignifica-

to

to conveniunt. Volunt Paulum ad Titum II. 14. *περιούσιον*, id eſt *peculiarem*, reddidiſſe. Hebræi quartam vocem prædicabilem, quam *proprium* appellamus, *ſegbullab* vocant. Notant inſuper, quod Grammatici Hebræorum nomine *Segbol* vocarunt unum ex punctis vocalibus, a figura: habet enim tria puncta in triangulo conſtituta, quæ referunt bullam auream, qualem reges a collo pendentem geſtant, tribus gemmis, aut unionibus triangulariter ornatam. Et videtur etiam non eſſe ſine myſterio Trinitatis in Divinis, quam clinodii vice in pectore noſtro omni tempore geſtare oporteat. Alii ex ſignificatione Chaldaica *Segbol botrum* interpretantur, quod ea motio botri uvæ figuram referat. Noſter cum hæc vox octies in Scripturis occurrat, hic, & I. Paralipom. XXIX. 3. Malachiæ III. 17. *peculium*, Deuteron. VII. verſ. 6. cap. XIV. 2. cap. XXVI. 18. *peculiarem*, Pſal. CXXXIV. 4. *poſſeſſionem*, Eccleſiaſt. II. 8. *ſubſtantiam* convertit. Varie hunc locum reddunt. I. *Eritis mihi peculium*. II. *Eritis mihi proprietas*. III. *Eritis mihi amabilitas*. IV. *Eritis mihi theſaurus dilectus*. V. *Eritis mihi res pretioſiſſima*. VI. *Eritis mihi ſigillum*: quo Deus ſua beneficia, mirabilia, magnalia, opera divina conſignavit: tam caros & intimos habebo quam meum ſigillum. Videtur Iſrael fuiſſe ſigillum operum Dei, ut Hiſpanice dicimus, *El ſello de ſus obras*, id eſt ſupremum, & præſtantiſſimum operum Dei, cui nihil iam addi poſſe videatur, uti rebus iam abſolutis, concluſis, & ſigillo munitis & obſignatis. Iſrael *opus Dei* dicitur Iſaiæ XXIX. verſ. 23. cap. XLV. verſ. 11. cap. LX. verſ. 21. cap. LXIV. verſ. 8. MEA EST ENIM OMNIS TERRA. Metonymice exponunt; id eſt, omnes populi terræ; quaſi dicat: Etſi pro meo iure poſſem aliquem alium populum, quem dilectione proſequar ſingulari, ex omnibus deligere; vos tamen præ ceteris omnibus hac prærogativa ornabo: vel tametſi omnes populi mei ſunt, & omnes ut meos generali ratione diligo; vos tamen ſingulariter, & unice, & ſupra omnes alios populos amabo.

V. 6. ET VOS ERITIS MIHI IN REGNUM SACERDOTALE. Heb. *Regnum ſacerdotum*. I. Ac ſi dicat: Non alium regem habebitis præter me, ego proprie veſter ero rex: non eritis more aliarum gentium, quæ ſuos reges habent; ego veſter ero princeps. Unde quando petierunt regem a Samuele, I. Samuel. VIII. 7. dixit Dominus: *Non enim te abiecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos*. Atque hæc quidem præclara dignitas erat, Deum peculiarem regem habere. Addit vero, regnum ſacerdotum; id eſt, vos omnes loco ſacerdotum habebo, quibus ex meo penu & ærario ſumptus exhibebo: nihil opus erit veſtro labore & induſtria, ex publico enim ærario meo vobis omnia neceſſaria ad vitam ſuppeditabuntur, ut vidiſtis fieri in AEgypto cum ſacerdotibus, Geneſ. XLVII. 22. Et hæc quoque maxima dignitas erat, opulenter ali ſingulari Dei cura. II. Eritis mihi regnum, non profanum, quod tantum ex opibus, & armis conſtat, ſed ſacrum, quod ex ſacerdotibus, rebuſque ſacris ac divinis conſtituitur; quaſi dicat: Sacrum, ac divinum erit hoc regnum. III. Quia totus populus quaſi regia libertate & dignitate præditus erat, & ex eius corpore ſacerdotes eligebantur. IV. Quemadmodum apud omnes populos reges, & ſacerdotes, præ ceteris honoratiores, ac præſtantiores ſunt; ſic ego vos ex omnibus gentibus ſelegi, ut ſitis præ omnibus gentibus præcipui, mihique dedicati. V. Poſſis reddere, *Regnum principum*, ſeu *principale*, inclytum, glorioſum, illuſtre, primarium, præſtantiſſimum; in quo omnes videantur eſſe principes, ut Cynæas Pyrrhi legatus de Romanis dixit, *ſenatum regum ſe vidiſſe*. LXX. inverterunt, *regale ſacerdotium*; quod ſecutus eſt. S. Petrus Epiſt. I. cap. II. verſ. 9. Chaldæi dixerunt: *Eritis mihi reges & ſacerdotes*, ut etiam Apocal. 1. verſ. 6. & cap. V. verſ. 10. VI. *Regnum ſacerdotale*, id eſt in quo potiſſimum Dei cultus vigeat, in quo ſit prima cura ſacrorum, regnum maxime religioſum. VII. Ac ſi dicat: Eritis mihi regnum tam mundum, purum, impollutum, ac ſi omnes ſacerdotes eſſetis, quos mundiſſimos eſſe volo. GENS SANCTA, id eſt pura, munda, ſanctificata, Deo dicata, conſecrata.

V. II. ET SINT PARATI IN DIEM TERTIUM. Ingens hic quæſtio, hic dies tertius unde computandus. Quidam a prima die menſis tertii, qua venerunt in Sinai. Putant veniſſe Iſraelitas in Sinai 47.

die

die ab egreſſu ex AEgypto, ſeu a Paſchate, & die tertio ſequente, qui fuit quinquageſimus a Paſchate, & qui vulgo dicitur Pentecoſtes, ſuſcepiſſe legem a Deo in Sinai. Alii volunt, veniſſe Hebræos in Sinai die prima menſis tertii; ſed hæc verba, *Et ſint parati in diem tertium*, dicta fuiſſe die quarto eiuſdem menſis, poſtquam triduo iam manſiſſent in Sinai; & die ſexta ſequenti datam illis a Deo legem, hancque fuiſſe quinquageſimam a Paſchate, & Pentecoſten. Nonnulli exiſtimant, die tertia menſis tertii veniſſe Iſraelitas in Sinai, & die quarta dicta fuiſſe a Deo hæc verba, *Et ſint parati in diem tertium*; ac ſequenti ſexta die eiuſdem menſis datam legem, nempe quinquageſima a Paſchate & exodo. Non libet altercari: nos ſecundam ſententiam e tribus iſtis veriſimiliorem cenſemus. Vide, ſi vacat, S. Auguſtinum ep. CXIX. & quæſt. LXXIX. in Exodum, & Interpretes in hunc locum.

V. 13. MANUS NON TANGET EUM. Quidam exponunt: Nulla manus poterit eum protegere, aut liberare, quin lapidibus opprimatur. Alii: Id eſt, quidquid attigerit montem, adeo execrabile eſto, ut nulla manus ipſum attingat, ne polluatur; ſed eminus lapidibus, ac iaculis interimitor. AUT CONFODIETUR IACULIS. Heb. *Aut iaciendo iacietur*; id eſt, præceps ex alto deiiciatur, quaſi ex ſaxo Tarpeio. Alii melius, *Iaculando iaculabitur*; id eſt. conficietur iaculis, vel iaculis ferietur. CUM COEPERIT CLANGERE BUCCINA. Heb. *In protrahere* יובל *iobel*. *Iobel* Hebræi hic *cornu arietis* exponunt, vel *buccinam e cornu arietino*: quod Hebræi eo nomine vocent arietem. Alii vero *iobel* volunt ſignificare productionem, & ſonitum, ſeu clangorem productiorem tubæ; non ipſum inſtrumentum, ſeu buccinam, aut tubam: *iubilum* proprie, voce conſentiente, reddunt, quo illa clangoris productio, & intenſio, ſeu ductus, aut mora ſignificetur. Nam quod hic dicitur *iobel*, verſ. 16. & 19. vocatur *vox*, ſeu *clangor*, aut *ſonitus buccinæ*. Unde hic varie vertunt. I. *In protrahere buccinam*, ſeu *cornu arietinum*: exponuntque, quod poſt receſſum Dei a monte, cornea tuba ſonus non brevis, ſed prolixius tractus, agendus erat a tubicinibus populi, iubente Moſe; & quod ex tunc licitum foret Iſraelitis aſcendere in montem. Protractionem intelligunt, ſonitum longe, lateque diffuſum, & protractum. Alii: *Cum protraxit buccina*; ſubaudi, vocem; id eſt, cum prolixius inſonuerit: ſenſumque eſſe volunt, dum ſatis protractus, adeoque finitus fuerit ſonitus tubarum, tum aſcendere poteſt populus; at præſente Domino, nequaquam. Neque enim vero ut in perpetuum non aſcendatis: dum ergo ſonitus cornu ceſſaverit, poteritis aſcendere Prolixior ſonus ſignum erat Dominum maieſtatis montem deſeruiſſe. Hunc ſenſum Græci, & Chaldæi Interpretes expreſſere: *Cum ſubſtractus fuerit, ceſſaveritque ſonus buccinæ, tunc aſcendite in montem*. II. *Cum tractim ſonuerit cornu*; id eſt, cum audietur diatonos, ſive contenens unius toni ſonus; quaſi dicat: Erit huic aſcendendi montem interdicto locus, donec iſtud audiatur, quod in extremis fere cantionibus obſervatur: & ex communi uſu voluit cognoſci Deus a populo, quando religio loci illius eſſet deſitura diſcedente Domino, & ſacram hanc actionem terminante per ſignum eiuſmodi. III. *Cum productum fuerit iubilum*. IV. Noſter Ioſue VI. 5. vertit: *Cumque inſonuerit vox tubæ longior, atque conciſior*. Hunc ſonitum atque clangorem quidam a cornicinibus, aut tubicinibus populi, iubente Moſe, editum; alii divinum, & angelicum fuiſſe exiſtimant; quod eſt verius e verſ. 16. Vide Levitici XXV. verſ. 10.

V. 18. IN IGNE, quo circumdabatur Deus, & mons ardebat uſque ad medium cæli: Deuter. IV. 11. QUASI DE FORNACE, id eſt denſus & ater: unde Deuter. IV. 11. dicitur: *Tenebræ, nubes, & caligo*. MOYSES LOQUEBATUR. Quidam annotant, nuſquam in veteri Teſtamento legi quid Moſes hic ſit locutus; ſed Paulum Hebræorum XII. 21. id expreſſiſſe, dicentem, adeo fuiſſe terribile viſum quod apparebat, ut Moſes tremens dixerit: *Tremefactus ſum, & tremebundus*. Sed non eſt dubium quin multa alia tunc cum Deo locutus fuerit de lege, de populo, &c.

V. 21. NE FORTE VELIT TRANSCENDERE TERMINOS AD VIDENDUM DOMINUM. Hebr. varie reddunt. I. *Ne deſerant ſtationem, ut aſcendant ad Iehovam ad videndum*. II. *Ne deſtruant ad Iehovam ad videre*; id eſt, ne ſtatione deſerta, aut deſtru-

ſtru-

Digitized by Google

ſtructis ordinibus aſcendant ad Iehovam, verſ. 24. infra adiecit verbum, quod hic ſubintelligi debet, cum ait, *Ne diruant*, *ut aſcendant*. III. *Ne diruant ad Iehovam*, nimirum ſeptum ſeu terminum in radice montis factum, *ut videant*. IV. *Ne perrumpant terminum aſcendendo ad Iehovam*, *videndi animo*. Nec eſt alienum exiſtimare, Moſen iubente Deo circum inferiorem partem montis ſtatuiſſe ſepem, ſeu ſeptum, aut vallum, e palis defixis, aut alia materia, ne Iſraelitæ ultra illud accederent.

V. 22. SACERDOTES QUOQUE QUI ACCEDUNT AD DOMINUM. Dubium qui fuerint iſti ſacerdotes, cum nondum tunc inſtituti fuerint a Deo ſacerdotes populi. Hebræi, & plerique noſtrorum, hos ſacerdotes intelligunt primogenitos, quos ſibi Dominus conſecraverat, ſupra cap. XIII. 2. & Numeror. VIII 16. & ſeq. ii enim adminiſtrarunt ſacra, donec Levitæ, & domus Aaron in eorum locum aſſumerentur, ut colligitur e cap. XXIV. verſ. 5. Alii exiſtimant, iam tunc a Deo deſignatos fuiſſe aliquos ſacerdotes ſacris operandis, nam ante hæc, iam aliquot ſacrificia oblata conſtat; ſed poſtea maiori ſolemnitate, ritu, apparatu inſtitutos ſacerdotes.

MENOCHII.

Verſ. 1. IN DIE HAC: in die eadem, ſive eiuſdem numeri, tertia nimirum: nam præceſſerat, MENSE TERTIO, &c. Alii putant ſignificari eodem die quo de Raphidim profecti ſunt, ad ſolitudinem Sinai, quæ parum diſtabat, perveniſſe. IN SOLITUDINEM SINAI, ubi fuit duodecima manſio.

V. 3. ASCENDIT AD DEUM, in montem Sina.

V. 4. QUOMODO PORTAVERIM VOS SUPER ALAS AQUILARUM. Aquilæ pullos ſuos non transferunt unguibus, & pedibus, ſed eos ſuper alas imponunt, & adeo alte volant, ut extra omnis teli iactum ſint.

V. 5. ERITIS MIHI IN PECULIUM. Peculium eſt peculiaris, & propria hereditas: hoc autem eſt quod dicitur Deut. XXXII. *Pars Domini populus eius, Iacob funiculus hereditatis eius*. Vox Hebræa סגלה *ſegulla* ſignificat portionem electam, & dilectam, qualis eſt theſaurus. MEA EST ENIM OMNIS TERRA. Cum totus orbis, & omnes gentes meæ ſint, poſſum, & volo, vos in peculium meum aſciſcere.

V. 6. ERITIS MIHI IN REGNUM SACERDOTALE. Hebr. *In regnum ſacerdotum*. Chald. *Eritis mihi reges*, & *ſacerdotes*. Vos eritis regnum meum, non laicum, & profanum, ſed ſacrum, meoque cultui, & ſacrificiis addictum: vel quilibet veſtrum erit quaſi rex, & ſacerdos. Rex, quia (ut Hebraicæ Reip. pars, & membrum) Chananæis aliiſque gentibus dominabitur. Sacerdos, quia vos ſoli inter omnes gentes meo cultui, & religioſis cæremoniis eritis addicti. Vel etiam ſenſus eſt: Ex vobis erunt reges, & ex vobis etiam erunt ſacerdotes. GENS SANCTA, ſeparata ab aliis gentibus profanis, & idololatris, & mihi quodammodo conſecrata.

V. 9. VENIAM AD TE IN CALIGINE: ut te legiſlatorem Hebræorum conſtituam, qui eis des legem non humanam, ſed ore divino dictatam.

V. 11. IN DIEM TERTIUM. Dies hic tertius fuit quinquageſimus a Paſchate, & ab egreſſu ab Ægypto, fuitque Pentecoſtes, qua legem a Deo acceperunt in Sina.

V. 12. NE ASCENDATIS IN MONTEM, &c. quaſi curioſi ſcrutatores præſentiæ, & maieſtatis divinæ; ſed potius eam reverentes, vos caſtris, & iumenta veſtra continete.

V. 13. LAPIDIBUS OPPRIMETUR: lapidabitur ut ſacrilegus. CUM COEPERIT CLANGERE BUCCINA. Sonum buccinæ imitabatur Angelus qui in monte ſteterat: eo clangore populus evocabatur e caſtris a monte diſtitis, ut veniret ad radicem montis, ibique, Angelo quaſi Dei præcone proclamante, legem audiret. ASCENDANT IN MONTEM: verſus montem, uſque ad terminos a Moſe Dei iuſſu præfixos, in ipſa montis radice. Vide num. 17.

V. 14. SANCTIFICAVIT EUM, iubendo lavare veſtimenta, abſtinere ab uxoribus, & comparare ſe per munditiem, & reverentem expectationem Dei, eiuſque legis.

V. 18. DESCENDISSET DOMINUS IN IGNE. Ignis Deum præit, vel in eo appa-

apparet ipſe Deus non infrequenter in Scriptura: Pſalm. xlix. 3. *Deus manifeſte veniet*, &c. *Ignis in conſpectu eius exardeſcet*. ERATQUE OMNIS MONS TERRIBILIS. Immo mons ipſe concuſſu ſeſe terræ motu. Pſalm. lxvii. 9. *Terra mota eſt, etenim cæli diſtillaverunt a facie Dei Sinai, a facie Dei Iſrael*. Quod dicitur *diſtillaverunt*, oſtendit non ſolum ignem, fumum, terræmotum, fulgura, &c. ſed etiam pluviam tunc fuiſſe.

V. 19. DEUS RESPONDEBAT EI. Hebr. additur *Per vocem*, ita ut Hebræi Deum cum Moſe loquentem audirent.

V. 20. DESCENDITQUE DOMINUS. Iam deſcenderat, ſed adhuc ulterius deſcendit ad ipſum verticem, eoque Moſen evocat; Moſes autem infra verticem conſiſtebat.

V. 21. TERMINOS, a me ſtatutos.

V. 22. SACERDOTES. Nondum erat inſtitutum ſacerdotium Aaronicum. Sacerdotes ergo hic intelligit eos qui ex lege naturæ erant ſacerdotes, primogeniti nimirum, ex multorum ſententia. QUI ACCEDUNT AD DOMINUM: quorum munus eſt ad Deum accedere. Iubet ergo ſacerdotes cum ceteris, immo præ ceteris ſanctificari.

V. 23. NON POTERIT, non præſumat: vetitum enim mortis pœna. TESTIFICATUS ES: proteſtatus es.

V. 24. VADE, DESCENDE: ut ſacerdotibus etiam denunties ne tranſeant terminos montis; & ut Aaronem ad me adducas; & etiam ut tu ex inferiore loco legem, quam cum ceteris pati debes, accipias.

TIRINI.

Verſ. 1. IN DIE HAC, ſcilicet eadem, ſive eiuſdem numeri cum menſe tertio; id eſt, tertia die tertii menſis. Hinc & ex verſ. 11. colligitur, legem e monte Sinai Iudæis datam quinquageſima die poſt egreſſum ex AEgypto, nempe ſexta die menſis Sevan: qua die Hebræi in memoriam tanti benefici quotannis celebrabant feſtum Pentecoſtes, ut notat Genebrardus ex Calendario Hebræorum.

Nota. Hæc manſio in Sinai fuit duodecima: in qua manſerunt immoti toto reliquo primo anno egreſſus ſui ex AEgypto. Quo tempore compoſuit formavitque Deus ſynagogam ſeu eccleſiam Iudæorum, leges dictando, ſacerdotium, ſacrificia, & varias cæremonias inſtituendo. Nam omnia quæ ab hoc cap. xix. uſque ad finem Exodi conſcripta ſunt, item quæ toto Levitico, & libro Numerorum uſque ad medium cap. x. geſta ſunt uno hoc loco in Sinai, Ita S. Hieronymus. Vide Chronicon cap. xix.

V. 4. SUPER ALAS AQUILARUM. Hebræi ſæpe omittunt particulas ſimilitudinum; quæ nihilominus ſubaudiendæ ſunt. Uult ergo dicere, quod inſtar aquilæ, quæ pullos ſuos ſuis alis altiſſime, ſed ſecuriſſime vectat, & ad ſolis intuitum aſſuefacit, & prædam de longe proſpicere, atque invadere docet; ita Deus alis ſuæ potentiæ, & providentiæ Hebræos ex nido AEgypti ſuſtulit ad ſui cognitionem, & cultum, & ad prædam Amalecitarum & Chananæorum.

V. 5. ERITIS MIHI IN PECULIUM; id eſt, eritis mihi peculiaris hereditas, præ omnibus electa, & dilecta. MEA EST ENIM OMNIS TERRA; quaſi dicat: Etſi enim omnis terra pari iure mea ſit; attamen vobis peculiariter hoc beneficii præſtabo, ut ſitis,, & vocemini paſſim *populus Dei*, & *regnum ſacerdotale*; id eſt, non laicum aut profanum regnum, ſed ſacrum, meoque cultui, & ſacrificiis peculiariter aſtrictum. LXX. & ex eis S. Petrus (I. Petr. II. verſ. 9.) pro *peculio*, & *regno ſacerdotali*, vertunt, *Populus acquiſitionis*, & *regale ſacerdotium*; quaſi dicant: Populus quem Deus eruendo ex AEgypto ſibi ut proprium acquiſivit, & vendicavit; & uſque eo honoris ac dignitatis extulit, ut ex mancipiis reges, ac ſacerdotes fecerit; ut habet Chaldæus: quæ utraque dignitas omnium ſuprema eſt, maximeque ſublimis in orbe terrarum.

V. 10. SANCTIFICA ILLOS HODIE ET CRAS: Hebr. Id eſt, ſepara, ſeiunge populum ab omni ſorde: quod fiebat lotione corporum, veſtium, vaſorum, emundatione caſtrorum, continentia ab uxoribus, &c. Sic verſ. 23. dicitur mons Sinai fuiſſe ſanctificatus, id eſt termino ſeparatus ab acceſſu populi, ut ita quaſi ſoli Deo dicatus videretur, & nemo illum tamquam rem profanam contingeret.

V. 13. CUM COEPERIT CLANGE-

RE BUCCINA. In Hebræo, Chaldæo, & Græco additur, *prolixius*; quaſi dicat: Cum Iſraelitæ altiorem, & prolixiorem e monte Sinai audierint ſonum ab Angelis edendum, qui ſonus buccinæ referet, TUNC ASCENDANT IN MONTEM: non in cacumen, quia id omnibus præterquam uni Moyſi vetitum fuerat; ſed ad radices montis, ubi termini ſtatuti erant, quo tranſire nemini licebat. Ergo ſtrepitu buccinæ Angelicæ evocandi dicuntur e caſtris ad radicem montis Sinai, e quo Deus auguſta, & maieſtatis plena voce Decalogum, toto audiente populo, detonabat.

GORDONI.

Verſ. 1. MENSE TERTIO. Ventum in Sina die tertio menſis tertii, anni primi ab exitu. Eſt, ut aliqui numerant, ſtatio duodecima. Hæſerunt in Sina annum fere integrum. Vide cap. III. verſ. 1. Dixi die tertio, nam inter diſcrepantes opiniones hoc probabilius eſt.

V. 4. SUPER ALAS AQUILARUM, in tuto. Aquila alte volat, ac proinde tuta ab ictu.

V. 5. IN PECULIUM DE CUNCTIS POPULIS. Hebr. הגלם *ſegula*, ſignificat quicquid eſt electum, peculiare, pretioſum. Nota *τὸ* SI AUDIERITIS: probat enim hominis libertatem.

V. 6. IN REGNUM SACERDOTALE. Hebr. *Regnum colens me*. Septuag. *Regale ſacerdotium*: I. Pet. II. verſ. 9. GENS SANCTA, quia ſeparata ab impietate.

V. 10. SANCTIFICA ILLOS, nempe ut digne, & reverenter poſſint recipere legem. Nondum erant inſtitutæ purificationes. Potuit vero hæc ſanctificatio intelligi vel ſolitis oblationis ritibus, vel per aliquid ſimile quo ſeparabant homines ad divina.

V. 11. PARATI IN DIEM TERTIUM. Fuit dies iſte quinquageſimus a paſchate, & exitu: fuit proinde Pentecoſte quando legem acceperunt in Sina; nempe ſexto die menſis Sivan, qui eſt menſis tertius, & Maio fere noſtro reſpondens. Alii male hos dies putare ſolent.

V. 12. CAVETE NE ASCENDATIS. Prohibitio hæc ſpectare videtur ad excitandum in populo timorem Dei, & reverentiam. Et tranſgreſſor poſiti limitis iubetur eminus occidi, ne alii inſequentes tranſgreſſorem, etiam attingant montem. At licuit ne poſt ſonitum buccinæ attingere montem? Probabile eſt licuiſſe: nulli tamen præter vocatos licuit aſcendere ad culmen montis.

V. 13. BUCCINA. In Hebr. eſt יבל *iobel*; cuius fit mentio Levit. cap. XXV. verſ. 11. ubi, ut ibi dicam, ſignificat annum qui adducit libertatem. In præſentia vero uſurpatur pro buccina, extenſione ſignificationis, quia ille annus Iubilæi, ſeu libertatis indicebatur buccinis. Apud Sept. *φωναὶ καὶ σάλπιγγες*, *voces*, & *tubæ*.

V. 15. ESTOTE PARATI IN DIEM TERTIUM. Hebr. *per tres dies*.

V. 18. ERATQUE OMNIS MONS TERRIBILIS, nempe ad excitandum populi timorem, ut dixi verſ. 12. Et clare Septuaginta referunt ad populi timorem, *καὶ ἐξέστη πᾶς ὁ λαὸς σφόδρα*, *obſtupuit*. Pagninus, *expavit*, ex rad. חרד *trepidavit*: variata ſunt puncta, cum coniugatione, & in Kal, eſt contremiſcere; ita legit Noſter: at in Hiphil, eſt facere contremiſcere; ita Septuaginta: nec dubium, quin Deo præſente, concuſſio montis terribilis eſſet, & ſimul faceret, ut populus tremeret.

V. 19. MOSES LOQUEBATUR. Eſt ſignificatio futuri, uſque ad finem capitis, colloquii inter Deum, & Moſen.

V. 22. SACERDOTES QUOQUE. Hic ſacerdotes illi accipiuntur qui ex lege naturæ ſacerdotium obtinebant, ut erant primogeniti familiarum: nam nondum Aaron & filii eius creati erant ſacerdotes; ut ſupra cap. XII. verſ. 5.

V. 23. SANCTIFICA ILLUM: conſtitue terminos ne contingatur, & ne aſcendant ad videndum quod gerebatur.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 14. SANCTIFICAVIT, per munditiem omnem, & numinis reverentiam.

V. 20. Deſcenderat iam, ſed adhuc magis deſcendit ad verticem montis. Moſes ſtat infra verticem.

V. 24. VADE, DESCENDE, ut adducas Aaronem, & terminum præſcribas ſacerdotibus.

CAPUT XX.

Moyſes Decalogum a Domino auditum territo populo narrat, ac terreum aut lapideum de inſectis lapidibus altare fieri iubet, ad quod non ſit per gradus aſcendendum.

1 LOcutuſque eſt Dominus cunctos ſermones hos: 2. Ego ſum Do-
minus Deus tuus, qui eduxi te de terra AEgypti, de domo ſer-
vitutis. 3. Non habebis deos alienos coram me. 4. (a) Non
facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem quæ eſt in cæ-
lo deſuper, & quæ in terra deorſum, nec eorum quæ ſunt in
aquis ſub terra. 5. Non adorabis ea, neque coles: ego ſum Do-
minus Deus tuus fortis, zelotes, viſitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam
& quartam generationem eorum qui oderunt me: 6. & faciens miſericordiam in
millia his qui diligunt me, & cuſtodiunt præcepta mea. 7. (b) Non aſſumes no-
men Domini Dei tui in vanum: nec enim habebit inſontem Dominus eum qui
aſſumpſerit nomen Domini Dei ſui fruſtra. 8. (c) Memento ut diem ſabbati ſan-
ctifices. 9. Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua. 10. Septimo autem die ſab-
batum Domini Dei tui eſt: non facies omne opus in eo, tu, & filius tuus &
filia tua, ſervus tuus & ancilla tua, iumentum tuum, & advena qui eſt intra por-
tas tuas. 11. (d) Sex enim diebus fecit Dominus cælum & terram, & mare, &
omnia quæ in eis ſunt, & requievit in die ſeptimo, idcirco benedixit Dominus
diei ſabbati, & ſanctificavit eum. 12. (e) Honora patrem tuum & matrem tuam,
ut ſis longævus ſuper terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi. 13. (f) Non
occides. 14. Non mœchaberis. 15. Non furtum facies. 16. Non loqueris contra
proximum tuum falſum teſtimonium. 17. (g) Non concupiſces domum proximi
tui: nec deſiderabis uxorem eius, non ſervum, non ancillam, non bovem, non
aſinum, nec omnia quæ illius ſunt. 18. Cunctus autem populus * videbat voces &
lampades, & ſonitum buccinæ, montemque fumantem: & perterriti ac pavore con-
cuſſi, ſteterunt procul, 19. dicentes Moyſi: Loquere tu nobis, & audiemus: non
loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur. 20. Et ait Moyſes ad populum: No-
lite timere: ut enim probaret vos venit Deus, & ut terror illius eſſet in vobis, &
non peccaretis. 21. Stetitque populus de longe. (h) Moyſes autem acceſſit ad ca-
liginem in qua erat Deus. 22. Dixit præterea Dominus ad Moyſen: Hæc dices fi-
liis Iſrael: Vos vidiſtis quod de cælo locutus ſim vobis. 23. * Non facietis deos ar-
genteos, nec deos aureos facietis vobis. 24. (i) Altare de terra facietis mihi, &
offeretis ſuper eo holocauſta & pacifica veſtra, oves veſtras & boves in omni lo-
co in quo memoria fuerit nominis mei: veniam ad te, & benedicam tibi. 25. (k)
Quod ſi altare lapideum feceris mihi, non ædificabis illud de ſectis lapidibus: * ſi
enim levaveris cultrum ſuper eo, polluetur. 26. Non aſcendes per gradus ad al-
tare meum, ne reveletur turpitudo tua.

(a) Deut. v. 6. Pſal. lxxx. 11. xcvi. 7. Levit. xxvi. 1. Deuter. iv. 15. Ioſ. xxiv. 14. (b) Deut. v. 11. Lev. xix. 12. Matth. v. 33. (c) Ezech. xx. 12. Deut. v. 13. Infra xxxi. 13. (d) Gen. ii. 2. (e) Deut. v. 16. Matth. xv. 4. Eph. vi. 2. (f) Matth. v. 21. (g) Rom. vii. 7. xiii. 9. (h) Heb. xii. 18. Deut. xviii. 16. (i) Infr. xxvii. 8. xxxviii. 7. (K) Deut. xxvii. 5. Ioſ. viii. 31.

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

V. 18. *Videbat voces, & lampades*. Non ſubſtituas *audiebat* pro *videbat*.
V. 23. *Non facietis deos argenteos*. Non iudicarunt Romani addendum *mecum*, tametſi legatur Hebraice.
V. 25. *Si enim levaveris cultrum ſuper eo*, ſcilicet altari. Quare non eſt legendum *eum* multoque minus *illos*, quod ad lapides alii referunt.

C O M M E N T A R I A

S A.

Verſ. 3. HABEBIS. Futurum pro imperativo: ſic & in ſeq. DEOS, ſcilicet quos colas. ALIENOS CONTRA ME. Chald. LXX. *Alios præter me*.

V. 4. SCULPTILE, ſcilicet ad colendum pro Deo, ut poſtea dicitur; ſeu deorum ſculptile: pertinet enim id ad primum præceptum, ſcilicet de non colendo deos alienos. OMNEM, pro aliquam; quaſi dicat, nec ullam immaginem cæleſtium, aut terreſtrium pro Deo colendam.

V. 5. ZELOTES, id eſt zelotypus: ſcilicet qui ferre non poſſum ut cultus uni mihi debitus, alii tribuatur. VISITANS, id eſt puniens. Punit Deus interdum patrem in filiis, hos occidendo: nec id iniuſtum eſt, quippe dominus eſt vitæ, & mortis; & alioqui mortem quiſque debet ob peccatum originale. TERTIAM. Vide Num. XIV.

V. 6. MILLIA HIS, pro mille horum generationes: mille autem, pro plurimas. Dixerat de punitione, *in tertiam & quartam*; ſcilicet ſuperexaltat miſericordia iudicium.

V. 7. ASSUMES, ſcilicet iurando. IN VANUM, id eſt temere, ſcilicet peierando. INSONTEM, id eſt pro innocente; quaſi dicat, puniet. FRUSTRA. id eſt in vanum. Vide ſup. proxime.

V. 8. SANCTIFICES, id eſt ſancte colas.

V. 10. SABBATUM DOMINI; quaſi dicat: Quieſcendum a corporalibus, ut attendatur divinis. OMNE; pro, *ullum*, Hebraice. PORTAS, ſcilicet urbis.

V. 11 SANCTIFICAVIT, id eſt ſancte celebrandum inſtituit.

V. 12. HONORA, ſcilicet neceſſaria miniſtrando, Hieron.

V. 18. VIDEBAT, id eſt audiebat.

V. 20. PROBARET. Hebr. & LXX. *Tentaret*. Sed Dei tentatio, probatio eſt.

V. 22. CAELO, id eſt aere.

V. 24. DE TERRA, ſcilicet terra implebatur altare æneum. PACIFICA, ſcilicet quæ pro pace & incolumitate offeruntur. BENEDICAM, id eſt bonis cumulabo.

V. 25. CULTRUM, id eſt ferreum inſtrumentum, ſcilicet ad poliendum lapides. POLLUETUR, ſcilicet altare; id eſt, contaminabitur, adeoque non mihi placebit quod in eo offeres. Nota, quod nolebat Deus imitarentur gentiles altaribus poliendis. Nota etiam, pollutum haberi apud Deum quidquid fit ſecus quam ipſe vult.

E S T I I.

Verſ. 1. LOCUTUSQUE EST DOMINUS CUNCTOS SERMONES HOS. Dixit quidem populus hoc eodem capite verſ. 19. ad Moyſen: *Loquere tu nobis, & audiemus: non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur*. Sed dixerunt hæc Iſraelitæ, maieſtate Dei loquentis territi; nec tamen deſiit propterea ipſum Decalogum per ſe immediate pronuntiare. Docent hoc ſubiecta verba verſ. 22. *Dixit præterea Dominus ad Moyſen: Hæc dices filiis Iſrael: vos vidiſtis quod de cælo locutus ſum vobis*. Item illud ad Hebr. cap. XII. ubi de populo Iſrael dicitur, quod poſtquam audiviſſent vocem ſeu verbum Dei, excuſaverunt ſe ne eis fieret verbum, ſcilicet amplius. Nam Græce eſt, *Ne eis apponeretur ſermo*; quod Hebræa phraſi ſignificat alia verba prioribus addere, ut Iſaiæ cap. VII. 10. *Adie-*

cit *Dominus loqui ad Achaz*. Denique Deut. VI. 12. expreſſe dicitur: *Locutus eſt Dominus ad vos de medio ignis. Vocem verborum eius audiſtis, & formam penitus non vidiſtis*.

V. 4. NON FACIES TIBI SCULPTILE, NEQUE OMNEM SIMILITUDINEM. Quæritur quare hinc non eſt conſequens prohiberi quoque imagines Chriſti, & ſanctorum? Reſpondeo. Hoc præceptum dupliciter intelligi poteſt. Uno modo, ut abſolute hoc præcepto voluerit Deus prohibere quocumque prætextu ſculptile, aut cuiuſcumque rei imaginem. Et hoc intellectu ad ſolos pertineret Iudæos, utpote ad idololatriam proclives, ſicut & præceptum de colendo ſabbato, eo modo ut in eo nec cibi poſſent parari. Sed altero modo, & probabilius intelligitur non abſolute prohibitum ſtatuas, aut imagines facere, ſed tantum eo fine ut colantur & adorentur: ad hoc enim ſignificandum additum eſt: *Non adorabis ea, neque coles*; ut ſenſus ſit: Non facies ut adores & colas ea, id eſt ut eis cultum impendas divinum. Ita Auguſtinus in Quæſt. & omnes fere hoc præceptum intellexerunt, ut ſit præcedentium verborum explicatio, & complementum. Unde manifeſtum eſt nihil hoc ad imagines chriſtianorum pertinere, quæ in ſeipſis neque honorantur, neque adorantur; ſed ad Chriſtum, & ſanctos, tamquam prototypa, omnis earum veneratio refertur. Confirmat quoque hunc ſenſum quod legitur Ioſue XXII. cap. de altari erecto a duabus tribubus & media. Cum enim altaris extructio extra locum divinitus ad hoc ordinatum vetita eſſet lege; non tamen contra illud mandatum fecerunt qui altare hoc extruxerunt, utpote non ad ſacrificandum, ſed in monumentum: quæ legis interpretatio etiam huc transferenda eſt. Quamvis enim lex prohibeat fieri ſimulacra; non tamen propterea contra legem, id eſt legis intentionem, faciunt qui ſimulacrum non ad cultum, ſed ad rememorationem habent, aut faciunt. Unde & legimus in domo Davidis fuiſſe ſtatuam, qua Michol uxor eius I. Reg. XIX. uſa eſt ad fallendum ſatellites Saul.

V. 5. VISITANS INIQUITATEM PATRUM IN FILIOS EORUM QUI ODERUNT ME. Quomodo hæc ſententia non diſſentiat ab ea quæ eſt Ezech. cap. XVIII. Gregorius Lib. XIV. Moral. cap. XXXI. (& citatur a Gratiano de Pœnitentia diſt. IV. cap. Quid eſt) duobus modis explicat. Non videtur autem recte reſtringi ad poſteros imitantes peccata maiorum: quia ſæpe Deus, punitione temporali ſcilicet, etiam viſitat iniquitates patrum in filiis in ea ætate quæ nondum eſt imitationis pravæ capax; ut quando tota familia cum pueris & infantibus deletur propter peccatum unius, ut factum eſt in Achan, Ioſue cap. VII. Sic & peccatum Davidis vindicatum eſt in filio eius infante. Si quæras cauſam Iuſtitiæ, habes illam Exod. cap. XXXIV. verſ. 7. in oratione Moyſis his verbis: *Nulluſque apud te per ſe innocens eſt: qui reddis iniquitatem patrum filiis ac nepotibus, in tertiam & quartam generationem*: nempe quia nullus per ſe apud Deum eſt innocens.

V. 7. NON ASSUMES NOMEN DOMINI DEI TUI IN VANUM, id eſt non peierabis: ſic enim Chriſtus exponit Matth. cap. V. In *vanum* ergo, id eſt ad falſitatem. Vide noſtra in tertium diſt. XXXIX. Eodem modo intellige quod ſequitur: NEC ENIM HABEBIT INSONTEM DOMINUS EUM QUI ASSUMPSERIT NOMEN DOMINI DEI SUI FRUSTRA. Habet eum pro homine ſcelerato, & ut talem puniet, qui falſum iuraverit: hoc autem de eo qui verum temere, & leviter iurat dici non poteſt. Vide Vatablum. Et eadem verba habentur Deuteron. V. tametſi interpres noſter non iiſdem verbis vertat. Vide & illic Vatab. nobiſcum diſerte ſentientem. Vide etiam Emanuelem hoc loco.

V. 8. MEMENTO UT DIEM SABBATI SANCTIFICES. Nota quod dicitur, *ſanctifices*: ſicut enim olim Iudæis non tantum ſervilia, ſed etiam alia quædam, ut iter agere, emere ac vendere, prohibita fuerunt, ut patet Exod. XVI. & II. Eſdræ ult. ita & nunc præter ſervilia opera etiam alia quædam hominem a Dei cultu abſtrahentia prohibentur, ut mercatus, ſtrepitus iudiciarius, & ſimilia, de quibus II. Decr. tit. de Feriis. Interim in his omnibus (quoniam Eccleſia, quæ cultum internum magis quam externum ſpectat, non tam rigide præcipit hanc requiem atque olim lex Moyſi) præcipue attendenda

da eſt approbata conſuetudo populi Chriſtiani, id eſt piorum fidelium, tamquam optima legum Eccleſiæ interpres. Sed ab Apoſtolis ſabbatum in diem dominicam mutatum eſt, ut patet ex illo Actorum cap. xx. *Una ſabbati* (nempe prima die poſt ſabbatum) *cum conveniſſemus ad frangendum panem, &c.* ſcilicet ſacrum. Et ſimilis locus de collectis fidelium eo die fieri ſolitis eſt I. Corinth. ult. Et Ioannes Apocalypſ. I. aperte dicit: *Cum eſſem in ſpiritu in dominica die*, Vide noſtra in III. Librum Sent. diſt. xxxvii.

V. 10. NON FACIES OMNE OPUS IN EO. Intelligitur de opere ſervili, qualia ſunt opera mœchanica, & fabrilia, item onera vehere, ut patet Nehem. ult. & alibi. Huc etiam pertinet mercatus, ut patet eodem cap. Nehem. quia quamvis emere & vendere non ſit proprie opus ſervile (non enim hoc ſolet demandari ſervis) tamen eſt eiuſmodi opus quod animum diſtrahat plurimum ab intentione rerum divinarum, & animum quaſi ſervum rerum terrenarum faciat. Vide plenius infra cap. xxxv, verſ. 3.

V. 12. HONORA PATREM TUUM ET MATREM. Honor parentibus debitus triplex eſt. Primus obedientiæ, quam Apoſtolus ad Epheſ. vi. & alibi ſæpe commendat. Ita Chriſtus patrem honoravit obediens ei uſque ad mortem. Secundus eſt reverentiæ. Sic Salomon matrem honoravit, eam ad dexteram collocans in ſolio iuxta ſolium ſuum III. Reg. II. Tertius eſt ſuſtentationis, de quo Matth. xv. ubi reprehendit Chriſtus phariſæos contra hoc præceptum deſraudantes parentes prætextu pietatis. Quod autem honoris nomine ſuſtentatio quoque intelligatur, docent hæ Scripturæ: I. ad Tim. v. *Presbyteri duplici honore digni habeantur*, & Tob. I, de certis pecuniis *in quibus*, inquit Scriptura, *honoratus fuerat a rege*. UT SIS LONGÆVUS SUPER TERRAM. Non tam cauſa finalis deſignatur, quam eventus, ſive bonum quoddam conſequens, quod promittitur honoranti; quaſi dicat: Honora parentes, ita fiet ut vivas longævus ſuper terram. Nihil tamen vetat hoc bonum conſequens finem conſtitui ſecundarium.

V. 13. NON OCCIDES. De hoc præcepto ita Auguſtinus Lib. I. de Civitate Dei cap. xxi. *Quaſdam*, inquit, *exceptiones tamen eadem ipſa divina fecit auctoritas ut liceat hominem occidi, quem videlicet Deus occidi iubet, ſive data lege, ſive ad perſonam pro tempore expreſſa iuſſione. Et ideo nequaquam contra hoc præceptum fecerunt qui Deo auctore bella geſſerunt, aut perſonam gerentes publicæ poteſtatis, ſceleratos morte punierunt, & Abraham quod voluit filium nequaquam ſcelerate, ſed obedienter occidere*: & poſt nonnulla concludens: *His igitur exceptis, quos vel lex iuſta generaliter, vel ipſe fons iuſtitiæ Deus ſpecialiter occidi iubet, quiſquis hominem vel ſeipſum, vel quemlibet occiderit, homicidii crimine innectitur*. Hæc Auguſtinus, Si quæras quid ergo de ſanctis quibuſdam virginibus quæ tempore perſecutionis, ut inſectatores ſuæ pudicitiæ devitarent, in flumen ſe præcipitarunt, dicendum ſit: putat idem Auguſt. Lib. eodem cap. xxvi. probabile eſſe divino iuſſu, vel inſtinctu, hoc ab eis factum fuiſſe; ſicut idem de Samſone affirmat eodem Lib. I. de Civitate Dei, dicto cap. xxi. Vide noſtra in III. Sententiarum diſt. xxxvii.

V. 14. NON MOECHABERIS. De hoc præcepto ſic Auguſt. quæſt. lxxi. in Exod. *Si*, inquit, *furti nomine bene intelligitur omnis illicita uſurpatio rei alienæ, profecto & nomine mœchiæ omnis illicitus concubitus, atque illorum membrorum non legitimus uſus prohibitus debet intelligi*. Sic ille. Quin etiam fornicationem ſimplicem ſoluti cum ſoluta mortale peccatum eſſe, & a regno Dei excludere, his verbis Apoſtolus declarat expreſſe, etiam adulteros & fornicarios diſtinguens, I. Corinth. vi. *Neque fornicarii, neque adulteri, neque molles, regnum Dei poſſidebunt*: & Heb. xiii. *Fornicatores & adulteros iudicabit Deus*. Et aperta eſt Chryſoſtomi ſententia homil. xxii. in II. Corinth. x. *Quoties ſcortatus es, toties damnaſti teipſum*. Et in decretis ſic legitur xxv. quæſt. I. cap. I. *Prædicandum: Noſſe debent talem de periurio pœnitentiam imponi debere, qualem de adulterio, & fornicatione, & de homicidio ſponte commiſſo, & de ceteris criminalibus vitiis*. Ita ibi. Sed & ebrietas hoc præcepto prohibetur, ut quæ directe ad incontinentiam ducat. Unde illud Proverb. xx. *Luxurioſa res vinum*: & ad Epheſ. v. *Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria*. Vide de

his

Digitized by Google

his etiam plura, ſi placet, in III. Sentent. diſt. XXXVII.

V. 15. NON FURTUM FACIES. Prohibetur generaliter omne nocumentum quod homini iniuſte infertur in rebus exterioribus, quas poſſidet, vel ei debentur: nam & detentio iuſtæ mercedis, & ſimilium, in primis huc pertinent, ut patet Iacobi V. & alibi. Et fures regnum Dei non poſſeſſuros Apoſtolus aſſerit I. Cor. VI. Apud Prophetas quoque Oſeæ IV. & Zachariæ III. Dominus gravia furibus comminatur. Infinitæ ſunt huius peccati ſpecies, quæ aliunde petantur. Illud hic tantum addo, quod in omnibus, ante omnia facienda ſit reſtitutio; de qua ſic Auguſt. epiſt. LIV. ad Macedonium: *Si res aliena, propter quam peccatum eſt, cum reddi poſſit, non redditur; non agitur pœnitentia, ſed fingitur. Si autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum; ſed, ut dixi, cum reſtitui poteſt*. Ita Auguſtinus. Vide noſtra in III. Sentent. dicta diſt. XXXVII.

V. 16. NON LOQUERIS CONTRA PROXIMUM TUUM FALSUM TESTIMONIUM. Huc pertinet in primis omne mendacium, deinde & ea quæ peculiarem ſpeciem falſitatis in verbis, ſeu promiſſi conſtituunt, calumnia, detractio, pactorum violatio, & ſimilia. Et omne mendacium peccatum eſſe (tametſi aliud ſit veniale tantum, ut iocoſum, & officioſum) D. Auguſtinus integro Libro inſcripto de Mendacio docet. Ceterum quod in præcepto additum eſt, *contra proximum tuum*, non ideo exiſtimare licet, pro proximo, ſine peccato poſſe falſum teſtimonium dici. Hoc enim tantum idcirco in præcepto additum eſt, quia ut plurimum per falſum teſtimonium proximo nocumentum, raro autem, & per accidens tantum aliquod commodum adſertur; velut cum aliquis in iudicio falſum teſtimonium dicit ut ſervet vitam homini innocenti. Sed nec hoc ſine omni peccato fieret. Vide plenius, ſi lubet, in III. Sent. diſt. XXXVIII.

Verſ. 17. NON CONCUPISCES DOMUM PROXIMI TUI, NEC DESIDERABIS UXOREM EIUS, NON SERVUM, &c. In Deuteronomio cap. V. alius ordo ſervatur in hunc modum: *Non concupiſces uxorem proximi tui, non domum, non agrum &c.* Hinc nonnulli (etiam Veteres) faciunt hic unum tantum præceptum; diſtinguentes primum, ut illa poſteriora verba, *Non facies tibi ſculptile*, ſit ſecundum præceptum. Sed iuxta ea quæ diximus paulo ante, quod illud, *Non facies tibi ſculptile*, non ſit niſi partis præcedentis explicatio, potius hic duo præcepta conſtituenda ſunt; ut conſtet quod vocentur decem verba fœderis Exod. XXXIV. Deuteron. IV. & X. Sic hæc decem præcepta diſtinguit Auguſt. LXXI. ſuper Exod. conc. I. in Pſal. XXXII. epiſt. CXIX. ad Ianuarium cap. XI. Lib. XV. contra Fauſtum cap. IV. & alibi: eamdemque rationem ſervarunt quotquot fere eum ſunt ſecuti. Et hanc quoque confirmant Patres Concilii Tridentini ſeſſ. XIV. cap. V. & can. 7. occultiſſima peccata vocantes contra duo ultima Decalogi præcepta. Neque obſtat huic ordini, quod hic Exod. XX. concupiſcentia uxoris alienæ ſecundo loco ponatur, aliter quam in Deuteronomio: quia ſeptuaginta Interpretes utroque loco, eodem ordine hæc præcepta poſuerunt, uxorem præponentes aliis rebus; & ſeorſim utrobique adiungentes, *Non deſiderabis*, vel *non concupiſces*. Unde intelligitur quæ in Exodo minus diſtincte poſita ſunt, in Deuteronomio tamquam lege repetita, ac recognita (hoc enim ſonat vox *Deuteronomium*) diſtinctius poſita eſſe. Si quis plura velit conſulat noſtra in III. Sent. diſt. XIV.

MARIANAE.

Verſ. 3. NON HABEBIS DEOS ALIENOS CORAM ME. Hebr. *Deos alios ſuper facies meas*: quod Septuag. & Chald. reddidere, *præter me*: Hieronym. & alii, *coram me*, id eſt nuſquam, quia nihil me latet. Poteſt etiam exponi, *contra me*, mihi oppoſitos.

V. 5. NON ADORABIS EA, NEQUE COLES. Prioris præcepti hoc complementum eſt, non eſſe faciendas imagines ut colantur: alioqui Cherubim in Sanctuario erant. Iudæi autem prorſus animantium hoc tempore imagines omnes reiiciunt. DEUS TUUS FORTIS, ZELOTES. Iulianus Lib. V. reprehendit quod Deus *zelotes* ſit, ſcilicet invidus. Sed *zelus* hic eſt caritas ardentiſſima, qua meos amplector. Aut *zelus* eſt amor, conſortis impatiens. VISITANS, id eſt puniens. IN TER-

TIAM

Digitized by Google

TIAM ET QUARTAM GENERATIONEM. Hebr. *In tertios & quartos*.

V. 6. FACIENS MISERICORDIAM IN MILLIA. *In mille generationes* intellige, ut poſuit Chald. nam ſi ſuperiori verſu per *tertios & quartos*, quod eſt in Hebræo, intellexit Hieron. *generationes*; ſic hic, cum dixit *in millia*, vel *milleſimos*, potuit reddere *generationes*.

V. 7. NOMEN DOMINI DEI TUI IN VANUM. Chald. *fruſtra*, hoc eſt niſi re neceſſaria: vel mendaciter, non volens implere quæ iureiurando promittis: ſic cap. XXIII. ſumitur vox שוא *ſau*. Quidam pro *idolo* ſumunt cum Tertull. Lib. de Idol. cap. XX. ut ſit ſenſus, ne idolo nomen Dei ineffabile tribuatur; aut ne iuretur per idolum, Dei nomen illi tribuendo.

V. 10. ADVENA QUI EST INTRA PORTAS TUAS, id eſt in urbe tua; & loquitur de externis qui non acceperant circumciſionem, ut ſabbatum ſervent.

V. 12. UT SIS LONGAEVUS SUPER TERRAM. Hebraice, *Ut prolongent dies tuos*, ſcilicet pater & mater; ob honorem illis habitum, Deus: vel ut Aven Ezra, præcepta Dei. Certe Hebraicum verbum activum eſt, non neutrum.

V. 17. NON CONCUPISCES. Hebræi a principio capitis ad hunc locum numerant præcepta quatuordecim; ſed ad decem eſſe redigenda in duas tabulas tributa, ex cap. XXXIV. & Deut. IV. ſatis oſtenditur.

V. 18. VIDEBAT VOCES. Voces audiuntur, non videntur: ſed quoniam viſus inter ſenſus præcipuus eſt, actionis eius nomen transfertur ad alios.

V. 23. NON FACIETIS DEOS ARGENTEOS. Hebr. *Non facietis mecum deos argenti*. Chald. *mecum* explicat, *coram me*, id eſt nuſquam. Hebræus quidam explicat in dativo אתי *aithi*, *non faciatis mihi*, etiamſi ad meum cultum eos referatis.

V. 24. ET OFFERETIS SUPER EO, altari ſcilicet hoſtias. Hebraice, *Sacrificabitis*, ſeu *mactabitis ſuper eo*. Et quoniam hoſtiæ ſuper altari non mactabantur, ideo quidam *ſuper* ſumit pro *iuxta illud*. PACIFICA VESTRA. Pax ſanitatem etiam & incolumitatem ſignificat. Quæ pro his rebus offerebantur, *pacifica* vocabantur.

V. 25. SI ENIM LEVAVERIS CULTRUM SUPER EO, ſcilicet altari. In Hebr. חרב *hereb*, id eſt *gladius*: ſed hoc loco ſumitur pro *mallco* quo dolantur lapides: ſicque Pagn. vertit, *Si mallcum tuum levaveris ſuper illud, polues illud*.

MALVENDAE.

Verſ. 3. NON HABEBIS DEOS ALIENOS. *Non erit tibi dii alii*. Quidam: *Ne eſto tibi ullus deorum alienorum*. Alii: *Non erit tibi deus alius*. CORAM ME. Hebr. *Super facies meas*. Quidam, *Ante faciem meam*; id eſt, non ſine me, nec mecum, e verſ. 23. nam ſi facto, vel cogitatione adhibeatur alius deus, ante faciem eius eſt cui etiam intima cordium ſunt aperta; quaſi dicat, me ſpectante, cum nihil me lateat.

V. 4. SIMILITUDINEM. תמונה *temunah* proprie *imago*, quæ ab alio ducta eſt, & expreſſa, quaſi contrafactura, Hiſpanice *retrato*: reddunt *ſpeciem*, *ideam*, *ſimilitudinem*, *figuram*, *imaginem*

V. 6. IN MILLIA. Quidam, *In millenos*, ſeu *milleſimos*, a patribus ſcilicet, id eſt uſque in perpetuum.

V. 7. IN VANUM. לשוא *leſchave* omnia iſta complectitur, *vanitati*, *falſitati*, *mendacio*, *præcipitantiæ*, *temeritati*; vel adverbialiter, *vane*, *fruſtra*, *gratis*, *temere*, *præcipitanter*, *falſo*. Hebræi exponunt, *Sine neceſſitate*: quia etiam veritas non eſt iuranda niſi ob neceſſitatem.

V. 8. SANCTIFICES; id eſt, celebres, habens pro ſancto, & conſecrato cultui Dei.

V. 10. QUI EST INTRA PORTAS TUAS. Heb. *Qui in portis tuis*; id eſt qui habitat in urbibus, & oppidis tuis, intra mœnia, & portas oppidorum, & civitatum tuarum. Alii, *Intra terminos ditionis*, aut *iuriſdictionis tuæ*, quod iudicia olim in portis exercerentur, & quia portis oppida terminantur. Vide Geneſ. XXXIV. verſ. 20. Occurrit hæc phraſis ſæpius in lege; ac ſemel hic annotata eſto.

V. 11. IDCIRCO BENEDIXIT DOMINUS DIEI SABBATI, ET SANCTIFICAVIT EUM; id eſt, voluit illum nobis eſſe ſacrum, ſolemnem, & cultui divino dedicatum. Quidam obſervarunt quatuor cauſas inſtitutionis ſabbati. I. ut diem illum impendas in cultum Dei tui. II. ut ne continuis laboribus te aut tuos defatiges, infra cap. XXIII. verſ. 12. Deuter.

v. verſ. 20. III. ut perpetuo recorderis operum, & quietis Dei in creatione. IV. perpetua memoria liberationis a ſervitute AEgypti, Deuter. v. verſ. 21.

V. 14. NON MOECHABERIS. נאף *naaph* quidam tantum innuptam competere docet: diſcrimenque eſſe volunt inter זנה *zanah*, *fornicari* ſimpliciter, & *naaph*, *adulterari* proprie, quod diſcrimen Oſee IV. 14. poni exiſtimant: atque hic directe prohiberi adulterium, quamvis ſub adulterio contineatur etiam fornicatio ſimplex: quod in ſecunda tabula ea præcepta explicentur, quæ directe proximum reſpiciunt. Alii *naaph* univerſe de illicito coitu viri cum muliere ſive nupta, ſive ſoluta dici exiſtimant; quod ego magis probo e Iob XXIV. verſ. 15. & Ierem. III. verſ. 9. nec locus Oſee diſcrimen evincit. Quidam hic reddunt, *Non adulterabis*, *non committes adulterium*: alii, *Non ſcortaberis*, ſeu *ne ſcortator*. Proprie, *Non agitabis*, *ſubagitabis*, non movebis motu, & ſubagitatione viri in mulierem extra coniugium.

V. 18. AC PAVORE CONCUSSI. Hebr. *Et moti fuerunt*: quidam intelligunt, loco, longius a monte retrocedendo propter ſummam animi ſui conſternationem: acceſſerant enim iam ad imum montis, ſupra cap. XIX. verſ. 17. Noſter, & alii ad animum retulerunt: Commoti ſunt animo, timuerunt, conſternati, pavore concuſſi ſunt.

V. 23. DEOS ARGENTEOS, NEC DEOS AUREOS. Notant eſſe ſynecdochen: quia nobiliſſimis materiis reiectis, aliæ omnes repudiatæ intelliguntur. Sic Pſal. CXIII. 12. & Pſal. CXXXIV. 15.

V. 24. ALTARE DE TERRA. Quidam exponunt, quaſi dicat: His tantum abiectis & vilibus mediis, ſeu apparatibus utitor, quocumque vos deducam, donec fixum cultui meo locum deſignavero. Volunt enim præceptum iſtud temporarium fuiſſe, ab initio profectionis per deſertum uſque ad ſtructuram templi, quod indicant verba illa, IN OMNI LOCO IN QUO FUERIT MEMORIA NOMINIS MEI: nam in itinere ab AEgypto in terram promiſſam ſubinde mutabant varia loca. Poſtea vero conſtructo templo altare ſacrificiorum fuit æneum, I. Reg. VIII. 64. Alii exiſtimant, id præceptum perpetuum fuiſſe, atque in templo etiam altare fuiſſe terreum, ſeu ex rudibus, & inſectis lapidibus, quamvis extrinſecus ad ornatum fuerit ære veſtitum. Nec deſunt qui ex voce אדמה *adamah*, quæ hic ponitur, *terramque rubram & argilloſam* ſignificat, intelligant *altare lateritium*, quod lateres ex eiuſmodi terra fieri ſoleant.

V. 25. NON AEDIFICABIS ILLUD DE SECTIS LAPIDIBUS. Hebr. *Non ædificabis eos* גזית *gazith*. Magna eſt difficultas de voce *gazith*. Conſentiunt fere omnes eſſe a גוז *guz*, vel גזז *gazaz*, *vellere*, *avellere*, *tondere*. Ioannes Forſterus hæc de ipſa annotavit: *Gazith*, *avulſio*, *qualis antiquitus lapidum fuit*, *& iam exolevit*. *Vidi ego in Saxonia aliquot locis eiuſmodi lapidibus*, *ſeu potius magnis ſilicibus ex agris hinc inde collectis ædificia ſacra*, *turres*, *& circum cœmeteria muros extructos*: *ac quomodo*, *aut qua arte tam duri ſilices avulſi*, *ſeu*, *ut ita dicam*, *ferruminati ſint*, *iam ignoratur*; *ſed facilem fuiſſe artem ſecandi*, *res ipſa oſtendit*, *& quod tum vulgares fuerint*; *quam tamen nemo iam præſtare poteſt*. Unde reddit: *Non ædificabis eos de vulſo*. Iſta non placent Mercero. Alii reddunt: *Non ædificabis eos vulſionem*, *avulſionem*, *detonſionem*, *exciſionem*, *cæſionem*, *cæſuram*, *dolationem*; id eſt, non erunt exciſi, cæſi, malleo, vel celte, non politi, raſi, ſecti, lævigati, dedolati, figurati, fabrefacti. Quidam volunt ſignificare lapidem a quo iam ſit avulſum, vel deciſum celte, vel alio inſtrumento ferreo, quidquid redundat in eo ſupra formam quadratam, cuius quantitas erat nota antiquis, nobis vero ignota. *Lapidem quadratum* vertunt: quod colligunt e I. Reg. VII. 9. 11. *Gazith* undecies in Scriptura legitur. Noſter hic, & I. Reg. VII. 11. 12. *ſectis* dixit, I. Reg. VII. 9 *ferrati*. I. Paralip. XXII. 2. I. Regum VI. 36. *poliendos*, I. Regum v. 17. Iſaiæ IX. 10. Threnor. III. 9. Ezechiel. XL. 42. Amos v. 11. *quadris*. Poſſis quoque intelligere: *Non ædificabis eos avulſionem*, *extractionem*, *cæſionem*, id eſt non cæſos, extructos, avulſos a lapicidina, ſed obvios quoſque rudes, & iacentes. Diſquirunt Explanatores cur Deus altare terreum, vel ex inſectis lapidibus fieri præceperit; cauſaſque reddunt quamplures: ipſos adito. Quidam annotant, idcirco e terra, vel lapidibus incultum altare fieri voluiſſe, ut poſt terræ

po-

porarium eius uſum, aut laberetur per ſe, aut deſtrueretur in deſerto, & locis profectionum; & ne elegantiæ, aut religionis nomine conſervatum, gentibus illorum locorum idololatriæ ocaſio eſſet. CULTRUM. Hebr. *Gladium tuum*. Intelligunt ferreum, cælum, ſcalprum, celte, malleum, aut aliud inſtrumentum ferreum ad cædendos, dedolandos, aut poliendos lapides.

V. 26. PER GRADUS. Obſervant, legem hanc honeſtatis & decentiæ non temporariam, ſed perpetuam debere eſſe in Eccleſia; & ideo poſt extructum templum duraturam. Haud aliter Flaminicis ſeu ſacerdotiſſis Dialibus apud Romanos impoſita erat hæc cæremonia: *& quod ſcalas niſi quæ Græce climaces appellantur, eas aſcendere eis plus tribus gradibus religioſum eſt*: Auctor Gellius Lib. X. cap. xv. Servius in IV. AEneidos: *Apud veteres autem Flaminicam ſcalas plus tribus gradibus, niſi Græcas, ſcandere non licebat; ne ulla pars pedum eius, crurumve ſubter conſpiceretur: eoque nec pluribus gradibus, ſed tribus, ut aſcenſu duplices niſus non paterentur extolli veſtem, aut nudari crura: nam ideo Græcæ ſcalæ dicuntur, quia ita fabricantur, ut omni ex parte compagine tabularum clauſæ ſint, ne aſpectum ad corporis aliquam partem admittant*. Vide Notas Scaligeri ad Feſtum, verbo *Inarculum*. Alioqui molli & acclivi aſcenſu ad altare accedebatur, ut ea quæ gerebantur, eſſent oculis omnium expoſita; ideoque altare trium cubitorum altitudine conſtituitur infra cap. XXVII. I. & Salomonis altare fuit altitudinis decem cubitorum, II. Paralipom. IV. I. Vide Levitici IX. verſ. 22.

MENOCHII.

Verſ. I. LOCUTUSQUE EST DOMINUS. Hactenus buccinæ ſonus auditus. Iam articularis vocibus lex ab Angelo, Dei perſonam referente, promulgatur.

V. 2. EGO SUM DOMINUS. Hic incipit Decalogus, cuius explicatio dabitur infra Deut. v. num. 6. ibi enim totus repetitur meliori ordine.

V. 18. VIDEBAT VOCES, audiebat. Hebræi ſæpe unius ſenſus functionem alteri tribuunt, præſertim viſus; ut notat Sanctus Auguſt. quæſt. LXXII. ita Ioan. XX. 29. dicitur, *Quia vidiſti me Thoma, credidiſti*; hoc eſt, quia tetigiſti me.

V. 20. UT PROBARET: ut experiretur veſtrum timorem, reverentiam, & obedientiam.

V. 21. STETITQUE POPULUS DE LONGE; Moſes vero & Aaron progreſſi fuerant ultra radices montis Sina, ut habemus cap. x. num. 24. ad quos populus vociferatus eſt.

V. 23. NON FACIETIS DEOS ARGENTEOS. In Hebræo additur, *mecum*; quos ſcilicet mecum colas. Refricat memoriam primi præcepti decalogi, quod ſæpius inculcandum fuit genti ad idololatriam propenſæ.

V. 24. ALTARE DE TERRA FACIETIS MIHI. Non vult fieri ex lapide dolato, aut ex pretioſa materia; ut Hebræis ad idololatriam pronis, omnem occaſionem, figuras, aut idola ſculpendi, quæ poſtea ſuperſtitioſe colerent, ſubtraheret. Alias plures cauſas vide apud Cornelium hic, & apud Serrar. in Ioſue cap. VIII. quæſt. XVI. HOLOCAUSTA, ET PACIFICA. Pacifica ſunt hoſtiæ oblatæ pro pace, & incolumitate domus, aut Reipub. de quibus Levit. III. IN OMNI LOCO IN QUO MEMORIA FUERIT NOMINIS MEI. Hebr. *In quo memorari fecero nomen meum*. In loco quem ſibi Dominus delegerat ut ibi coleretur ſacrificiis, nimirum ubi erat arca, vel tabernaculum; quamquam ex Dei diſpenſatione, & inſtinctu, vel ob gravem cauſam alibi ſacrificatum ſcimus. Sic Samuel ſacrificavit in Maſpha I. Reg. VII. 9. & in Ramatha ibid. num. 17. & alibi. VENIAM AD TE, ET BENEDICAM TIBI. Chaldæus clare ita interpretatur: *In omni loco, in quo habitare fecero gloriam meam* (puta in tabernaculo, ſive templo, arca, & altari) *inde mittam benedictionem meam, & benedicam tibi*, preces ſcilicet tuas exaudiens, &c.

V. 25. SI ENIM LEVAVERIS CULTRUM. Per cultrum intelligit quodlibet inſtrumentum aptum ad poliendos lapides.

V. 26 NE REVELETUR TURPITUDO TUA: ne in aſcenſu nudentur verenda tua; aut etiam ipſa ſubligacula linea, quæ geſtabant ſacerdotes uſque ad genua protenſa, conſpiciantur. Præceptum hoc de gradibus ad altare non faciendis temporale fuit: nam in templo Salomonis altare erat altitudinis decem cubitorum, II. Paral. IV.

ıv. 1. & ad illud per gradus aſcendebatur. Vide Ezech. xliii. 17. & ad eum locum interpretes.

T I R I N I.

Verſ. 4. NON FACIES TIBI SCULPTILE LXX. *idolum*, id eſt imaginem Dei falſi & ficti. Non ergo prohibetur hic quævis imago, ut vult Calvinus, & alii noſtri hæretici: ſed ſola imago alterius dei; vel ſi veri Dei, ſola imago qua divina natura ex ſe incomprehenſibilis, ad vivum repræſentetur (ut idololatræ fingebant) idque ſive ea per ſe, vel in ſe repræſentetur, ſive per aliquam creaturam; v. g. ſolem, lunam, vitulum, bovem, &c. Et ſic explicans infr. v. 23. quid ntelligat per *ſculptile*, dicit, *Non facietis deos argenteos, nec deos aureos*. Et patet clariſſime ex eo quod hic ſubdit: NON ADORABIS EA, NEQUE COLES: vel ut clarius in Levitico cap. xxvi. v. 1. *Non facietis vobis idolum & ſculptile, nec inſignem lapidem ponetis in terra veſtra ut adoretis eum*: ubi plura vide hac de re. Ergo ſecluſa adoratione, & periculo idololatriæ non vetatur his uſus imaginum ſeu Dei veri, ſeu creaturarum: nam Deus ipſemet, etiam poſt hoc præceptum, iuſſit ſerpentem æneum *a* fieri; iuſſit duos Cherubinos etiam in Sancto ſanctorum collocari. Quibus plurimos alios Cherubinos *b* in omnibus parietibus templi Salomon adiecit: itemque 12. boves æneos *c* qui ſuſtinerent mare æneum; & in folio ſuo leones *d*, & leunculos, &c. Quin & ipſe Deus imaginem quoque ſui corpoream humanamque obiecit oculis Moyſis *e*, Ioſue *f*, Iſaiæ *g*, Ezechielis *h*. Danielis *i*, & S. Ioannis *k*, non ſpectandam modo, ſed & venerandam. Unde conſtat, hæc per ſe illicita, aut prohibita non fuiſſe. Iudæi tamen, maxime poſterioribus ſæculis, conſcii ſuæ infirmitatis & in idololatriam pronitatis, quo remotiores eſſent ab omni periculo, omnem imaginum uſum ſibi ultro interdixiſſe videntur. Et hoc eſt quod Philo, Ioſephus, Origenes & alii *l* ſubinde inſinuant, illicitum fuiſſe Iudæis habere ſtatuas, vel imagines. Illicitum, inquam, non lege naturali, aut poſitiva Dei, ſed proprio decreto, & maiorum traditione ubique recepta. Cogebantur tamen ſubinde imperio tyrannorum nummos admittere Cæſaris imagine notatos, ut colligitur ex Matthæi xxii. *Cuius eſt imago hæc & ſuperſcriptio? Dicunt ei, Cæſaris*. Nihil ergo hinc erui poteſt contra uſum vel cultum imaginum inter Chriſtianos, qui periculo tali idololatriæ obnoxii non ſunt, & apud quos numquam lex eiuſmodi fuit: neque Chriſtiani adſtringuntur traditionibus Iudaicis, aut legibus cæremonialibus eorumdem; qualis ut ſummum eſſet illa lex divina poſitiva, ſi quæ aliquando fuiſſet, quæ illis imaginum uſum inhibuiſſet.

V. 5. VISITANS INIQUITATEM PATRUM IN FILIOS, IN TERTIAM ET QUARTAM GENERATIONEM; ſi nempe filii ſequantur, & imitentur peccata patrum. Ita Chaldæus, Hieronymus, Auguſtinus, Gregorius, Chryſoſtomus, Theodoretus, S. Thomas, & alii *m*. In quo ſane nihil notari poteſt inclementiæ aut ſeveritatis. Quin potius maximæ clementiæ eſt, cum quis pœnam meretur, non ſtatim punire, ſed eouſque differre, ut ſi poſteri ſe corrigant, nec parentum ſcelera imitentur, paratus ſit pœnam omnino tollere: ſin pergant in parentum impietate, tamen non niſi poſt aliquot generationes pœnam irrogare.

Nota, Deum tali caſu non gravius filios punire quam propria Ipſorum peccata merentur; ſed tamen gravius punire quam ſolos filios peccantes puniviſſet, ſi parentum; & avorum peccata non præceſſiſſent. Tunc enim completa peccatorum menſura a ſe præfinita, ad plenam vindictam proſilit; alias vindictam maiore miſericordia temperaturus. Quod ſubinde quidam filiorum etiam innocentes involvantur iiſdem malis quibus nocentes, id non niſi in corporalibus & temporalibus locum habet: neque pœnæ ſunt illis, ſed ſolum pœnalitates, ſeu moleſtiæ quædam, & materia maioris virtutis ac meriti: qualem etiam iuſtiſſimis & maximis amicis ſuis ſæpenumero Deus immittit, ad maius illorum bonum, & gloriam.

(*a*) Num. xxi. (*b*) III. Reg. ix. (*c*) III. Reg. vii. (*d*) Ibid. x. v. 20. (*e*) Exod. xxxiii. & xxxiv. (*f*) Ioſue v. v. 13. (*g*) Iſa. vi. v. 1. (*h*) Ezech. 1. v. 26. (*i*) Dan. vii. v. 9. (*k*) Apoc. 1. v. 13. (*l*) Philo in Flaccum: & in legat. ad Caium. Ioſephus Lib. I. Antiq. cap. xi. Lib. XVII. c. viii. Lib. XVIII. cap. iv. & de bello Lib. I. cap. xxi. & Lib. II. cap. viii. & Lib. II. contra Apionem. Orig. Lib. IV. contra Celſum. (*m*) Tertull. Lib. IV. contra Marcionem cap. xxii. & alii apud Vaſquez. Tom I. in III. p. diſpoſit. civ. cap. 1. Hier. in Ezech. xviii. Aug. in qq. veteris & novi teſtam. cap. xiv. Greg. XV. Moral. cap. xxii. Chryſoſt. in Pſal. xlviii. Theod. q. xl. in Exod. S. Tho. I. II. q. lxxxvii. 4. 8.

GOR-

Digitized by Google

GORDONI.

Verſ. 2. EGO SUM DOMINUS. Angelus in perſona Dei. Sequitur Decalogus, quem dedi explicatum in opere Theologico Lib. VI. qu. XI. Ceterum in hoc verſ. 2. non continetur præceptum, ſed eſt præfatio legislatoris.

V. 3. NON HABEBIS DEOS ALIENOS. Heb. *Deos alios ſuper facies meas*. Hoc ipſum Septuaginta & Chaldæus reddunt, *præter me*. Hieronymus & alii, *coram me*, hoc eſt nuſquam: quia nihil Deum latet. Poteſt etiam ſenſus eſſe, contra me, ſeu mihi oppoſitos.

V. 4. NON FACIES TIBI SCULPTILE. Iudæi faciunt hoc eſſe ſecundum præceptum; & ne excreſcat ſupra denarium numerus, faciunt ex nono & decimo unum præceptum. Citantur hoc ſenſu Patres aliqui. Hoc amplectitur Calvinus, ſperans ſe ſpeciale præceptum hinc habere contra imagines. Sed diſſentiunt multi, quibus placet non eſſe novum, aut ſecundum præceptum, ſed prioris præcepti complementum. Ita Auguſtinus quæſt. LXXI. in Exod. Hieronymus ad Pſal. XXXII. Clem. Alexand. VI. Strom. ut attigi Deuteronom. cap. V. verſ. 8. & certe rectius: quia hæc duo eodem ſpectant, nempe ut unum ſolum Deum adoremus. Immo cum antea prohibuerit adorare plures deos, nunc hoc declaratur; & ſic ſpeciatim vetantur gentium ſimulacra, ut nec fiant, nec colantur: quod explicat vox פסל *peſel* a פסל, quod eſt *ſculpere*, aut *dolare*. Septuaginta pro ſculptil habent εἴδωλον. Eſt vero ineptum quod aliqui dicunt, idolum eſſe quodlibet ſimulacrum, aut imaginem cuiuslibet numinis: ſolum enim eſt imago falſi numinis, ex Athanaſio Orat. contra idola, ſub finem. Hinc I. Corinth. VIII. verſ. 4. ſcimus quia idolum nihil eſt in mundo. Hinc etiam Scriptura paſſim idola vocat תוהו *tohu*, hoc eſt *inania*, ſeu etiam שקר *ſeker*, *mendacium*. Inepte ergo hæretici putant vetari imagines quaſcumque, cum ſolum illæ prohibeantur quæ ex ſe, & modo, dant periculum idololatriæ: cum hic ſermo prohibens, ſit tantum de falſis diis, & de ſculptilibus deis alienis. Et perverſe Calvinus alio trahit quæſtionem, diſputans an ſit contra ius naturæ formare veri Dei imaginem, de qua ſpeciatim mox. NEQUE OMNEM SIMILITUDINEM. Hic porro explicatur ſculptile: nempe quod ſit idolum, ſeu ſimilitudo falſi numinis, quod eſt in aquis, terra, aut cælo, ut vox Hebraica ſatis expreſſit; & iterum patebit Deuter. cap. V. verſ. 8. & 9.

V. 5. NON ADORABIS. Hactenus de ſubſtantia huius præcepti. Et quæ ex Scripturis aliis obtrudit pro ſe Calvinus, ſatis ſuo loco enucleantur. Prioris præcepti hoc complementum eſt, de non fingendis imaginibus ut adorentur. Notanda reſtrictio.

Diſputant etiam Theologi, an licitum fuerit Iudæis ullas cuiuſque rei habere imagines; & vel hoc, ſeu ullo præcepto fuerit prohibitum. Lege Vaſq. III. p. Tom. I. diſp. 104. cap. I. & VI. Et an in ſiclis Iudæorum fuerit ulla imago; Serar. in Ioſue cap. VII. qu. V. Certe rerum inanimatarum imagines habere licuit, immo & animalium, hominum, & Angelorum (ut ex iam declarato decalogi præcepto oſtendi) dummodo ponerentur eo loco, habitu, & ſtatu, ut non moverent ad ſui adorationem. At vero non videtur licuiſſe illis habere imagines Dei ullas: nam, ut apparet, obſtabat tum poſitivum præceptum Deuteronom. IV. verſ. 15. tum periculum ne vel Deum putarent hominem, vel ipſi imagini deferrent cultum. De aliis vero imaginibus non prohibitis, ſatis citati auctores, qui de ſerpente æneo, Cherubinis, & ſculptis tabernaculi animalibus multa. Poſtremis tamen temporibus ſibi legem fecerunt, ne ullas haberent imagines; tandem tamen coacti admittebant nummos cum imagine Cæſaris.

At quomodo hic Deus dicitur punire peccantium filios? Dixi alibi, filios in hac vita puniri a Deo pœnis corporalibus propter peccata parentum; ſane quando filii ſaltem ſunt impii, & parentum impietatem imitantur, ut videre licet in poſteris iniquorum regum Iſrael. Verum non punitur filius propter peccata patris, pœnis ſpiritualibus poſitivis, aut privativis; licet aliquando negative poſſit hoc fortaſſis contingere: quod aliqui explicant, ſi Deus ob gravia parentis delicta non tolleret aliqua impedimenta ſalutis in filiis. Vide Deut. V. verſ. 9.

V. 7.

V. 7. In vanum; hoc eſt, nec mendaciter, nec ſine neceſſitate, & reverentia.

V. 8. Memento. Hoc præceptum de ſabbato, partim morale eſt, quatenus vult dari aliquod tempus divino cultui, & ſane naturale; partim cæremoniale ex deſignato ſabbato Iudaico: in quo ordine ſecundo Eccleſia Chriſti ſubſtituit diem dominicum ſabbato Iudaico. De ſervilibus operibus nos alibi.

V. 12. Ad litteram ſermo eſt de terra promiſſionis: in figura intellige æternitatem.

V. 17. Non concupisces. Non ſunt hucuſque quatuordecim præcepta, ut numerant Hebræi; ſed tantum decem, ex Deut. xxxiv. verſ. 4. in duabus tabulis.

V. 18. Videbat voces, audiebat: metaphora a viſu ad auditum.

V. 24. Non facies. Non vult Deus hæc, de quibus loquitur, altaria eſſe ex materia polita, & pretioſa; an forte ad deteſtationem altarium politorum inter idololatras. Sermo autem hic eſt de vagis altaribus quæ variis in locis fiebant, ut etiam a Patriarchis. Quando vero inferius cap. xxvii. iubetur fieri altare de lignis Sethim, & contegi laminis æreis; loquitur tunc Deus de altari holocauſtorum in tabernaculo, vel templo. Ita Abulenſis ad hoc caput q. xliv.

V. 25. Si levaveris cultrum. Heb. חרב *chereb*, *gladium*: hic pro malleo quo dolantur lapides, accipit Pagninus.

V. 26. Non ascendes. Peragi facile potuerunt ſacrificia ſine aſcenſu ad altare Moſaicum: nam tantum altare erat altum tres cubitos ex cap. xxvii. verſ. 4. At altare Salomonicum, quod in altitudine habebat decem cubitos, II. Paralip. iv. Sed ſolvitur hæc difficultas: nam per planitiem Levi aſcenſu aſcendebant ad altare Salomonicum; Deus autem tantum prohibet ne per gradus aſcendatur.

Ex Eiusdem Auctario.

V. 3. Quæ hic ſunt præcepta Decalogi, iterum ponuntur Deut. cap. v.

V. 24. In omni loco, nempe ubi erat arca, aut tabernaculum. Alibi tamen, Deo diſponente, ob gravem cauſam ſacrificatum eſt, I. Reg. vii. 9.

CAPUT XXI.

Præcepta iudicialia quo ad emptitios ſervos, & ancillas, furta, homicidia, parricidia, parentum maledicta, rixas, & talionis pœnas, atque cornupetam bovem.

1 HAEc (*a*) ſunt iudicia quæ propones eis. 2. Si emeris ſervum Hebræum, ſex annis ſerviet tibi: in ſeptimo egredietur liber gratis. 3. Cum quali veſte intraverit, cum tali exeat: ſi habens uxorem, & uxor egredietur ſimul. 4. Sin autem dominus dederit illi uxorem, & pepererit filios & filias: mulier & liberi eius erunt domini ſui, ipſe vero exibit cum veſtitu ſuo. 5. Quod ſi dixerit ſervus: Diligo dominum meum & uxorem ac liberos, non egrediar liber: 6. offeret eum dominus diis, & applicabitur ad oſtium & poſtes, perforabitque aurem eius ſubula: & erit ei ſervus in ſæculum. 7. Si quis vendiderit filiam ſuam in famulam, non egredietur ſicut ancillæ exire conſueverunt. 8. Si diſplicuerit oculis domini ſui cui tradita fuerat, dimittet eam: populo autem alieno vendendi non habebit poteſtatem, ſi ſpreverit eam. 9. Sin autem filio ſuo deſponderit eam, iuxta morem filiarum faciet illi. 10. Quod ſi alteram ei acceperit, providebit puellæ nuptias, & veſtimen-

Digitized by Google

menta, & pretium pudicitiæ non negabit. 11. Si tria iſta non fecerit, egre-
dietur gratis abſque pecunia. 12. (*b*) Qui percuſſerit hominem volens occidere,
morte moriatur. 13. Qui autem non eſt inſidiatus, ſed Deus illum tradidit in
manus eius: conſtituam tibi locum in quem fugere debeat. 14. Si quis per in-
duſtriam occiderit proximum ſuum, & per inſidias: † ab altari meo evelles eum,
ut moriatur. 15. * Qui percuſſerit patrem ſuum, aut matrem, morte moriatur.
16. Qui furatus fuerit hominem, & vendiderit eum, convictus noxæ, morte
moriatur. 17. (*c*) Qui maledixerit patri ſuo, vel matri, morte moriatur. 18.
Si rixati fuerint viri, & percuſſerit alter proximum ſuum lapide vel pugno, & il-
le mortuus non fuerit, ſed iacuerit in lectulo: 19. ſi ſurrexerit, & ambulaverit
foris ſuper baculum ſuum, innocens erit qui percuſſerit, ita tamen ut operas e-
ius, & impenſas in medicos reſtituat. 20. Qui percuſſerit ſervum ſuum, vel an-
cillam virga, & mortui fuerint in manibus eius, criminis reus erit. 21. Sin au-
tem uno die vel duobus ſupervixerit, non ſubiacebit pœnæ, quia pecunia illius
eſt. 22. Si rixati fuerint viri, & percuſſerit quis mulierem prægnantem, & abor-
tivum quidem fecerit, ſed ipſa vixerit: ſubiacebit damno quantum maritus mu-
lieris expetierit, & arbitri iudicaverint. 23. Sin autem mors eius fuerit ſubſecu-
ta, reddet animam pro anima, 24. (*d*) oculum pro oculo, dentem pro dente,
manum pro manu, pedem pro pede, 25. aduſtionem pro aduſtione, vulnus pro
vulnere, livorem pro livore. 26. Si percuſſerit quiſpiam oculum ſervi ſui, aut an-
cillæ, & luſcos eos fecerit, dimittet eos liberos pro oculo quem eruit. 27. Den-
tem quoque ſi excuſſerit ſervo, vel ancillæ ſuæ, ſimiliter dimittet eos liberos. 28.
Si bos cornu percuſſerit virum, aut mulierem, & mortui fuerint, lapidibus ob-
ruetur: & non comedentur carnes eius, dominus quoque bovis innocens erit.
29. Quod ſi bos cornupeta fuerit ab heri & nudiuſtertius, & conteſtati ſunt do-
minum eius, nec recluſerit eum, occideritque virum, aut mulierem: & bos lapi-
dibus obruetur, & dominum eius occident. 30. Quod ſi pretium fuerit ei impo-
ſitum, dabit pro anima ſua quidquid fuerit poſtulatus. 31. Filium quoque & fi-
liam ſi cornu percuſſerit, ſimili ſententiæ ſubiacebit. 32. Si ſervum, ancillamque
invaſerit, triginta ſiclos argenti domino dabit, bos vero lapidibus opprimetur. 33.
Si quis aperuerit ciſternam, & foderit, & non operuerit eam, cecideritque bos, aut
aſinus in eam, 34. reddet dominus ciſternæ pretium iumentorum: quod autem
mortuum eſt, ipſius erit. 35. Si bos alienus bovem alterius vulneraverit, & ille
mortuus fuerit: vendent bovem vivum, & divident pretium, cadaver autem mor-
tui inter ſe diſpertient. 36. Sin autem ſciebat quod bos cornupeta eſſet ab heri &
nudiuſtertius, & non cuſtodivit eum dominus ſuus: reddet bovem pro bove, &
cadaver integrum accipiet.

(*a*) Deuteron. xv. 12. Ierem. xxxiv. 14. (*b*) Levitic. xxiv. 17 Deuter. xix. 2. (*c*) Levit. xx. 9. Prov. xx 20. Matth. xv. 4. Marc. vii. 10. (*d*) Matth. v. 33. Levit. xxiv. 20. Deut. xix. 20.

B R U G E N S I S

Romana Correctio.

V. 15. *Qui percuſſerit patrem* &c. verſ. 16. *Qui furatus fuerit ovem* &c. verſ. 17. *Qui maledixerit patri* &c. Hic eſt ordo verſuum in Sixtinis Bibliis, Hebræo conſentaneus: nam in aliis pleriſque codicibus coniunguntur eæ leges quæ in eos feruntur qui parentes iniuria afficiunt; eſtque decimus ſextus verſus qui decimus ſeptimus.

LE-

LECTIONUM VARIETAS.

V. 14. *Ab altari meo evelles eum*. Alii boni libri legunt *avelles*, primam nempe vocalem loco ſecundæ.

NOTATIO.

V. 16. & 17. Eo ordine multi codices Latini cum Græcis exemplaribus hos verſus legunt, ut eum qui parentum percuſſorem interficiendum præcipit, is ſequatur qui in parentes maledico mortem decernit; atque hunc is qui plagiarium condemnat: ſic nimirum illæ coniunguntur leges, quæ in eos qui iniuria parentes afficiunt, latæ ſunt, quomodo Rabanus coniunxit explicandi gratia. Verum monet Corrector, verſus hos iuxta antiquos codices tranſponendos eſſe, nempe ut decimus ſextus ſit qui eſt decimus ſeptimus; & e contra decimus ſeptimus, qui decimus ſextus, ut inter duas leges quæ parentum contemptores iudicant, media ſit quæ plagiarium damnat. Hunc ordinem & in quibuſdam noſtrorum ſcriptorum, atque in Regiis Bibliis vidimus; eumdem inſinuat Rabanus; eſtque Hebraici textus, & Chaldaicæ paraphraſeos.

COMMENTARIA

S A.

Verſ. 1. IUDICIA, id eſt præcepta iudicialia.

V. 3. CUM QUALI VESTE, &c. Hebr. *Si cum corpore ſuo ingreſſus fuerit, cum corpore ſuo egredietur*: quod Chald. & LXX. vertunt: *Si ſolus intraverit, ſolus egredietur*: ſequitur enim, SI HABENS UXOREM, &c.

V. 4. VESTITU. Hebr. *corpore*; quaſi dicat, ſolus.

V. 6. DIIS, id eſt iudicibus, vel ante Deum. ET POSTES; pro, id eſt poſtes, ſcilicet portæ urbis. SAECULUM, id eſt perpetuo, ſcilicet uſque ad Iubilæum. Nota *æternum* accipi pro longo tempore: vox enim Hebræa hic *æternum* ſignificat, ſeu *perpetuo*.

V. 7. CONSUEVERUNT, ſcilicet ſine mercede, cum libertate donantur.

V. 8. CUI TRADITA FUERAT, ſcilicet in ſponſam, vel famulam. Chald. & LXX. *Qui ſibi eam deſponderat*. ALIENO, id eſt gentili. SPREVERIT, ſcilicet violando.

V. 9. IUXTA MOREM, ſcilicet *dotando eam*: Gloſſ. interlin.

V. 13. EI, ſcilicet filio. NUPTIAS. Hebr. *cibum*, ſeu *alimentum*. PRETIUM PUDICITIAE. Chald. & LXX. *concubitum*; quaſi dicat: Filius illam tractabit per omnia ut uxorem, etiam ſi alteram habeat.

V. 11. TRIA ISTA, ſcilicet proxime dicta. EGREDIETUR; pro, ſaltem egredietur.

Verſ. 12. VOLENS OCCIDERE. Hebr. Chald. & LXX. *Et occiderit*.

V. 13. TRADIDIT, ſcilicet ſolus: nam cum volens occidit, & Deus, & ipſe facit; Deus iuſte, ipſe iniqua voluntate. Auguſt. in Exod. qu. lxxix.

V. 16. NOXAE, id eſt illius criminis.

V. 19. INNOCENS; id eſt, non cenſebitur homicida.

V. 21. PECUNIA ILLIUS, id eſt emptus illius pecunia.

V. 22. ABORTIVUM, ſeu vivo fetu ut Hebr. indicatur. ARBITRI, id eſt iudices.

V. 23. REDDET ANIMAM PRO ANIMA, id eſt occidetur, quia occidit.

V. 24. OCULUM, pro ſimiliter oculum.

V. 28. SI BOS, &c. Idem in aliis animalibus quæ nocent, intelligendum, Auguſt. in Exod. qu. lxxxi. lxxxii.

V. 29. AB HERI ET NUDIUSTERTIUS, id eſt *antea*, Hebraice. OCCIDENT, ſcilicet ex iudicis ſententia.

V. 31. FILIUM, ſcilicet cuiuſquam.

V. 33. ET FODERIT. Hebr. Chald. & LXX. *Vel foderit*.

E S T I I.

Verſ. 4. DE ſervo Hebræo. SIN AUTEM DOMINUS EIUS DEDERIT ILLI UXOREM: nempe tunc mulier manebat iuris domini ſui, & maritus ſolus exibat liber. Neque repugnabat hoc vinculo matrimonii; ſcilicet quia poterat ab ea recedere quoad habitationem, ſalvo matrimonii iure, & uſu corporis utriuſque debito, neque propterea

Digitized by Google

pterea dominus debebat privari ſuo iure in mulierem ſervam.

V. 6. OFFERET EUM DOMINUS DIIS. Per deos, Hebr. eſt *Elohim:* intelliguntur iudices, quomodo etiam exponit Chaldæus Paraphraſtes. Sept. vertunt, *ad tribunal Dei*. Similis locus eſt cap. ſeq. ubi dicitur, *Ad deos utriuſque cauſa perveniet*, id eſt ad iudices: & rurſum eodem cap. verſ. 28. *Diis non detrahes, & principi populi tui non maledices*. Hinc & Ioſaphat adhortans iudices populi II. Paralip. XIX. *Non enim*, inquit, *hominis exercetis iudicium, ſed Dei*.

V. 14. SI QUIS PER INDUSTRIAM OCCIDERIT ..... AB ALTARI MEO EVELLES EUM. Hoc etiam hodie ſecundum leges civiles, & eccleſiaſticas obſervatur: ſic III. Reg. II. Ioab iuſſu Salomonis iuxta altare occiſus eſt. Vide etiam Hier. ad illud Ezech. IX. *Contaminate domum, &c.*

V. 17. QUI MALEDIXERIT PATRI SUO, VEL MATRI, MORTE MORIATUR. Sic ſcilicet patri ſuo Romano Pontifici maledicunt hæretici, vocantes eum Antichriſtum; matri etiam Catholicæ Eccleſiæ, vocantes eam meretricem Babylonicam.

V. 19. ITA TAMEN UT OPERA EIUS: alii transferunt, *otium*, ſeu vacationem ab opera; ut videlicet tantum reddatur, quantum vacando ab opere paſſus fuit detrimenti.

V. 23. REDDET ANIMAM PRO ANIMA. Ergo ad legem talionis quoque pertinet quod homicidæ puniantur morte: & repetitur adhuc bis poſtea hæc lex talionis, Levitic. XXIV. & Deut. XIX. Neque tamen exiſtimandum eſt, per hanc legem permiſſum fuiſſe ut quiſque læſus privata ſe auctoritate vindicaret: nullo enim modo ille ſervaret modum: ſed lex & norma datur iudicibus, ut ſecundum eam iudicent de huiuſmodi iniuriis ad ſe relatis. Quomodo autem Chriſtus hanc legem velut correxerit, vide Commentatores in Matth. V.

MARIANAE.

Verſ. I. CUM QUALI VESTE INTRAVERIT. Hebr. *Si in corpore intraverit*, id eſt ſolus, ſine alio corpore uxoris, aut filiorum, *in corpore exeat:* ſic Sept. Chald. & omnes Hebræi Explicat hoc quod ſequitur, SI HABENS UXOREM, ET UXOR EGREDIETUR SIMUL. Sic accipe illa verba verſu proximo, IPSE VERO EXIBIT CUM VESTITU SUO. Hebr. *in corpore ſuo*, id eſt ſolus: ut Sept. & Chald. vertunt. Hieronym. aliter accepit, & poteſt ea interpretatio defendi.

V. 6. OFFERET EUM DOMINUS DIIS, *iudicibus*, qui *Elohim* voce ſignificantur: ſic Chald. & Sept. *Adducet eum dominus ad iudicium Dei*. PERFORABITQUE AUREM EIUS SUBULA. Hoc ritu ſervitus ſæcularis ſignificabatur, ad quem alludere videtur David Pſal. XXXIX. cum dixit: *Sacrificium & holocauſta non poſtulaſti, aures autem perfeciſti* (Hebr. *perfodiſti*) *mihi*. ET ERIT EI SERVUS IN SAECULUM. Vox eſt עלם *holam*, quæ ſignificat non *æternitatem*, ſed *ſpatium ad annum Iubilæi*, certe *ſæculum*, præſertim cum ſcribatur ſine Vau, iuxta Hieronymi regulam alio loco poſitam; quæ tamen regula non ſemper ſervatur.

V. 8. CUI TRADITA FUERAT, ſcilicet in ſponſam, DIMITTET EAM. Chald. *Cui deſponſata erat, faciet eam redimere*; ea tamen lege ne, ſi eam ſpreverit, vendat alienigenis. Hebr. *Qui non deſpondit eam*, ſcilicet herus: ſed pro לא, id eſt *non*, legi debet לו, id eſt *ſibi*, ut ait Vat. ſic cum Chald. & Sept. & cum noſtra Vulg. Hebraica conſentient. Totum locum ſic verte: *Si diſplicuerit in oculis domini ſui, qui ſibi deſpondit eam, redimi eam faciet, populo extraneo non poterit vendere eam*. Porro Septuag. *Redimet eam*. Chaldæus, *Liberam faciet eam*, ubi Noſter, *dimittet eam*.

V. 10. PROVIDEBIT PUELLAE NUPTIAS, ET VESTIMENTA, ET PRETIUM PUDICITIAE; id eſt, dotabit eam. Hebr. *Carnem eius*, id eſt alimenta, *veſtem eius, & habitationem eius non detrahet*. Pro *habitatione* Chald. poſuit *concubitum eius*; ſic R. Selomo; eoque reſpexerunt Septuag. cum dixere *τὴν ὁμιλίαν conversationem eius*: Noſter *pretium pudicitiæ*, & melius.

V. 11. SI TRIA ISTA NON FECERIT; id eſt, aliquid ex his tribus omiſerit, ſerva egredietur gratis.

V. 22. Si rixati fuerint viri, hoc eſt virorum quiſpiam, et percuſſerit quis mulierem. Plurale pro ſingulari: Sepultus eſt in urbibus Iuda, id eſt in una ex urbibus. Sic Hebræus Schol. hunc locum accipit. Quantum ...... arbitri iudicaverint. Septuag. *δώσει μετ' ἀξιώματος*, id eſt *dabit cum iudice*, quantum ſcilicet iudex ſanxerit. *ἀξίωμα dignitatem* & *iudicem*, qui ea præditus eſt, ſignificat, ut Latinis *auctoritas*. Interpres Latinus Septuag. male hunc locum vertit, *cum poſtulatione*.

V. 33. Si quis aperuerit ciſternam, et foderit. Hebr. *Aut foderit*.

MALVENDAE.

Verſ. 1. Iudicia. משפטים *miſchphatim*, *præcepta iudicialia*, ſeu *iura politica*, ſecundum quæ regitur, & vivitur, leges, ſecundum quas iudices, & magiſtratus cauſas diſcernere, diſcutere, & pronuntiare debent, ac lites dirimere.

V. 2. Liber. Hebr. *Libero*, vel *in liberum*, ſeu *pro libero*. Hebræorum quidam, *In liberum locum*; id eſt, ibit quo volet: alii, *In libertatem*. Vide Deuter. xv. verſ. 12.

V. 3. Cum quali veste intraverit, cum tali exeat. Heb. *Si in ala ſua*, vel *cum ala ſua venit*, *cum ala ſua exibit*; id eſt, ſi venit ſolus, aut unicus cum ala veſtimenti ſui tantum, &c. Plerique pro corpore ſumunt.

V. 6. Diis. *Elohim*, hic iudices, magiſtratus, communiter intelligunt; exponuntque: Ut publice profiteatur, ſe liberrima voluntate, & certo conſilio ſuam libertatem ſibi abiudicare. Forſan iubet, ut ſervus ſiſtatur Deo in loco præſentiæ divinæ, ubi tunc erat altare, ante columnam nubis, vel poſtea ante tabernaculum. Id ſignificant LXX. qui habent, *Ad tribunal*, ſeu *iudicium Dei*. Nonnulli Hebræorum *Elohim* hic *ſacerdotes* intelligunt. Ad ostium, et postes. Quidam intelligunt, ad portam publicam, ubi iudicia exercebantur; ut ſolemniter fieret coram magiſtratibus: alii melius, ad portam, vel poſtes domus ſuæ, quo ſignificabatur perpetuo fore affixum ei domui. Id quod etiam ſecutus eſt noſter Interpres Deut. xv. verſ. 17. Vide ibi. Perforabitque. Obſervant; verbum רצע *ratzagh* ſignificare *prævaluit imprimendo*, ſeu perforavit, *prævalide impreſſit*, ſeu *penitus perforavit*: ut notetur eo verbo tacite prævaleſcentia, & dominium heri in ſervum. In saeculum, id eſt uſque ad Iubilæum, ſive is annus prope fuerit, ſive longe abfuerit. Levitici xxv. 10. Notant Hebræi עולם *gholam* non ſemper ſimpliciter æternum, ſempiternum, perpetuum & infinitum tempus ſignificare; ſed ali' quando longum & determinatum. Facile credimus Latinos ſuum adverbium *olim* ab Hebraico *gholam* mutuatos, quod ſimiliter ut Hebraicum de tempore præterito, ac futuro Latinis dicitur. Unde hic reddi poteſt: *Et ſerviet ei olim*. Vide Geneſ. xvii. verſ. 8.

V. 8. Cui tradita fuerat. Hebræa geminam admittunt lectionem: *Qui non deſponſavit eam*, vel *qui ſibi deſponſavit eam*. Prior lectio voci Hebraicæ לא *lo* cum Aleph, conformior eſt. Vide explanatores. Poſterior lectio eſt magnorum Interpretum, LXX. Chaldæorum, & Noſtri: nec ab Hebraico more, & uſurpatione abhorret, quo *lo* cum Aleph poni ſolet interdum pro לן *lo* cum Vau, id eſt *ei*, *ſibi*. Si verbum יגד *iagad per deſponſare* reddimus, lectionem negantem magis probaverim; ſi vero per *conſtituere*, *condicere*, *deſignare*, potior videtur lectio affirmans, quam ſecutus Noſter videtur: nam deſponſatam iam, dimittere ac repudiare, non videtur æquum. Lectionem tamen negantem, *Qui non conſtituit*, *addixit*, *deſponſavit*, ſequuntur paſſim Hebræi, & ex recentioribus Reuchlinus, Caietanus, Sanctes, Forſterus, Munſterus, Vatablus, Leo Iudas, Iſidorus Clarius, Oleaſtrius, Tremellius & Iunius, Marinus, Avenarius, Montanus. Sic verſ. ſequente. Dimittet eam. Hebr. *Redimere faciet eam*: alii, *Sinet*, *permittet redimi eam*, ſcilicet a ſuis cognatis. Aliqui exponunt: Dabit pecuniam, qua illa redimatur; aut ſaltem remittet illi pecuniam ſervitii; ac perinde quaſi pretium pro redemptione eius accepiſſet, liberam eam abire permittet. Notant Hebræi, redemptionem ita ſe habuiſſe. Si pro ſex libris eam emiſſet herus, diſceſſuræ, tot de iſta ſumma decedebant libræ quot ſervierat annis; quot vero anni uſque ad ſeptimum annum adhuc

huc

Digitized by Google

huc reliqui erant, tot libras hero ſuo pro redemptione ſui numerare tenebatur. Quidam præcedentem negationem etiam hic ſubaudiunt: *Nec redimere faciet eam*; totumque hunc verſum 8. ita convertunt: *Si mala videbitur in oculis Domini ſui, ita ut non deſponſet eam ſibi, nec curet eam redimi*; alicui e *populo extero ne ius habeto vendendi eam, perfide agendo cum ea*. Nec diſplicet ſenſus. SI SPREVERIT EAM. Hebr. varie reddunt. I. *Siquidem excurrerit ipſe in eam*, ſcilicet vi, & iniuria. II. *Cum prævaricatus fuerit ipſe in eam*. III. *Quandoquidem ipſe eam deſpexit*; vel *cum ipſe contempſerit eam*. IV. *Eo quod fefellerit eam*: intelliguntque, corruperit, vitiaverit, violaverit. V. *Perfide agendo cum ea*; ſeu *quia perfide ſe geſſit erga eam*. Quidam exponunt: Id eſt, violando legem Dei, qua hoc diſerte cavetur, ſi filia Hebræa emitur, Levitici xxv. hac enim ſeſe obſtrinxerat cum puellam emeret.

V. 9. IUXTA MOREM FILIARUM FACIET ILLI. Hebr. *Secundum iudicium filiarum faciet ei*; vel *ſecundum ius ipſum puellarum faciet illi*; id eſt, ut ingenua puella nuptui dator, dote conſtituta, ſuppeditata veſte, & coniugali conſuetudine obſervata.

V. 10. QUOD SI ALTERAM EI ACCEPERIT. Hebr. לו *lo* anceps eſt ad *ei*, vel *ſibi*, qua ratione verbum *acceperit* poteſt ad patrem, & filium referri. *Quod ſi alteram ei* pater *acceperit*; id eſt, ſi aliam uxorem filio ſuo tradiderit: vel *quod ſi alteram ſibi*, vel pater, vel filius *acceperit*. Uterque ſenſus eodem tendit. Quidam hic *alteram* intelligunt ſupra priorem, ut duas ſimul habeat; id eſt, ſi filius, ducta ancilla Hebræa, aliam cum illa ſuperinduxerit uxorem. Alii vero exponunt: Sive dominus, ſive filius eius alteram uxorem, non autem hanc, duxerit, ne ut cum abiecta ancilla, exterave agito; ſed digne, honeſte, & liberaliter ei velut ingenuæ, de tribus iſtis proſpicito. Hunc ſenſum Noſter expreſſit. PROVIDEBIT PUELLAE NUPTIAS. Hebr. *Carnem eius*, id eſt maritum, qui eſt una caro cum uxore. Noſter dixit *nuptias*: alii *carnem eius*, id eſt cibum, victum, eſcam, alimentum eius: nonnulli *expenſas eius*: quidam *reſiduum eius*, id eſt quæ ei relinquuntur a primaria uxore, reliquias præcipuæ uxoris. Primaria uxor ſumit ſibi plura, & meliora; reſidua eius, ſeu quæ ipſa relinquit, ſunt ſecundariæ uxoris. Ex verbo, *Relictionem eius*, id eſt quæ ei ſunt relicta, quæ habet, ſeu poſſidet. ET VESTIMENTA. Hebr. *Operimentum, tegumentum, coopertura, velamen, velum eius*, id eſt veſtes, ornatum, & mundum muliebrem: Hiſpanice *axuar*. ET PRETIUM PUDICITIAE. עונתה *ghonatah* diverſe exponunt. I. *Tempus determinatum eius*, id eſt tempus coitus, & exſolvendi debitum coniugale. II. *Horam eius*, eodem ſenſu. III. *Ius, debitum coniugale*. IV. *Habitationem, habitaculum eius*. V. *Compreſſionem eius*, id eſt donum, præmium, mercedem, munus, debitum, pretium compreſſionis, ſive pro compreſſione eius, qua eam compreſſit, & violavit, imminuitque vel virginitatem eius, vel pudicitiam. Alibi hæc vox non legitur.

V. 12. VOLENS OCCIDERE. Non eſt in Hebræo, ſed tantum *Percutiens virum, & morietur, morte morietur*: intelligitur tamen, percutiens virum data opera, certo conſilio, quod Noſter dixit, *Volens occidere*; id eſt, homicidium voluntarium.

V. 13. NON EST INSIDIATUS. צדה *tzadah* proprie eſt *laterare, a latere adoriri, ex inſidiis aggredi*: unde latrones, quaſi laterones, & latrocinari, pro inſidiis graſſari. Quidam hic vertunt: *Si quis tamen non quæſiverit*, vel *non ſtruxerit, tetenderit inſidias, Elohim tradidit in manum eius*. Verbum אנה *innah* varie exponunt. I. *Cauſavit, occaſionavit in manum eius*; id eſt, cauſam, occaſionem præbuit ut incideret in manus eius. II. *Paravit, deſtinavit, prædeſtinavit manui eius*. III. *Occurrere fecit, obiecit manui eius*. IV. *Natare fecit, navigio impulit manui eius*. V. *Impulit, adegit manui eius*. Omnes intelligunt agi hic de homicidio fortuito, & caſuali, quando quis nolens, vel imprudens occidit alium præter conſilium & factum ſuum; aut quando non data opera, aut quærens adverſarium, ſed ex ſubita iracundia orta forte rixa, vel ex improviſo occurrente inimico, interfecerit alium. Ait tamen Deum tradere illum in manum eius: quod quæ nobis fortuita, caſualia, & præter conſilium ſunt, Deo non niſi certa ratione & conſilio conſtent. Quidam hic exponunt: *Sed Deus voluit illum incidere in-*

manum eius , ob latentem aliquam cauſam: quod fere fieri dicunt Hebræi dum aliquis peccatum ſeu flagitium aliquod perpetravit, propter quod non eſt punitus a magiſtratu; & tamen tale peccatum eſt, quod excidium , ſeu interminium præmaturæ mortis mereatur. Ex verbo : *Et Elohim occaſionavit manui eius* ; id eſt , permittente Deo, orta occaſione alium interfecit ; quaſi dicat: Qui homicidium caſuale, occaſionale, fortuitum perpetravit. LOCUM, aſylum. In deſerto videtur fuiſſe locus is, ubi altare Dei erat , e verſ. ſequenti ; ſed poſt adventum in terram promiſſam , conſtitutæ ſunt civitates refugii, Numer. XXXV. Deuter. XIX. Ioſue XX. Vide I. Regum, I. verſ. 50. & ibidem cap. II. verſ. 28.

V. 14. SI QUIS PER INDUSTRIAM OCCIDERIT PROXIMUM SUUM, ET PER INSIDIAS. Hebræa quidam reddunt I. *Et quando ſtuduerit vir ſuper ſocium ſuum ad occidendum eum in ingenio* . II. *Et ſi præſumpſerit aliquis contra ſocium ſuum occidere eum in aſtutia*. III. *Sin vero ſuperbe egerit quiſpiam in proximum ſuum, ita ut occidat eum dolo* . IV. *Cum autem quis arrogaverit contra proximum ſuum occidere eum aſtu* . V. *Si autem voluntarie , temerarie egerit vir contra ſocium ſuum , &c.* VI. *Si vero aliquis volens & callide machinatur proximo ſuo necem* . Quidam Hebræorum volunt legem hanc intelligi de Hebræo occidente Hebræum , non gentilem ; idcirco dici ſodalem , ſocium, familiarem, amicum ſuum. AB ALTARI MEO EVELLES EUM; id eſt, nullus ei eſto perfugii locus. Sic iuſſit Salomon I. Regum II. 25. 28. & II. Reg. XI. 15.

V. 15. PERCUSSERIT. Intelligunt , etiam ſi non ſequatur mors , aut grave corporis damnum: nimirum propter atrocem iniuriam , & impietatem adverſus parentes.

V. 18. PUGNO. Alii, *gleba* , *cæſpite* , *fruſto terræ*: nonnulli , *ſtercore* ; qua ratione vocem eiuſdem radicis exponit Noſter Ioclis I. 17.

V. 19. OPERAS EIUS. Hebr. *Ceſſationem eius dabit*; id eſt , damnum quod accepit ceſſando ab opere ſuo.

V. 20. SERVUM SUUM, VEL ANCILLAM. Quidam alienigenas intelligunt : nam cum Hebræis fratribus mitius agendum erat , Levitici XXV. 39. IN MANIBUS EIUS, id eſt in ipſo plagarum ictu , dum cæduntur: id oſtendit antitheſis verſus ſequentis.

V. 21. QUIA PECUNIA ILLIUS EST. Aliqui exponunt: Quia ius habebat percutiendi eum virga, eo quod ſervus eſſet pecunia ipſius emptus : exceſſit enim non quia percuſſit , ſed quia enormiter ; non tamen tam atrociter ut ſub plagis caderet, cum ultra diem, aut dies vixerit: idcirco lex excuſat eum ab homicidio. Alii: Quia pecunia eius eſt , id eſt emptus pecunia (metonymia) vel eſt ex bonis & facultatibus eius; quaſi dicat : Ipſe ſatis grave de ſe ſupplicium ſumpſit , pretium emptionis ſuæ, ſive rem ſuam perdendo.

V. 22. SED IPSA VIXERIT. Hebr. *Et non erit exitium*: intelligunt , mulieris aut fetus , perſonæ totius , aut alicuius partis in ea corruptio. QUANTUM MARITUS MULIERIS EXPETIERIT. Pœna arbitraria erit: nam præter voluntatem mulierem ſibi occurrentem concuſſit. ET ARBITRI IUDICAVERINT. Hebr. *Et dabit in arbitris* . Aliqui exponunt: Mulctabitur ea mulcta, quam impoſuerit maritus ſententia iudicum arbitrorum; id eſt, dabit quantum arbitri cenſuerint; quaſi dicat : Mulctam proponet maritus, quæ ei videbitur ; ſed iudicum erit ſtatuere ſuo arbitrio iuſtam. Rationem legis aſſignant, cum ut materiam contentionis & privatæ ultionis iudices arbitri præcidant; tum ut ſtatutum, firmum , ratum ſit , quod eorum interventu tranſactum fuerit.

V. 23. REDDET ANIMAM PRO ANIMA. Hebr. *Et dabis animam pro anima*. Apoſtrophen volunt eſſe ad iudicem.

V. 24. OCULUM PRO OCULO, &c. id eſt, pœnæ talionis ſubiicies , aut ſubiicieris: ſi oculum eruiſti, eruetur tibi oculus; ſi dentem alicui fregeris , dens tibi frangetur. Bifariam hanc talionis legem intelligunt. I. Ut nullo modo pertineat aut ſpectet ad privatas perſonas , nec iis liceat in iudicio eiuſmodi talionem repetere , nempe reipſa vitam pro vita , aut membrum pro membro , quod Deus ultionem iniuriarum prohibeat Levit. XIX. 18. ſed ad iudicem tantum ſpectaſſe, ut is nimirum cauſa cognita, de talionis, aut compenſationis lege ſtatueret bona fide , ne pœ-

pœnæ modum aut excederet, aut non attingeret. Unde rem hanc a Scribis, & Phariſæis perperam intellectam, demonſtravit Chriſtus Matth. v. 38. Illi enim vel privata auctoritate exercebant, vel poſtulabant a iudice talionem; ac proinde privatæ ultionis licentiam indigniſſimam apud Iudæos exundaſſe, quam Chriſtus repreſſerit. II. Ut hæc talionis lex ſit naturalis, & omnium gentium opinione iuſtiſſima, ut quod quiſque feciſſet, idem pateretur. Ariſtoteles V. Ethicorum, cap. XIII. *Pythagoræi ius Rhadamanti hoc fuiſſe videntur ſignificare*:

Si quis, quod fecit, patiatur, ius erit æquum.

Vide ipſum.

Apud Gellium Lib. XX. cap. 1. extat lex XII. Tabularum in hunc modum concepta: *Si membrum rupit meum, e pacto talio eſto*. Apud Feſtum vero ex Verrio Flacco: *Si membrum rapſerit, ni cum eo pacit, talio eſto*. Extat apud Gellium ſcita diſputatio de eiuſmodi lege inter Phavorinum Philoſophum, & Sextum Cæcilium Iuriſconſultum, differente Phavorino, eſſe ulciſcendi acerbitatem, immanitatem ſecandi, & partiendi integrum corpus hominis, &c. At mitius in Verrio ſcripta erat lex: *Niſi pacit*, id eſt paciſcatur: qua ratione poſſet utcumque hæc lex divina intelligi. Hebræi analogice hanc talionis legem interpretantur: aiunt enim non eſſe ad litteram intelligendam, alioqui enim immaniſſimam videri; ſed fieri debere compenſationem per bona externa, ut qui ſic hominem læſerit, teneatur ad quinque. I. Ut ſcilicet compenſet damnum, ut ſi amputaverit manum vel pedem: II. operas, quas interea dum decubuit, amiſit: III. dolorem quoque: IV. Et medicinam: V. & confuſionem: ut ſi in loco patenti, puta in facie, &c. & cum deformitate eſſet læſus.

V. 28. SI BOS CORNU PERCUSSERIT VIRUM, &c. Quidam putant eſſe ſynecdochen; id eſt, ſi quadrupes quodvis pauperiem fecerit, ſeu damnum alicui homini intulerit.

V. 30. PRETIUM. כופר *copher* proprie *operimentum, tectorium, oblinimentum, expiatio, luſtratio, pretium quo vita hominis redimitur: lytron* Græce dicunt, *redemptura, pretium piaculare*. Senſum huius verſus eſſe aiunt, ſi habeat poteſtatem a iudicibus, ſeu magiſtratibus redimendi vitam ſuam, tum pro redemptione vitæ ſuæ dabit quantum imperatum fuerit.

V. 34. REDDET. Verbo שלם *ſchillem* in Pihel hæc omnia ſubſunt, *pacificabit, retribuet, reddet integrabit, rependet, compenſabit, reddet, ſolvet, perſolvet, reſarciet*.

MENOCHII.

Verſ. 1. HAEC SUNT IUDICIA: præcepta iudicialia, quæ ad populum iuſte, & pacifice gubernandum Dominus præſcripſit; ſicut cæremonialia præcepta vocantur ea quæ ad Deum per ſacras cæremonias rite colendum traduntur.

V. 2. SERVUM: non famulum, ſed mancipium. IN SEPTIMO ANNO, qui omnibus idem erat. Itaque aliqui citius, aliqui tardius a ſervitute liberabantur, prout longius, aut propius ab anno illo ſeptimo diſtabant.

V. 3. CUM QUALI VESTE. Veſtis illi exeunti tam honeſta detur, quam habuit cum intraret: hoc enim decens eſt, & congruum.

V. 4. MULIER, ET LIBERI ERUNT DOMINI. Uxor manebit ſerva hero, a quo ſervo illi data fuerat in coniugium; ipſi etiam hero manebunt proles, quæ ventrem ſequuntur: & ſic ſervo libertatem adepto videtur ſolutum matrimonium cum femina, quæ adhuc hæret in ſervitute, ut docent Abulenſis, Oleaſter, Caietanus, Lipomanus, & alii: fuiſſet enim nimis grave, ſi facta ſeparatione, & viro libertati reddito, matrimonium conſtitiſſet.

V. 6. DIIS, iudicibus, qui iudiciariam, & gubernatoriam Dei poteſtatem participant. Sic dicitur Exod. XXII. 28. *Diis* (hoc eſt iudicibus) *non detrahes, & principi populi tui non maledices*. AD OSTIUM, ET POSTES: domes heri. Subula perforabatur auris, & poſti configebatur, ut ſignificaretur eum perpetuæ ſervituti in domo illa addici. Videtur etiam ſtatuta hæc cæremonia in pœnam, & ignominiam neglectæ libertatis. Alii volunt deſignari perpetuam ſub domino obedientiam, ut ne extra limen quidem pedem proferre ſe poſſe intelligeret invito domino. IN SAECULUM. Sæculum non tantum æternita-

tatem ſignificat, ſed etiam ſpatium longiſſimum, quod Hebræis erat 50. annorum. Cum ergo dicitur futurum ſervum in ſæculum, intellige uſque ad annum 50. iubilæi: tunc enim ſervi omnes Hebræi manumittebantur. Levit. xxv. 40.

V. 7. SI QUIS VENDIDERIT FILIAM SUAM IN FAMULAM, ſcilicet cum promiſſione deſponſationis, qua herus filiam Hebræam emens in famulam, promiſit ſe eam ducturum in uxorem, ſaltem ſecundariam. NON EGREDIETUR SICUT ANCILLAE EXIRE CONSUEVERUNT: ſicut ancillæ, quæ Hebrææ non ſunt, ſed alienigenæ. Itaque nec infidelibus vendet, & manentem domi benigne ut filiam habebit, & tractabit; & egredientem, poſtquam thori fuerat particeps, curabit ut commode nubat, pretio, aut veſtibus, & huiuſmodi datis, ut habetur num. 10.

V. 10. QUOD SI ALTERAM EI ACCEPERIT, filio ſcilicet ſuo, ſerva abire iuſſa.

V. 11. SI TRIA ISTA NON FECERIT; hoc eſt, ſi non providerit ei nuptias, veſtimenta, & pudicitiæ pretium non dederit, liberum erit ancillæ recedere nullo dato pretio, quo ſeipſam redimat.

V. 12. QUI PERCUSSERIT HOMINEM, ita ſcilicet ut moriatur: nam *Percutere* paſſim in Libris Regum, aliiſque hiſtoricis accipitur in actu conſummato. MORTE MORIATUR. Statuitur hic pœna talionis, & mortis in homicidam voluntarium.

V. 13. QUI AUTEM NON EST INSIDIATUS; ſed tamen occiſor in culpa fuit vel imprudentiæ, vel negligentiæ, vel vindictæ. DEUS ILLUM TRADIDIT IN MANUS EIUS. Dei vindicis providentia factum eſt ut illi occurreret, & a Deo cædes illa in pœnam ſontis ordinata eſt.

V. 14. AB ALTARI MEO EVELLES EUM, UT MORIATUR; quaſi dicat: Nullum pro huiuſmodi homicida erit aſylum, quantumvis locus ſit ſacer. Sic Salomon Ioab occidi iuſſit ad ipſum altare III. Reg. II. 31.

V. 15. QUI PERCUSSERIT PATREM, &c. etiamſi percuſſio lethalis non fuerit, moriatur tamen ob atrocem impietatem.

V. 16. QUI FURATUS FUERIT HOMINEM, ſive liber ſit, ſive ſervus: quemadmodum enim homicida morte punitur, ſive occidat ingenuum, ſive ſervum; ita plagiarius, ſive mancipium furetur, ſive hominem liberum.

V. 18. LAPIDE, VEL PUGNO, vel quocumque telo, vel modo. Dixit *lapide vel pugno*, quia fere rixantes lapide quem obvium habent, vel pugno feriunt.

V. 19. INNOCENS ERIT: a pœna immunis, quia eo indicio præſumitur mors illi non ex percuſſione, ſed aliunde obveniſſe. OPERAS EIUS. Heb. *ſedere eius*, id eſt ceſſationem ab opere.

V. 20. CRIMINIS REUS ERIT: homicidii, ac proinde pœnæ mortis.

V. 21. QUIA PECUNIA ILLIUS EST: quia illius mancipium eſt, pecunia emptum, quod iure moderate caſtigare poterat: itaque etiamſi exceſſerit, propter dictam rationem, & vilem ſervorum conditionem, non ſtatuitur pœna mortis.

V. 22. MULIEREM PRAEGNANTEM, quæ inter rixantes intercedere, vel maritum ſuum adiuvare voluit.

V. 23. SIN AUTEM MORS EIUS FUERIT SUBSECUTA. In Heb. eſt, *Et ſi mors fuerit*, ubi pro *mors*, eſt אסון *aſon*, quod aliter videntur legiſſe LXX. hoc eſt אישון *iſchon*, diminutivum איש *iſc*, *vir*: nam verterunt ἐὰν ἐξεικονισμένον ᾖ ſcilicet α παιδίον. Si formatus fuerit fœtus, vel *ſi vir parvulus*, *ſi virunculus excuſſus fuerit* (ita enim verti poteſt ex Hebræo legendo ut LXX. legerunt) morti ſubiaceat, animam pro anima reddendo. REDDET ANIMAM PRO ANIMA: vitam pro vita mulieris quam occidit.

V. 26. LUSCOS EOS FECERIT, ſcilicet eruto oculo coclites, vel unoculos.

V. 28. LAPIDIBUS OBRUETUR: non ob bovis culpam, quæ in bruto eſſe non poteſt; ſed ad terrorem, & exemplum hominum, ut ſcilicet ab homicidio abſterreantur.

V. 29. AB HERI ET NUDIUSTERTIUS, a præcedenti tempore. CONTESTATI SUNT; dominum bovis periculi admonuerint. NEC RECLUSERIT. Heb. *Nec cuſtodierit*.

V. 30. QUOD SI PRETIUM FUERIT EI IMPOSITUM, a iudice, qui cauſa cognita ob levem eius culpam pecunia mulctare ſatis habuerit.

V. 35.

V. 35. Si bos alienus, &c. Lex loquitur tantum eo caſu quo bos bovem, non autem eo quo bos ovem, aut vitulum occidiſſet: tunc enim non erat æquum bovem dividi pro ove, aut vitulo, qui minoris eſt pretii quam bos. Itaque tunc iudices mulctam decernebant pro rata damni illati. Quod hic de bove dicitur, idem a pari de ariete, equo, &c. intellige.

TIRINI.

Verſ. 6. Offeret eum diis, id eſt iudicibus, ſeu magiſtratibus, qui participant aliquid divinitatis, nempe iudiciariam poteſtatem, dum exercent iudicium & iuſtitiam nomine & vice Dei. Volebat autem Deus in re tanti momenti, quanti eſt perpetua ſervitus, nihil temere aut inconſulto fieri; ſed rem per iudices publicos cognoſci, & non niſi ex illorum ſententia conſtitui. Cognita vero ſervi voluntate, *applicandus* erat *ad oſtium* domus heri ſui, ut habetur expreſſe *a* Deut. xv. & *ad poſtem perforanda auris ſubula:* idque non tam in pœnam, aut ignominiam, ut qui negligeret recuperare libertatem quæ beneficio legis illi offerebatur, ut putat ſanctus Thomas, Caietanus, Abulenſis & Lyranus; quam in ſignum perpetuæ ſervitutis, & renuntiationis iuris ſui, ut explicat Theodoretus, Rupertus & Lipomanus. Nam hac cæremonia deſignabatur, ſervum debere domino ſuo perpetuam obedientiam, atque ita poſti domus affixum, & oſtio concluſum eſſe, ut illo egredi non poſſit niſi voluntate, aut iuſſu domini ſui.

Nota tamen, quod hic dicitur, Et erit ei servus in saeculum, non neceſſario intelligendum de toto tempore vitæ ſervi illius; ſed ab interpretibus limitari uſque ad annum iubilæum, qui erat quinquageſimus cuiuſque ſæculi: ſive is adhuc procul, ſive parum abeſſet. Erat enim adhuc alia tum lex Levit. xxv. quæ hanc rurſus ſervitutis obligationem relaxari iubebat, additis etiam aliis quibuſdam ſervi manumittendi privilegiis, ut exponit Ioſephus *b*, & alii paſſim.

(*a*) Deut. xv. verſ. 17. & ita explicat Gloſſa ordinaria, Caietan. Lipomanus, Bonfrer.
(*b*) Ioſephus Lib. IV. Antiq. cap. viii.

GORDONI.

Verſ. 1. Iudicia, vocat iudicialia præcepta, nempe quæ ſunt ad lites dirimendas, & populum iuſte gubernandum; cæremonialia, quæ ſunt ad Deum rite colendum per ſacrificia, & ſacros ritus. Inter illa iudicialia ſunt quædam moralia, quæ ſunt iuris naturæ, v. g. non ſuſcipies vocem mendacii. In legibus hic non moror.

V. 4. Cum vestitu suo. Hebr. *In corpore ſuo*, hoc eſt *ſolus*, ut habent Septuaginta.

V. 6. Diis. אלהים *Elohim*. Vox iſta hoc loco pro iudicibus accipitur. Simile eſt Pſalm. xci. Septuag. habent *ad tribunal Dei*, *τὸ κριτήειον τῦ Θεῦ*. Quod ſequitur, ad ostium, intellige oſtium heri ſui: nam eſt Hebr. דלת *deleth*, non autem שער *ſchabbar*, quod ſignificat portam civitatis. Sed quid eſt, *τὸ in ſæculum*, לעלם *lebbolam*? Certe hoc loco eſt uſque ad iubilæum proxime inſequentem.

V. 8. Cui tradita fuerat: intellige, in ſponſam, vel ſamulatum: tamen Sept. *Qui ſibi eam deſponderat*.

V. 10. Providebit, &c. hoc eſt, dotabit eam.

V. 11. Si aliquid horum trium omiſerit, ſerva egredietur gratis.

V. 14. Ab altari evelles eum, ſignificat pro homicidio voluntario non dari aſylum. Hinc videmus III. Reg. ii. verſ. 31. iuſſiſſe Salomonem, ut Ioab extractus ab altari occideretur.

V. 16. Qui furatus fuerit hominem. Pœna plagiarii, ſeu qui liberum hominem redegerit in ſervitutem. Vide Lib. VII. cap. de Plagiariis.

V. 23. Reddet animam. Pœnam talionis iudex infliget, non vero privatus. Quid de hac lege talionis edixerit Chriſtus per modum conſilii, vide Matth. v. verſ. 28.

V. 29. Ab heri et nudiustertius, id eſt antea,

Ex Eiusdem Auctario.

V. 2. Emeris servum, mancipium intellige. In ſeptimo anno non ab emptione, ſed ſeptimo Hebraico, & omnibus ſolemnis. Vide cap. xxiii. veſ. 11. Itaque ſer-

ſervitus aliis erat brevior, aliis productior.

V. 3. Nec exeat minus bene veſtitus quam quando venit.

V. 7. NON EGREDIETUR: non tractabitur ut ſolent tractari alienigenæ empti, ut hic declarat.

V. 12. QUI PERCUSSERIT, ita ut moriatur.

Verſ. 15. MORIATUR, quamvis percuſſio non ſit lethalis.

V. 20. REUS, homicidii.

V. 21. QUIA PECUNIA ILLIUS EST: quia illius eſt mancipium, pecunia ſua emptum.

V. 26. LUSCOS, unoculos.

V. 30. SI PRETIUM, ſcilicet in levi culpa, & iudice ſtatuente mulctam pecuniæ.

CAPUT XXII.

Furti damnique illati pœna; depoſiti, commodati, atque ſtupri lex, idololatriæ ſupplicium: advenæ, viduæ & pupillo nocentium pœna: mutui, uſuræ & pigneris lex, ac obedientiæ & decimarum.

1 SI quis furatus fuerit bovem, aut ovem; & occiderit vel vendiderit: quinque boves pro uno bove reſtituet, (*a*) & quatuor oves pro una ove. 2. Si effringens fur domum, ſive ſuffodiens fuerit inventus, & accepto vulnere mortuus fuerit: percuſſor non erit reus ſanguinis. 3. Quod ſi orto ſole hoc fecerit, homicidium perpetravit, & ipſe morietur. Si non habuerit quod pro furto reddat, ipſe venumdabitur. 4. Si inventum fuerit apud eum quod furatus eſt, vivens, ſive bos, ſive aſinus, ſive ovis: duplum reſtituet. 5. Si læſerit quiſpiam agrum, vel vineam, & dimiſerit iumentum ſuum ut depaſcatur aliena: quidquid optimum habuerit in agro ſuo, vel in vinea, pro damni æſtimatione reſtituet. 6. * Si egreſſus ignis invenerit ſpinas, & comprehenderit acervos frugum, ſive ſtantes ſegetes in agris, reddet damnum qui ignem ſuccenderit. 7. Si quis commendaverit amico pecuniam, aut vas in cuſtodiam, & ab eo qui ſuſceperat, furto ablata fuerint: ſi invenitur fur, duplum reddet. 8. Si latet fur, dominus domus applicabitur ad deos, & iurabit quod non extenderit manum in rem proximi ſui, 9. ad perpetrandam fraudem, tam in bove, quam in aſino, & ove ac veſtimento, * & quidquid damnum inferre poteſt: ad deos utriuſque cauſa perveniet: & ſi illi iudicaverint, duplum reſtituet proximo ſuo. 10. Si quis commendaverit proximo ſuo aſinum, bovem, ovem, & omne iumentum, ad cuſtodiam, & mortuum fuerit, aut debilitatum, vel captum ab hoſtibus, nulluſque hoc viderit: 11. iusiurandum erit in medio, quod non extenderit manum ad rem proximi ſui: (*b*) ſuſcipietque Dominus iuramentum, & ille reddere non cogetur. 12. Quod ſi furto ablatum fuerit, reſtituet damnum domino. 13. Si comeſtum a beſtia, deferat ad eum quod occiſum eſt, & non reſtituet. 14. Qui a proximo ſuo quidquam horum mutuo poſtulaverit, & debilitatum aut mortuum fuerit domino non præſente, reddere compelletur. 15. Quod ſi in præſentiarum dominus fuerit, non reſtituet, maxime ſi conductum venerat pro mercede operis ſui. 16. (*c*) Si ſeduxerit quis virginem necdum deſponſatam, dormieritque cum ea: dotabit eam, & habebit eam uxorem. 17. Si pater virginis dare noluerit, reddet pe-

pecuniam iuxta modum dotis, quam virgines accipere conſueverunt. 18. Maleficos non patieris vivere. 19. Qui coierit cum iumento, morte moriatur. 20. Qui immolat diis, occidetur, præterquam Domino ſoli. 21. (*d*) Advenam non contriſtabis, neque affliges eum: advenæ enim & ipſi fuiſtis in Terra AEgypti. 22. (*e*) Viduæ & pupillo non nocebitis. 23. Si læſeritis eos, vociferabuntur ad me, & ego audiam clamorem eorum: 24. & indignabitur furor meus, percutiamque vos gladio, & erunt uxores veſtræ viduæ, & filii veſtri pupilli. 25. Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi qui habitat tecum, non urgebis eum quaſi exactor, nec uſuris opprimes. 26. (*f*) Si pignus a proximo tuo acceperis veſtimentum, ante ſolis occaſum reddes ei. 27. Ipſum enim eſt ſolum, quo operitur, indumentum carnis eius, nec habet aliud in quo dormiat: ſi clamaverit ad me, exaudiam eum, quia miſericors ſum. 28. Diis non detrahes, & (*g*) principi populi tui non maledices. 29. Decimas tuas & primitias tuas non tardabis reddere: (*h*) primogenitum filiorum tuorum dabis mihi. 30. De bobus quoque, & ovibus ſimiliter facies: ſeptem diebus ſit cum matre ſua, die octava reddes illum mihi. 31. Viri ſancti eritis mihi: (*i*) carnem, quæ a beſtiis fuerit prægustata, non comedetis, ſed proiicietis canibus.

(*a*) II. Reg. XII. 6. (*b*) Gen. XXXI. 39. (*c*) Deut. XXII. 29. (*d*) Levit. XIX. 33. (*e*) Zach. VII. 10. (*f*) Deuteronom. XXIV. 13. (*g*) Act. XXIII. 5. (*h*) Ezech. XLIV. 30. Sup. XIII. 2. & 12. Infra XXXIV. 19. (*i*) Levitic. XXII. 8. Ezech. XLIV. 31.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 6. *Si ingreſſus ignis invenerit ſpinas*. Egregia correctio, pro *ſpicas*, quibus frumenti grana continentur, ſcripſiſſe *ſpinas* quod eſt vepres.

V. 19. *Et quidquid damnum inferre poteſt*. Non mutes accuſativum *damnum* cum genitivo *damni*.

COMMENTARIA

SA.

Verſ. 3. HABUERIT, ſcilicet fur, de quo ſupra.

V. 5. ET DIMISERIT; pro, dimittendo.

V. 6. REDDET, ſcilicet fur.

V. 8. DEOS, id eſt iudices.

V. 9. AD PERPETRANDAM, &c. id eſt ad nocendum; vel quaſi dicat: In quavis lite de fraude facta in re aliqua inter duos.

V. 15. MAXIME. Id non eſt Hebr. OPERIS SUI; quaſi dicat, ſervitii ipſius animalis.

V. 24. INDIGNABITUR FUROR MEUS, id eſt, valde iraſcar.

V. 25. EXACTOR. Hebr. *uſurarius*.

V. 28. DIIS, id eſt iudicibus, qui ſunt Dei loco.

V. 29. PRIMITIAS. Deo tamquam omnium rerum principio hæ offerebantur.

V. 31. VIRI SANCTI ERITIS; quaſi dicat: Studete ſanctitari, ſi mihi placere vultis. PRAEGUSTATA. Hebr. & Chald *lacerata*.

ESTII.

Verſ. 1. QUINQUE BOVES PRO UNO BOVE RESTITUET, ET QUATUOR OVES PRO UNA OVE: nempe quia boves, & oves per ſe ad multas utilitates ſerviunt hominibus, aurum tantum ratione commutationum: & rurſum bos quoque utilior ove: quia præter commoda quæ præſtat ex ſuo cor-

corpore hominibus in victum, & veſtitum æque ut ovis, ſervit et iam homini ad agriculturam, & alia op era. Sed quid ſi fur non eſſet ſolvendo? Veriſimile, quod in pelle luere debebat, ſcilicet flagris, aut forte aliquando etiam laqueo, cum plurics furta magna commiſiſſet. Nam etiam illo tempore pro furto ſupplicium mortis aliquando fuiſſe irrogatum apparet ex verbis Iacob ab Laban Geneſ. XXXI. ut ibi diximus. Aut ſane vendebatur in ſervitutem, ut ex pretio ſatisfieret homini læſo ſecundum legem: quo ſpectat parabola Evangelica de ſervo debitore decem millium talentorum; & illud hoc ipſo capite verſ. 3. ita præſcribitur.

V. 2. SI EFFRINGENS FUR DOMUM, SIVE SUFFODIENS ... PERCUSSOR NON ERIT REUS SANGUINIS. Concordat Lex 12. Tabularum num. 44. hac antiqua phraſi: *Si nox furtum faxit, & ſi quis occiſit, iure cæſus eſto.* Intelligenda autem hæc de foro externo, in quo tale homicidium non punitur, quia præſupponitur quod fur etiam vim inferre voluerit.

V. 18. MALEFICOS NON PATIERIS VIVERE. Hebr. *Maleficam ne vivifices*; id eſt, ne ſinas vivere, ſed interfice: ſicut de Davide dicitur I. Reg. XXVII. *Virum, & mulierem non vivificabat.* Ereadem ratio eſt de viro. Et nota. Non dicit, *Non patieris vivere*, ſi maleficiis ſuis quæcumque nocumenta inſerant; ſed abſolute: ut intelligamus hoc peccarum morte puniendum, non ſolum propter læſam Rempublicam, ſed propter hoc ipſum quod malefici ſint, ſeu incantatores; quod per ſe tale eſt ut mortem mereatur, quia ſcilicet eſt crimen apoſtaſiæ a Deo, & transfugii ad eius adverſarium diabolum, ita ut ei deſeratur honor Deo debitus.

MARIANAE.

Verſ. 1. BOVEM, AUT OVEM. שה *ſeh*, *pecus* potius, ut comprehendant minora animalia oves, & capras, propter ea quæ ſuperius cap. XII. verſ. 3. dicta ſunt.

V. 2. PERCUSSOR NON ERIT REUS SANGUINIS. Hebr. *non ei ſanguis*, ſupple imputabitur percuſſori; ſcilicet furis.

V. 3. HOMICIDIUM PERPETRAVIT, ET IPSE MORIETUR, ſcilicet percuſſor furis poſt ortum ſolis. SI NON HABUERIT QUOD PRO FURTO REDDAT, IPSE VENUMDABITUR. Hoc ad latronem referatur: ſic locum eſſe diſtinguendum Hebraica convincunt: *Si ortus fuerit ſol ſuper eum, ſanguis ei* (certe percuſſori imputabitur.) *Reddendo reddet* (certer fur) *ſi non ei* (ſupple, erit unde reddat) *& venumdetur in furto ſuo*, id eſt pro furto ſuo.

V. 6. IGNIS INVENERIT SPINAS. Propter ſepem id dicit, non ſpicas. SIVE STANTES SEGETES IN AGRIS, combuſſerit. Hebr. *ſegetes, aut agrum*: ſicque verterunt Sept. & Chald.

V. 8. APPLICABITUR AD DEOS: ad iudices fur adducetur.

V. 9. AD PERPETRANDAM FRAUDEM. Hoc non iungatur cum ſuperioribus, ſed cum ſequentibus, hac ſententia: *In omni verbo delicti aut fraudis ſuper bove, ſuper aſino, ſuper pecude, ſuper veſte ſuper omni re amiſſa, cum dixerit, quod, hoc illud* (nempe contentio fuerit) *ad iudices veniat verbum amborum: quem condemnabunt iudices, duplum reddet proximo ſuo.*

V. 10. SI QUIS COMMENDAVERIT. Lex hæc eſt depoſiti.

V. 11. SUSCIPIETQUE DOMINUS IURAMENTUM, ſcilicet dominus depoſiti.

V. 14. QUIA PROXIMO SUO. Lex commodati, quod datur in utilitatem commodatarii.

V. 15. SI IN PRAESENTIARUM; pro, ſi præſens dominus, ſcilicer iumenti, fuerit, nil reddet qui conduxit. MAXIME SI CONDUCTUM. Illud *maxime* non eſt in Hebræo; ſed tantum, *ſi mercenarius ipſe venit pro mercede ſua*: ſed prudenter a Hieronymo eſt additum ad explicandam ſententiam, pro iumento, ſi moriatur, non teneri qui illud, & herum pretio conduxit.

V. 18. MALEFICOS NON PATIERIS VIVERE. Heb. *Maleſica non vivat*: utitur genere feminino, quoniam eæ artes mulierum frequentius ſunt, præſertim lenarum, quas *maleficas* videtur vocare, quoniam de iis agit poſtquam de virginis ſtupro agit. Et vere præſtigias faciunt, quæ eſt vis vocis Hebraicæ *mechaſephah*.

V. 26. ANTE SOLIS OCCASUM. Hebr.

Hebr. *Uſque ad ſolis occaſum reddes veſtem oppignoratam*.

V. 28. DIIS NON DETRAHES. Heb. *Non maledices diis*, id eſt iudicibus.

V. 29. DECIMAS TUAS ET PRIMITIAS TUAS NON TARDABIS REDDERE. Hebr. *plenitudinem tuam*, *&* *lacrymam tuam*. Hoc eſt ex aridis (id eſt *plenitudo*) & ex liquidis (id eſt *lacryma*; quoniam ad modum lacrymæ exprimitur) *non tardabis*, ſupple offerre. Sept. huc reſpicientes dixere: *Primitias areæ*, *&* *torcularis tui*. Chaldæus: *Primitias frumenti tui & vini*.

MALVENDAE.

Verſ. 2. EFFRINGENS. מחתרת *machtereth* bis tantum in Scriptura legitur. Noſter hic *effringens*, Ierem. II. 34. *foſſas* reddidit. Exponunt *foſſionem*, *effoſſionem*, *perfoſſionem*, *ſuffoſſionem*, *foramen*. Alii potius *perfoſſorium*; id eſt, inſtrumentum, quo muri perfodiuntur, ſignificare exiſtimant: terebram Tactici vocant. Huc reſpexiſſe videtur Chriſtus Matthæi XXIV. 43.

V. 3. SI NON HABUERIT QUOD PRO FURTO REDDAT, IPSE VENUMDABITUR. Hebr. *Reddendo reddet: ſi non ei vendetur pro furto ſuo*. Hebræi dubitant: Quomodo reſtituere poteſt fur, aut venumdari, qui eſt a percuſſore interfectus noctu, vel interdiu? Reſpondent, hanc partem cohærere cum extremis verbis verſus primi; verſum autem ſecundum, & primum hemiſtychium tertii, interiectos per parentheſim, ubi agitur de fure nocturno, & diurno. Unde illud, *Reddendo reddet*, iungendum cum illo verſ. I. *Quatuor oves pro una ove, reddendo reddet*. Similem conſtructionem parentheticam obſervant Pſalm. L. 6. *Ut iuſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cum iudicaris*: quæ non connectunt cum proxime antecedētibus, *Tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci*, quod nullo ſenſu cohæreant; ſed cum verſ. I. *Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam*, &c. *ut iuſtificeris in ſermonibus* &c. Sic etiam Geneſ. I. verſ. I. ut ibi annotavimus. Alii ita conſtruunt: Si exortus fuerit ſol ſuper talem furem qui domum perfodit, non debet talis fur diurnus a patreſamilias occidi; ſed deprehenſus, ad reſtitutionem debet cogi: quod ſi paterſamilias occiderit eum, reus homicidii eſto. Simplicius erit, *Reddendo reddet*, &c. quando non occidetur, ſed deprehendetur: nam fur nocturnus, ſive diurnus non ſemper in perfoſſione occidebatur. Illud vero verſ. 2. *Non ei ſanguines*, & verſ. 3. *Sanguines ei*, ſemper de percuſſore plerique intelligunt. *Ipſe venundabitur*. Heb. addunt *in furto ſuo*, id eſt propter furtum ſuum, vel pro furto ſuo; id eſt, ex pecunia ipſa, pretio ſuæ venditionis reſarciatur damnum furti domino.

V. 6. STANTES SEGETES. קמה *kamah*, *frumentum in agro recta ſtans*, *&* *nondum demeſſum*, *culmi*, *&* *ariſtæ ſtantes*, *ſeges adhuc ſtans*, *&* *in culmum erecta*.

V. 9. AD PERPETRANDAM FRAUDEM. Hebr. *Super omni verbo tranſgreſſionis* . *prævaricationis*, &c. Verbum, ſeu negotium transgreſſionis appellat quodcumque crimen, ſive rem omnem controverſam. Quidam reddunt: *De omni negotio rerum amotarum*; id eſt, quæ quocumque pacto interverſæ fuerint, & proprio domino perierint. Sic verbum פשע *peſchagh* ſumunt Geneſ. XXXI. verſ. 36. ET QUIDQUID DAMNUM INFERRE POTEST, AD DEOS UTRIUSQUE CAUSA PERVENIET. Hebr. amplius habent: *Et ſuper omni perditione*, ſeu *amiſſione*, *qui dicet quia ipſum iſtud*, *uſque ad deos veniet*, &c. Alii reddunt: *Cum dixerit* quiſpiam *hoc eſſe*, *uſque ad iudices veniet*. *Hoc eſſe*, ſubaudi, quod perdiderit. Nonnulli, *Quod ipſius ſit iſtud*. Quidam, *Quod apud illum ſit*, nempe quod perditum fuit, vel *quia ipſe eſt*, ſeu *illum ipſum eſſe*; hoc eſt, ſi dixerit teſtis, eum eſſe reum amotarum, ſeu perditarum rerum, uſque ad iudices veniet. ET SI ILLI IUDICAVERINT, DUPLUM RESTITUET: nempe ſive depoſitarius evictus, ſive depoſitor falſo accuſans.

V. 10. SI QUIS COMMENDAVERIT PROXIMO SUO. Quidam addunt, *ex conducto*, evidentiæ, ut volunt, cauſa: quia diverſam eſſe hanc legem a præcedente oſtendi putant ex pœna hic poſita, & facto Iacob, Geneſ. XXXI. verſ. 39. quod etiam Hebræi interpretantur.

V. 13. DEFERAT AD EUM, QUOD OCCISUM EST. Hebr. *Venire faciet ei teſtem*;

ſtem, vel *teſtimonium*. Quidam elucidant: Afferet illius aliquid in teſtimonium; id eſt, partem animalis diſcerpti afferat, quæ teſtetur animal illud fuiſſe dilaceratum a fera: prout etiam ex luporum, leonum, urſorumque faucibus recuperatam interdum fuiſſe particulam prædæ, exponit Amos III. verſ. 11.

V. 15. SI CONDUCTUM VENERAT PRO MERCEDE; id eſt, eius uſum mercede conduxerat; cuius abuſum poterat dominus præſens prohibere, ideoque domino ſuo perierit. Rationem huius legis eſſe notant, quod præſumat conducentem non poſſe animali abuti, domino præſente; ideoque non præcipit reſtituere cum dominus adeſt. Hebr. *Si mercede conductum, conductitium, mercenarium, ipſum veniens in mercede ſua*; ac ſi dicat: Si pro mercede ei locatum eſt, ultra mercedem nihil rependito.

V. 16. DOTABIT EAM. Hebr. *Feſtinando feſtinabit eam ſibi in uxorem*; vel *declarando accelerabit eam* ſumere *ſibi*, &c. id eſt, cito, quamprimum, celeriter ducat eam; vel omnino feſtinet ducere eam. Quidam exponunt: *Feſtinando feſtinabit eam*; id eſt, dotando dotabit eam, & accipiet eam ſibi in uxorem. Quia quod Latini *dotare*, ſeu *dotem dare* dicunt, id Hebræi verbo *feſtinandi* efferunt: quod dos & feſtinanter promittatur deſponſatis, & detur nuptis. Alii: *Omnino conſtituens ei dotem, accipiat eam ſibi in uxorem*. Nonnulli: *Donatione donabit eam, eritque ei uxor*.

V. 17. IUXTA MODUM DOTIS QUAM VIRGINES ACCIPERE CONSUEVERUNT. Vide Deut. XXII. verſ. 29.

V. 18. MALEFICOS. Hebr. femineo genere, *Præſtigiatricem*; ſed notant, ſubaudiendum, & præſtigiatorem, & omnis artis nefariæ exercitorem, Levitici XIX. 26. Deuter. XVIII. 10. ſed *præſtigiatricem* hic potius nominari ſynecdochice, cum quia procliviores ſunt ad hoc ſcelus ex infirmitate mulieres, tum quia ſic viſum eſt Deo oſtendere, ne infirmiori quidam ſexui in hac cauſa (utcumque ab hominibus extenuari ſoleat) parcendum eſſe.

V. 20. OCCIDETUR. Verbum חרם *charam* in Hophal reddunt *exſcindetur, deſolabitur, diſperdetur, devovebitur, anathematizabitur, perditioni, internecioni devovebitur, ſacer eſto*. Putant Paulum Actorum XXIII. verſ. 12. 14. iſtud verbum per *anathematizare*, ſeu *devovere*, quod Noſter reddidit, expreſſiſſe. Quidam hic reddunt, *Ut anathema perditor*, ſeu *perdes*.

V. 21. ADVENAM NON CONTRISTABIS. Verbum ינה *ianah* in Hiphil varie hic reddunt: *Et peregrinum non deprædaberis, depopulaberis; non affliges, opprimes; & peregrino non facies, inferes vim; & peregrinum non moleſtabis; non damno afficies; non incommodabis*.

V. 26. SI PIGNUS A PROXIMO TUO ACCEPERIS. Hebr. *Si colligando colligabis*. Notant, verbum חבל *chabal ligare, colligare, conſtringere* tamquam fune ſignificare, inde *pignus accipere* denotare; quod pignus a debitore detur, & a creditore accipiatur tamquam vinculum datæ fidei, vel debiti. Hic fere reddunt: *Si pignus acceperis*; vel ex verbo, *Si pignus accipiendo pignus accipies*.

V. 29. DECIMAS TUAS, ET PRIMITIAS TUAS. Senſum Noſter expreſſit. Ex verbo, *Plenam tuam*, vel *plenitudinem tuam*. Quidam ſingulariter muſtum, ſeu vinum intelligunt, quod vel magna copia provenire ſoleat, & plene ex torcularibus defluat; *& lacrymam tuam*, oleum, quod ſit inſtar lacrymæ. Alii, *Plenitudinem tuam*, omnes fructus aridos, cum impleti fuerint, ſeu cum omnes fruges ad maturitatem pervenerint, & collectæ fuerint; *& lacrymam tuam*, id eſt liquores, liquamina, vinum, oleum, &c. Quidam reddunt: *Frugum tuarum maturarum, & liquoris tui* primitias, *ne differto* dare.

V. 31. VIRI SANCTI ERITIS, id eſt mundi, puri, impolluti, ſegregati a ſordibus, Deo dicati & conſecrati.

MENOCHII.

Verſ. 1. QUINQUE BOVES. Fur bovis quintuplum reddere debet, ovis tantum quadruplum. Præter legislatoris voluntatem difficile eſt rationem huius rei aſſignare. Fortaſſe maiorem pronitatem ad furandos boves voluit coercere: vel etiam dic maius damnum ceteris paribus inferri ab eo qui furatur boves; quod hi etiam arationi ſerviant, non autem oves.

V. 3. QUOD SI ORTO SOLE, &c. Nocturnum furem licebat occidere, non diur-

diurnum. I. quia illius incerta eſt vis, & intentio: neſcitur enim an ad furandum tantum, an etiam ad occidendum veniat. II. quia nocturnus non agnoſcitur; atque ideo non poteſt res ablata iudicio repeti. III. quia fur nocturnus non poteſt tam ſecure apprehendi, aut repelli, quam diurnus: de die enim paterfamilias a vicinis, & familiaribus adiuvari facilius poteſt, quam noctu.

V. 4. SI INVENTUM FUERIT APUD EUM, &c. Ita ſtatuitur, quia facilius dominus quod ſuum eſt recipit, nec fur rem diſtrahendo, aut occidendo, eo ſe redegit ut reſtituere non poſſit. Itaque mitior pœna decernitur, quam ſi occidiſſet, aut vendidiſſet: tunc enim quintuplum reddendum.

V. 5. ET DIMISERIT, dimittendo.

V. 6. EGRESSUS IGNIS, pro ſerpendo uſque ad ſpinas, aut ſegetes.

V. 8. DOMINUS DOMUS, in qua depoſitum fuit furto ſublatum, & qui depoſitarius eſt. APPLICABITUR AD DEOS: adducetur ad iudices. IURABIT QUOD NON EXTENDERIT MANUM. Depoſitarius iuramento purgabit ſe, probabitque ſuam innocentiam.

V. 9. AD PERPETRANDAM FRAUDEM: ut ſcilicet fraudulenter noceret. ET QUIDQUID DAMNUM INFERRE POTEST, ſi ablatum ſit. In Hebræo eſt, *Super omni re perdita, quam dixerit, quia ipſa eſt*: ſententia eſt: Si quis rem apud alium depoſitam perdiderit, & inventa ſit, ſed dubitetur an ſit illa eadem. AD DEOS, ad iudices. DUPLUM RESTITUET, depoſitarius qui fuerit furti, vel colluſionis, cum fure condemnatus.

V. 10. NULLUSQUE HOC VIDERIT: periiſſe nimirum animal ſine eius culpa, qui illud acceperat cuſtodiendum.

V. 11. SUSCIPIET DOMINUS IURAMENTUM; dominus animalis, quod periit.

V. 12. SI FURTO ABLATUM FUERIT. In Hebræo additur מעמו *mehimmo de cum eo*; ipſo nimirum vidente, aut ſciente, aut alioqui culpæ aliquo modo participe.

V. 13. QUOD OCCISUM EST: ipſum animal occiſum, aut eius reliquias.

V. 15. QUOD SI IN PRAESENTIARUM DOMINUS FUERIT, &c. præſente enim domino poteſt commodatarius remittere de cura rei cuſtodiendæ. MAXIME SI CONDUCTUM, &c. præſertim ſi non tam commodatum fuerit, quam locatio, dato pretio domino animalis.

V. 17. IUXTA MODUM DOTIS, &c. Si pater filiam dare noluerit, dotabit eam qui vitium intulit, tantumque dotis dabit, quantum ipſa a patre iuxta ſuam conditionem accepiſſet.

V. 18. MALEFICOS. In Hebr. eſt, *maleficas*: nam ſexus femineus magis maleficiis, ſive veneficiis obnoxius eſt, quam virilis.

V. 25. EXACTOR, uſurarius. NEC USURIS OPPRIMES. Heb. *Et non pones ſuper eum morſum*. Hebræi uſuram, *morſum* vocant, quia mordet, & rodit pauperes.

V. 26. VESTIMENTUM. Heb. *operimentum*: quod videtur intelligendum de operimento quo in lecto cubantes operiuntur.

V. 28. DIIS NON DETRAHES, iudicibus, magiſtratui.

V. 29. DECIMAS TUAS, ET PRIMITIAS TUAS NON TARDABIS REDDERE. In Heb. eſt, *Plenitudinem tuam, & lacrymam tuam*, hoc eſt ſpicas plenas, & liquorem vini, olei, &c. qui quaſi lacryma ex uvis, aut baccis diſtillat.

V. 30. DIE OCTAVA: quia ante hunc diem nimis tener, & quaſi immaturus, & imperfectus, nec ſatis plene formatus.

V. 31. VIRI SANCTI ERITIS MIHI, ſancte quæ præcipio ſervantes, & cavendo ab omni inquinamento, etiam carnis a beſtiis devoratæ, de qua ſubditur: CARNEM QUAE A BESTIIS. Si caro prius fuerit occiſa, & poſtea ſuperveniens beſtia aliquid ex ea comederit. II. ſi caro a beſtia occiſa ſit, ſive de ea aliquid comederit beſtia ſive non. III. ſi a beſtia captum ſit, & vulneratum, & poſtea ex illo vulnere animal mortuum fuerit. Beſtiæ nomine intelligitur *fera*: nam LXX. habent θηριάλωζοι, θῆρες autem & θηρία ſunt feræ. Iubet autem hoc, ut decentiam, & ſanctitatem quamdam externam, & corporalem doceat, & vitam ex ratione degere, quæ nihil feritatis, aut barbariei præſeferat, ait Theod. tandem ut illos a cæde, & furto longius arceat. Ita Caiet.

TIRI-

Digitized by Google

TIRINI.

Verſ. 1. QUare fur QUINQUE BOVES PRO UNO BOVE RESTITUET, & ſolum QUATUOR OVES PRO UNA OVE? Reſpondet Theodoretus, & ſanctus Thomas *a*, quia maius furtum, & damnum eſt bovis ſubducti, nam bos etiam arationi ſervit, non item ovis: ergo etiam maiori pœna plectendum, cum ſimul eo furto impediatur agricultura.

Nota, has, & ſequentes leges iudiciales poſitivas uſque ad cap. XXV. quia pœnales fere ſunt, non obligare niſi poſt ſententiam iudicis, qua quis damnabatur ad tale auctarium, vel aliam pœnam ſubeundam.

(a) S. Th. I. II. qu. cv. 2. ad 9.

GORDONI.

Verſ. 1. SI QUIS FURATUS FUERIT, &c. Initio capitis quinque leges de furto proponuntur: ſubſequuntur aliæ, pro quarum æquitate, quamvis nil aliud ſuppeteret, ſufficere deberet voluntas tanti legiſlatoris; præſertim cum id quod præcipitur ſit bonum aliquod, & veſtitum conditionibus quas debet habere legis obiectum. De natura vero talium legum diſputant ex profeſſo Theologi in materia de reſtitutione, & legibus.

V. 3. ET IPSE MORIETUR, nempe percuſſor furis poſt ortum ſolis.

V. 8. APPLICABITUR AD DEOS; hoc eſt, ad iudices adducendus eſt fur.

V. 10. SI QUIS COMMENDAVERIT. Eſt lex depoſiti.

V. 11. DOMINUS, ſcilicet depoſiti.

V. 14. QUI A PROXIMO. Lex eſt commodati, quod commodatario conceditur.

V. 15. SI IN PRAESENTIARUM; id eſt, ſi præſens Dominus.

*V.*28. DIIS NON DETRAHES. Hic per Deos intellige iudices, ſive ſacros, ſive profanos. Chaldæus etiam habet, *iudices*. Et inſequentia verba hoc docent, PRINCIPI POPULI TUI NON MALEDICES: eſtque communis interpretatio. Vide Greg. I. Reg. cap. VI. Dii vocantur ex quadam analogia, & ſimilitudine cum Deo.

V. 29. DECIMAS TUAS ET PRIMITIAS, &c. Hebræus habet, *Plenitudinem, & lacrymam non differas*. Certe intelligit primitias rerum aridarum, & liquidarum, ut etiam explicant Septuag.

V. 30. DIE OCTAVA; hoc eſt, non ante diem octavum, quia prius vix ſunt perfecta animalia: poſt octavum vero diem, ubi primum ſe offerret commoditas eundi Ieruſalem, ut in feſtis, &c.

Ex Eiusdem Auctario.

V. 6. EGRESSUS. Si ignis ex iuſta cauſa excitatus ſerpat ad ſegetes.

V. 8. DOMINUS DOMUS, in qua eſt depoſitum furtum.

V. 9. DUPLUM RESTITUET, ille depoſitarius, ſeu dominus domus.

V. 26. VESTIMENTUM. Veſtis eſt qua ſolet operiri.

V. 31. CARNEM QUAE A BESTIIS FUERIT PRAEGUSTATA. Carnem a beſtiis, hoc eſt a feris, guſtatam non vult comedi; denotans ſic, fugiendam eſſe omnem ſpeciem feritatis.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XXIII.

Leges præfixæ iudicibus: bos & aſinus inimici ſervandus: non accipienda indicibus munera; de anni & diei ſeptimi quiete, tribuſque feſtis præcipuis: de Angelo in ducem itineris præmittendo, & præmiis ſervantium præcepta.

1 NOn ſuſcipies vocem mendacii: nec iunges manum tuam ut
pro impio dicas falſum teſtimonium, 2. Non ſequeris tur-
bam ad faciendum malum: nec in iudicio, plurimorum ac-
quieſces ſententiæ, ut a vero devies. 3. * Pauperis quoque
non miſereberis in iudicio. 4. (*a*) Si occurreris bovi ini-
mici tui, aut aſino erranti, reduc ad eum. 5. Si videris a-
ſinum odientis te iacere ſub onere, non pertranſibis, ſed
ſublevabis cum eo. 6.* Non declinabis in iudicium paupe-
ris. 7. Mendacium fugies. (*b*) Inſontem & iuſtum non occides: quia averſor im-
pium. 8. (*c*) Nec accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes, & ſubver-
tunt verba iuſtorum. 9. Peregrino moleſtus non eris: ſcitis enim advenarum ani-
mas: quia & ipſi (*d*) peregrini fuiſtis in Terra AEgypti. 10. Sex annis ſemina-
bis terram tuam, & congregabis fruges eius. 11. Anno autem ſeptimo dimittes
eam, & requieſcere facies, ut comedant pauperes populi tui: & quidquid reli-
quum fuerit, edant beſtiæ agri: ita facies in vinea, & in oliveto tuo. 12. Sex die-
bus operaberis: ſeptimo die ceſſabis, ut requieſcat bos, & aſinus tuus: & refrige-
retur filius ancillæ tuæ, & advena. 13. Omnia quæ dixi vobis, cuſtodite. Et
per nomen externorum deorum non iurabitis, neque audietur ex ore veſtro. 14.
Tribus vicibus per ſingulos annos mihi feſta celebrabitis. 15. Solemnitatem azy-
morum cuſtodies. * Septem diebus comedes azyma, (*e*) ſicut præcepi tibi, tem-
pore menſis novorum, quando egreſſus es de AEgypto: (*f*) non apparebis in
conſpectu meo vacuus. 16. * Et ſolemnitatem meſſis primitivorum operis tui,
quæcumque ſeminaveris in agro: ſolemnitatem quoque in exitu anni, quando
congregaveris omnes fruges tuas de agro. 17. (*g*) Ter in anno apparebit omne
maſculinum tuum coram Domino Deo tuo. 18. * Non immolabis ſuper fermen-
to ſanguinem victimæ meæ, nec remanebit adeps ſolemnitatis meæ uſque mane.
19. (*h*) Primitias frugum terræ tuæ deferes in domum Domini Dei tui. Non co-
ques hœdum in lacte matris ſuæ. 20. † Ecce ego mittam Angelum meum, qui
præcedat te, & cuſtodiat in via, & introducat in locum quem paravi. 21. Ob-
ſerva eum, & audi vocem eius, nec contemnendum putes: quia non dimittet cum
peccaveris, & eſt nomen meum in illo. 22. Quod ſi audieris vocem eius, & fe-
ceris omnia quæ loquor, inimicus ero inimicis tuis, & affligam affligentes te.
23. (*i*) Præcedetque te Angelus meus, & introducet te ad Amorræum, & He-
thæum, & Pherezæum, Chananæumque, & Hevæum, & Iebuſæum, quos ego
conteram. 24. Non adorabis deos eorum, nec coles eos: non facies opera eo-
rum, ſed deſtrues eos, & confringes ſtatuas eorum. 25. Servietiſque Domino Deo
veſtro, ut benedicam panibus tuis & aquis, & auferam infirmitatem de medio
tui.

Digitized by Google

tui. 26. * Non erit infecunda, nec ſterilis in terra tua: numerum dierum tuorum implebo. 27. Terrorem meum mittam in præcurſum tuum, & occidam omnem populum, ad quem ingredieris: cunctorumque inimicorum tuorum coram te terga vertam: 28. emittens (k) crabrones prius, qui fugabunt Hevæum, & Chananæum, & Hethæum, antequam introeas. 29. Non eiiciam eos a facie tua anno uno: ne terra in ſolitudinem redigatur, & creſcant contra te beſtiæ. 30. Paulatim expellam eos de conſpectu tuo, donec augearis, & poſſideas Terram. 31. Ponam autem terminos tuos a Mari rubro uſque ad Mare Palæſtinorum, & a deſerto uſque ad fluvium: tradam in manibus veſtris habitatores Terræ, & eiiciam eos de conſpectu veſtro. 32. (l) Non inibis cum eis fœdus, nec cum diis eorum. 33. Non habitent in terra tua, ne forte peccare te faciant in me, ſi ſervieris diis eorum: quod tibi certe erit in ſcandalum.

(a) Deuteron. xxii. 1. (b) Dan. xiii. 53. (c) Deut. xvi. 19. Eccli. xx. 32. (d) Geneſ. xlvi. 5. (e) Sup. xiii. 3. 4. (f) Eccli. xxxv. 6. (g) Infr. xxxiv. 23. Deut. xvi. 16. (h) Infr. xxxiv. 26. Deut. xiv. 21. 22. (i) Infr. xxxii. 2. Ioſ. xxiv. 11. Deut. vii. cap. xxii. (k) Deuteronom. vii. 20. (l) Deuteron. vii. 2. Infr. xxxiv. 15.

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

V. 3. *Pauperis quoque non miſereberis in iudicio*. Non eſt viſum Correctoribus *iudicio* mutare cum *negotio*, quamvis hoc a multis legatur, non ſine ſimilitudine veri.

V. 6. *Non declinabis in iudicium pauperis*. Alii ſcribunt ſextum caſum *iudicio* pro quarto *iudicium*.

V. 15. *Septem diebus comedes azyma*. Non corrigas ſingulare *comedes* per plurale *comedetis*.

V. 16. *Et ſolemnitatem meſſis primitivorum*. Cave ne legas *menſis* pro *meſſis*, quod eſt θερισμῦ.

V. 18. *Non immolabis ſuper fermento ſanguinem victima mea*. Non commutes pronomen primæ perſonæ *mea*, cum ſecundæ *tua*.

V. 26. *Non erit infecunda, nec ſterilis in terra tua*. Perperam omittunt quidam præpoſitionem *in*.

Lectionum Varietas.

V. 2. *Ecce ego mittam Angelum meum*. Multa bona manuſcripta omittunt pronomen *meum*.

C O M M E N T A R I A

S A.

Verſ. 1. SUSCIPIES, ſcilicet loquendo contra proximum. MANUM, ſcilicet cum impio, ut illum adinves.

V. 3. MISEREBERIS, ſcilicet favendo ei iniuſte: ſubaudi, multoque minus divitis.

V. 6. PAUPERIS, ſcilicet inique ſavendo quod pauper ſit, aut nocendo. Hebr. *Non pervertes iudicium pauperis in eius lite*.

V. 7. MENDACIUM, id eſt falſum iudicium; ſcilicet o Iudex. AVERSOR IMPIUM. Hebr. *Non iuſtifico impium*; quaſi dicat, punio talem impietatem. LXX. *Non iuſtificabis impium cauſa munerum*:

V. 8. VERBA, id eſt negotia, cauſas:

V. 9. SCITIS ENIM AD VENARUM ANIMAS; id eſt, quid ſit eſſe advenam.

Verſ. 11. COMEDANT, ſcilicet ſponte nata.

V. 12. REFRIGERETUR. Heb. *reſpiret* id eſt quieſcat.

V. 13. NON IURABITIS. Heb. *Non memorabitis*. Chald. *non recordabimini*; quaſi dicat: Non nominabitis deos alienos. AUDIETUR, ſcilicet eorum mentio.

V. 15. NOVORUM, ſcilicet fructuum. QUANDO EGRESSUS ES. Hebr. *In illo enim egreſſus es*. VACUUS, id eſt ſine oblatione, ſcilicet in feſto Paſchæ, Pentecoſtes, & Tabernaculorum.

V. 26.

Digitized by Google

V. 16. MESSIS, ſcilicet in Pentecoſte: ſubaudi cuſtodies. QUAECUMQUE, id eſt eorum quæ. SOLEMNITATEM, ſcilicet Tabernaculorum feſtum. EXITU ANNI, ſcilicet Septembri: tunc enim deſinit, & incipit annus Hebræis; etſi quantum ad feſta, in Martio incipit, ſeu Niſan.

V. 17. CORAM DOMINO, ſcilicet in templo ubi Dominus colebatur.

V. 18. SUPER FERMENTO; quaſi dicat: Aufer de domo fermentatum, priuſquam agnum paſchalem immoles. SOLEMNITATIS MEAE, id eſt victimarum quæ mihi in ſolemnitatibus offeruntur. USQUE MANE, id eſt in alterum diem.

V. 19. IN LACTE, id eſt cum lacte ipſo in olla, vel dum lactat, vel una cum ipſa matre. Clem. II. Strom. ſic interpretatur: *Ne fiat interempti condimentum quod eſt viventis nutrimentum.*

V. 20. ANGELUM. Aug. XV. contra Iuſt. cap. XIX. Ioſue interpretatur, in quo nomen Ieſu. At ex ſequentibus apparet, de *Angelo* loqui qui populum ducebat.

V. 21. CONTEMNENDUM PUTES. Hebr. *Exacerbes eum*. NOMEN MEUM IN ILLO; id eſt, ſuſtinet perſonam meam, ſeu nomine meo agit. Poteſt id ad Prælatos accommodari, qui Dei nomine gubernant.

V. 25. PANIBUS, &c. id eſt cibo, & potui; quaſi dicat, Alam te abundanter.

V. 26. INFECUNDA. Heb. *abortiens*. IMPLEBO; quaſi dicat: Dabo vitam uſque ad ſenectutem.

V. 27. IN PRAECURSUM TUUM. Heb. *Ante te*.

V. 28. CRABRONES. Forte eſt figurata locutio, pro aculeos timoris, quo cedant. Aug. in Exod. q. XCIII.

V. 29. BESTIAE, id eſt cupiditates beſtiales, quæ ſolent de repentino ſucceſſu terrenæ felicitatis exiſtere. Aug. in Iudic. q. XVII. Ego ad litteram intellexerim & hic feras, & ſupra crabrones, id eſt veſpas, vel muſcas venenatas.

V. 30. AUGEATIS, ſcilicet numero, & viribus.

V. 31. FLUVIUM, ſcilicet Euphratem. Vide Pſal. LXXI.

ESTII.

Verſ. 15. NON APPAREBIS IN CONSPECTU MEO VACUUS. Myſtice, *Vacuus in conſpectu Domini apparet, cuius actio fructu piæ utilitatis caret*: Bonav. Lib. II. de Profectu Relig. cap. IX.

V. 19. NON COQUES HOEDUM IN LACTE MATRIS SUAE. Etſi quidam dicant, conſuetudinem fuiſſe idololatrarum ut carnes idolis immolandas in lacte coquerent (quod tamen veriſimile non eſt;) aliis tamen melius ſic illud exponunt: Ne offeras mihi hœdum dum adhuc lac ſugit: vel *in lacte matris*, id eſt cum matre lactante; quaſi dicat: Satis tibi ſit coquere, & comedere hœdum; nolo ſimul coquas matrem: id enim ſpeciem habet crudelitatis. Sic & Deuter. XXII. inveniens quis nidum avium iubetur, dimiſſa matre, ſolos pullos tenere. Myſtico ſenſu refert Aug. ad Chriſtum, de quo prophetatum ſit hac ſententia, non occidendum a Iudæis in lacte matris, id eſt, in infantia, quando eum ad necem quærebat Herodes, ſed differendam eius mortem uſque ad adultam eius ætatem.

V. 26. NON ERIT INFECUNDA, NEC STERILIS. Non eſt præceptum, ſed benedictionis promiſſio. Clarius idem repetitur Deut. VII. verſ. 14. his verbis, *Non erit apud te ſterilis utriuſque ſexus, tam in hominibus quam in gregibus tuis*. Et huc multi pertinere putant quod interdum a veteribus tamquam Scripturæ teſtimonium citatur: *Maledictus, qui non ſuſcitaverit ſemen in Iſrael*, ut apud Aug. quæſt. XVII. in Vetus Teſtam. & Lib. XXXII. contra Fauſtum cap. VI. verbis tamen Fauſti. Sed videant ſtudioſi an non reſpiciatur potius ad Deut. XXV. ubi punitur non ſuſcitans ſemen fratris ſui.

V. 28. EMITTENS CRABRONES PRIUS. Iſtud non legimus factum, neque Moyſi temporibus, neque Ioſue, neque poſtea. Atque hoc argumento movetur Auguſt. ut per crabrones, ſeu veſpas non aliud intelligat, quam timoris aculeos, quibus gentes illæ Chanaan agitatæ fuerint, ut cederent terram ſuam filiis Iſrael. Nihil tamen vetat crabrones proprie accipi. Quamvis enim non legamus

mus illud factum, tamen factum eſſe credi poteſt, quia hic prædictum. Suadet quoque ad propriam ſignificationem retinendam locus Sap. XII. ubi de his gentibus ſic legitur: *Sed & his tamquam hominibus pepercisti, & miſiſti anteceſſores exercitus tui veſpas, ut illos paulatim exterminarent.*

MARIANAE.

Verſ. 1. NON SUSCIPIES VOCEM MENDACII. Hebr. שוא *ſau, mendacium* exponitur hoc loco: ſic cap. XX. verſ. 7. *Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum*, id eſt mendacio: nam eadem vox utrobique eſt. UT PRO IMPIO DICAS FALSUM TESTIMONIUM. Latius in Hebræo, *Ne ponas manum tuam cum impio ut ſis teſtis iniquitatis*: ſic Sept. Itaque prohibetur tam pro eo, quam contra alium eo inſtigante, falſum teſtem eſſe, præſertim conventione cum illo facta.

V. 3. PAUPERIS QUOQUE NON MISEREBERIS IN IUDICIO. Hebr. *Pauperem non honores, aut venuſtes in iudicio.* Sed video Septuag. & Chald. vocem Hebraicam *thæbdar* in miſerandi ſignificatione poſuiſſe.

V. 5. NON PERTRANSIBIS, SED SUBLEVABIS (aſinum) CUM EO. Locus Hebraice difficilis, ſed uno e duobus modis explicandus: *Et ceſſabis ab auxiliando ei? Auxiliando auxiliaberis cum eo*, nempe inimico. Aut hoc modo, *Et cave* (ſic חדלת *badaltha* explicant quidam) *a derelinquendo eum. Auxiliando auxiliaberis cum eo.* Sic עזב *azab* priori loco ſumatur in ſignificatione communi relinquendi, deinde in ſignificatione auxiliandi, quod etiam ſignificat.

V. 6. NON DECLINABIS IN IUDICIUM PAUPERIS. Gotthicus codex, & multi alii codices, *in iudicio*: ſicque legendum videtur. Hebr. *Non pervertes iudicium pauperis tui lite ſua.* Itaque neque pro eo quod eſt verſ. 3. neque contra eum iniuria eſt pronuntiandum.

V. 8. MUNERA, QUAE ETIAM EXCAECANT PRUDENTES. Sept. & Heb. *Oculos videntium*: ſed *videntes* iidem *prudentes* ſunt: ſic Chald. dixit, *Munus excæcat oculos ſapientum.*

V. 13. NON IURABITIS. *Non recordabimini* (Hebr. Sept. Chald.) *nomen deorum alienorum.*

V. 16. IN EXITU ANNI, QUANDO CONGREGAVERIS OMNES FRUGES. Hinc conſtat duplex initium anni, & finis: a menſe Niſan, quo ad feſta; a Tiſri quo ad civilia.

V. 19. NON COQUES HOEDUM IN LACTE MATRIS SUAE. Hebræi in commune vetari putant carnem in lacte coqui; idque Chald. indicat cum dicit: *Non comedes carnem cum lacte.*

V. 21. NON CONTEMNENDUM PUTES, ſcilicet Angelum quem mittam. Hebr. *Ne rebelles in eum.* Porro quod ſequitur, ET EST NOMEN MEUM IN ILLO, cum his iunge, Non rebelles, quia vices meas gerit: quod interponitur, QUIA NON DIMITTET CUM PECCAVERIS, quaſi parentheſin lege.

V. 25. UT BENEDICAM PANIBUS TUIS ET AQUIS. Servietis Deo. Per *panes & aquas* intelligit quidquid ad eſum & potum pertinet. Sic vertit Chald. *cibum tuum, & potum tuum.*

V. 27. IN PRAECURSUM TUUM. Hebr. *Ante te.* MITTAM, ſcilicet in hoſtes terrorem.

V. 31. PONAM AUTEM TERMINOS TUOS IN DESERTO USQUE AD FLUVIUM. Intellige Euphratem, ex promiſſione facta Abrahæ Geneſ. XV. Quod Davide & Salomone Regibus impletum tandem eſt.

MALVENDAE.

Verſ. 1. NON SUSCIPIES VOCEM MENDACII. Diverſe hunc locum ex Hebræo transferunt, & exponunt. I. *Non feres, non ſuſtinebis rumorem mendacii*; quaſi dicat: Nedum non credes, ſed ne admiſeris etiam audire mendacium adverſus aliquem: non ſuſtinebis ut te coram proximus falſo, & male audiat. II. *Non levabis auditum mendacii. Ne efferto*; id eſt, ne falſi rumoris auctor, vel adiutor eſto. III. *Non portabis rumorem mendacii*; id eſt, ne ſpargas falſum rumorem, quem vel ab aliis audiſti, vel confinxiſti, in plures; aut ne ſis falſus delator. NEC IUNGES MANUM TUAM UT PRO IMPIO DICAS FALSUM TESTIMONIUM.

Digitized by Google

nium. Hebr. *Non pones manum tuam cum improbo, ut ſis teſtis torti*, ſeu *iniuriæ*, *iniuſtitiæ*. Quidam: *Ne apponito manum tuam cum improbo, agendo teſtem iniurium*; hoc eſt, ne conſociator, aut conſerto operam cum improbo, conſentiendo, aut iuvando eum ad malum. Alii: *Ne pacificaris cum improbo, ut ſis teſtis iniquus*. Nonnulli, ponere manum cum aliquo, ſumunt pro adiuvare cauſam eius; quaſi, dicat: Non adiuvabis cauſam improbi, non ſublevabis eam falſo tuo teſtimonio: vel ponere manum, pro iurare dictum putant; quaſi dicat: Non iurabis cum impio, ut ſis teſtis iniquus. Olim apud Hebræos iurantes manum ponebant ſuper librum legis, ut apud nos ſuper librum Evangeliorum.

V. 2. Turbam. רבים *rabbim* notant eſſe quantitatis, & qualitatis: unde plerique reddunt *multos*; alii *magnos*, *potentiores*, *inclytos*, *honoratiores*, *digniores*. Quidam hunc verſum ſic exprimunt: *Ne ſequaris multos ad malefaciendum*; *neque reſpondeas in iudicio, declinando poſt multos*; *ut perverſum quid committas*. Alii: *Ne inſiſtito veſtigiis potentiorum ad mala*; *neque loquitor de lite, declinando poſt potentiores ad pervertendum eam*. Hic *rabbim* intelligi *potentiores*, ex antitheſi pauperum ſequenti verſu exiſtimant.

V. 3. Non misereberis. Quamvis Deus multo favore ubique pauperes proſequatur, & nolit opprimi; non vult tamen ullum reſpectum haberi perſonæ pauperis in iudicio, nec intuitu paupertatis iudicium corrumpi; quaſi dicat: Cavendum a duobus extremis iniuſtitiæ, ne aut potentioribus plus æquo tribuas, aut miſericordiæ ſpecie plus tenuibus faveas: Levit. xix. verſ. 15.

V. 5. Non pertransibis, sed sublevabis cum eo. Hoc hemyſtichium varie ex Hebræo convertunt. I. *Et vetabis de auxiliari ei? Auxiliando auxiliaberis cum ipſo*; id eſt, cohiberis tu ſolus, ſeu non poteris tu ſolus eum ſublevare? Adiunge te oſori tuo, ut ſimul cum ipſo omnino auxilieris iumento ſub onere iacenti. Illud *cum eo* exponunt, cum oſore tuo. II. *Et desines auxiliari? Auxiliando auxiliaberis una cum illo*; quaſi dicat: Ne deſinas auxiliari, ſed omnino auxiliaberis, una cum inimico tuo, cuius eſt aſinus. III. *Et deſiſtes a negligendo ipſum*; *auxiliando*, &c. IV. *Non ceſſes a relinquendo ei*, ſcilicet onus; *ſed relinquendo relinques eum eo*; hoc eſt, non deſinas eum relinquere ſub onere oppreſſum; ſed relictis aliis negotiis, ſis cum eo; id eſt, adſis oſori tuo ad ſublevandum aſinum. V. *Cave ne relinquas* rem *illi*, ſoli; ſed ligamina *ſolvendo ſolves cum eo*; nimirum, ut relinquat onus, & pars hinc cadat, alia vero inde, & ita ſurgere poſſit aſinus, & ſe in pedes erigere. VI. *Tunc deſines deſerere*, ſive *derelinquere*, *eum*; *dimittendo dimittes cum illo*; id eſt, nullo modo deſeres eum, ſed exonerabis aſinum cum onere; verum detrahes ei onus illud ſimul cum inimico tuo. VII. *Num deſines ſublevare eum*? *Sublevando ſublevabis cum eo*, nempe onus aſini. VIII. *Num ceſſabis*, *&* *derelinques eum*? *Num deſertum deſeres*? IX. *Et deſines*, ſcilicet auxilio eſſe illi, *relinquendo illi*, nempe oſori tuo onus ſublevandi? *Relinquendo relinques ei*, onus ſublevandi? aut *relinquendo relinques proximum*? minime, ſed *cum eo* ſublevabis. X. *Deſines relinquere ei*, onus ſcilicet; id eſt, non committes ut ei onus relinquatur, ut oneri ſuccumbat; ſed *relinquendo relinques cum eo*; id eſt, rurſum eum adiuvans, illi onus impones. Utrumque continuationem ſignificare putant, ſed diverſo modo. Non relinquas ei onus iacenti; ſed relinques ei onus erecto iam in pedes: ut iubeat lex, nedum ſublevare onus iumento, ſed etiam exonerato ut ſurgat, rurſus imponere onus. XI. *Dum abſtines a deponendo* onere *illius*; *omnino deponito cum eo* onus; id eſt, dum ceſſas, aut aliud agis, omnino deponendo, &c. nempe ut levatum onere iumentum ſurrigatur. XII. *Et ceſſaveris a relinquere ipſi*; *relinquendo* non *relinques cum eo*; hoc eſt, & ceſſaveris a ferendo ipſi opem, vel non deponendo onus ab ipſo: omnino opem feres, onus ſolves, & aſinum eriges. XIII. Quidam notant, verbum עזב *ghazab* cum conſtruitur cum Lamed nota dativi, ut hic, ſignificare *derelinqui*, ſeu *dimitti* in neutrali ſignificatione; redduntque: *Et deſines quo minus relinquaris illi*, id eſt ad opitulandum illi; *relinquendo relinqueris cum eo*; id eſt, non præteribis, ſed relinqueris cum eo; id eſt, illi aderis, & aſſiſtes ad ſublevandum. XIV. *Et ceſſabis*, *ceſſandum tibi eſt a de-*

Digitized by Google

relinquendo ei; id eſt, ne derelinquas eum illo modo: *relinquendo relinques cum eo*; hoc eſt, onus ab illo diſſolve. Illud *cum eo* ad aſinum quoque poſſit referri. *Relinquendo relinques cum eo*, ſubaudi onus; vel interrogative: num relinques aſinum cum eo onere? vel enuntiative, nimirum erectum rurſus onerando. Notio *auxiliandi* non uſque adeo propria eſt verbo *ghazab*.

V. 6. PAUPERIS. אביון *ebion*, conſentiente voce, *egenus*, *inops*, *pauper*, *mendicus*: ſic dictus ab אבה *abah*, *voluit*, quod omnibus carens omnia deſideret ac concupiſcat.

V. 7. MENDACIUM FUGIES. Heb. *A verbo falſi procul aberis*, id eſt vel illud admittendo, vel pronuntiando. QUIA AVERSOR IMPIUM. Heb. *Quia non iuſtificabo improbum*, ſeu iudicem, ſeu privatum; id eſt, non approbabo, non pronuntiabo, non habebo iuſtum. Alii: *Non abſolvam*, *non inultum patiar abire improbum.*

V. 8. PRUDENTES. פקחים *pikkechim*, *apertos*, *videntes*, *oculatos*, *perſpicatiores*, *pexos*, voce conſona: Hiſpanice, *alos muy peynados*, vel *pexos oculos habentes*, id eſt ſapientes, & prudentes. Ita explicatur Deuteronom. XVI. 19. ET SUBVERTUNT. Verbum סלף *ſalaph detorquere*, *deflectere*, *pervertere*, *deſtruere*, reddunt. Septies id verbum in Scriptura ponitur. Noſter hic *ſubvertere*, Deuteron. XVI. 19. *mutare*, Proverb. XXI. 12. *detrahere*, Iob XII. 19. cap. XIII. 6. cap. XIX. 3. cap. XXII. 12. *ſupplantare*, convertit: unde hic recte omnia incluſerit. Ad verbum, *Et detorquebit*, *deflectet*, *pervertet*, *mutabit*, *detrahet*, *ſupplantavit verba iuſtorum*, id eſt res, negotia, cauſas iuſtorum, ſeu cauſas iuſtas.

V. 9. ADVENARUM ANIMAS. Quidam exponunt *affectus*; id eſt, probe ſcitis quales ſint peregrinorum affectus; quibus ſatis eſt pœnarum quod peregrini ſunt: ne addatis & alias moleſtias: vel quales ſint animi peregrinorum. Alii: Qualis eſt vita peregrinorum, per ſe iam ærumnis, & moleſtiis obnoxia: ne prematis eam.

V. 11. UT COMEDANT PAUPERES. Intelligunt ſpontaneum fructum, & inſativum, aut incultum eius anni.

V. 13. ET PER NOMEN EXTERNORUM DEORUM NON IURABITIS. Hebr. *Et nomen deorum aliorum non memorabitis*, ſive in iuramentum, ſive in ſermone familiari. Vide Pſal. XV. 4. & Oſee II. 17.

V. 16. IN EXITU ANNI. Cernis annum vulgarem & civilem Hebræis finiri, & incipere in autumno, cum colliguntur, & congregantur fruges, & fructus. Vide quæ de his obſervavimus cap. XII. verſ. 2. Vide quoque de his duabus ſolemnitatibus meſſis, & collectionis infra cap. XXXIV. 22. & Deuter. XVI. 13. 16.

V. 18. NON IMMOLABIS SUPER FERMENTO SANGUINEM VICTIMAE MEAE. Hebr. quidam reddunt: *Ne mactando fundito ſanguinem ſacrificii mei cum fermentato*, id eſt habens adhuc fermentum apud te, ſed illud removeto ante Paſcha. Vide infra cap. XXXIV. 25.

V. 19 NON COQUES HOEDUM IN LACTE MATRIS SUAE. Quidam exponunt: Ne ſacrificii, primitiarumque nomine offerto ullam pecudem cum adhuc eſt lactea, & recens nata, id eſt antequam ſeptiduum exceſſerit, quo apud matrem relinqui iubetur, ſupra cap. XXII. verſ. 30. Levitici XXII. verſ. 27. Idem quod hic, præcipitur infra cap. XXXIV. 26. Alii: Ne offeras mihi hœdum, poſtea coquendum in ſacrificio, miniſterio ſacerdotum; ne offeras, inquam, eum quamdiu lac matris ſugit. Sed hic ſenſus ſubſiſtere non poteſt, cum octavo die ab ortu ſuo poſſet offerri, & immolari pecus, e cap. XXII. 30. Levit. XXII. verſ. 27. & Samuel agnum lactentem immolavit. I. Samuel. VII. 9. Nonnulli non de coctione ſacrificii, ſed de privati civium ad veſcendum, volunt, non fuiſſe coquendum hædum quamdiu ſugeret; quaſi dicat: Ne coquas hædum ad veſcendum cum adhuc eſt lactens. Sed ſi poterat immolari, cur non poterat privatim occidi ad veſcendum? Aliqui explicant: *Non coques hædum in lacte matris ſuæ*, id eſt cum matre lactante; quaſi dicat: Satis tibi ſit comedere hœdum, abſtine a matre: hoc enim præſefert crudelitatem quamdam. Sic præcepit pullos avium comprehendere in nido, matre dimiſſa, Deuter. XXII. 6. Illud ſimplicius, non coquendam, aut elixandam pecudem in ipſo lacte materno, vice aquæ, quod genus quoddam crudelitatis videtur. Quidam putant prohiberi hic eiuſmodi ritum gentilicum. Vide Deuter. XIV. verſ. 21.

V. 21.

V. 21. Nec contemnendum putes. תמר *tammer* futurum Hiphil quidam deducunt a מרה *marah*, redduntque: *Non rebellabis in eum*; *ne mutabilis ſis in eum*; *non prævaricaberis in ipſo*; *ne ſis ei inobediens*. Alii ad מרר *marar* revocant: *Non amaricabis*, *exacerbabis*, *irritabis eum*: quod eſt rectius. Quia non dimittet cum peccaveris. Hebr. *Quia non levabit*, *parcet*, *transgreſſioni veſtræ*, *ſceleribus veſtris*: Quidam: *Quia non feret*, *ſuſtinebit defectionem veſtram*, ſcilicet impunitam. Sic Ioſue xxiv. verſ. 19. Et est nomen meum in illo; hoc eſt, & legatus, & interpres meus, omnia nomine meo, auctoritate, poteſtate, dicet, & faciet.

V. 27. Et occidam. המותי *hamothi* quidam a מות *muth* in Hiphil deducunt: *Et mori faciam*, *interficiam*. Alii ab המם *hamam* in Kal: *Et conturbabo*, *tumultuari*, *ſtrepere faciam*. Quidam, *Et fundam*: alii, *Confringam*, *conteram*, *perdam*. Vide ſupra cap. xiv. verſ. 24.

V. 28. Crabrones. צרעה *tzirghagh* quidam Hebræorum, *apem*, vel *veſpam* eſſe dicunt: alii ſpeciem *muſcæ venenatæ*, *quæ oculis hoſtium venenum offundebat*, quo ſic affecti & perturbati, facile ab Iſraelitis vincebantur, & interficiebantur. Quidam aiunt eſſe *inſecti genus*, ſic dicti, quod prævalidum habeat aculeum, quo perforando inficit, & necat: quod verbum צרע *tzaragh perfodere*, *& corrodere lepra*, ſeu *ſcabie*, ſignificet. Nonnulli notant, voci *tzirghagh* ſubiici & *veſpas*, & *crabrones*, *atque etiam alia id genus animalia*, *quæ aculeis armata cum ſint*, *volatu*, *& alarum remigio ſtrepitum cient*, atque ab eo ſtridore factam eſſe eam vocem opinantur. LXX. & Auctor Sapientiæ xii. 8. *veſpas* reddidere. Facile exiſtimaverim hoc nomine comprehendi *crabronem*, *aſilum*, *œſtrum*, *tabanum*, qui ut inquit Virgilius,

..... *aſper acerba ſonat.*

Et ut Græci ex ſoni ſimilitudine onomatopœiam fecere, dicentes *œſtrum*, ut annotavit Servius; ſic proculdubio Hebræi ex ſtridore, quem edit, confixere vocem *tzirghagh*. Nonnulli Hebræorum hic *pſoram*, *lepram*, *ſcabiem* interpretantur. Plerique hic *crabrones* metaphorice non vere intelligunt, id eſt magnos aculeos, & ſpicula formidinum, ac terrorum; redduntque: *Mittam*, inquam, terrorem mei, tamquam *crabronem ante te*, ut quod præcedenti verſu dixerat, illuſtret ſimilitudine; quaſi dicat: Animi eorum immiſſis aculeis terroris, fodicabuntur, ita ut vobis cedere cogantur. Sic capi volunt Ioſue xxiv. 12. At non dubitaverim fuiſſe veros *crabrones*, & hanc plagam ſimilem extitiſſe ei AEgyptiacæ, de qua Exodi viii. verſ. 11.

V. 31. A deserto, proculdubio Sur, quod AEgyptum ſpectat: de quo vide ſupra cap. xv. verſ. 22. & Geneſ. xvi. verſ. 7. Usque ad fluvium. Euphratem omnes intelligunt, qui conſtituitur orientalis terminus terræ promiſſæ, Geneſ. xv. verſ. 18. Ioſue i. verſ. 4. qui etiam *fluvius*, vel *flumen* abſolute, & antonomaſice in Scripturis vocatur, ut I. Reg. iv. 21. ut late in Paradiſo, cap. xxxv. docuimus.

MENOCHII.

Verſ. 1. Non suscipies vocem mendacii, audiendo calumniatorem conantem te tranſverſum agere, & aut iudicem iniquum facere, aut teſtem falſum. Nec iunges manum tuam: non confœderaberis, nec aſſociabis te ei, ut ſis teſtis iniquitatis, & calumniæ.

V. 2. Non sequeris turbam ad faciendum malum: etiamſi iniquus, aut cauſa iniuſta multos habeat ſuffragatores, non tamen propterea eorum auctoritate abducaris a vero, & recto.

V. 3. Pauperis quoque non misereberis. Præpoſtera miſericordia in cauſa iniuſta. Bona eſt miſericordia, ita tamen ut iudicium non evertat. De Chriſto dicitur Pſalm. lxxi. 2. *Iudicare populum tuum in iuſtitia, & pauperes tuos in iudicio.*

V. 6. Non declinabis in iudicium pauperis; eum ſcilicet condemnando, aut, quod pauper ſit, favendo.

V. 7. Insontem, et iustum non occides. Chald. *Eum qui fuerit iuſtificatus, & exierit iuſtus a iudicio, non occides.*

V. 8. Excaecant prudentes. Hebr. *videntes*, qui alioqui apertos habent oculos mentis.

V. 9.

V. 9. SCITIS ENIM ADVENARUM ANIMAS. Scitis quid ſit eſſe advenas, qui ſcilicet a ſuis deſtituti deiecto ſunt animo, quibus proinde afflictio non addenda. ET IPSI PEREGRINI FUISTIS &c. Malo veſtro didiciſtis quid ſit eſſe peregrinum in terra aliena.

V. 11. REQUIESCERE FACIES, a meſſe, & a ſemente. Levitic. xxv. 4. *Septimo anno agrum non feres*. Id ita inſtitutum ut terra illa interpoſita quiete feracior redderetur, & ut pauperes ſeptimo illo anno fructibus ſponte naſcentibus gauderent.

V. 13. NON IURABITIS. Heb. *Non memorabitis*. Chald. *Non recordamini*; quaſi dicat, Non nominabitis deos alienos. AUDIETUR, eorum ſcilicet mentio.

V. 15. TEMPORE MENSIS NOVORUM: in menſe Niſan, quo egreſſus es de AEgypto, quando in terra promiſſionis, & AEgypto novæ fruges hordeaceæ matureſcunt. NON APPAREBIS IN CONSPECTU MEO VACUUS: accedens ſcilicet ad tabernaculum, vel templum in feſto Paſchæ, Pentecoſtes, & Tabernaculorum, non aderis ſine oblatione tum ad cultum divinum, tum ad levitarum ſuſtentationem. Hæc oblatio Deuter. XVI. 10. dicitur *oblatio ſpontanea*, quia licet cuilibet eſſet præcepta; quantum tamen quilibet offerre deberet præſcriptum non erat, ſed cuiuslibet pietati ſtatuendum relinquebatur.

V. 16. ET SOLEMNITATEM MESSIS; hoc eſt, celebrabis feſtum Pentecoſtes, in illoque panes ex prima meſſe triticea factos mihi offeres, ſicut in Paſchate obtuliſti ſpicas hordei matureſcentes. In Pentecoſte ergo exigit Deus primitias omnium frugum, id eſt totius meſſis triticeæ. SOLEMNITATEM IN EXITU ANNI ſolemnitas Tabernaculorum, quæ Græco vocabulo dicitur ſenopeia, qua tabernacula figebant, & in iis habitabant per ſeptem dies. Dicitur *in exitu anni*, ſcilicet Septembri: tunc enim deſinit, & incipit annus vulgaris Hebræis, licet quoad feſta in Martio, ſeu Niſan incipiat.

V. 17. TER IN ANNO. Paſchate, Pentecoſte, & feſto Tabernaculorum. CORAM DOMINO, coram arca, vel coram tabernaculo.

V. 18. NON IMMOLABIS SUPER FERMENTO; quaſi dicat: Aufer de domo fermentatum priuſquam agnum paſchalem immoles. SOLEMNITATIS MEAE, id eſt victimarum quæ mihi in ſolemnitatibus offeruntur. USQUE MANE, in alterum diem.

V. 19. IN LACTE, id eſt cum lacte ipſo in olla, vel dum lactat, vel una cum ipſa matre. Clemens Alexand. II. Strom. *Ne fiat*, inquit, *interempti condimentum quod eſt viventis nutrimentum*.

V. 20. ANGELUM MEUM. Michaelem ſynagogæ præſidem, & tutorem.

V. 21. NEC CONTEMNENDUM PUTES. Heb. *Nec eum ad amaritudinem provoces*. EST NOMEN MEUM IN ILLO: nomen meum, perſonam, auctoritatem, & voluntatem præfert. Chald. vertit: *Quoniam in nomine meo eſt verbum illius*.

V. 24. OPERA EORUM, idola colendo.

V. 25. PANIBUS TUIS, ET AQUIS, cibo, & potui.

V. 26. NUMERUM DIERUM TUORUM IMPLEBO. Longævus eris ſuper terram.

V. 29. EMITTENS CRABRONES: quod factum eſt Ioſue cap. ult. num. 12. & dicitur Lib. Sap. XII. 8. *Miſiſti anteceſſores exercitus tui, veſpas*, &c.

V. 26. NE TERRA IN SOLITUDINEM REDIGATUR: fertilis ergo, & ampla Chananæa, cuius fruges tres milliones hominum ita abſumere non poterant, quin magna adhuc reſtaret ſolitudo feris implenda, ni Chananæi in ea multis in locis remanſiſſent.

V. 31. A DESERTO USQUE AD FLUVIUM, a deſerto Arabiæ uſque ad fluvium Euphratem.

V. 33. IN SCANDALUM. Hebr. *In laqueum*. Peccatum idololatriæ Chananæis familiare, erit tibi in ſcandalum; vel ipſi Chananæi, niſi tuis finibus exigantur: mores enim illorum Iſraelitæ imitabuntur.

TIRINI.

Verſ. 11. ANNO SEPTIMO DIMITTES EAM (terram) ET REQUIESCERE FACIES. Nota. Sicut ſeptima hebdomadæ dies ex decreto Dei erat ſabbatum hominum, ita ſeptimus annus erat ſabbatum terræ, id eſt plena quies terræ, ut eam nec aratro ſubigere, nec conſerere, nec demetere liceret,

Digitized by Google

ceret, Levit. xxv. verſ. 4. Hinc & *Sabbaticus* vocabatur hic annus: inchoabaturque non a menſe Niſan, ſeu Martio noſtro (unde exordium ſumebat annus Sacer *a*) quia ſic periiſſent meſſes duorum annorum; ſed a menſe Tiſri *b*, ſeu Septembri noſtro, a quo civilem annum ſuum more AEgyptiorum & aliarum gentium etiam Iudæi inchoabant: uti & annum ſuum Iubilæum, qui menſe ſeptimo, die decima, cum feſto expiationis, ex præſcripto Dei inchoabatur, Levit. xxv. verſ. 9. Ita Burgenſis, Caietanus, Scaliger, Torniellus, Serarius, Pererius, contra Abulenſem *c*. Sed erant alia quoque eiuſdem ſeptimi Sabbatici anni privilegia. Nam & ſervi omnes Hebræi natione, perfecte liberi reddebantur, ſi volebant, ut patet hic cap. xxi. verſ. 2. Et iiſdem Hebræis, ſi qui forte ratione egeſtatis mutuum ab alio Hebræo accepiſſent, nec haberent unde tum redderent, debebat illud debitum ipſis remitti, etiam ſine obligatione reddendi in poſterum, ſi forte ad lautiorem fortunam devenire contigiſſet; ut colligitur ex Deut. xv. Neque durior cenſebatur illa creditorum, ſeu mutuantium conditio; cum & ante præſciretur, & non niſi in mutuo ratione egeſtatis (quod parce dari ſolet) locum haberet; & Deus viciſſim amplam mercedem ei qui has caritatis leges ſervaret, pollicitus eſſet. Denique debebat ſub initium eiuſdem anni Sabbatici legi publice toto audiente populo Deuteronomium, ſcilicet in feſto ſcenopeiæ ſeu Tabernaculorum, die decima quinta menſis Tiſri: id enim præcipitur Deuter. xxxi. verſ. 10. Cauſa vero motiva cur ſabbatum hoc, ſeu quietem ſeptimi anni inſtituerit Deus, fuiſſe videtur, prima, ut debitus Deo honor & cultus exhiberetur, ut fiebat etiam quiete ſabbati cuiuſque hebdomadæ. Secunda, ut diſcerent Iudæi fidere Deo, & a nimis vitæ huius curis, avaritiaque abſtraherentur, dum experientia docerentur, Deum ſibi etiam non ferentibus aut metentibus poſſe, ſi vellet, de omnibus neceſſariis abunde proſpicere, ut proſpiciebat ſexto anno, quo duplam vel triplam meſſem præter ſolitum metebant. Tertia, ut Hebræos clementiæ admoneret, etiam erga inanimata, multoque magis erga animata, & omnium maxime erga fratres ſuos Hebræos. Quarta, ut pauperes ſeptimo illo anno pomis arborum, & fructibus agrorum, ſaltem ex granis anno ſexto deciduis, vel ſponte naſcentibus gauderent, ut hic expreſſe decernit. De Iubilæo vide Levit. xxv.

V. 17. TER IN ANNO APPAREBIT OMNE MASCULINUM. A vigeſimo anno uſque ad quinquageſimum, inquit Caietanus; vel, ut quidam alii, uſque ad ſexageſimum *d*, comparebit in loco qui publico Dei cultui deſtinabitur, ut poſt deſtinata fuit Ieroſolyma. *Ter in anno*, tribus ſcilicet iam dictis celeberrimis feſtis: ſolemnitate azymorum ſeu Paſcha: ſolemnitate meſſis primitivorum, id eſt Pentecoſte, qua panes duo primitiarum e recenti frumento confecti debebant Deo offerri *e*; & ſolemnitate in exitu anni, id eſt Scenopeiæ *f* ſeu Tabernaculorum, decima quinta menſis ſeptimi, anni Sacri; ultimi vero menſis, anni Civilis.

V. 19. NON COQUES HOEDUM IN LACTE MATRIS SUAE; id eſt, dum adhuc ſugit lac matris ſuæ, inquit Vatablus, & Aria Montanus, ex Chryſoſt. & Auguſt. *g* qui addunt, hac figura deſignari, Chriſtum non occiſum iri infantem, quantumcumque id acturus eſſet Herodes, & Iudæi. Sed malo cum Philone domeſtico teſte, Clemente Alexand. *h* Lyr. S. Thoma, Caiet. Toſtato, & Oleaſtro proprie, ut verba ſonant accipere; nempe vetari, ne quis carnes hœdi, vel agni (ut habent LXX.) in lacte matris vice aquæ decoquat in olla. Idque ad avertendam ſpeciem omnem crudelitatis, qualis eſſet haud dubie, cum quis in condimentum occiſi verteret quod illi a natura conceſſum erat in nutrimentum.

(*a*) In Chronico xxi.
(*b*) Exod. xxiii. verſ. 16. ubi menſis hic vocatur exitus anni.
(*c*) Burgenſ. ad Exod. 2. Caiet. in Levit. xxv. Scaliger. de emendat. tempor. de anno Sabbatico. Torniellus ad annum 1584. Serarius ad Ioſue xiii. verſ. 14. Pererius Lib. I. in Geneſ. Abulenſ. in Levitico xxv. verſ. 8.
(*d*) Colligitur ex Levit. ult. verſ. 3.
(*e*) Levit. xxiii.
(*f*) Deut. xvi. verſ. 16.
(*g*) Chryſ. Homil. de Innoc. Aug. quæſt. xc. in Exod.
(*h*) Philo Lib. de Caritate. Clement. Lib. II. Stromat.

GOR-

Digitized by Google

GORDONI.

Verſ. I. VOcem mendacii. Heb. שוא *vau*, *mendacium*, vel *in vanum*, ex cap. xx. verſ. 7.

V. 3. Pauperis, ſcilicet ſavendo ei iniuſte.

V. 6. Non declinabis; hoc eſt ex Hebr. *Non pervertes iudicium pauperis*.

V. 10. Sex annis seminabis. Sane anno ſeptimo utrumque vetatur, & ſeminare, & metere, ex Levit. xxv. verſ. 4. nam ſeptimus annus terræ ſabbatum vocatur. Male ergo qui alterum horum ſolum putant prohiberi. De anno ſabbatico dixi ad annum orbis 2537.

V. 11. Anno autem septimo. Annus hic dictus ſabbaticus, quia interquieſcebant agri tunc, ac proinde homines a cultura: & ſic ſabbati quædam ſpecies erat. Vide quæ dixi Levit. xxv. Hinc eſt quod non potuerint ſolvi eo anno decimæ levitis, nec primitiæ ſacerdotibus. Vivebant ex reconditis præcedentis anni fructibus. Ceterum quamvis prohibitum eſſet metere, poterat tamen dominus agri aut horti ad quotidianum victum, non tamen aliquid recondendo, ſumere quolibet die non feſto quæ ſibi, & ſervis viderentur neceſſaria, Levit. xxv. verſ. 6. erat enim hoc commune privilegium. Porro hoc anno ſeptimo, ſeu remiſſionis fiebat debitorum remiſſio, Deuteron. xv. verſ. 1. & 9. Servi etiam Hebræi erant dimittendi liberi, ibid. Et Deuteronomium legebatur, Deuteron. cap. xxxi. verſ. 10.

V. 14. Tribus vicibus. Tres deſignat ſolemniores dies feſtos, Paſcha, Pentecoſten, & feſtum Tabernaculorum, Deut. cap. xvi. verſ. 16.

V. 16. Solemnitatem azymorum custodies. Intellige ſolemnitatem primitiarum meſſis, nempe Pentecoſtes, quando offerendi erant duo panes, Levit. xxiii. aliter dicebatur ſolemnitas hebdomadarum, hic infra cap. xxxiv. verſ. 22. Solemnitatem quoque in exitu anni, intellige ſolemnitatem Tabernaculorum, die 15. menſis ſeptimi, poſt vindemiam. Vide Levit. cap. xxiii. Sed quomodo in exitu anni, nam menſis ſeptimus eſt initium anni, quia inde incipiebat annus civilis? Sed per exitum hic intellige exitum perfectum, hoc eſt anno iam finito civili, & iterum incipiente, quod fiebat menſe hoc ſeptimo.

V. 17. Ter in anno &c. Sed quid de pueris, & ſenibus? Probabile eſt, quod aliqui ſuſpicantur, ſtetiſſe hanc obligationem ſolum ab anno vigeſimo uſque ad quinquageſimum, vel ſexageſimum, deficiente utpote tunc ætate.

V. 19. Primitias. Vult ut offerens deferat ipſe primitias has, & hoc quidem ad locum tabernaculi, ubi colitur Deus. Ceterum primitiæ ſunt prima pars frugum quæ ſeparabatur quotannis ab annuo reditu: quantitas partis huius ex traditione pendebat. Putatur fuiſſe pars aliqua inter quadrageſimam & ſexageſimam ad libitum offerentis. Additur hic, non coquendum eſſe agnum, vel hœdum, dum adhuc lactet, vel ſugit lac. Alii aliter: &, ut verba ſonant. quia eſſet ſpecies crudelitatis.

V. 20. Mittam Angelum: vel intellige Angelum ducem populi, vel Ioſue ducem.

V. 25. Panibus, et aquis: intelligitur quidquid ſolet ad eſum pertinere.

V. 27. In praecursum tuum. Heb. *Ante te*.

V. 28. Emittens crabrones. Quid ſit de crabronibus, vide Sap. xii. verſ. 8. Aliqui hic vertunt *veſpas*: ſed vox Hebraica poteſt utrumque animal denotare. Ceterum de veris crabronibus, & veſpis hic agi, colligi poteſt ex Ioſue xxiv. Deut. vii. & citato loco Sapient. ubi huius rei mentio ſit.

V. 31. Ponam autem terminos. Ponit terminos promiſſæ terræ, mare rubrum, mare mediterraneum Philiſthinorum, Euphratem, & Arabiam deſertam: quos tamen hic populus omnes ob peccata ſua non attigit, niſi aliquamdiu ſub Salomone, & Davide.

Ex Eiusdem Auctario.

V. 15. Non apparebis in conspectu meo vacuus; hoc eſt, tribus illis feſtis non venies ſine oblatione, quæ nempe ſit ad cultum Dei, & ad ſuſtentationem levitarum. De quantitate huius oblationis ſpontaneæ (de qua Deuteron. xvi. 10.) nihil eſt præceptum.

V. 19.

Digitized by Google

V. 18. NON IMMOLABIS SUPER FERMENTO SANGUINEM. Iubet auferri de domo fermentum, antequam immoletur agnus paſcalis.

V. 28. CRABRONES. Sic fecit Deus Ioſue ult. verſ. 12.

V. 33. IN SCANDALUM, in ruinam, & peccatum idololatriæ.

CAPUT XXIV.

Oblatis Domino ſacrificiis, fæderiſque ſanguine in populum reſperſo, Moyſes, ceteris ad radicem montis manentibus, ſolus in montem aſcendit, ubi cum Domino quadraginta diebus permanſit.

1. MOyſi quoque dixit : Aſcende ad Dominum tu, & Aaron,
Nadab, & Abiu, & ſeptuaginta ſenes ex Iſrael, & adorabitis
procul. 2. Soluſque Moyſes aſcendet ad Dominum, & illi non
appropinquabunt: nec populus aſcendet cum eo. 3. Venit ergo
Moyſes & narravit plebi omnia verba Domini, atque iudicia :
reſponditque omnis populus una voce: Omnia verba Domini,
quæ locutus eſt, faciemus. 4. Scripſit autem Moyſes univerſos ſermones Domini:
& mane conſurgens ædificavit altare ad radices montis, & duodecim titulos per
duodecim tribus Iſrael. 5. Miſitque iuvenes de filiis Iſrael, & obtulerunt holo-
cauſta, immolaveruntque victimas pacificas Domino, * vitulos. 6. Tulit itaque
Moyſes dimidiam partem ſanguinis, & miſit in crateras: partem autem reſiduam
fudit ſuper altare. 7. Aſſumenſque volumen fœderis, legit audiente populo : qui
dixerunt : Omnia quæ locutus eſt Dominus, faciemus, & erimus obedien-
tes. 8. Ille vero ſumptum ſanguinem reſperſit in populum, & ait : (a)
Hic eſt ſanguis fœderis quod pepigit Dominus vobiſcum ſuper cunctis ſermoni-
bus his. 9. Aſcenderuntque Moyſes & Aaron, Nadab & Abiu, & ſeptuaginta de
ſenioribus Iſrael: 10. & viderunt Deum Iſrael: & ſub pedibus eius quaſi opus la-
pidis ſapphirini, & quaſi cælum, cum ſerenum eſt. 11. * Nec ſuper eos qui pro-
cul receſſerant de filiis Iſrael, miſit manum ſuam, videruntque Deum, & come-
derunt, ac biberunt. 12. Dixit autem Dominus ad Moyſen : Aſcende ad me in
montem, & eſto ibi: daboque tibi tabulas lapideas, & legem ac mandata quæ
ſcripſi : ut doceas eos. 13. Surrexerunt Moyſes & Ioſue miniſter eius : a-
ſcendenſque Moyſes in montem Dei, 14. ſenioribus ait: Expectate hic donec re-
vertamur ad vos. Habetis Aaron & Hur vobiſcum: ſi quid natum fuerit quæ-
ſtionis, referetis ad eos. 15. Cumque aſcendiſſet Moyſes, operuit nubes montem,
16. & habitavit gloria Domini ſupra Sinai, tegens illum nube ſex diebus: ſepti-
mo autem die vocavit eum de medio caliginis. 17. Erat autem ſpecies gloriæ
Domini, quaſi ignis ardens ſuper verticem montis, in conſpectu filiorum Iſrael.
18. Ingreſſuſque Moyſes medium nebulæ, aſcendit in montem: & fuit ibi quadra-
ginta diebus, & quadraginta noctibus.

(a) Heb. IX. 20.

Digitized by Google

Romanae Correctiones.

V. 5. *Vitulos*. Merito omiſſus eſt numerus *duodecim*, qui in multis libris ſequebatur.

V. 11. *Nec ſuper eos qui procul receſſerant*. Non addas alteram negationem: *Nec non ſuper eos*; neque legas *propius acceſſerant*, pro eo quod contrarium eſt, *procul receſſerant*.

Notatio.

V. 11. *Nec ſuper eos qui procul receſſerant de filiis Iſrael, miſit manum ſuam, videruntque Deum*. Quidam legi mallet: *Nec ſuper eos qui propius acceſſerant de &c.* id enim eſt quod ſignificatur, Deum nihil eos leſiſſe qui ex filiis Iſrael, conſcenſo monte, ei appropinquarant, eumque viderant. Verum cum Latini codices, ſuffragante Rabani textu, conſtanter legant, *Nec ſuper eos qui procul receſſerant* (id enim quod nonnulli habent, *Nec non ſuper eos*, error eſſe etiam Correctori videtur) hanc germanam Interpretis ſcripturam eſſe veriſimillimum eſt. Atque huc facit quod Hebræa vox, quæ hoc loco legitur אצילים principes & nobiles ideo ſignificet, quod a plebeis ſint ſeparati; ita ut videatur Interpres ipſam nominis etymologicam rationem tranſtuliſſe, cum dixit, *Eos qui procul receſſerant*. Simili fere ratione LXX. verterunt *electos*. Eſt autem is ipſe ſenſus qui iam dictus eſt, Deum principibus, qui, conſcenſo monte, a filiis Iſrael procul receſſerant, etſi ab eis viſus eſſet, nihil nocuiſſe. Clariſſime locum iſtum explicat Chaldea paraphraſis ולרברבי בני ישר לא הות נזקא וחזו ית יקרא דיוי id eſt *& magnatibus filiorum Iſrael nullum fuit nocumentum, & viderunt gloriam Domini*. Verumenimvero, ſi Hebraica dictio אצילים ab אצל præpoſitione *apud* denotante, deducta propinquos poteſt ſignificare (id quod Oleaſter annotavit) id priorem illam coniecturam adiuvet.

COMMENTARIA

SA.

Verſ. 2. ASCENDET. Hebr. Chald. & LXX. *Accedet*.

V. 4. TITULOS, id eſt columnas.

V. 7. VOLUMEN FOEDERIS, id Librum legis ſervandæ ex fœdere, vel fœdus continentem.

V. 8. SANGUIS FOEDERIS. Figura hæc Sanguinis Chriſti, quo teſtamentum novum confirmatum.

V. 10. OPUS: forte thronum: quidam menſam interpretantur.

V. 11. RECESSERANT, ſcilicet ſeniores a populo, propius ad Deum accedentes. DE FILIIS vero, pro a filiis. Heb. *Nec ad ſeparatos* (ſcilicet principes) *filiorum Iſrael, miſit manum ſuam*. Chald. *Principibus autem filiorum Iſrael nullum incommodum fuit*.

V. 16. CALIGINIS, ſcilicet ubi Deus, cuius incomprehenſibilitas per caliginem ſignificatur; alioqui lux eſt.

V. 17. IN CONSPECTU, &c. ſcilicet Moyſi aliter Deus apparebat.

ESTII.

Verſ. 4. SCRIPSIT AUTEM MOYSES UNIVERSOS SERMONES DOMINI, ſcilicet in volumine fœderis, de quo ſubiicitur: *Aſſumenſque volumen fœderis legis &c.* Non ergo univerſam legem, quæ ſuperioribus capitibus continetur, ſcripſit ipſe Dominus, quod quidam putant, ſed ſolum Decalogum. Nec obſtat quod infra dicitur: *Daboque tibi tabulas lapideas & legem ac mandata, quæ ſcripſi ut doceas eos*: quia hoc totum poteſt intelligi de lege Decalogi, utpote in decem mandata diviſa.

V. 5. MISITQUE IUVENES DE FILIIS ISRAEL, ET OBTULERUNT HOLOCAUSTA. Qui fuerint hi iuvenes non liquet; niſi quod quidam volunt, ſacerdotio Aaronico nondum inſtituto, primogenitos de ſingulis tribubus ſingulos electos fuiſſe ad opus ſacrificandi. Oleaſter tamen hoc loco negat haberi ex Scriptura, quod primogeniti fuerint ſacerdotes. Vide etiam noſtra, Geneſ. cap. xxv. & xxvii.

Digitized by Google

xxvii. & potiſſimum cap. xix. huius libri Exod. verſ. 22. tum & ſanctus Aug. quæſt. xx. in Leviticum.

V. 8. HIC EST SANGUIS FOEDERIS QUOD PEPIGIT VOBISCUM DEUS. Fœdus ſeu teſtamentum vetus intelligitur, quod conſecratum eſt in ſanguine vitulorum: Hebr. cap. ix. Et ad hæc Moyſis veteris Legis latoris verba alluſit Chriſtus novæ Legis lator, quando in calicis conſecratione dixit: *Hic eſt ſanguis meus novi teſtamenti, &c.* Nota igitur, quod ſicut proprio ſermone, & non per tropum dictum eſt a Moyſe, *Hic eſt ſanguis fœderis*; ita & a Chriſto proprio ſermone, & neutiquam figurato, dictum eſt: *Hic eſt ſanguis meus novi teſtameni, &c.*

V. 11. NEC SUPER EOS QUI PROCUL RECESSERANT DE FILIIS ISRAEL MISIT MANUM SUAM. Clarius, hoc in Hebræo: *Super electos autem filiorum Iſrael non miſit manum ſuam.* Cui lectioni conſentiunt etiam Septuaginta; conſentit & Paraph. Chald. Per electos autem, ſeu principes filiorum Iſrael, intelliguntur ii qui paulo ante iuſſi erant aſcendere ad Dominum, non tamen uſque ad montis verticem quo aſcendit Moyſes, ſed uſque ad terminum præſcriptum, tametſi viciniori loco quam populus, ut dictum eſt cap. xix. Hi autem erant Aaron, Nadab, Abiu, & ſeptuaginta Seniores. De his ergo hic dicitur quod ſuper eos non miſerit Dominus manum ſuam, quamvis Dominum vidiſſent, ſed ſalvi & incolumes adhuc comederent, & biberent. Sic & Iacob dicebat: *Vidi Dominum facie ad faciem, & ſalva facta eſt anima mea*; quaſi dicat, nec tamen mortuus ſum ex maieſtate divinæ præſentiæ. Intelligitur enim viſio Dei (etiam tantum ſecundum ſpeciem aliquam viſibilem, ſed Deo dignam) ita ſenſus inſpicientium percellere, ut eos cogeret emori, niſi peculiari Dei dignatione conſervarentur. Sic Hieronymus in cap. xvii. Matth. *Humana*, inquit, *fragilitas conſpectum maioris gloriæ ferre non ſuſtinet.*

M A R I A N AE.

Verſ. 2. AEDIFICAVIT, ſcilicet Moyſes, DUODECIM TITULOS, ſcilicet ſtatuas, ſed informes: ſic Sept. poſuerunt, *duodecim lapides.*

Verſ. 5. MISITQUE IUVENES DE FILIIS ISRAEL, ET OBTULERUNT HOLOCAUSTA. Vox נער *Nahar*, & *filium*, & *famulum* ſignificat. Hebræi tamen hic intelligunt primogenitos, quorum erat ante Legem ſacrificare, & Chald. *primogenitos* poſuit.

V. 7. FACIEMUS, ET ERIMUS OBEDIENTES. Hebr. *Faciemus, & audiemus*: ſic Sept. hoc eſt, faciemus quæ audivimus, & audiemus quæ deinde loquetur Dominus. Sed & *audire* in obediendi ſignificatione capi poteſt, ut fecit Hieronymus.

V. 8. SANGUINEM RESPERSIT IN POPULUM. Effuſio, & aſperſio ſanguinis in fœdere ſignificat fore id ſtabile, etiamſi vita ſit periclitanda.

V. 10. QUASI OPUS LAPIDIS SAPPHIRINI. Vox לבנת *livnath* poteſt ſignificare *album*, hac ſententia, opus albi ſapphiri: & hoc modo *ſaphir* Hebraicum non erit *ſapphirus*, quoniam eſt cærulei coloris; ſed *cryſtallum*, aut *adamas*, quod Hebræorum doctiſſimi putant. Poteſt etiam ſignificare *lapidem ſapphiri*, quod ſecutus eſt Hier. & Chald. cum dixit: *Opus lapidis pretioſi*: & favet quod ſequitur: ET QUASI CAELUM CUM SERENUM EST, ſcilicet erat color. Tertio poteſt ſignificare *laterem*, quod ſecuti ſunt Sept. ἔργον πλίνθου σαπφείρου, hoc eſt *opus lateris ſapphiri*: ſequuntur & plerique Hebræi. Quod myſterio non vacat, Deum ſapphirum forma lateris oſtendiſſe; ſed ut indicaret, lateres AEgyptios illis iam in ſapphiros mutatos.

V. 11. NEC SUPER EOS QUI PROCUL RECESSERANT. Hebr. *Et ad ſelectos*, ſeu *principes filiorum Iſrael non miſit manum*, id eſt non nocuit eis, quamvis viderunt Deum ſeptuaginta illi Moyſem comitati. VIDERUNTQUE DEUM, ET COMEDERUNT, AC BIBERUNT? Alludit ad illud, *Non videbit me homo & vivet.* Aut *non miſit manum*; id eſt, ſavit ut cognoſcerent divinam potentiam, non appoſuit manum ut velum.

V. 14. SI QUID NATUM FUERIT QUAESTIONIS. Hebr. *Dominus verborum*, id eſt actor litis, *accedat ad eos.*

V. 18. INGRESSUSQUE MOYSES MEDIUM NEBULAE. Vocem ענן *banan* Hieron. *nubem* dixit verſ. 15. & verſ. 16.

Digitized by Google

caliginem, & verſ. 18. *nebulam*, argumento ambiguam eſſe eius ſignificationem. Sed quod ait *medium nebulæ*, perinde eſt ac ſi diceret *intra nebulam*, quod in multis aliis locis obſervatur.

MALVENDAE.

Verſ. 1. ASCENDE AD DOMINUM. Quidam exponunt: *Aſcende*; ſubaudi, poſtquam ſuperiora iura populo propoſueris, & audito eius conſenſu, fœdus cum eis meo nomine pepigeris: quæ narrantur infra verſ. 3. uſque ad 9. nam idem mandatum, quod hic verſ. 1. repetitur infra verſ. 12.

V. 3. ATQUE IUDICIA. Intelligunt divina & humana iura quatuor proxime antecedentibus capitibus cõprehenſa, & explicata.

V. 5. IUVENES. Intelligunt adminiſtros, primogenitos Iſraelitarum, qui ante ſacerdotium inſtitutum fuerunt ſacrorum adminiſtri, & Deo conſecrati fuerunt, ſupra cap. XIII. verſ. 2. Vide quæ notavimus cap. XIX. verſ. 22. Alii potius volunt fuiſſe iuvenes promptos, & expeditos, quibus adminiſtris Moſes in ſacrificio uteretur: nam ſolus omnia præſtare non poterat. ET OBTULERUNT HOLOCAUSTA, &c. Altare, ſacrificia, ſigna erant partium fœdus inter ſe ineuntium: hæ enim ſacræ cæremoniæ adhibebantur in fœderibus iciendis: Geneſ. XXXI. verſ. 44. 45. & ſeqq.

V. 10. ET VIDERUNT DEUM ISRAEL. Quidam exponunt: Id eſt, ſigna præſentiæ divinæ, nempe nubem ſplendidam, e verſ. 15. & 16. Alii volunt vidiſſe Deum ſpecie corporea, & ſpectabili iudicis cum multa maieſtate, & gloria. Sed id incertum. QUASI OPUS LAPIDIS SAPPHIRINI. Hebr. varie reddunt. I. *Quaſi opus lateris ſapphiri*. II. *Quaſi opus candoris ſapphiri*. III. *Quaſi opus quoddam lapideum ſapphirinum*. IV. *Sicut opus menſæ*, aut *menſulæ ſapphirinæ*, id eſt ex ſapphiro lato, & complanato in modum lateris, & menſæ. V. *Quaſi opus ſtructuræ lapideæ ſapphiri*. VI. *Velut opus pavimentatum ſapphiro, pro lateribus*, ſeu *loco laterum*. Plinius Lib. XXXVII. cap. IX. *Sapphirus enim & aureis punctis collucet: cæruleæ, & ſapphiri, raroque cum purpura. Optimæ apud Medos: nuſquam enim ſic pellucidæ*. Qui rem gemmariam executi ſunt, ſapphirum in hunc modum deſcribunt: ſapphirum eſſe cæleſti colore conſpicuum: eas, quæ in Media, omnium præſtantiſſimas, ſereniſſimi, vernique cæli colorem efferre: cæruleas eſſe, & ceu transfuſas nubeculas, immixta levi quadam purpura repræſentare, ac ſulphuris primum accenſi colorem exprimere: aureis inſuper punctis collucere, ſcintillareque, quæ omnia apte huic loco conveniunt. Hebræi quidam ספיר *ſappir* volunt eſſe *cryſtallum*, alii *adamantem*, nonnulli *rubinum*. Sed eos analogia aliarum linguarum, quæ ex Hebræo nomen iſtud deduxerunt, perſpicue refellit. לבנה *lebenah* hic *laterem* proprie exponunt, alii *lapidem*, alii *pavimentationem*, ſeu *ſtructuram*, aut *ædificium*, nonnulli *alborem*, *candorem*. Annotant hic quidam. Quod maieſtatem gloriæ ſuæ Deus forma lateris, ſapphiri colorem præſeferentis, principibus Iſrael oſtendere voluit, dicunt Hebræi ideo factum eſſe, ut illis in memoriam revocaret duram illam ſervitutem, atque moleſtiam laborum, quos perpeſſi fuerant in AEgypto in conficiendis lateribus: a qua ſervitute, & moleſtia iam liberati eſſent beneficio Dei, & aſſerti in libertatem, quæ repræſentabatur per viſionem ſapphiri, quæ cærulei coloris eſt, & aureis collucet punctis: ad ſignificandum quod iam ex populo ſervili populus liber ac divinus factus eſſet; ita ut lutum illud, in quo in AEgypto operati fuerant, iam in pretioſiſſimum lapidem & aurum, immo & cælum quodammodo mutatum videretur. Nec prorſus aliene, & abſurde hic reddes: *Sicut opus lunæ ſapphiri*. לבנה *lebanah* Heb. *luna*, quaſi *alba*, *leuce*, *leucothea*. *Lunas* Hiſpanice vocamus ſpatia quadrata aut rotunda pellucida, ſplendida, unde dicimus *lunas ſpeculorum*. *Luna ſapphiri*, quaſi quadrum, aut quadratum, ſeu menſa ſapphirina: vel quod apparuerit ſub pedibus Dei ingens aliquod opus ſapphirinum inſtar lunæ, ut Apocal. XII. 1. *luna ſub pedibus mulieris*; ſeu plenæ, ſeu in cornua curvatæ; quemadmodum etiam in circuitu ſedis Dei ponitur iris Apoc. IV. 3.

V. 11. NEC SUPER EOS QUI PROCUL RECESSERANT DE FILIIS ISRAEL, MISIT MANUM SUAM. Vocem אצילים *atzilim* varie reddunt. I. *Et ad cubitos filiorum Iſrael non mittet manum*

ſuam,

ſuam, id eſt ad optimates, qui cubiti dicuntur figurate, quibus ſuſtentatur, & aſſervatur populus: nam cubitis homines nituntur, & ſuſtentantur, & aſſervant aliquid. II. *Et ad alas, axillas filiorum Iſrael*, &c. id eſt, ad principes, qui velut alæ eminent in populo, ipſumque ſub alis, ſeu axillis ſervant. III. *Et ad ſelectos, ſeparatos, ſepoſitos, reſervatos, filiorum Iſrael*, &c. id eſt, optimates, magnates, aſſervari dignos, vel quod alios aſſervent, quaſi apud quos ſemper ſtandum ſit. IV. *Et ad magnos, nobiles, excellentes filiorum Iſrael*, &c. Quidam Latinam vocem *excellentes* factam ex Hebræa *atzilim* exiſtimant; *primates* alii convertunt. Erant autem ii ſeniores illi, ſive primores populi, qui cum Moſe ad Deum aſcenderant, verſ. 1. & 9. Quidam: *Et ad propinquos, proximos, filiorum Iſrael*, id eſt ad eos, qui erant prope illum; quaſi dicat: Quamvis illi appropinquaſſent, non læſit illos. Vide Iſaiæ XLI. verſ. 9. *Miſit manum ſuam*; id eſt, non occidit eos, aut affecit eos ullo malo: quia non temere, ſed iuſſu Dei acceſſerant, & viderant Deum: cum alioqui ſcriptum ſit infra XXXIII. 20. *Non videbit me homo, & vivet*; & recepta eſſet apud Hebræos opinio, eos qui vidiſſent Deum, ſtatim morituros. Vide Geneſ. XVI. 13. & cap. XXXII. verſ. 30. VIDERUNTQUE DEUM, ET COMEDERUNT, AC BIBERUNT; quaſi dicat: Ex divina viſione nihil læſionis, aut incommodi acceperunt; ſed vixerunt, ſani, integri, incolumes manſerunt: quam incolumitatem his vitæ actionibus expreſſit Moſes, ſynecdochice. Sic Geneſ. XVI. 13. Quidam eodem ſenſu ſubaudiunt: *Et viderunt Deum*; ſed non ſunt mortui, *immo* poſtea *comederunt, & biberunt*, & alias vitæ functiones exercuerunt.

V. 12. ET ESTO IBI. Quidam exponunt: Id eſt, maneto ibi, donec te propius vocem, e verſ. 16. infra.

V. 13. ET IOSUE MINISTER EIUS. Notant, Ioſue expectantem Moſen, ulterius ſubſtitiſſe, ut docetur infra cap XXXII. 17. & ex verſ. 18. huius cap. ubi ſolus Moſes intrat medium nebulæ.

V. 14. EXPECTATE HIC. Hebr. *Manete nobis*. Aliqui: *Sedentes, nos expectate hic*, ſcilicet me, & Iehoſuagh. SI QUID NATUM FUERIT QUAESTIONIS. Heb. *Quis poſſeſſor, dominus, verborum*. Quidam explicant: *Quis ſuperior verborum*; id eſt, qui fuerit in lite actor. Alii: *Qui fuerit dominus verborum*; id eſt, qui cauſas habuerit loquendi, ſeu qui habuerit lites. Nonnulli: *Quicumque eſt habens cauſas*; vel *quicumque habuerit cauſas*, id eſt negotia, lites. Nec deſunt qui reddant: *Qui dominus verborum erit*; vel *qui habebit aliquid dicendum*; id eſt, ſive conſilio, ſive litis diremptione opus ſit. Alii: *Qui dominus verborum*, id eſt verbis contendens ob aliquid.

V. 16. VOCAVIT EUM, nempe Moſen ſolum, ſupra verſ. 2. nam Ioſue non eſt ingreſſus cum Moſe mediam caliginem, nec aderat cum Deus alloqueretur Moſen, ut apparere aiunt e cap. XXXII. verſ. 17. quod ego non video.

V. 17. IN CONSPECTU FILIORUM ISRAEL; id eſt, quam a longe etiam in caſtris exiſtentes videbant Iſraelitæ: nam ſpeciem illam operis ſapphirini non videbant, quæ viſa tantum fuit iis qui cum Moſe aſcenderant, ſupra verſ. 9. & 10.

V. 18. QUADRAGINTA DIEBUS, ET QUADRAGINTA NOCTIBUS: quibus panem non comedit, nec aquam bibit, Deuteron. IX. 9.

MENOCHII.

Verſ. 1. NADAB, ET ABIU, filii ſeniores Aaron. SEPTUAGINTA SENES, ex primoribus populi. ADORABITIS PROCUL, Deum in caligine in cacumine montis Sina, per Angelum ſe oſtendentem, & loquentem cum Moſe.

V. 2. AD DOMINUM, ad caliginem verticis Sina. Solus Moſes comitatus miniſtro ſuo Ioſue. Septuaginta autem ſeniores cum Aarone iuſſi ſunt remanere inferne cum populo ad eum gubernandum.

V. 3. NARRAVIT PLEBI, &c. ut illi aſſenſum præſtarent, & legem ſic admiſſam firmius retinerent. IUDICIA, leges iudiciales.

V. 4. ET DUODECIM TITULOS: vel duodecim lapides ſeorſim erecti; vel ex duodecim illis ſaxis unum altare conſtructum eſt. Primum videtur verius.

V. 5. IUVENES. Chaldæus, *Primogenitos filiorum Iſrael*, qui in lege naturæ ſacer-

cerdotes erant, nondum enim ſacerdotium Aaronicum inſtitutum erat.

V. 6. DIMIDIAM PARTEM SANGUINIS: ſolebant enim olim fœdera victimis, & ſanguine ſanciri.

V. 8. SANGUINEM RESPERSIT IN POPULUM. Effuſio, & aſperſio ſanguinis in fœdere ſignificat fore illud ſtabile, & firmum etiam cum vitæ diſcrimine. Figura hæc eſt ſanguinis Chriſti, quo teſtamentum novum confirmatum eſt. Vide ad Hebr. IX. 19.

V. 10. VIDERUNT DEUM ISRAEL, non per eſſentiam, ſed quaſi per umbram in ſpecie aliqua ſenſibili, puta humana; quod Caiet. Lyr. Prad. in Ezechielem exiſtimant, quos Cornelius ſequitur. QUASI OPUS LAPIDIS SAPPHIRINI; quaſi dicat: Sub pedibus Dei apparebat quaſi pavimentum ex ſapphiro conſtratum.

V. 11. EOS QUI PROCUL RECESSERANT: ſeniores, qui a plebe receſſerant, & cum Moſe aſcenderant in montem. NEC MISIT MANUM SUAM. non eos morte percuſſit, nec quidquam paſſi ſunt: itaque Chaldæus vertit: *Principibus filiorum Iſrael nullum fuit incommodum*. COMEDERUNT, AC BIBERUNT, poſtea, læti & exultantes auguſta illa, & delectabili viſione Dei.

V. 13. IN MONTEM DEI, in altiora montis Sina.

V. 14. EXPECTATE HIC. Cum populo, & fortaſſe digito oſtendebat Moſes caſtra populi, redite ad populum, ut illum regatis, & in officio contineatis.

V. 16. GLORIA DOMINI. Maieſtas Domini patefaciens ſe per ſpectra admiranda, caliginem ſcilicet & ignem.

V. 17. QUASI IGNIS. Particula *quaſi*, non ſimilitudinem, ſed rei veritatem ſignificat, ut cum dicitur Ioan. I. 14. *Vidimus eum quaſi unigenitum*.

V. 18. INGRESSUS MOYSES, relicto Ioſue in monte. FUIT IBI QUADRAGINTA DIEBUS. Deut. IX. 9. additur, Moſem quadraginta illis diebus nec comediſſe, nec bibiſſe. In his tamen quadraginta diebus numerantur ſex illi, de quibus dixerat num. 16.

TIRINI.

Verſ. 6. DIMIDIAM PARTEM SANGUINIS MISIT IN CRATERAS, ut ea populum poſtea adſpergeret, ut ſequitur verſ. 8. Hic Deus fœdus init cum Hebræis, & vetus teſtamentum ſeu pactum more priſco ſancit ſanguine victimarum, volens oſtendere ſe cum illis quam humaniſſime agere, nec niſi conſentientibus legem dare velle. Hinc ut par cum pari fœdus init, quo non minus ſe quam ipſos involvit & obſtringit. Ergo ex parte Dei ſtat *altare ad radices montis* Sinai: ex parte Hebræorum ſtant *duodecim tituli*, ſeu rudia ſaxa in titulos, ſeu ſtatuas erecta: itemque *duodecim iuvenes* e primogenitis, ut habet Chaldæus, principum duodecim tribuum: nam primogeniti erant adhuc tunc ſacerdotes, necdum inſtituto ſacerdotio Aaronico. Hi offerunt holocauſta, & victimas pacificas Deo. Mox ad fœdus ſanciendum pars utraque ſanguine victimarum adſpergitur: ſcilicet tam Deus, quam populus. Sed quia Deus incorporeus non poterat in ſe, aut per ſe conſpergi, hinc pro Deo altare, & volumen fœderis adſpergitur.

Allegorice, Chriſtus novum teſtamentum ſanxit effuſione veri ſanguinis ſui, incruenta in ultima cœna, cruenta in ara crucis. Ita Apoſtolus ad Heb. IX. ubi addit Moyſen hic ad adſperſionem populi, & altaris adhibuiſſe etiam aquam, lanam coccineam, & hyſſopum.

V. 9. NADAB ET ABIU (duo Aaronis maiores natu filii) ET SEPTUAGINTA DE SENIORIBUS ISRAEL, nempe iidem illi qui Num. XI. prophetaſſe dicuntur, ASCENDERUNT ultra præſtitutos plebi terminos, in montem Sinai, cum Moyſe & Aarone, ſcilicet aliquouſque.

V. 10. ET VIDERUNT DEUM ISRAEL, humana, & auguſta ſpecie, iudicis, vel principis, ſeſe oſtentantem: & ſcabellum pedum eius *quaſi ſapphirinum*. Nam fere ubicumque Dei thronus deſcribitur, quaſi ex lapide ſapphiro compactus exhibetur, ſicut CAELUM CUM SERENUM EST.

Nota. Hanc Dei ſpeciem non vidit plebs, ne eius idolum aliquod fingeret; ſed ſoli ſeniores a plebe remoti, & in montem aliquo-

quouſque evecti: qui cum Dei legiſlatoris maieſtatem penitius intuiti eſſent, populo melius eamdem inculcare potuerunt. Subditur vero:

V. 11. Et comederunt, ac biberunt, nec super eos qui procul recesserant de filiis Israel, misit manum suam Deus. Id eſt, Deus principes illos qui a plebe procul aberant, etſi ex monte Deum viderint, nulla calamitate affecit, ſed ſanos incolumeſque ad propria remiſit: quod vel ex eo patuit quod reverſi ad ſuos comederint, & biberint, ut ſolent perfecte ſani. Quæ res viſa eſt omnibus admirabilis, cum paſſim invaluiſſet opinio, ei qui Deum videret, moriendum eſſe.

GORDONI.

Verſ. 1. Nadab et Abiu ſunt duo filii Aaron maiores natu. Hi vero ſeptuaginta ſeniores putantur illi qui conſtituti fuerunt iudices populi, ſuadente Iethro. Ceterum Moſes nunc erat in monte. Ait ergo Deus: Ubi deſcenderis, & narraveris hæc populo; aſcende, iterum cum iſtis quos dixi.

V. 2. Solusque Moses ascendet, ſcilicet ad verticem montis; alii remotius ſtabant.

V. 3. Narravit plebi. Moſes ergo deſcendens narrat omnia populo præcepta, iudicialia, & cæremonialia, accepta a Deo. Putant aliqui Interpretes, miraculo factum ut vox Moſis ab omnibus audiretur: quod ſatis indicatur verſ. 7. Interim fœdus firmatur, ſicut poſtea in novo inſtrumento Chriſtus ſanguine ſuo fœdus ſancivit.

V. 4. Duodecim titulos. Septuaginta *duodecim lapides*: alii, *ſtatuas informes vertunt*: Vox Heb. מצבה *mitſeba* (rad. נצב) ſignificat *ſtatuas*, *columnas*, *pyramides*.

V. 5. Iuvenes, ſed primogenitos, ac proinde ſacerdotes adhuc in lege naturæ, nondum inſtituto ſacerdotio Aaronico.

V. 6. Tulit itaque Moyses &c. Sic antiquitus fœdus fiebat, aſperſione ſanguinis. Paulus Hebr. cap. IX. dat alias fœderis antiqui cæremonias præter aſperſionem, de qua hic verſ. 8. & quæ fuit figura ſanguinis Chriſti.

V. 8. Aſperſio ſanguinis deſignat fœdus inviolabile, etiam ſi mori oporteret.

V. 10. Et viderunt Deum, certe in ſpecie aliqua creata, & ſenſili; forte ſub forma magnifici principis; & ſub pedibus velut pavimentum ſapphiro conſtratum.

V. 11. Nec super eos. Hi ſunt ſeniores qui cum Moſe receſſerant a plebe: ſuper hos, quamvis Deum vidiſſent, non miſit Deus manum ſuam; hoc eſt, hos non percuſſit. Biberunt enim, ac comederunt; hoc eſt, non obſtante viſione vivebant. Alluſio eſt ad timorem communem Iudæorum, ex illo, *Non videbit me homo, & vivet*.

V. 14. Expectate hic, ſcilicet in inferiore parte montis, vel in caſtris: non enim iuſſit expectare in declivio montis.

V. 18. Ingressusque. Hinc, & ex verſ. 16. ſunt dies quadraginta ſex, quibus totis manſit Moſes cum Ioſue; ſex quidem in præparatione, & quadraginta in colloquio Moſis cum Deo. Non putatur Ioſue audiviſſe quæ dicebat Deus; nec forte ieiunaſſe, ut tamen fecit Moſes, quadraginta diebus, Deut. IX. verſ. 9.

Ex Eiusdem Auctario.

V. 13. In montem, in altiora montis.

V. 16. Gloria. Deus ealigine manifeſtans ſe ſpecialiter ibi præſentem.

Digitized by Google

CAPUT XXV.

Iubetur primitiarum ac donorum oblatio ad Dei tabernaculum formandum, arcam, menſam, & candelabrum, cunctaque illis pertinentia.

1 LOcutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens: 2. Loquere fi-
liis Iſrael, ut tollant mihi primitias: ab(a) omni homine qui of-
feret ultroneus, accipietis eas. 3. Hæc ſunt autem quæ acci-
pere debetis: Aurum, & argentum, & æs, 4. hyacinthum, &
purpuram, coccumque bis tinctum, & byſſum, pilos caprarum,
5. & pelles arietum rubricatas, * pelleſque ianthinas, & ligna Se-
tim: 6. oleum ad luminaria concinnanda: aromata in unguentum, & thymiama-
ta boni odoris: 7. lapides onychinos, & gemmas ad ornandum ephod, ac ratio-
nale. 8. Facientque mihi ſanctuarium, & habitabo in medio eorum: 9. (b) iux-
ta omnem ſimilitudinem tabernaculi quod oſtendam tibi, & omnium vaſorum in
cultum eius: ſicque facietis illud: 10. Arcam de lignis Setim compingite, cuius
longitudo habeat duos & ſemis cubitos: latitudo cubitum & dimidium: altitu-
do cubitum ſimiliter ac ſemiſſem. 11. Et deaurabis eam auro mundiſſimo intus &
foris: facieſque ſupra, coronam auream per circuitum: 12. & quatuor circulos
aureos, quos pones per quattuor arcæ angulos: duo circuli ſint in latere uno,
& duo in altero. 13. Facies quoque vectes de lignis Setim, & operies eos auro.
14. Induceſque per circulos qui ſunt in arcæ lateribus, ut portetur in eis: 15. qui
ſemper erunt in circulis, nec umquam extrahentur ab eis. 16. Poneſque in arca
teſtificationem quam dabo tibi. 17. Facies & propitiatorium de auro mundiſſi-
mo: duos cubitos & dimidium tenebit longitudo eius, & cubitum ac ſemiſſem
latitudo. 18. Duos quoque Cherubim aureos & productiles facies; ex utraque
parte oraculi. 19. Cherub unus ſit in latere uno, & alter in altero. 20. Utrum-
que latus propitiatorii tegant expandentes alas, & operientes oraculum, reſpiciant-
que ſe mutuo verſis vultibus in propitiatorium quo operienda eſt arca, 21. in
qua pones teſtimonium quod dabo tibi. 22. Inde præcipiam, & loquar ad te ſu-
pra propitiatorium, ac de medio duorum Cherubim, qui erunt ſuper arcam te-
ſtimonii, cuncta quæ mandabo per te filiis Iſrael. 23. Facies & menſam de li-
gnis Setim, habentem duos cubitos longitudinis, & in latitudine cubitum, & in
altitudine cubitum ac ſemiſſem. 24. Et inaurabis eam auro puriſſimo: facieſque
illi labium aureum per circuitum, 25. & ipſi labio coronam interraſilem altam
quatuor digitis: & ſuper illam, alteram coronam aureolam. 26. Quatuor quo-
que circulos aureos præparabis, & pones eos in quatuor angulis eiuſdem men-
ſæ per ſingulos pedes. 27. Subter coronam erunt circuli aurei, ut mittantur ve-
ctes per eos, & poſſit menſa portari. 28. Ipſos quoque vectes facies de lignis
Setim, & circumdabis auro ad ſubvehendam menſam. 29. Parabis & acetabula,
ac phialas, thuribula, & cyathos, in quibus offerenda ſunt libamina, ex auro
puriſſimo. 30. Et pones ſuper menſam panes propoſitionis in conſpectu meo ſem-
per. 31. Facies & candelabrum ductile de auro mundiſſimo, haſtile eius, & ca-

Digitized by Google

lamos, & ſcyphos, & ſphærulas, ac lilia, ex ipſo procedentia. 32. Sex calami egredientur de lateribus, tres ex uno latere, & tres ex altero. 33. Tres ſcyphi quaſi in nucis modum per calamos ſingulos, ſphærulaque ſimul & lilium: & tres ſimiliter ſcyphi inſtar nucis in calamo altero, ſphærulaque & lilium: hoc erit opus ſex calamorum, qui producendi ſunt de haſtili: 34. in ipſo autem candelabro erunt quatuor ſcyphi in nucis modum, ſphærulæque per ſingulos, & lilia. 35. Sphærulæ ſub duobus calamis per tria loca, qui ſimul ſex fiunt procedentes de haſtili uno. 36. Et ſphærulæ igitur & calami ex ipſo erunt, univerſa ductilia de auro puriſſimo. 37. Facies & lucernas ſeptem, & pones eas ſuper candelabrum, ut luceant ex adverſo. 38. Emunctoria quoque, & ubi quæ emuncta ſunt extinguantur, * fiant de auro puriſſimo. 39. Omne pondus candelabri cum univerſis vaſis ſuis habebit talentum auri puriſſimi. 40. (c) Inſpice, & fac ſecundum exemplar quod tibi in monte monſtratum eſt.

(a) Inf. xxxv. 5. (b) Heb. ix. 2. (c) Heb. viii. 5. Act. vii. 44.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 5. *Pelleſque ianthinas*. Pro *ianthinas* alii legunt *hyacinthinas*: & quamquam idem fortaſſe utroque vocabulo ſignificetur, illud tamen potius ab Interprete datum, alias docuimus. Hæc annotatio pluribus aliis ſequentibus locis ſervit.

V. 33. *Sphærulaque ſimul, & lilium*. Hoc bis lectum iſto verſu, minus recte alii libri pluraliter ſcribunt, *Sphærulaque ſimul, & lilia*.

V. 38. *Fiant de auro puriſſimo*. Non omittatur præpoſitio *de*.

COMMENTARIA

S A.

Verſ. 3. PRIMITIAS. Hebr. *oblationem*. Chald. & LXX *primitias*.

V. 4. HYACINTHUM, ſcilicet ſericum, ſeu pannos, aut lanam coloris cærulei. COCCUMQUE, ſcilicet lanam, vel ſericum cocco tinctum. PILOS, ſcilicet pannos ex pilis.

V. 5. IANTHINAS, id eſt taxorum; vel *hyacinthinas*, id eſt violaceas. Sic & ſupra. SETIM. Cedri eſt genus quoddam.

V. 6. UNGUENTUM. Hebr. *oleum unctionis*: ſcilicet quo ungendi Sacerdotes. THYMIAMATA, id eſt ſuffitum.

V. 9. OSTENDAM. Heb. & Chald. & LXX. *Oſtendo*.

V. 10. CUBITOS, ſcilicet vulgares: continet autem cubitus palmos duos, palmus autem digitos duodecim.

V. 11. CORONAM, id eſt limbum, ſeu labium. Vulgo dicitur *Cornice*.

V. 12. LATERE, ſcilicet ſecundum latitudinem. Vide Num. xix.

V. 16. TESTIFICATIONEM, id eſt legem, quæ Dei voluntatem teſtatur; ſcilicet Decalogi tabulas.

V. 17. PROPITIATORIUM. Erat id velut cælum arcam tegens, ut ſolet fieri rebus pretioſis; vel, ut quidam volunt, ipſum arcæ operculum. Dictum vero *Propitiatorium*, quod ibi ſe Deus propitium exhiberet: dicitur & *Oraculum*, quod ibi reſponſa daret.

V. 18. PRODUCTILES, id eſt *ex auro ductili*, ut eſt Hebr. ORACULI. Hebr. *Propitiatorii*.

V. 19. CHERUB. Auguſt. quæſt. cv. in Exod. *Erant*, inquit, *Cherubim ſpecie animalium*. Quidam tamen dicunt fuiſſe figura pueri. Vide Ezech. I. LATERE. Hebraice, *extremo*.

V. 20. TEGANT. Hebr. indicatur, debere ab extremitatibus propitiatorii ſur-

gere, ſeu exare, & ipſum alis tegere.

V. 22. Praecipiam. Hebr. *Conveniam te*, ſeu *teſtificabor tibi*. LXX. *Agnoſcar tibi*.

V. 24. Labium. Hebr. *coronam*. Vide ſup. num. II.

V. 25. Ipsi labio, pro in ipſo labio, ſcilicet utrimque, & ſupra, & infra. Nempe indicat, primo faciendum labium, ſeu limbum, deinde in eo ex utraque parte, ſcilicet ſuperiori, & inferiori, ponendam coronam interrasilem, id eſt ſculpturis ornatam: atque ad hunc ſenſum lectio noſtra reducenda eſt. Quod autem dicitur altam, intellige profundam; ſcilicet ex parte inferiori erat quatuor digitorum, & totidem ex ſuperiori.

V. 29. Acetabula, id eſt ſcutellas, ſeu vaſa concava, in quibus ponendi panes. Phialas, ſcilicet ad libamina; vel, ſecundum quoſdam, ad thus. Vide Apoc. v.

V. 30. Propositionis, id eſt propoſiti ſemper ante Dominum.

V. 31. Ductile, ſcilicet malleo factum. Nota, quod conſtabat haſtili, ſeu trunco recto, tum calamis ſex curvis e trunco ductis hinc inde, ſub quorum paria ſingula erat una ſphærula: deinde tres in unoquoque calamo ſcyphi, ſupraque ſphærula una, & poſtremo lilium ſub lucerna. Erat & in ipſo trunco ſub ſphærula inferiori ſcyphus. Quidam tamen putant ſuper unumquemque ſcyphum fuiſſe ſuam ſphærulam, & lilium: quod non eſt improbabile. Puto ego hic magnum latere myſterium: eſſe enim candelabrum Eccleſiæ figuram; ſcyphum, & ſphærulam, Eucharistiæ, ſcilicet calicis, & hoſtiæ; lilium autem, Humanitatis Chriſti; & lumen, Divinitatis. Iam ſeptenarius numerus perfectionem ſignificat. Poteſt & candelabrum Chriſtum ſignificare.

V. 33. Nucis, ſcilicet amygdalinæ per medium diviſæ. Calamos, intellige ſex curvos, non calamum haſtilis rectum, in quo ſcyphi quatuor, ut infra dicitur.

V. 34. Candelabro, id eſt haſtili, ſeu trunco.

V. 35. Sub duobus; quaſi dicat, ſub utroque pari calamorum, ſcilicet infra utrumque.

V. 37. Ex adverso; id eſt, verſus eam partem ad quam verſum candelabrum ſecundum latitudinem ſcilicet in apertum aerem, non in ſe invicem. Vide Num. VIII.

V. 39. Talentum. Vulgare, ſeu profanum, libræ 60. ſacrum vero, 120. Libra autem, quæ & mina, & pondo, unciæ 12. Ita quidam. Alii vero, talentum conſtare minis centum, minam vero drachmis ducentis quadraginta; quod magis probo. Vide Ezech. xlv. & II. Paralip. xxv.

E S T I I.

Verſ. 5. Et pelles arietum rubricatas, pelles que ianthinas. Vide cap. ſeq. verſ. 14.

V. 9. Iuxta omnem similitudinem tabernaculi quod ostendam tibi. Et in fine cap. *Inſpice, & fac ſecundum exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt*. Quæri poteſt, quare hoc exemplar non potius monſtratum fuit operariis quam Moyſi, hoc enim futurum erat compendioſius ut videtur. Reſpondeo: Debuit oſtendi Prophetæ, non operariis, quia erat inſtar revelationis. Adde quod Moyſes erat huius operis architectus, ſingula præſcribens. Itaque opus magis notum eſſe debebat architecto, quam operariis.

V. 16. Ponesque in arca testificationem quam dabo tibi. Duas tabulas teſtimonii ſeu legis intelligit reponendas in arca: de quo vide plenius III. Reg. VIII.

V. 18. Duos quoque Cherubim aureos facies. Ioſepus tradit, Cherubim habuiſſe ſimilitudinem quarumdam avium, quæ numquam viſæ ſunt ab hominibus, quarum tamen imagines viderit Moyſes in illo exemplari divino in monte. Sed probabilior eſt tum aliorum Hebræorum, tum etiam Chriſtianorum Doctorum ſententia, qui dicunt, Cherubim habuiſſe ſimilitudinem iuvenum habentium alas, ad ſignificandum Angelos; ſicut & Iſaiæ VI. alii Angeli Seraphim vocantur. Deſignari autem eos tali ſpecie, utpote quod Angeli nuſquam alia ſpecie apparuiſſe legantur, ad ſingificandum in eis humanitatis erga homines officia, & alacritatem, tum & perpetuum naturæ vigorem.

Sed nota in primis, quod locus hic aperte convincit, ſimulacra non ita lege illa Exod. xx. fuiſſe prohibita, ut ea nulla ra-

ratione ſculpere, pingere, aut quocumque modo facere liceret; quandoquidem hæ imagines in ipſo Sancto ſanctorum fuerint collocatæ, & proinde ſicut Arca, uti Sanctum principale, ita & Cherubim deſuper extenti in eo loco honorati fuerunt, non ut pro diis habe entur, ſed quod divinam præſentiam accedentibus velut repræſentarent: inde enim Dominus dabat reſponſa, ut hoc eodem capite verſ. 22. Scriptura teſtatur.

V. 30. ET PONES SUPER MENSAM PANES PROPOSITIONIS. Quare vocentur panes propoſitionis, indicat id quod ſubiicitur, IN CONSPECTU MEO SEMPER. Puta dicuntur panes *propoſitionis*, tamquam antepoſitionis, quia coram Domino, ſeu ante conſpectum Domini, id eſt ante tabernaculum teſtimonii, ponebantur.

MARIANAE.

Verſ. 2. TOLLANT MIHI PRIMITIAS. Sic Septuag. Vox *therumah*, id eſt *elevatio*, ſignificat promiſcue *oblationem*.

V. 4 COCCUMQUE BIS TINCTUM. Hebr. *Vermem ſecundum*: ſic coccum bis tinctum vocant Hebraice, quod ex cocco vermes naſcantur, iiſque in pulverem redactis inficiantur veſtes: quod ſi ſecundo id fiat, color eximius evadit. Græci *διζαφα* nominant.

V. 5. PELLESQUE IANTHINAS, id eſt violaceas. Sept. *byacintvinas* dixere; ſed eodem recurrit. *Hyacinthus* cæruleus eſt, grato odore. Alioqui Hebraice eſt *pelles taxorum*, תחשים *twbaſim*. Hi *taxi*, *meles* etiam dicuntur, vulpis magnitudine, feis colore. Pelles ad arcendum aquam valent, tum ab innata duritie, tum propter pilorum denſitatem. Hoc ſecutus eſt Chald. & plerique alii Interpretes. LIGNA SETIM. Hebræi inter cedrorum genera hoc putant præcipuum.

V. 7. GEMMAS AD ORNANDUM EPHOD. Hebr. *lapides plenitudinum ephod*: nempe qui *impleant cælaturas ephod*, *&* *rationalis*, ut Chaldæus vertit.

V. 17. PROPITIATORIUM DE AURO MUNDISSIMO. Non e lapide, aut ligno, ut quidam volunt (S. Thomas I. II. quæſt. CII. art. 4.) ſed aureum tocum. Craſſum quatuor digitos fuiſſe R. Selomon hic ait: ſed quo auctore, requiro.

V. 18. DUOS QUOQUE CHERUBIM AUREOS. *Cherub*, *ſimilitudinem*, ſeu *imaginem* quamcumque aliquando ſignificat: ſed hoc loco *Cherubim* habebant humanam effigiem duorum puerorum, ut ſentiunt Hebræi; qui dicunt *Cherub* dici, *che*, id eſt *quaſi*, *rabin*, id eſt *puer*: ut prima littera Caph non ſit radicalis. Quod quidam addunt, alterum maris, alterum feminæ faciem referre; vellem aliunde probaſſent. ET PRODUCTILES. מקשה *mikſah*, quidam putant *ſolidum* ſignificare, ita ut eſſent ex auro ſolido. Hebræi, *ex auro æquali, & lævigato*; eoque Septuag. reſpexere, cum vertere *tornatiles*: idque ipſum vox *productiles* ſignificat.

V. 20. UTRUMQUE LATUS PROPITIATORII TEGANT. Hebraice: *Ex propitiatorio facietis Cherubim ſuper duo latera eius*. Unde quidam colligunt, ex ipſa materia propitiatorii Cherubim prodire. EXPANDENTES ALAS. Volunt utrumque alam unius cum alterius alis iungi, ut formam ſedis efficerent, ubi ſederet *qui ſedet ſuper Cherubim*, & propitiatorium eſſet inſtar ſcabelli, ubi pedes poneret.

V. 25. CORONAM INTERASILEM ALTAM QUATUOR DIGITIS. Hebraice, *Clauſuram palmi circum*, *& facies coronam auream clauſuræ eius circum*. *Interraſilem* ſignificat *ſculptam*, quod in Hebræo non invenio. Pro voce טופח *tophah*, Hieronym. poſuit *quatuor digitos*, qui palmum e duobus minorem efficiunt. Sed & idem Hieronym. III. Reg. 11. verſ. 26. *tres uncias* dixit, nempe tres pollices, qui quatuor digitis pares ſunt, & pedis unciæ vocantur. Quidam *palmam* hoc loco, ſed per errorem poſuit: nam *palmus minor* numquam ſic vocatur; ſed *maior*, qui *zereth* Hebræis eſt, Græcis *σπιθαμή*, iuxta quorumdam ſententiam *palma* vocatur. Porro Hieron. pro זר *zeb*, hoc loco *coronam* vertit, verſ. 24. *labium*: ſed perinde eſt.

V. 27. SUBTER CORONAM ERUNT CIRCULI AUREI. Sic Sept. alii vertunt *contra*, ſive *e regione clauſuræ*; ſic ipſe Hieron. cap. XXXVII. verſ. 14.

V. 30. PONES SUPER MENSAM PANES PROPOSITIONIS. Hebraice, *panes facierum*; id eſt, qui ſunt, & propo-

Digitized by Google

nuntur ante ſaciem Dei. Septuag. *panes ἐνωπίυς*; quaſi dicas, *præſentes*, ſeu *expoſitos*. Sed cur *facierum* in plurali, Hebræi? Quia duas facies habebant, intra vaſa ceu formas cocti, non ut noſtri, qui unam faciem habent.

V. 39. OMNE PONDUS CANDELABRI CUM UNIVERSIS VASIS SUIS HABEBIT TALENTUM. Hebr. *Talentum auri mundi facies ipſum* (ſcilicet candelabrum) *omnia vaſa hæc*, aut *cum omnibus vaſis iſtis*: quod referri poteſt tantum ad vaſa candelabri, & ad omnia in hoc capite contenta. Hieron. ad vaſa candelabri retulit: idque veriſimilius eſt, & certum ex cap. XXXVII. verſ. 24. Atqui talentum duodecim millia drachmas continebat, Exod. XXXVIII. verſ. 24. quantum aurei noſtrates 12750. Hebræus quidam hoc loco ait, talentum profanum efficere libras ſexaginta; Sanctuarii 120. libras: quod neſcio an conveniat cum ſuperiori ratione, quæ veriſſima eſt: ſed nimirum *libras* pro *minis* poſuit ſingulis drachmarum centum, ſicque cum noſtra ratione conſentit. De quo Lyr. ad cap. illud Exod. XXXVIII.

MALVENDAE.

Verſ. 2. UT TOLLANT MIHI PRIMITIAS. Heb. *Ut accipiant mihi oblationem*; id eſt, ut accipientes offerant mihi oblationem. Notant eſſe ellipſin verbi coniugati, quam peregrina conſtructio indicat. Sic infra cap. XXVII. verſ. 20. & ſupra cap. XVIII. verſ. 12. Geneſ. XII. verſ. 12. & cap. XLIII. verſ. 33. & 34. I. Reg. XVII. verſ. 10. תרומה *terumah*, reddunt *elevationem*, *exaltationem*, id eſt oblationem, quam quis de bonis ſuis Deo offerebat: ſic dictam volunt, quod dum offerretur, in altum elevabatur, atque ab eo ritu elevationis, nomen accepiſſe: vel quod ex aliis bonis elevaretur, eximeretur, ſeligeretur. Quidam *levandam*; alii *exemptam*, *exemptionem*, *ſeparationem*, *ſegregationem*. S. Auguſtinus hic *demptionem* interpretatur. Eo nomine comprehendi volunt *anathemata*, nempe dona, ſeu donaria, quæ dicata Deo, ornatus cauſa appendebantur parietibus, & columnis templorum, aut etiam ex altis lacunaribus ſuſpendebantur. Lucam XXI. 5. putant vocem *terumah anathemata* vertiſſe, ubi Noſter *dona* expoſuit. Nonnulli reddunt, *Donum munificum*, & *liberale*, ſeu *donarium elevatum*, inſigne, magnificum. Noſter optime *primitias* dixit. De *terumah* multa produnt Hebræi ſuo more, & ingenio: ut, quod eſſet oblatio quæ ſponte dabatur, cui nec menſura, nec æſtimatio erat. Ditiores de quadraginta, mediocres de quinquaginta, tenuiores de ſexaginta unum dabant: de centum communiter duo. Si quis horreum plenum collegiſſet manipulis frugum, ſeparabat ex æquo & bono aliquot ſacerdoti, & poſtea totum horreum erat פתור *pathur*, id eſt liberum domino ſuo. Multa alia eiuſmodi ſabulantur. QUI OFFERET ULTRONEUS. Hebr. *Quem ſpontaneum*, *ultroneum*, *promptum*, *liberalem*, *munificum*, *beneficum*, *alacrem*, *heroicum*, *hilarem datorem*, *largitorem*, *reddet*, *efficiet eum*, *cor eius*. Omnia iſta complecti verbum נרב *nadab* obſervant. Illud *quem eum* magnam emphaſim habet; id eſt, maxime eum invitabit, propellet cor eius ut ſumma promptitudine & alacritate heroicam liberalitatem, & munificentiam exerceat.

V. 4. HYACINTHUM. תכלת *techeleth* ſcribunt Hebræi nomen eſſe *vermiculi cuiuſdam*, *cuius humor flavi eſt coloris*. Alii putant *piſcem* eſſe, *ex cuius ſanguine color fiat cæruleus*, ſeu, ut vulgo dicunt, *blavus*. Quidam genus *violæ vernæ*, *colore obſcuræ purpuræ*, unde fiant veſtes, *hyacinthum*, vel *hyacinthinum* verterunt: dicitur & de colore, & de lana, ſeu panno eius coloris. Eius coloris pretioſo panno idola ornari ſolita, ſcribitur Ierem. X. 9. Aliud omnino eſt *techeleth* a hyacintho lapillo pretioſo, quamvis colore conveniat. Ianthinarum veſtium eiuſdem generis & coloris meminit Plinius Lib. XXI. cap. VI. PURPURAM. ארגמן *argaman* vocem peregrinam quidam putant ex Ezechiel. XXVII. verſ. 7. Aiunt eſſe *colorem rubeum*, ſeu *igneum*, *ſcarlatam* vulgo vocari: alii *colorem carmeſinum*: quidam volunt eſſe, quod Hebraice dicunt תולע *tolagh*, vel תולעת *tolaghath*, id eſt *vermiculus*. Sed manifeſte hoc verſu diſtinguuntur, ut ſtatim dicemus. Quidam componunt ex ארג *arag*, *texuit*, & מנה *manah*, *diſtribuit*, *deſtinavit*: quod hæc ſpecies deputata ſit veſtibus ſelectiſſimis texendis, & texturæ valde ſit apta.

Digitized by Google

pta. Unde Ovidius epiſtola XVI.

Purpura nempe mibi, pretioſaque texta dabuntur.

Alii a *reghem*, *princeps*, quod purpura ſit proprie principum, & magnatum. Sed *reghem* nullibi invenitur, niſi nomen proprium, Zachariæ VII. 2. Omnes purpuram interpretantur. Uſum purpuræ ex conchyliis olim cognitum, deſiiſſe iam Guido Pancirolus, & Henricus Salmuth in Deperditis, annotarunt. Vide quæ de purpura notavimus Lib. V. de Antichriſto cap. V. & XVI. COCCUMQUE BIS TINCTUM. תולעת שני *tolaghath ſchani*. Notant *tolaghath* eſſe *ſingularem vermiculi ſpeciem, qui ex grano cuiuſdam fruticis, figura lentis aut piſi naſcitur*; ideoque Græcis κόκκον, ſimiliter & Latinis coccum, atque lanam ſeu veſtem ex eo colore tinctam, coccinum dici: lanas & pannos eius vermiculi colore tinctos *ſcarlatam* vulgo vocari: quam vocem ex Græca σκωλήκιον, id eſt *vermiculus*, factam exiſtimant. Aiunt naſci in Gallia Narbonenſi, item ex Pauſania, in Phocenſi regione, & in Galatia, & in Polonia, & in Luſitania prope oppidum Setubal. Sed & in regno Valentino præſtantiſſimum, & in magna copia gigni, nos videmus. Frutex, in quo cocci granum naſcitur, *coſcoio* appellamus. Facit huc inſignis Plinii locus Lib. XVI. cap. VIII. *Cocci granum hoc, primoque ceu ſtapus fruticis parvæ æquifoliæ ilicis, cuſculium vocant: penſionem alterum tributi pauperibus Hiſpania donat*. Hoc nos vere experimur, quod in hoc regno Valentino pauperes his vermiculis colligendis, & divendendis vitam tolerant. Vermiculum cocci, ſeu grani cuſculii Valentine appellamus *poll*, id eſt pullum, aut pediculum, quod ſpecie pediculum referat: & pannos colore eius vermiculi infectos, a grano, ſeu cocco, in quo gignuntur, *granam*, *ſcarlatam*, ſeu *cochininam* dicimus. De *tholaghath*, & cocco plenius diximus in Antichriſto Lib. V. cap. VI. De שני *ſchani*, quod Noſter *bis tinctum* vertit, differuimus Geneſ. XXXVIII. verſ. 28. Hic varie reddunt *tbolaghat ſchani*. I. *Vermiculum cocci*. II. *Vermiculum ſecundarium*, *ſecundinum*, *duplicatum*, *iteratum*, *bis*, *ſeu iterato tinctum*. III. *Coccum*, *coccinum*, *coccineum dibaphum*, qui color ardentior, & pulchrior eſſe ſolet; vel, ut alii volunt, ſubniger, nec ita lucidus, ut ſemel tinctus. Quidam putant voci *tbolaghath* addi *ſchani* ad auxeſim; vel *tbolaghath* eſſe materiam tingendi, nempe vermiculum, *ſchani* vero colorem, ſic dictum a duplicatione, & intentione colori; quaſi dicas, colorem pulcherrimum & excellentiſſimum, qui eſt carmeſinus. Quibuſdam placet deducere a שנן *ſchanan*, *acuere*, quod ſit color acutiſſimus, ac vehementiſſimus. ET BYSSUM. שש *ſcheſch* notant eſſe lini genus ſubtiliſſimi, & candidiſſimi, atque præſtantiſſimi, cetera lina pretio, ac præſtantia vincens; nomenque habere a candore quod שש *ſcheſch* etiam marmor parium, & candidum ſignificet, Eſther I. verſ. 6. Eſſe Italicum *ſeſſa* congruente voce, vel quod dicimus *cambray*, quidam exiſtimant. Byſſus alio nomine Hebræis dicitur voce conſentiente, בוץ *butz*. Diſtinguunt, quod *butz* ſit vocabulum exoticum, & externum, *ſcheſch* pure Hebraicum: alii quod *butz* ſit ipſa materia, ſeu lana, *ſcheſch* vero byſſus iam neta, & in fila retorta; addunt, in ſex fila, quod *ſcheſch* ſit *ſex*. Inepte Mercerus in ſola AEgypto inveniri byſſum affirmat; cum in India gigni tradant Iulius Pollux in Onomaſtico Lib. VII. cap. XVII. & Philoſtratus Lib. II. de Apollonio cap. IX. in terra Hebræorum naſci quoque tenuiſſimam byſſum, auctor eſt Pauſanias Lib. V. in Eliacis, num. 151. & in Eleorum etiam agro propigini, idem Pauſanias Lib. VI. num. 204. ſcribit. Byſſum olim cognitam, & in uſu fuiſſe, nunc vero nullam eius ſupeteſſe notitiam, aut uſum, Guido Pancirolus & Henricus Salmuth in Deperditis obſervant. Nonnulli exiſtimarunt byſſum antiquorum, fuiſſe goſſipium, ſeu noſtrorum *coton*, vel *algodon*, quod etiam indicare videtur Iulius Pollux loco nuper citato, manifeſto errore: nam Plinius Lib. XIX. cap. I. diſerte goſſipion agnovit, & a byſſo diſtinxit. Alii quidem, non byſſum eſſe goſſipium, ſed Hebraicum *ſcheſch* eſſe goſſipium voluerunt: aiunt enim Hebraicum *butz* eſſe veram byſſum; *ſcheſch* vero, quod hic ponitur, non byſſum, ſed goſſipium eſſe; atque hic, & ubicumque vox *ſcheſch* in hoc lini ſignificatu ponitur, reddunt *linum xylinum*, id eſt *goſſipion*, Plinius eodem loco: *Superior pars AEgypti in Arabiam vergens gignit fruticem*

cem quem aliqui goſſipion vocant, plures xylon, & ideo lina inde facta xylina. Parvus eſt, ſimilemque barbatæ nucis deſert fructum, cuius ex interiore bombyce lanugo netur. Nec ulla ſunt eis candore, mollitiave præferenda. Veſtes inde ſacerdotibus AEgypti gratiſſimæ. Eodem modo deſcribit Pollux linum xylinum AEgyptiacum. Herodotus Lib. II. num. 81. *AEgyptii veſtibus amiciuntur lineis circa crura fimbriatis, quas calaſiris appellant. Laneæ tamen veſtes neque in ædes ſacras geſtantur, neque una cum cadaveribus ſepeliuntur: profanum enim eſt.* Veſtes quidem ex goſſipio fieri pulcherrimas, & præſtantiſſimas, ſatis nos Mexicani novi orbis docuere, quibus eæ goſſipinæ veſtes magno in pretio, & in uſu fuere. Ergo Iſraelitis in deſerto, e proxima AEgypto copiam *lini xylini*, id eſt lignei, ſeu *goſſipii* fuiſſe, quod hic appelletur *ſcheſch*, Tremellius & Iunius opinati ſunt; at Forſterus, & Mercerus *linium xylinum* potius eſſe Hebræum פשתה *piſchtah* exiſtimavere: nec eo contenti, בד *bad*, *linum xylinum* Plinii etiam volunt. Sed neutrum nobis probatur; & cum omnibus fere *ſcheſch* biſſum eſſe ſentimus. Vide quæ de byſſo ſcripſimus in Antichriſto Lib. V. cap. VI. PILOS CAPRARUM. Heb. tantum; *Et capras*, ſeu *capros*, nam עז *ghez* utrumque ſexum complectitur. Sed omnes intelligunt pilos, vel lanam caprarum, quæ mira arte neretur, ex qua fierent panni quos *chamelotes* vocamus; vel inſtar pannorum cilicinorum qui pluvias, imbres, & alias cæli iniurias probe arcerent.

V. 5. PELLESQUE IANTHINAS. Hebr. *Pelles* תחשים *techaſchim*. Mire ludunt Hebræi in hac voce. Plerique noſtrorum, congruente ſono vocis, putant תחש *tachaſch* eſſe *taxum*, vel *melem*, animal aſperum, & mordax, magnitudine vulpis, vario colore, in cavernis degens, mellis avidiſſimum: undequoque Græcis, & Latinis nomen melis nactus: Hiſpanice *texon*. Pellem habet pulchram, longis pilis, arcendis imbribus aptam. Plinius Lib. VIII. cap. XXXVIII. *Alia ſolertia in metu milibus: ſufflatæ cutis diſtentu ictus hominum, & morſus canum arcent.* Vides pellem eorum arcendis iniuriis idoneam, quod tabernaculo conſtruendoq; recte convenit. Quidam Hebræorum *coria*, ſeu *tergora boum*, aut *taurorum* hic interpretantur. Alii pelles quaſdam pulchras, & duriſſimas, ac ferme ferro impenetrabiles, quas *antas* dicimus, ex quibus fiunt thoraces, quos Hiſpanice vocant *cueras*, ò *coletos de ante*. LXX. Interpretes, Noſterque exiſtimarunt *thecaſchim*, & *techeleth* idem eſſe, & *ianthinas*, ſive *hyacinthinas* ſunt interpretati, a colore hyacinthino, ſeu ianthino, id eſt violaceo; ut correſpondeat ei quod dixerat *rubricatas*: id quod ego tutius ſemper exiſtimaverim. ET LIGNA SETIM. Singulare שטה *ſchittah*, & plurale שטים *ſchittim*. Neminem S. Hieronymo huius obſcuriſſimæ vocis meliorem enodatorem ne optare quidem poſſumus. Is in XLI. Iſaiæ ad verſ. 18. ita ſcribit: *Schittah, ſpinam Theodotio tranſtulit. Eſt autem genus arboris naſcentis in eremo, ſpinæ albæ habens ſimilitudinem: unde omnia ligna arcæ, & tabernaculi facta ſunt inſtrumenta, quæ appellantur ſetim: quod lignum imputribile, & leviſſimum, omnium lignorum, tam in fortitudine, quam in nitore, ſoliditatem ſuperat & pulchritudinem.* Et in Ioelis III. ad verſ. 23. *Ceterum nulli dubium eſt, omnia quæ in tabernaculo Dei legimus, de lignis ſetim fuiſſe perfecta; quæ Septuaginta interpretati ſunt ligna imputribilia. Eſt autem genus arboris in eremo, ſpinæ albæ ſimile colore, & foliis, non magnitudine: alioqui tam grandes arbores ſunt ut latiſſima ex illis tabulata cædantur: lignumque fortiſſimum eſt, & incredibilis levitatis, ac pulchritudinis, ita ut ex iis etiam vaſa torcularium, quæ ἀρσίνας καὶ θηκίας vocant, ditiſſimi quique, & ſtudioſiſſimi faciant: quæ ligna in locis cultis, & in Romano ſolo, abſque Arabiæ ſolitudine non inveniuntur.* Idem S. Hieronymus putat LXX. Michææ VI. verſ. 5. *ſetim*, *lentiſcum* reddidiſſe. Noſter Iſaiæ XLI. 18. & Ioelis III. verſ. 23. *ſpinam* vertit. Quidam *ſetim*, *ligna cedrorum præſtantiſſimarum, & lectiſſimarum* exponunt, forſan *cedrelate* Plinii Lib. XIII. cap. V. cui materiæ æternitas, ex qua olim ſimulacra deorum factitarunt. Alii *piceam*, vel *abietem*; nonnulli *tagum*, & quas Luſitani *bordos*, aut *fayas* vocant ex quibus aſſes, ſeu tabulæ librorum fiunt. Poſſet quis ſuſpicari, *ſchittah*, non multum abludente voce, eſſe *citrum*, arborem Mauritaniæ nobilem, ex qua *menſæ citreæ* Romanis magno in pretio, & celebritate habitæ. Vide Plinium

Lib.

Digitized by Google

Lib. XIII. cap. xv. Nec deſunt qui coniectent hæc ligna dicta *ſchittim* a loco eius nominis, Numer. xxv. verſ. 1. ubi horum lignorum maxima copia eſſet.

V. 6 AROMATA. Duæ voces ponuntur in hoc verſu בשמים *beſamim*, & סמים *ſammim* cum Samech. Prior ſignificat *ſpecies odoriferas*, & *pretioſas*, *ſatione*, & *cura hominum in hortis creſcentes*; quarum uſus vel per ſe ſimpliciter, vel in cibis condiendis, vel medicaminibus, aut unguentis etiam gratus, & ſalutaris eſt. At *ſammim* de illis odoribus, ſeu odoramentis dicitur, quorum in unguentis & ſuffumigationibus uſus eſt.

V. 7. ONYCHINOS. שוהם *ſchoham* omnes fere *onycham* vertunt. Vide Geneſ. II. verſ. 12. *ſacerdonycam* nonnulli reddunt. ET GEMMAS AD ORNANDUM EPHOD, AC RATIONALE: Hebr. *Et lapides plenitudinum*, ſeu *impletionem*. Quidam exponunt: Quibus impleri, perfici, ornari debebat ephod, & rationale: alii *inſititios*, ſeu *inſitivos*, quibus pala annuli impletur. Hiſpanice *piedras engaſtadas*, vel *para engaſtar*, ſeu *de engaſte*.

V. 9. SIMILITUDINEM. תבנית *tabnith*, *ædificationem*, *ſtructuram*, *diſpoſitionem ædificii*, *typum*, *exemplar*, *formam*: Hiſpanice *tragas modelo*, *patron*. TABERNACULI. משכן *miſchan* voce colludente, eodem ſignificato, *ſcenam* reddidimus in noſtra Translatione, ut etiam LXX.

V. 11. ET DEAURABIS. Verbum צפה *tzaphah* in Kal eſt *ſpeculari*, in Piel vero, ut hic ponitur, notant, contrariam interdum ſignificationem habere, ut ſit *obducere laminis*, *operire*, *obtegere aliquid*, *ne appareat aſpectui*. Quidam hanc ſignificationem cum priori conciliant, ut ſit *obducere*, *tegere*, *operire aliquid*, *ut ſpecioſius reddatur contemplantibus*; ſed multo ſatius alii verbum a priori ſignificato non dimovent, voluntque eſſe, reddere aliquid terſum, politum, pulchrum, conſpicuum inſtar ſpeculi, dignum ab omnibus ſpeculari, & contemplari. Hiſpanice dicimus *brunir*, *brillar*, *eſpejar*. CORONAM. זר *zer*, *peripheriam*, *circumferentiam*, *coronam*, *cincturam*, *limbum*, *loricam*, *ambitum*, *labium*, *circulum*. Notant fuiſſe ab exteriore parte arcæ, quo tegebatur propitiatorii cum arca commiſſura, uti apparet ex comparatione, verſ. 17.

V. 12. ANGULOS. פעמות *paghamoth* plerique *angulos* reddunt; alii *pedes*, *baſes*, in angulis; nonnulli *impages*. Feſtus: *Impages dicuntur*, *quæ a fabris in tabulis figuntur*; *quo firmius cohæreant*, *a pangendo*, *id eſt figere*. Et vero verbum פעם *pagham*, id eſt *percutere*, ſono & ſignificato cum verbo *pangere* congruit. Ego *pedaturas*, ſeu *percuſſuras* dixi: nempe vel pedes, aut baſes arcæ in quatuor angulis, vel commiſſuras ipſas tabularum ab utroque latere arcæ, ubi tabulæ longæ, ſeu rectæ, & transverſæ, compinguntur, & percutiuntur inter ſe; ut annuli ſeu circuli non eſſent in pedibus aut baſibus arcæ, ſed in medio ſuperne in ipſis commiſſuris tabularum. Vide I. Reg. VII. verſ. 30.

V. 15. QUI SEMPER ERUNT IN CIRCULIS, NEC UMQUAM EXTRAHENTUR AB EIS. Vide I. Regum VIII. verſ. 8.

V. 16 TESTIFICATIONEM, ſeu *teſtimonium*, id eſt librum, ſeu tabulas legis, quibus obſignabat Deus ac teſtabatur ſuam voluntatem, & fœdus initum cum populo ſuo, quaſi publicum inſtrumentum, ſeu teſtimonium pacti fœderis. Vide ſupra cap. XVI. verſ. 34.

V. 17. PROPITIATORIUM. כפורת *capporeth* exponunt *tegumentum*, *tectorium*, *operimentum*, *operculum*, *tabulam*, *qua arca erat tecta*; ſeu *tegmen*, *velamen*, aut *cælum*, quale rebus pretioſis ſuperimponere ſolemus. Ridicule quidam ex ſono vocis hinc deducunt *ſipharium*, *ſiparium*, vel *ſupparum*, quo in ſcenis mimi utebantur, id eſt velamentum, aulæum, de quo Feſtus. Ex his quæ Scriptura, hoc præſertim cap. & ſequenti tradit de *capporeth*, id eſt operculo arcæ, atque de Cherubinis, obſervant nonnulli, I. quod operculum hoc, ſeu tegumentum non fuerit de corpore, ſeu de ſubſtantia arcæ, ſed tabula quædam, ſeu aſſer totus & ſolide aureus ſuperimpoſitus arcæ, quo arca ceu operculo occluſa erat, & tecta. II. Quod illud tegumentum, ſeu operculum aureum, fuerit tamquam pavimentum, ſeu pedamentum, ſuper quo Cherubim fixi ſtabant, ac immoti, & extenſis alis quaſi domunculam, ſeu umbraculum, aut ſcenam, & veluti tentorium conformabant; & ipſi cum aſſere illo quaſi unum tegumentum, & opertorium erant: unde ſub no-

mine

mine *capporeth* veniunt etiam ac intelliguntur ipſi Cherubim, Exodi xxx. 6. cap. xxxi. 7. cap. xxxv. 12. cap. xl. 18. Levitici xvi. 2. & e contra nomine Cherubim intelligitur interdum & ipſum *capporeth*, ut I. Samuel iv. 4. II. Reg. xix. 15. Pſalm. lxxix. 2. Pſalm. xcviii. 1. Nam arca illa ita extructa erat ut eſſet quaſi vehiculum, ſeu lectica tecta, in qua ſedebat, loquebaturque Dominus, exponens percunctanti per oracula voluntatem ſuam. Hinc Hebræi etiamnum divinam Maieſtatem שכינה *ſchecinah*, id eſt *ſcenam* vocant, quod quaſi in ſcena, & tabernaculo, ſeu ſuper tegumento, & quaſi in throno cohabitaret, & reſponſa, atque oracula redderet. Ex altera verbi *cipper* in Pihel ſignificatione, quæ eſt *expiare*, *placare*, *purgare*, *propitiari*, *mundare*, *purificare*, quod eſt quaſi operire, tegere ſordes, immunditiem, vel culpam, offenſam, aut iram, reatum, pœnam, deduxerunt LXX. alteram quoque nominis *capporeth* interpretationem, dixeruntque Græca voce *hilaſterion*, id eſt *propitiatorium*, *placatorium*, *expiatorium*, *reconciliatorium*: nimirum quod ex eo operculo arcæ Deus exaudiret orantes, propitiaretur populo, operiret, condonaret, expiaret, remitteret peccata, & hominibus placatus & propitius eſſet. Hinc Paulus Romanor. iii. verſ. 25. typum ad Chriſtum, id eſt veritatem ipſam referendo, Chriſtum *propitiatorium* appellavit: *Quem*, inquit, *propoſuit Deus propitiatorium per fidem in ſanguine ipſius*. Nam voluit Deus operculo arcæ hunc Chriſtum præfigurare: quod quemadmodum operculo illo tegebatur lex, quæ, Paulo teſte, cognitio, & virtus peccati eſt; ita Chriſtus tegeret, operiret, expiaret, remitteret, mundaret, purgaret, purificaret peccata noſtra, ut lex amplius non accuſet, nec damnet; ſed Deum Patrem habeamus placatum & propitium in cælis per ſanguinem æterni Filii eius. Quo reſpexiſſe putant Davidem Pſal. xxxi. verſ. 1. *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta*, operta, *ſunt peccata*; nempe per Chriſtum tectorium, opertorium, propitiatorium noſtrum, qui tegit, operit, expiat, purgat, remittit noſtra peccata. Noſter ſecutus Græcos, *capporeth*, *propitiatorium* vertere ſolet; at Exodi xl. 18. Levit. xvi. 2. *oraculum* dixit, nimirum quod inde Deus oracula ederet. LXX. & alii hic utramque ſignificationem verbi coniungentes, *operculum propitiatorium*, vel *propitiatorium operculum* reddiderunt; quod & nos ſecuti ſumus. Diabolus ut ſe ſemper ſimiam Dei affectat, ex oraculo arcæ & propitiatorii conflavit ſibi apud Gentiles tripodes, & cortinas.

V. 18. Cherubim. De vocis ratione, ac de Cherubinis late diſſeruimus in Paradiſo cap. lxxviii. & Notis ad Geneſ. iii. verſ. 24. Propitiatorii Cherubinos non dubium fuiſſe forma humana, ſed auguſtiore, & alatas imagines; veſtitos autem fuiſſe ex lege ſupra cap. xx. verſ. 26. qua prohibetur nuditas in rebus ſacris, ſatis colligi poſſe videtur. Aureos, et productiles, id eſt opere ductili, non fuſorio. Hiſpanice *obra de martillo*, *no de vaziadizo*. Vocem מקשה *mikſchah* varie interpretantur: eſt plane nomen ſubſtantivum. Notant, id nomen ſignificare *quidquid eſt natura*, *vel arte perplexum*, *intricatum*, *& criſpum*, ut palma, cucumerarium, capillitium, lucerna, ſeu candelabrum templi, ad ſimilitudinem cucumerarii, ſeu palmæ arboris fabrefactum. *Criſpitudinem*, *perplexitatem* reddunt. Sic Ieremiæ x. 5. *Quaſi palmæ criſpitudo ipſis*, *& non loquentur*. Noſter Iſaiæ iii. 34. *mikſchah criſpantem* vertit. Et Iſaiæ i. 8. *Sicut tugurium*, *pernoctatorium*, *in criſpitudine*, ſeu *perplexitate*, id eſt *cucumerario*. Unde hic quidam exponunt: *Et facies duos Cherubim ex auro*, *criſpitudinem facies eos*, ut ſcilicet ceu palma criſpentur, & ramos, aut alas ſurſum extendant. Eodem modo intra verſ. 31. & 36. Alii: *Continentiam*, *continenti opere facies illos*; id eſt, non exemptibilibus, mobilibuſve partibus, ſed firmiter cohærentibus. Nonnulli: *Duritiem*, *rigiditatem*, *firmitatem*, *ſoliditatem facies illos*; id eſt, non intus vacuos, ſed plenos, ſolidoſque ex puro auro. Quidam intelligunt, opere integro & ſolido, ut ſcilicet tam operculum ſeu propitiatorium, quam Cherubim, fuerint opus unum abſque ulla iunctura, aut commiſſura factum. Ego haud aliene intellexerim: *Perplexitatem*, *criſpitudinem facies eos*; id eſt, opere duro, firmo, ſpiſſo, denſo, bene compactos, & ferruminatos, durabiles, & multo auro infarctos, & roboratos, qui diffi-

Digitized by Google

cile poſſent excidere, aut commoveri, ſeu diſſolvi, diſſiparive.

V. 20. VERSIS VULTIBUS IN PROPITIATORIUM. Hebr. *Ad propitiatorium erunt facies Cherubim*; id eſt, erunt vultu operculum verſus demiſſo, ob reverentiam divinæ maieſtatis. QUO OPERIENDA EST ARCA. Hebr. *Et pones propitiatorium ſuper arcam deſuper*, vel *ſuperne*: non quidem elatum ſupra arcam, ita ut non contingeret arcam, quaſi inter ipſum & arcam eſſet aliquod ſpatium; ſed inditum & coniunctum cum arca, ſic ut clauderet arcam: nam poſito in arca teſtimonio, ſeu tabulis legis, non licebat eam aperire. Hæc melior ſententia. Ioſephus: *Arca habebat tegmen aureis cardinibus coaptatum, nulla ex parte prominens*.

V. 22. INDE PRAECIPIAM. יעד *iaghad* in Niphal aiunt ſignificare voluntatem & animum addito vel verbo, vel facto, ſeu ſigno, & opere externo depromere, & teſtari. Si de verbo eſt ſermo, interpretantur *teſtari*, *atteſtari*, *conteſtari*. Eſt autem teſtari loqui de re quam teſtis ille vidit, & ſcit eſſe veram, & cui alios fidem habere velit. Sin autem de re dicitur, tunc reddunt *conſentire*, *conſpirare*, *confœderari*, *iungi fœdere*, *coire*, *convenire*; quod ſane fit certis legibus, conditionibus, & cæremoniis, quibus fides utrimque firmatur. Utramque ſignificationem huic loco convenire volunt. *Et teſtificabor tibi*; vel *& conveniam tecum*; id eſt, hic tecum conveniam, pacta conventa ſolemniter tranſigam.

V. 25. CORONAM INTERRASILEM. Hebr. מסגרת *miſgeret*, *clauſuram*, *circumcluſionem*, *clauſtrum*, *circumferentiam*. Alii *tæniam*, *faſciam* interpretantur. Recte quidem hunc locum Kimchi intellexiſſe videtur, cum ſcribit: Et *miſgeret erat inferne* (deorſum) *fixa a pede ad pedem in quatuor angulis*, *ſeu partibus menſæ*. *Et tabula menſæ poſita erat ſuper illam*; *& circulus aureus*, *ſeu corona aurea*, *vel limbus poſitus erat ſuperne ſuper labium menſæ*; *in circuitu poſitus erat ſuper clauſuram*. Exponunt itaque: *Facies quoque ei clauſuram*, *tæniam*, *palmarem*, *quatuor digitorum circumquaque*, id eſt ſummitati pedum menſæ, quo amota menſa, pedes cohærerent, & ſubſiſterent. *Miſgeret*, *clauſuram* accipio cui includebatur tabula menſæ in ſuperiore parte pedum eius, Hiſpanice *encaxe*, *marco*. Alii diverſe hæc intelligunt. Conſule Explanatores. ET SUPER ILLAM, ALTERAM CORONAM AUREOLAM. Hebr. *Et facies limbum*, *loricam auri clauſuræ eius*, vel *ad tæniam eius per circuitum*, vel *circumquaque*; hoc eſt, facies ſub menſa ad labia eius inſerne limbum aureum, ne vacillaret ea, aut de trapezophoro dilaberetur, aut depelleretur.

V. 27. SUBTER CORONAM. Hebr. *Circa*, *iuxta clauſuram*, ſeu *tæniam*. Exponunt: Id eſt, proxime infra faſciam, tæniamve illam. Sic exiſtimant annulos, ſeu circulos illos fuiſſe in tænia, ſeu faſcia illa trapezophoris, ut menſa ſimul cum trapezophoro portari poſſet.

V. 29. THURIBULA. קשות *keſoth* Hebræi aiunt eſſe *medios calamos*, *ſeu fiſtulas diffiſſas per medium in longitudinem*, *calamos in duas partes diſſectos*, qui inſerebantur inter panes propoſitionis, ut aer inter eos mearet, ne ſitu aut mucore obducerentur. Alii *vaſa libatoria* exponunt: quidam *ſcutellas*; nonnulli *cantharos*; alii *ſcyphos*; plerique *opercula*. ET CYATHOS. מנקיות *menakknoth* vaſa quædam eſſe volunt a vacuitate ſic dicta, quod intus ſint cava, & vacua, vel quod fabrefacta eſſent ex auro a ſordibus vacuo & mundo. *Emundatoria* ſonat nomen: quidam *crateres*, communiter *cyathos* reddunt: Hebræi *furculas*, ad ſuſtinendos panes propoſitionis: nonnulli *ſcopas*, ſeu *ſcopulas*, id eſt mundandæ & repurgandæ menſæ inſtrumenta, ut docet etymon: nec deſunt qui *pelves*. IN QUIBUS OFFERENDA SUNT LIBAMINA. Ex Hebr. reddunt I. *Quibus tegetur*, *operietur in eis*, nempe panis: quibus tegetur panis. Alii: *Quibus menſa ſternetur*, *& operietur*. II. *Quibus fundetur*, *libabitur in eis*. III. Neſcio cur quidam vertunt: *Quibus parabitur in eis*.

V. 30. PANES PROPOSITIONIS. Hebr. *Panem facierum*. Rationem appellationis varie enucleant. I. Quod forſan in ſingulis eorum, qui erant duodecim iuxta numerum tribuum, ſingulæ eſſent impreſſæ facies, id eſt ſigna, aut ſigilla, vel characteres filiorum Iſrael. II. Quod forſitan eſſent quadrilateri inſtar laterum & quatuor facies, id eſt quadrata, ſeu latera haberent. III. Non quod facies haberent, ſed quod eſſent poſiti in conſpe-

ctu cum Dei tum hominum, vel quod ante faciem Dei, id eſt arcæ, & propitiatorii, eſſent poſiti. IV. Nonnulli Hebræorum, quia binas facies habebant, ſuperne, & inſerne, ſeu ex utraque parte, non ut noſtri, qui ex una tantum parte faciem, ex altera ſolum habent. Myſteria, quæ hic veteres Hebræi obſervarunt, habes apud Galatinum Lib. X. cap. VI.

V. 31. CANDELABRUM. מנורה *menorah* proprie *lucibulum*, *lucernatum*, *lucernarium*, *lychnuchus*, *candelabrum*. HASTILE EIUS. Proprie *femur*, *ſcapus*, id eſt truncus, & craſſus ſtipes. ET CALAMOS. קנה *kaneh* proprie *cana*, *calamus*, *culmus*, *arundo*. *Ramos* quidam interpretantur, qui a ſcapo aſcendebat in modum cannarum, ſeu calamorum. SCYPHOS intelligunt partes quaſdam extenſas in ſpeciem ſcyphi, ſeu calycis: *lances* quidam convertunt. ET SPHAERULAS. כפתורים *caphtorim* aiunt eſſe *globos*, ſeu *poma*, ſeu *ſphærulas* artificioſe fabrefactas, in modum malogranati, quod intra corticem grana rubea habeat latentia, & emicantia, ſeu in modum ſcyphi, ſeu botri effigiata, & dici tantum de artificialibus pomis, ſeu malogranatis; cuius generis inter acroteria, & pinnacula templorum, ac ſtructurarum magnificarum ornatus cauſa locari ſolent. Quidam componunt ex כפף *caphaph*, *curvavit*, & תור *tor*, *rotavit*, *circuivit rotundo* ordine. Nonnulli *mala oblonga* hic vertunt, Hiſpanice *pomos*. AC LILIA. Hebr. *Germina*, *flores eius*. Quidam reddunt, *Et calyculi eius*; voluntque vocem Hebræam communiter ſignificare *calathos*, *calyculos*, & *alabaſtros*, ſive *flores apertos*, *ſemiapertos*, vel *clauſos*; ſed hic videri calyculos, quia amygdalina ſpecie fuiſſe dicuntur infra verſ. 33. EX IPSO PROCEDENTIA. Hebr. *Ex ipſo erunt*. Exponunt: Ex eadem materia, opere continenti ex ipſo trunco, vel ſcapo formabuntur; vel ex ipſo ſtipite emergent. Sic verſ. 36.

V. 37. ET PONES EAS SUPER CANDELABRUM. Hebr. *Et aſcendere faciet lucernas eius*. Quidam reddunt: *Et aptabit*, *diſponet*, *accendet*, *accendere faciet* ſacerdos *lucernas eius*: quod hæc ſit uſurpatio verbi עלה *ghalah* in Hiphil, e Numeror. VIII. verſ. 2. & 3. ſuppoſitum, ſeu nominativum *ſacerdos* addunt e cap. XXVII. verſ. 21. & Levitici XXIV. verſ. 3. ſed nihil opus eſt verbum a genuina aſcendendi ſignificatione dimovere. *Aſcendere faciet lucernas eius*; id eſt, ponet ipſas lucernas in ſummitate ſeu cacumine cannarum, ſeu calamorum, aut ramorum lychnuchi, ſeu candelabri. Exemptiles enim lucernas fuiſſe aiunt. UT LUCEANT EX ADVERSO. Varie reddunt Hebræa. I. *Super latus facierum eius*, ſive *ad latus faciei eius*, id eſt ab ea parte qua facies erant candelabri; ut lumen eiacularetur a facie candelabri in adverſam partem. II. *Super plagam faciei eius*. Notant, faciem candelabri proculdubio verſam fuiſſe verſus menſam panum propoſitionis; & propterea facere lumen ſuper plagam faciei candelabri eſſe illuminare directe diapharum verſus menſam propoſitionis: candelabrum enim erat ſic locatum ut omnes ſeptem lucernæ reſpicerent ex æquo menſam illam e regione ipſius. Unde colligunt, lucernas non fuiſſe in forma lampadis: nam lampas æque diffundit lumen circumquaque; hæ autem lucernæ in certam partem fundebant lumen: videntur igitur fuiſſe roſtratæ, ut roſtrum dirigerent verſus menſam, quam candelabrum reſpiciebat. III. *Super*, *ad tranſitum*, *in oppoſitum*, *ex adverſo*, *e regione*, *faciei eius*. IV. *Trans*, *ultra*, *contra*, *faciem ſuam*. V. *Ad tranſitum faciei eius*, id eſt ultra citraque, ad lucem præbendum ab omni parte eius.

V. 38. ET UBI QUAE EMUNCTA SUNT EXTINGUANTUR. מחתות *machtot* exponunt *capſulas*, *receptacula*, *acerras*, *thuribula*, in quibus prunæ recipiuntur, ut ſuper illa foveantur, & in eis ſuffitus fiat: *thymiateria* verterunt LXX. Noſter cap. XXVII. 3. *receptacula ignium* dixit: alii *trullas*: quidam Hebræorum aiunt eſſe *inſtrumenta inſtar parvi cochlearis*, *quo excipiebant cineres*, & *ſordes ellychniorum tota nocte in lucernis collectas*, cum mane *rurſus aptarent eas*. Non recte alii *forcipes*.

V. 39. TALENTUM. De pondere, & valore talenti innumeri perſcripſerunt, & recentiſſime Ioſephus Scaliger, & VVillebrordus Snellius. Notæ noſtræ non patiuntur longiorem de his diſquiſitionem. In ſumma, quidam aiunt æſtimationem candelabri, & omnium vaſorum eius, fuiſſe Hiſpanicorum ſcutorum aureorum duodecim millium; quod non adeo magnum vide-

Digitized by Google

detur: alii viginti quatuor millium aureorum; quod munificentius eſt, & maieſtati divinæ congruentius. Vide infra cap. XXXVIII. verſ. 25.

MENOCHII.

Verſ. 2. PRIMITIAS. Hanc munerum oblationem *Primitias* appellat, vel quia hæc fuit prima communis Hebræorum oblatio, quæ acta eſt pro fabrica tabernaculi; vel quia prima, & præſtantiſſima ſibi volebat offerri. QUI OFFERET ULTRONEUS. Hebr. *Quem ſpontaneum, & liberalem fecerit cor ſuum.*

V. 4. HYACINTHUM, lanam hyacinthini, hoc eſt cærulei, ſeu violacei coloris. PURPURAM, lanam purpureo, hoc eſt rubro colore infectam. COCCUMQUE BIS TINCTUM, lanam bis tinctam, & rubricatam. Coccus Græca vox granum ſignificat, at præcipue illud in quo vermiculus latet cuius ſanguine lanæ inficiuntur, quæ ab hac tinctura *Coccus* dicuntur. Dicitur autem bis tinctus coccus, quia ſolebat lana, ut magis juberet, bis imbui; ſcilicet primo cum tantum eſſet lana, ſecundo cum eſſet iam in fila deducta. BYSSUM eſt genus quoddam tenuiſſimi lini, & candidiſſimi. PILOS CAPRARUM, ad cilicinas telas contexendas, quibus arca tegenda erat.

V. 5. PELLES IANTHINAS, violacei coloris. LIGNA SETIM. *Setim* (inquit S. Hier. in cap. XLI. Iſaiæ) *eſt genus arboris naſcentis in eremo, ſpinæ albæ habens ſimilitudinem, ex qua omnia ligna arcæ, & tabernaculi facta ſunt inſtrumenta.* Hoc lignum eſt *imputribile*, ut vertunt LXX. & leviſſimum, omniaque ligna fortitudine, ſoliditate, nitore, & pulchritudine dicitur ſuperare.

V. 8. SANCTUARIUM, tabernaculum, in quo colar.

V. 9. QUOD OSTENDAM TIBI, cuius ideam in monte Sina tibi oſtendam.

Verſ. 10. LONGITUDO HABEBAT DUOS ET SEMIS CUBITOS. Sermo eſt de cubito vulgari, eius ea eſt longitudo, quæ a flexu brachii porrigitur uſque ad extremum digiti qui index dicitur; continetque 24. digitos, ſive duas ſpithamas: ſpithama autem eſt ſpatium quod diſtenta manu inter pollicem, & indicem interiacet, continetque 12. digitos tranſverſos.

V. 11. DEAURABIS, laminis aureis conteges. CORONAM AUREAM, limbum prominentem quadratum, nam etiam quadrata erat arca.

V. 12. QUATUOR CIRCULOS, ad quatuor angulos arcæ; quibus circulis inſerebantur vectes, ut arca geſtari poſſet a ſacerdotibus.

V. 16. TESTIFICATIONEM, tabulas legis: Lex enim ſæpe dicitur teſtimonium, aut teſtificatio, quia atteſtationem continet divinæ voluntatis, eaque Dominus teſtatum reliquit quid ab hominibus fieri velit. Porro in arca nihil aliud continebatur, ut docet expreſſe Scriptura III. Reg. VIII. 9. & II. Paral. V. 10. Urna cum manna, & virga Aaron non in arca erant, ſed tantum in tabernaculo aſſervabantur.

V. 17. PROPITIATORIUM. *Propitiatorium* erat arcæ operculum, ſive tabula tegens arcam, ut patet num. 20. unde paris erat cum arca longitudinis, & latitudinis; eratque non ex ligno ſetim, ſed ex auro tantum. Dictum eſt Propitiatorium, quaſi locus placationis, quod ibi quodammodo ſedens Deus, & arcam pro pedum ſcabello habens, populo propitiaretur. Non tamen putandum propitiatorium ſupra arcam elevatum: nam illi immediate adhæſiſſe tamquam illius operculum probabilius eſſe docent Cornelius & Bonfrerius ad hunc locum. Nec obſtat quod arca ſcabellum pedum, propitiatorium ſedes dicatur, quaſi hæc diſtare loco debeant: nam propitiatorium Cherubinos (de quibus ſtatim dicemus, includebat,' in quorum alis ſedebat Deus.

V. 18. DUO CHERUBIM, humana ſpecie, quaſi duo iuvenes alati, ut Angeli pingi ſolent. Et veriſimile eſt habuiſſe ſpeciem quatuor animalium, hominis nimirum, aquilæ, leonis, & vituli: partim alis, partim corpore ſuo totum propitiatorium tegebant. Alæ vero ita erant extenſæ, ut quaſi ſedem formarent. PRODUCTILES, non arte fuſoria factos, ſed ex auro ductili.

V. 21. PONES TESTIMONIUM, tabulas legis, ut dictum num. 16.

V. 23. MENSAM, in qua ponendi duodecim panes propoſitionis.

V. 24. LABIUM. Heb. *coronam*, limbum circumcirca.

V. 25. ET IPSI LABIO, id eſt in ipſo labio, ſuper ipſum labium. CORONAM INTERRASILEM. Opus interraſile illud eſt, in quo quædam plana ſunt, quædam exſculpta, civitatibus per artem inciſis. ALTERAM CORONAM: tertius hic limbus ſecundo impoſitus, ut ſecundus impoſitus erat primo, & imo; idque ad ornatum potius, quam ad neceſſitatem. AUREOLAM: non quaſi non eſſet ex puro auro, ſed quia parva erat, ideoque minus auri continebat, quam ceteræ.

V. 29. ACETABULA. Hebr. *ſcutellas*. LXX. τρυβλία, id eſt paropſides, patellas, vel catinos, ad excipiendam, & continendam ſimilam, quando illa offerri debebat, & ad excipienda ſacrificia ſartaginis, & clibani, de quibus Levit. II. PHIALAS, vaſa parva, & concava. LXX. vertunt θυίσκας, *mortaria*; quare etiam S. Hieron. ſæpe vocat mortariola. Parabantur hæ phialæ ad vinum, & alia libamina in ſacrificiis fundenda, ad idem parati erant & cyathi. THURIBULA. Tum ad aſſervandum thymiama quod adolendum erat, tum thus quod panibus propoſitionis erat imponendum, ut dicitur Levit. XXIV. 7.

V. 30. PANES PROPOSITIONIS. Heb. *panes facierum*, qui ſcilicet ante faciem Domini coram arca, & propitiatorio proponantur.

V. 31. CANDELABRUM DUCTILE: ex auro ſcilicet non fuſo, ſed malleo ducto, & efformato. HASTILE, ET CALAMOS. Haſtile medium erat, ex quo utrinque calami tres, ſive rami in altum aſſurgebant. SCYPHOS. Scyphos vocat partes candelabri prominentes inſtar nucum. SPHAERULAS, poma, globuli, vel ſphærulæ inſtar pomorum. LILIA in ſummitate calamorum, quibus liliis impoſitæ lucernæ.

V. 34. IN IPSO AUTEM CANDELABRO, in ipſo haſtili candelabri.

V. 37. EX ADVERSO, verſus menſam panum propoſitionis.

V. 38. UBI QUAE EMUNCTA SUNT EXTINGUANTUR, vaſa, quæ partem ellychnii quæ emuncta eſt, recipiant.

V. 39. HABEBIT TALENTUM AURI. Talentum Hebræum continens tria millia ſiclorum, duodecim aureorum millia appendebat, ex Cornelio hic.

TIRINI.

Verſ. 4. PER HYACINTHUM, ET PURPURAM, COCCUMQUE, intelligit fila ſeu lanea, ſeu linea, coloris hyacinthini ſeu ianthini, purpurei & coccinei. Porro hyacinthinus color idem eſt qui violaceus, vel cæruleus & cæleſtis, cuiuſmodi colorem tam flos, quam gemma hyacinthus refert: quem *amethyſtinum* Plinius *a* vocat, & dicit confici ex purpura & buccino commixtis. *Purpura* ſuccus ſeu ſanguis eſt oſtrei, vel conchæ, quæ purpura, alias pelagia vocatur. Buccinum quoque alterius conchæ, etiam buccinum dictæ, ſuccus eſt, ſed duplo pretioſior & carior purpura, quo regiæ veſtes tingi ſolebant. *Coccus* granum eſt fruticis cuiuſdam, ilici breviori non abſimilis, in Armenia, Aſia, Luſitania ſat frequentis. Et quia ſpecies una huius cocci, ſeu grani eſt, maxime in Aſia, ut inquit Plinius *b*, in quo, niſi mature fumo exſiccetur, innaſcitur vermiculus eiuſdem coloris, qui vino albo forti immerſus, ac poſtea areſactus, atque in pulverem redactus, etiam ipſe rubricat pannos: hinc pro coccineo colore ſæpe noſter Interpres reddit *vermiculum*: & Galli *vermeillon*: nos *ſcarlatium*, vel *crameſinum* vocamus. Sed huius cocci vix ullus hoc tempore uſus eſt, ex quo aliud grani genus e Braſilia, & aliis Indiarum locis, quod *cochenille* vocant, ad nos delatum eſt, omnium pene colorum tincturæ ſubſerviens. *Byſſus* eſt lini genus ſubtiliſſimum, & candidiſſimum, qualis eſt Cameracenſis vel Hollandica tela ſubtilior: & a ſerico diſtinguitur, quod iſtud ex vermibus colligatur; illa e terra proveniat. Ita Hebræi omnes; & cum his Oleaſter, Lyranus, Abulenſis, Carthuſianus in hunc Exodi locum; item P. Ferdinandus, Forſterus, Kirckerus *c* & alii. *Byſſus* vero hæc, uti & ſericum, & telæ bombycinæ relinquebantur ſubinde colori ſuo naturali, qui eſt candidus; aliquando tingebantur aliquo ex prædictis coloribus. Quin &, ut pulchrior, & ſplendidior eſſet color, bis eidem tincturæ immergebantur, & coccus cocco, & purpura

ra

ra purpuræ ſuperinducebatur: & hoc vocat hic Noſter *coccum bis tinctum*. Atque ex his iam dictis quatuor coloribus, quatuor elementa mundi repræſentantibus, omnes veſtes ſacerdotales, omniaque ornamenta tabernaculi concinnari iuſſa, ut maieſtas Dei creatoris omnium elementorum undique eluceret: monerenturque miniſtri tabernaculi continue pro toto mundo, quem repræſentabant, Deo ſupplicare. Ita S. Hieronymus *d*.

V. 16. Poneſque in arca teſtificationem, id eſt legem divinam tabulis lapideis inſcriptam: quæ quia Dei voluntatem populo teſtatam faciebat *e*, & fœdus quoque inter Deum & populum initum conteſtabatur *f*; nunc Teſtificatio, nunc Teſtimonium, nunc Fœdus appellari conſuevit. Et arca quæ legem incluſam aſſervabat, inde dicebatur arca teſtimonii, arca teſtamenti, arca fœderis, &c. unde & ſumma erat arcæ huius religio. Erat autem arca ciſtula quadrata ex lignis ſerim, locus eſt in eremo Sinai ſic dictus, unde & arbori huic inditum nomen *Setim*, quæ ſimilis eſt, teſte Hieronymo, ſpinæ albæ, redditque ligna duriſſima, leviſſima, pulcherrima, & *imputribilia*, quo modo & Septuaginta vertere ſolent. Hæc arcula lignea tegebatur ab intus & deforis laminis aureis. Longa erat duos cubitos & ſemis, alta & lata cubitum unum & ſemis. Per circuitum arcæ ſupra, id eſt in ſuperiori parte, erat corona aurea, ſeu limbus prominens: qui *corona* dicebatur, non quod rotundus eſſet (nam erat, ſicut & ipſa arca forma quadrangulari) ſed quod totam arcam cingeret & ambiret. Arcæ operculum, quod nullo ligno, ſed ſolido conſtabat auro, dicebatur *Propitiatorium*: quod Deus, cuius illud quaſi ſedes & erat thronus, cum inibi exoraretur, propitium ſe, & placatum exhiberet, reſpondendo Moyſi, vel ſacerdoti ſe conſulenti, unde & *Oraculum* hic vocatur. Utrimque ad arcæ latera Cherubim erant productiles, id eſt non ſolidi, aut arte fuſoria facti, ſed auro ductili, & malleorum ictibus extenſo, forma iuvenum ſpecioſiſſimorum quaternis alis; quarum binis corpora ſua tegebant, binis vero aliis, uti & brachiis, totiuſque corporis compoſitione, ſe Deo, quaſi regi ſuo in throno ſeſſitanti, humillimum obſequium exhibere ſimulabant. De quibus vide Villalpandum, Alcazar, & alios.

Allegorice, S. Gregorius & Iſidorus per arcam intelligunt Eccleſiam Chriſti, maxime triumphantem: S. Bernardus beatiſſimam Virginem Mariam: Rupertus & Beda humanam naturam Chriſti. Nam omnibus his omnia aptiſſime quadrant.

V. 30. Pones ſuper menſam panes propoſitionis, ſeu quos proponi iubeo in conſpectu meo ſemper, id eſt in conſpectu arcæ, ante Sanctum ſanctorum. Hinc Hebræi, & LXX. verterunt, *panes faciei*, ſeu ante faciem poſitos. Erant hi panes azymi numero duodecim, ex publico præberi, & ſabbatis ſemper renovari ſoliti: quibus duodecim Tribus publice ſignificabant ſe a Deo continuo ali, & gratitudinis ergo perpetuum quaſi ſacrificium illi offerre, & vicem referre. Nam & thus panibus iſtis imponebant, ut dicitur Levitic. xxiv. & ſolis ſacerdotibus in eſum cedere poterant; thuri vero imponendo ſerviebant thuribula, ſicut phialæ ſali, crateres & cyathi libaminibus, ſeu vino libando. Nam ſpeciem convivii præferebat hæc menſa.

Nota ex Levitic. xxiv. panes ſingulos fuiſſe duarum decimarum ephi, ſeu modii maioris, id eſt duorum gomor; ſeu quantum pro diurno victu duorum ſufficeret. Et hos panes coqui ſolitos forma planiore quam noſtrates, ut ſeni ſupra ſe invicem duobus ordinibus imponi poſſent menſæ bicubitali. E qua ne quid forſe e menſa in terram decideret, impediebat labium aureum, id eſt limbus aureus planus menſulam ex omni parte terminans: itemque alius limbus illi plano ſuperimpoſitus, & ad quatuor digitos ſurſum aſſurgens: qui, quia non planus undique, & æqualis erat, ſed hinc & inde cavitatibus artificio inciſis, & emblematis exornatus, vocatur hic *Corona interraſilis*. Et huic coronæ interraſili ac palmari ſuperinducta erat tertia corona aureola, id eſt limbus parvus ex auro circumcirca ductus, qui ſecundum illum limbum clauderet, & finiret: quem LXX. vocant *vertibilem undulam*, quod etiam hic limbus ſuperne eſſet undulis diſtinctus, & interciſus.

Allegorice deſignatur hic menſa Euchariſtica, ſecundum ſanctum Hieronymum *g*, Cyril-

ril-

rillum, Rupertum, Damaſcenum. Tropologice opera miſericordiæ. Ita Beda & alii.

V. 31. FACIES ET CANDELABRUM DUCTILE. Non fuit ergo *fuſile*, vel *conflatile*, ut ait Ioſephus *b*, ſed ex laminis aureis per malleorum ictus attenuatis confectum. Haſtile candelabri, tres utrimque habebat calamos, ſeu ramos, quorum ſinguli in ſummitate habebant lucernam: unde lucernæ erant ſeptem. Singuli rami ornati erant triplici ordine *ſcyphorum*, *ſphærularum*, & *liliorum*, viciſſim ſibi ſuccedentium, & coniunctorum: haſtile vero, ſeu ſtipes rectus quadruplici ſerie eorumdem ornabatur. Totum candelabrum uno conſtabat auri talento. Lucernæ illæ ſeptenæ ſimul omnes tota, & ſola nocte locum tabernaculi, & menſæ panum propoſitionis, quæ erat in Sancto, ante Sanctum ſanctorum, illuminabant. Mane quaternæ extinguebantur; ſed tres reliquæ manebant etiam per diem accenſæ, ut ex Ioſepho, & SS. Scripturis optime demonſtrat P. Bonfrerius cap. XXVII. Exod.

Myſtice candelabrum hoc ſeptifidum, imago erat cæleſtis ſphæræ ſeptiluſtris, ſive ſeptem planetarum: Tabernaculum typus mundi: Sanctum ſanctorum typus cæli empirei beatorum. Ita Philo.

Allegorice candelabrum eſt divina ſapientia, ac providentia, ut patet ex Zach. IV. verſ. 6. vel eſt Chriſtus, vel Eccleſia Chriſti, Apoc. I. verſ. ult. vel fides, & doctrina Eccleſiæ, cuius ſeptenæ lucernæ, id eſt Doctores, tota præſentis ſæculi nocte lucent coram Deo, & hominibus: ita S. Gregor. Beda, & Ribera. *i*

(*a*) Plin. Lib. IX. cap. XXXVI. XXXVIII. XL. XLI. & Lib. XXI. cap. VIII.
(*b*) Plin. Lib. XVI. cap. VIII. & Lib. XXIV. cap. IV. & Dioſcorides Lib. IV. cap. XLIII.
(*c*) Ferdin. in Theſauro divinæ Scripturæ §. Byſſus. Forſter. in Dictionario Hebræo. Kircker. in Concordantiis Latino-Græco-Hebraicis.
(*d*) Hier. ad Fabiolam.
(*e*) Ita Vatablus, Sa, Torniellus.
(*f*) Oleaſter, Caietanus, Toſtatus, Arias Montanus.
(*g*) Hier. in cap. I. Mal. Dam. IV. Fidei cap. XIV.
(*h*) Ioſeph. Lib. III. Antiq. cap. VII.
(*i*) Ribera Lib. II. de Temp. cap. XIII.

GORDONI.

Verſ. 2. PRIMITIAS. Per primitias hoc loco intellige oblationes ſpontaneas, ut ſequens etiam narratio declarat. Iubetur autem Moyſes accipere fila hyacinthina, & alia diverſorum colorum, ut iam ſubiicitur.

V. 5. IANTHINAS, violaceas. Septuaginta, *hyacinthinas*.

V. 7. ONYCHINOS. Hic lapis aliquibus eſt *onyx*, vel *ſardonyx*. Additæ ſunt gemmæ, ut inſra cap. XXVIII. verſ. 17. ubi etiam de ephod, & rationali.

V. 8. & 9. FACIENTQUE MIHI SANCTUARIUM, &c. Sanctuarium hoc, & tabernaculum ample deſcribunt Vilalpandus in deſcriptione templi, & Ribera Lib. V. de templo. In hac oblatione pro ſanctuario obſcuriora ſunt hæc quæ ſequuntur: *Hyacinthus* (lana eſt hyacinthini coloris, ſeu violacea) *& coccus bis tinctus*. Coccus eſt granum tinctorium, gignens intra ſe vermiculum rubei coloris, cuius ſanguine rubricantur lanæ. De hoc cocco, ſeu vermiculo, eſt illud Iſai. I. verſ. 18. *Si peccata veſtra fuerint rubra ſicut vermiculus*. Lana, ut magis juberet, ſolebat bis imbui ſanguine vermiculi, & ſic color reddebatur illuſtrior. Apud Septuaginta eſt διπλοῦν, *duplum*. Heb. שני, *ſecundus*, vel *ſecundo*, *& iterum*. Nam verbo iunctum adverbiaſcit, τὸ weni. *Byſſum*, hic Interpretes diſtinctam putant a goſſypio, & a byſſo Europea. Eſt optimum genus lini, ex quo fiebat etiam tela. *Pelles Ianthinæ* quid ſint, dubium ſatis eſt. Septuaginta habent *hyacinthinas*. Lignum *Setim* ex Hieronymo in cap. XLI. Iſa. genus arboris naſcentis in Arabia deſerta, ſimile albæ ſpinæ quoad folia, & colorem. Lignum eſt imputribile, alia nitore ſuperans.

Verſ. 10. ARCAM ... COMPINGITE. Deſcribitur arca, ארן *aron*, inſtar ciſtæ quadrangulæ, quæ ſuperne habebat propitiatorium, velut operculum, ſed ex auro. Ponebantur in ea tabulæ legis, quæ verſ. 16. vocantur *teſtificatio*. Cubitus hic continet pedem & ſemis.

V. 11. ET DEAURABIS. Merito: nihil enim apud Hebræos in maiori pretio fuit quam arca. Heb. ארן *aron*. Habe-

Digitized by Google

bebatur Dei ſcabellum inſidentis ſuper alis Cherubim, qui extendebant alas ſuas ſupra propitiatorium. Sed quænam hæc corona? Eſt prominens limbus, ambiens arcam in ſuperiore parte; atque ita non plane corona circularis, ſed quadrangularis.

V. 17. PROPITIATORIUM. Septuaginta *ἱλαστήριον*: Hebr. כפרת *capporeth*: ſignificat tum *operculum*, tum *propitiatorium*, ſive locum in quo Deus propitiabitur. Heb. radix כפר, eſt *operire*; immo & *operire iniquitatem*: utraque ſignificatio hic locum habet: ac proinde Septuaginta dant duas voces, *ἱλαστήριον ἐπίθεμα*. Aliquando Noſter *oraculum* vertit. Fuit ergo *Propitiatorium* lamina aurea, & ut plana ſuperficies, ut aliqui putant.

V. 18. DUOS QUOQUE CHERUBIM. Moſes ſpeciem horum non exprimit; habuiſſe tamen humanam formam, verius; ſeu facie hominem repræſentaſſe: quod ſatis hic docet editio Hebraica verſ. 20. *Et facies viri verſa ad fratrem ſuum*. Probabile etiam eſt habuiſſe aliam ſpeciem animalium. Sic Hieronymus Epiſt. XIII. ad Marcellam. Vide Ezech. cap. 1. verſ. 6. nam hi Cherubim Moſis, videntur typus & exemplar illorum apud Ezechielem. Hinc Apoſtolus reſpiciens ad illa animalia Ezechielis, vocat obumbrantia propitiatorium in neutro genere. Heb. IX. verſ. 5. *κατασκιάζοντα τὸ ἱλαστήριον*. Productile hic, eſt, non arte fuſoria, ſed ductile, & malleorum ictibus extenſum. Ceterum de nomine ipſo hoc habe. כרוב *kerub*, & כרובים *ke* & *rab*, *quaſi multum*, ſcilicet a multitudine gloriæ quæ eſt in Angelis, quos referebant hæ ſtatuæ. Alii aliter. Denique in hoc verſ. nomine oraculi intellige propitiatorium.

Verſ. 22. LOQUAR AD TE SUPRA PROPITIATORIUM. Formabatur enim, ut apparet, vox ſenſibilis, e loco inter duos Cherubim, qui ſtabant ad extremitates propitiatorii.

V. 25. & 26. ET IPSI LABIO. Corona interraſilis eſt menſæ limbus, eam ambiens, ſed aſſurgens palmo uno, & habens cavitates arte inciſas, velut emblemata aliqua. Ita verſ. 25. ubi additur altera corona addita illi limbo palmari ſuperne, & aurea.

V. 27. SUBTER CORONAM. Deſignantur hic poſiti circuli, ſeu annuli vectium ſub corona, ſeu limbo. Vide II. Paralipom. V. verſ. 9.

V. 29. PARABIS ET ACETABULA, &c. Acetabula hic ſunt ſcutellæ. Septuaginta *τρυβλία*, *paropſides*, ad excipiendam ſimilam, quando offertur. Sed in quem uſum hæc omnia? Sane hæc quæ in menſa fuerant, ſuos habent uſus: nam acetabula, ſeu catini, & diſci erant non ſolum ad ornatum menſæ, ſed etiam ut ponerentur in illis panes propoſitionis. Phialæ vero, & thuribula, thus, & ſal recipiebant. Denique crateres, & cyathi, erant uſui ad libandum vinum.

V. 30. PANES PROPOSITIONIS: panes propitiationis, qui ponebantur ante conſpectum Dei. להמי פנים *lehme panim*, *panes facierum*. Septuaginta *ἄρτους ἐνωπίους*, *ante faciem Dei*.

V. 33. TRES SCYPHI ſunt candelabri partes prominentes, inſtar nucum, ſeu amygdalorum; præter ſex calamos, ſeu ramos, qui ſimul cum haſtili in altum aſſurgebant.

V. 39. OMNE PONDUS. Talentum hoc Hebraicum eſt, & vocari ſolet ככר *chiccar*. Hebraicum, inquam, iuxta pondus Sanctuarii, ad valorem trium millium ſiclorum. Quid ſit ſiclus, ſupra dixi.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 4. PURPURAM, lanam rubeo colore tinctam. COCCUMQUE BIS TINCTUM, lanam bis tinctam, & rubricantem: ſed de hoc, verſ. 8. & 9.

V. 12. His quatuor circulis inſerebantur vectes ad geſtandam arcam.

V. 16. Teſtificatio, ſunt tabulæ legis.

V. 23. Menſa eſt in, qua ponendi ſunt duodecim panes.

CA-

C A P U T XXVI.

Forma ac conſtructio tabernaculi Moyſaici, veli, arcæ, propitiatorii, menſæ, candelabri, & tentorii, iuxta ſuas quæque menſuras.

1 TAbernaculum vero ita facies: Decem cortinas de byſſo retor-
ta, & hyacintho, ac purpura, coccoque bis tincto, variatas
opere plumario facies. 2. Longitudo cortinæ unius habebit vi-
gintiocto cubitos: latitudo, quatuor cubitorum erit. Unius
menſuræ fient univerſa tentoria. 3. Quinque cortinæ ſibi iun-
gentur mutuo, & aliæ quinque nexu ſimili cohærebunt. 4.
Anſulas hyacinthinas in lateribus ac ſummitatibus facies corti-
narum, ut poſſint invicem copulari. 5. Quinquagenas anſulas cortina habebit in
utraque parte, ita inſertas, ut anſa contra anſam veniat, & altera alteri poſſit
aptari. 6. Facies & quinquaginta circulos aureos quibus cortinarum vela iungen-
da ſunt, ut unum tabernaculum fiat. 7. Facies & ſaga cilicina undecim, ad o-
periendum tectum tabernaculi. 8. Longitudo ſagi unius habebit triginta cubitos:
& latitudo, quatuor: æqua erit menſura ſagorum omnium. 9. E quibus quin-
que iunges ſeorſum, & ſex ſibi mutuo copulabis, ita ut ſextum ſagum in fron-
te tecti duplices. 10. Facies & quinquaginta anſas in ora ſagi unius, ut coniun-
gi cum altero queat: & quinquaginta anſas in ora ſagi alterius, ut cum altero
copuletur. 11. Facies & quinquaginta fibulas æneas, quibus iungantur anſæ, ut
unum ex omnibus operimentum fiat. 12. Quod autem ſuperfuerit in ſagis quæ pa-
rantur tecto, id eſt unum ſagum quod amplius eſt, ex medietate eius operies
poſteriora tabernaculi. 13. Et cubitus ex una parte pendebit, & alter ex altera,
qui plus eſt in ſagorum longitudine, utrumque latus tabernaculi protegens. 14.
Facies & operimentum aliud tecto de pellibus arietum rubricatis: & ſuper hoc
rurſum aliud operimentum de ianthinis pellibus. 15. Facies & tabulas ſtantes ta-
bernaculi de lignis ſetim, 16. quæ ſingulæ denos cubitos in longitudine habeant,
& in latitudine ſingulos ac ſemiſſem. 17. In lateribus tabulæ, duæ incaſtratu-
ræ fient, quibus tabula alteri tabulæ connectatur: atque in hunc modum
cunctæ tabulæ parabuntur. 18. Quarum viginti erunt in latere meridiano
quod vergit ad Auſtrum. 19. Quibus quadraginta baſes argenteas fundes,
ut binæ baſes ſingulis tabulis per duos angulos ſubiiciantur. 20. In latere
quoque ſecundo tabernaculi quod vergit ad Aquilonem, viginti tabulæ e-
runt, 21. quadraginta habentes baſes argenteas, binæ baſes ſingulis tabu-
lis ſupponentur. 22. Ad occidentalem vero plagam tabernaculi facies ſex ta-
bulas, 23. & rurſum alias duas quæ in angulis erigantur poſt tergum tabernacu-
li. 24. Eruntque coniunctæ a deorſum uſque ſurſum, & una omnes compago
retinebit. Duabus quoque tabulis quæ in angulis ponendæ ſunt, ſimilis iunctura
ſervabitur. 25. Et erunt ſimul tabulæ octo, baſes earum argenteæ ſedecim, dua-
bus baſibus per unam tabulam ſupputatis. 26. Facies & vectes de lignis ſetim
quinque ad continendas tabulas in uno latere tabernaculi, 27. & quinque alios
in

Digitized by Google

in altero, & eiuſdem numeri ad occidentalem plagam: 28. qui mittentur per medias tabulas a ſummo uſque ad ſummum. 29. Ipſas quoque tabulas deaurabis, & fundes in eis annulos aureos, per quos vectes tabulata contineant: quos operies laminis aureis. 30. Et eriges tabernaculum iuxta exemplar quod tibi in (*a*) Monte monſtratum eſt. 31. Facies & velum de hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto, & byſſo retorta, opere plumario & pulchra varietate contextum: 32. quod appendes ante quatuor columnas de lignis ſetim, quæ ipſæ quidem deauratæ erunt, & habebunt capita aurea, ſed baſes argenteas. 33. Inſeretur autem velum per circulos, intra quod pones arcam teſtimonii, quo & Sanctuarium, & Sanctuarii ſanctuaria dividentur. 34. Pones & propitiatorium ſuper arcam teſtimonii * in Sancto ſanctorum: 35. menſamque extra velum: & contra menſam candelabrum in latere tabernaculi meridiano: menſa enim ſtabit in parte aquilonis. 36. Facies & tentorium in introitu tabernaculi de hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto, & byſſo retorta, opere plumarii. 37. Et quinque columnas deaurabis lignorum ſetim, ante quas ducetur tentorium: quarum erunt capita aurea & baſes æneæ.

(*a*) Sup. xxiv. 10.

BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO.
V. 34. *In Sancto ſanctorum*. Non mutes ſingulare *Sancto* in plurale *ſancta*.

COMMENTARIA

S A.

Vide Cap. XXXVI. *& ſeq.*

Verſ. 1. RETORTA, ſcilicet filis fuſo retortis, ut fit: quidam tamen filum duplicatum intelligunt. VARIATAS. Hebr. *Cherubim*; quaſi dicat, ſparſas imaginibus alatis. Chald. *figuras Cherubim*. PLUMARIO; id eſt, ut ſolent quæ fiunt ex variis plumis. *Phrygionicum* quidam vocant: vulgo *ricamatura*: ſcilicet erant ſparſæ alatis Cherubinis.

V. 4. SUMMITATIBUS, id eſt extremitatibus. Nota, quod cortinæ quinque conſutæ, cum aliis quinque itidem conſutis, per anſulas ſeu laqueolos centum ad 50. aureos circulos coniungebantur.

V. 6. CIRCULOS, ſcilicet alligandos utrimque anſulis ſeu laqueolis cortinarum.

V. 7. SAGA, ſcilicet cortinas. CILICINA, ſcilicet de pilis caprarum; vulgo *Ciambellotto*. OPERIENDUM, ſcilicet ſuper cortinas primas: omnes enim cortinæ tecti vice operiebant, & etiam latera tegebant tabernaculi fere uſque ad terram. Ligabantur autem inter ſe ſecundum latitudinem; erat vero ſpatium longitudinis tabernaculi cubiti 30. altitudinis 10. itemque latitudinis. Itaque quod ſupererat cortinarum, pendebat. Tegebant autem longitudinem tabernaculi ſecundum latitudinem ſuam, latitudinem vero ſecundum longitudinem.

V. 9. FRONTE, ſcilicet ad interiorem partem tabernaculi. DUPLICES; id eſt, extremitatem pendentem reducas in tectum, vertendo, ut ſolent quæ duplicantur. Vide infra.

V. 12. UNUM SAGUM, ſcilicet undecimum. EX MEDIETATE. Nota ad huius loci totius intelligentiam, quod cum ſaga hæc undecim eſſent, excedebant cortinas, de quibus ſupra, latitudine, itemque longitudine, quia 30. cubitorum: ex quatuor ergo cubitis latitudinis quibus excedebat, duo duplicati tegebant pendentes anteriorem partem tabernaculi, & duo po-

ſte-

ſteriorem. Item duorum cubitorum quibus longitudo excedebat, alter pendebat ex uno latere tabernaculi, alter ex altero.

V. 26. Quinque, ſcilicet quinque ordines vectium a ſummo ad imum.

V. 28. A summo ad summum, id eſt ab una extremitate ad alteram.

V. 31. Pulchra varietate. Hebr. *Cherubim*, ſcilicet figuris alatis quæ puerulos referrent.

V. 33. Sanctuarium, &c. Hebr. *Sanctitas, & Sanctitas ſanctitatum*; quaſi dicat, Sanctum, & Sanctum ſanctorum.

E S T I I.

Verſ. 14. ET super hoc rursum aliud operimentum de ianthinis pellibus. Hebraice ſic, *Et operimentum pellium taxorum deſuper*. Gloſſa Bedæ interpretatur *hyacinthinas pelles*. Sic & Rabanus legit. Græca etiam habent δέρμαξα ὑ ακίνθινα, ſi mendum non eſt. At Plinius Lib. XXI. cap. VI. nat. hiſt. meminit ianthinæ veſtis, ſic dictæ ab ἴα, quod Græcis violam ſignificat. Nec a viola multum colore quoque diſtat hyacinthus, ita ut parum referat ſive ianthinas pelles legas, ſive hyacinthinas. Arbitror tamen Hieronymum vertiſſe *ianthinas*; & ſcribas imperitos mutaſſe in *hyacinthinas*.

Sed quid ſibi vult quod eſt in Hebræo *pelles taxorum*? An etiam coloris certum genus ſignificet proveniens ex tinctura taxi? Videtur certe ex antegreſſa ſententia repetendum, *arietum*: ut videlicet tam iſtæ ianthinæ, quam illæ rubricatæ pelles, ſint arietinæ.

V. 15. Facies et tabulas stantes de lignis setim. Frequens hoc capite & alibi fit mentio lignorum ſetim. Septuaginta verterunt, *ligna imputribilia*. Hebræorum alii *pinum*, alii præſtantiſſimum cedri genus interpretantur. Beda dicit eſſe ligni genus leve, & imputribile, quod a qualitate albæ ſpinæ parum differat. Quæritur unde hoc lignum Iſraelitis in deſerto. Tradunt Hebræi, Patriarcham Iacob attuliſſe in AEgyptum ſemina eius arboris, eamque ibi plantaſſe; atque inſuper, quod in ſpiritu de tabernaculo fabricando didiciſſet, monuiſſe ſuos, ut exeuntes AEgypto, ſecum huiuſmodi ligna deferrent, reliqua pretioſa ad fabricationem tabernaculi ex ſpoliis AEgyptiis ſumpturos. Sed, ſepoſita hac narratione quæ fabulam redolet, ſentit Arias Montanus in Lib. de Fabricis ſacris, etiamſi in illo deſerto non ſuppeterent quæ ad victum erant neceſſaria, tamen ligna huiuſmodi fuiſſe inventa, atque adeo adhuc hodie eiuſmodi lignorum copiam in illo deſerto Arabico haberi, & locum quemdam ab huiuſmodi arbore quoque vocare Sethim.

V. 30. Iuxta exemplar quod tibi in monte monstratum est. De eo diximus capite præcedenti verſ. 9. Et præter Stephanum Actorum VII. meminit etiam Apoſtolus ad Hebr. VIII. Ad quem locum Apoſtoli docent Commentatores, Dominum Moyſi in monte oſtendiſſe ſive externo aſpectu, ſive (quod veriſimilius eſt) interna tantum, & imaginaria viſione, non modo formam tabernaculi materialis, & partium eius, ſed etiam tabernaculi ſpiritualis, ac cæleſtis. Nam Apoſtolus ex hoc exemplari Moyſi oſtenſo probat, tabernaculum illud vetus fuiſſe umbram rerum cæleſtium: quod intelligunt tabernaculum ſpirituale, hoc eſt Eccleſiam, partim militantem, partim triumphantem.

V. 33. Inseretur autem velum per circulos, intra quod pones arcam testimonii, &c. Eſt hoc ſecundum velum, cuius meminit Apoſtolus Hebr. IX. Erant enim duo vela: unum, quod divideret Sanctum a Sancto ſanctorum in quo erat arca, & de illo hic agitur; alterum exterius, quod Sanctum ſepararet ab atrio foris poſito; quod proinde ingredientibus erat primum. An autem præter hæc duo, fuerint adhuc alia tabernaculi vela, quemadmodum ex Levitici aliquot locis inter ſe collatis probari poſſe putat Galenus; ſtudioſis inveſtigandum relinquo. Certe in templo Salomonis plura duobus fuiſſe, variis uſibus aptata, ſatis credibile eſt. Cave tamen velis annumeres decem cortinas, & undecim ſaga cilicina, quibus operiebatur tabernaculum: nam operimenta proprie non dicuntur vela. Vide Commentarium noſtrum ad Hebr. IX.

M A-

MARIANAE.

Verſ. I. **C**ORTINAS DE BYSSO RETORTA; hoc eſt, fila ſint duplicata, & inter ſe torta. VARIATAS, ſcilicet imaginibus Cherubim. Hebraice, *Et facies Cherubim*: ſicque ponunt Septuag. & ceteri Interpretes, hac ſententia: Facies cortinas de byſſo retorta cum Cherubinis, nimirum in illis expreſſis. OPERE PLUMARIO. *Pluma*, *acum* ſignificat; ſic *opus plumarium*, *opus acu pictum*, ſive *phrygionis*. Hebraice, *opus cogitantis*, hoc eſt artificis eximii, quales plumarii ſunt.

V. 2. UNIVERSA TENTORIA; id eſt cortinæ. Eadem vox Hebraica eſt, quam paulo ante & paulo poſt *cortinas* vertit Hieronymus.

V. 6. FACIES ET QUINQUAGINTA CIRCULOS. קרסי *karſe*, *uncinos*, ſeu *fibulas* ſignificat, a curvando; unde & vox *corchete* Hiſpanis: idque Hieron. per *circulos* intellexit.

V. 12. QUOD AUTEM SUPERFUERIT IN SAGIS QUAE PARANTUR TECTO. *Tecto*, pro *tabernaculo*, ut ponunt alii. Quod autem ſequitu. ID EST UNUM SAGUM QUOD AMPLIUS EST, additum eſt ad maiorem explicationem: hic enim agit de undecima cortina, ut medium eius poſt tentorium pendeat quaſi lecti ſubgrundia. Medietas altera, de qua nihil dicit, aut pendebat etiam in fronte tabernaculi, aut reducta interius erat, quod verſ. 9. dici videtur illis verbis, *Ut ſextum ſagum in fronte tecti duplices*.

V. 13. ET CUBITUS EX UNA PARTE. Memento, cortinas e pilis caprarum eſſe cubitorum triginta, cum aliæ ſericæ eſſent vigintiocto. Ergo de illis duobus cubitis ſuperantibus hic agit.

V. 24. ERUNTQUE CONIUNCTAE. Locus difficilis. Agit tantum de duabus tabulis quæ in angulis erigebantur a tergo tabernaculi, de quibus ſuperiori verſu egerat: quas vult geminas eſſe, infernæ, & ſupernæ, ut complectantur utrumque latus; atque ita ut unus annulus poſitus in angulo utriuſque lateris vectibus ſerviat. Memento ſex aſſeres tergo deſignatas continere cubitos novem, & decimum cubitum ſupereſſe, qui tegeretur duabus illis tabulis angularibus, & ſemicubitalibus. Nunc Hebraica ſic habent: *Et erunt geminæ inferius, & ſimul erunt geminæ ad caput* (id eſt ſuperius) *ad annulum unum*: *ſic erit duabus illis* (ſupple quæ) *ad duos angulos, ſeu extremitates erunt*.

V. 25. ET ERUNT SIMUL TABULAE OCTO, certe quæ a tergo erunt.

V. 28. QUI MITTENTUR PER MEDIAS TABULAS A SUMMO USQUE AD SUMMUM. Hebr. *Et vectis medius in medio tabularum pertranſiens a fine ad finem*. Itaque non agit de vectibus omnibus, ſed de medio ex quinque, quem vult ita longum, ut totum latus complectatur.

V. 29. OPERIES LAMINIS AUREIS: *auro*, Hebr. *Vectes quoque operies auro*. Chald.

V. 32. HABEBUNT CAPITA AUREA. וויהם *vavehem*, Septuag. & Chald. *capita* vertunt: alii *uncini earum*, nempe unde cortina pendebat, quos aureos eſſe mandat. Eos uncinos Hieron. vocavit *capita*, quia ſequitur: ET BASES ARGENTEAS. Ac credam, ea voce proprie *capita* ſignificari.

V. 34. IN SANCTO SANCTORUM. Locus eximiæ ſanctitatis. Et ſic vocantur *adyta*. Ibi propitiatorium poni mandat.

V. 36. OPERE PLUMARII, phrygionis opere, רוקם *rokem*; inde *recamador* Hiſp.

V. 37. ANTE QUAS DUCETUR TENTORIUM: hoc non eſt in Hebræo, & quod addit CAPITA AUREA. Sic Sept. & Chald. alii *uncini earum*, ut verſ. 32.

MALVENDAE.

Verſ. I. **D**E BYSSO RETORTA. משזר *maſchezar* aiunt ſignificare *complicatum*, *perplexum*, *contortum*, *retortum*, *conduplicatum*, &, ut Plautus loquitur, *contorduplicatum*, id eſt duobus aut pluribus filis in modum cordæ contortis. Quidam *internexum* reddunt. Et quia Hebreis שש *ſcheſch*, & *byſſum*, & *ſex* ſignificat, exponunt nonnulli, *De byſſo ſexies retorta*, id eſt in ſex fila contorta, vel *de byſſo ſextuplicata*. OPERE PLUMARIO. חושב *choſcheb* participium, vel nomen participiale; redduntque, *Opere excogitantis*, *cogitabundi artificis*, *ingenioſi*, *induſtrii*: alii abſtracte, *Opere artificii*, *ingenii*, *induſtriæ*,

 id

Digitized by Google

id eſt artificioſiſſimo. Hiſpanice, *Hecho por el penſamiento*; quaſi dicat, quod vix cogitatio capere poſſit, nedum manus efficere. Hebræi diſtinguunt, ut רוקם *rokem* ſit *opus acus*, hoc eſt acupictoris, quod Hiſpanice dicimus *recamar*, ideoque habet tantum unam faciem; at מעשה חשב *maghaſchab choſcheb* eſt opus textoris, ſive textile, ideoque habet duas facies, utrimque ſcilicet eamdem faciem referens. Quidam vertunt, *Opere barbaricario*, ut illud appellant Imperatoriæ leges, ſive, ut priſci Latini loquebantur, *opere biſace*, id eſt διπρόσωπῳ, & utrimque eamdem faciem, ſeu ſpeciem referente: quod colligunt ex mediano velo ſeparante ſanctum a ſancto ſanctorum, de quo verſ. 31. quod biſax erat, & utrimque unam & eamdem faciem habebat. Gloſſæ veteres: *Biſax*, δίχρωμος, διπρόσωπος, δίπτυχος: a bina facie dictum. Alii hic convertunt, *Opere plumarii*, vel *phrygionis*, vel *polymitarii*. Quid inter hæc tria nomina, ſeu artificia interſit, docebit te Claudius Salmaſius in Notis ad Carinum Flavii Vopiſci, pagina 511. Quidam hic exponunt: Replebis cortinas, ſeu aulæa figuris illis alatis Cherubinorum, opere elegantiſſimo, & artificioſiſſimo factis.

V. 4. Ansulas. ללאות *lulaoth* exponunt *feneſtellas*, *portulas*, *ocellos*, Hiſpanice *oiales*, *annulos*: alii *vincula*, *loramenta*, *laqueolos*, *anſulas*, Hiſpanice *lazos*: quidam *funiculos*, ſeu *laqueolos retortos in modum cochleæ*: forte quos vulgo dicimus *mamares*. Nonnulli putant fuiſſe *laqueolos feminas*, quibus קרסים *keraſim*, *uncini* mares immitterentur, e verſ. 6. quod & genus nominis indicat.

V. 5. Ut ansa contra ansam veniat. Hebr. *Suſcipientes laqueoli, mulier ad ſororem ſuam*, id eſt alter ad alterum. Quidam: *Excipientibus ſe mutuo anſulis*. Aliqui verſionem iſtam carpunt, potiuſque reddendum volunt: *Oppoſiti erunt laqueoli alter alteri*. Sed ea eſt propria verbi notio. Et ſunt qui exponant: *Accipientia, continentia, hæc loramenta unum* aulæum *cum alio*. Ego potius explanaverim: *Accipientes laqueoli alter ad alterum*, nimirum quod laqueoli primæ cortinarum commiſſuræ recto ordine correſponderent laqueolis ſecundæ commiſſuræ, quaſi eos ſuſcipientes & reſpicientes; ut fieri videmus in cortinis lectorum apud nos.

V. 6. Circulos aureos. קרסים *keraſim*, Noſter nunc *circulos*, alibi *annulos*, interdum *fibulas* reddidit. Quidam *anſulas*, male: plerique *uncinos recurvos*, ac *repandos*, proprie *hamos*. Forſan Hiſpanici *corchetes*, aut *botones*. Facile crediderim, *keraſim* fuiſſe mares, qui *lulaoth* feminis inſerebantur ad committendas, & coniungendas cortinas, ut Hiſpanice *oiales y botones*, vel *alamares machos y hembras*: id quod etiam genera ipſa nominum demonſtrant.

V. 17. In lateribus tabulae, duae incastraturae fient, &c. Prior huius verſus pars haud levem difficultatem continet in Hebræo, quam varie reddunt, & elucidant. I. *Duæ manus tabulæ uni, tranſmiſſæ, plexæ, iunctæ, commiſſæ, connexæ, una ad alteram*. *Manus* hic *anſulas* exponunt: *Duæ anſulæ*, &c. II. *Duo cardines unicuique tabulæ graduati*, ſive *inſtar graduum ſcalæ*, vel *ſcalari forma diſpoſiti*, aut *ſcalares*, ſeu *ſcalati*, *alter ad alterum*; id eſt, unaquæque tabula duos cardines habebit in inferiore ſua extremitate, qui erunt veluti duo parvi vectes, qui præſeferent figuram graduum ſcalarum. III. *Duo clavi*, ſeu *denticuli* erunt *unicuique aſſeri inciſi*, *infixi*, *inſculpti*, *alter e regione alterius*. Aiunt verbum שלב *ſchilleb* proprie eſſe *infigere paxillam per tranſmiſſuram*, *ſeu commiſſuram*; quemadmodum ſcalis inſculpuntur ligna tranſverſim inducta; per quæ ſcanditur inſtar graduum: vel cum duæ tabulæ, ſeu aſſeres coniunguntur per immiſſum paxillum intermedium. IV. *Duo cardines* ſunto *aſſeri unicuique ſcalari forma compoſiti*, *unus cum altero*, id eſt æqualiter diſtantes, ut ſcalarum gradus æqualibus ſpatiis inter ſe diſtant. V. Quidam notant verbum *ſchilleb* eſſe aliquid *per gradus diſponere*; quaſi dicat, ſcalam facere; redduntque: *Duæ manus erunt tabulæ uni per gradus diſpoſitæ*, *altera contra alteram*. Quod opus ita deſcribunt. Tabula una incidebatur aliquantulum in latitudine uſque ad medium craſſitudinis ex uno latere, ſecundum totam longitudinem tabulæ, & altera tabula ſimili modo incidebatur ex altero latere; & utrimque tamquam duæ manus ſeu gradus duæ illæ inciſuræ oppoſitæ remanebant; quæ deinde invicem incaſtrabantur; quemadmodum hodie fit a fabris lignariis, ta-

bulas

Digitized by Google

bulas inter ſe committentibus & coniungentibus. Hunc ſenſum expreſſit Noſter, & eſt aliis præferendus. Vide infra cap. XXXVI. 22.

V. 24. ERUNTQUE CONIUNCTAE. תואמם *toammim*, *gemini*, *gemelli*, *geminati*, *duplices*. Quidam exponunt: Tam apte coniungentur inter ſe aſſeres parte una, ut videantur gemelli. USQUE SURSUM. Hebr. *Super caput eius*, vel *uſque ad verticem*, aut *in ſummitate eius*. Illud *eius* intelligunt angulum, *eius anguli*, e verſ. 23. ſed *eius* eſt maſculeum, & angulus hic femineum. Melius *eius*, nimirum ſcenæ, ſeu tabernaculi. ET UNA OMNES COMPAGO RETINEBIT. Hebr. *Simul & pariter una erunt gemelli ſuper caput eius ad angulum unum*. Nonnulli intelligunt, tam bene compacti erunt aſſeres, ut gemelli, & ex duobus aſſeribus unus eſſe videatur qui in ſummitate iungetur circulo uno. Forſan intelligit, quod ſuperne, & inferne in fornicem deſinerent. Quidam totum hunc verſum ſic ex fonte convertunt: *Qui ſint gemelliparæ inferne, pariterque ſint gemelliparæ ad verticem illius, inditi annulo uno: ſic eſto duobus illis, qui pro duabus antis angularibus futuri ſunt*: explicantque: *Gemelliparæ*, id eſt quaſi matres tabulæ, geminos ex ſe tabulatorum ordines conſociantes, nempe in longitudinem latitudinemque tabernaculi; continebant enim aſſeres arrectarios tabernaculi utrimque ſummitate vectium ſeu tranſtillorum in annulos ſuos tranſmiſſa totumque aulæorum pondus ſuſtinebant. *Pariterque ſint gemelliparæ*, id eſt æqua & continenti forma, inditi annulo uno, uno inferne, & uno ſuperne, in quem inſertis ſuis denticulis tabulæ antariæ conſtringebantur.

V. 26. VECTES. בריחים *berichim* reddunt *vectes*, *repagula*, *tranſtilla*: proprie *tranſcurſoria*, *transfugitoria*, quod motu transfugiant, & tranſcurrant ab una extremitate in aliam.

V. 28. QUI MITTENTUR PER MEDIAS TABULAS. Hebr. *Et vectis medius in medio aſſerum tranſcurrens*, nempe vectis medianus, *de extremo ad extremum*. Hebræi conſtanter intelligunt, hunc vectem, ſeu tranſtillum medianum, per mediam aſſerum denſitatem & craſſitiem interne tranſmiſſum, quaſi ipſam tabularum ſpiſſitudinem in latitudinem perterebrantem. At alii ex ipſo textu colligunt, medium aſſerum hic non ratione denſitatis, ſed longitudinis eorum dici; ut ſit ſenſus, medianum tranſtillum, ſeu vectem annulis immittendum eſſe, qui præciſe in media longitudine aſſerum ſint collocati: alioqui aut nimium ſpiſſos aſſeres fuiſſe oportet (quod minime credibile eſt, cum geſtatorium, & ambulatorium hoc tabernaculum fuerit cuius tota compages ab octo bobus, quatuor plauſtris vehebatur, Numer. III. verſ. 36. & cap. VII. 8.) aut mirum in modum debilitatos, ac plane tanto oneri ferendo impares, ut plane fatiſcerent pondere vectis mediani. His adde, quod neque opus fuiſſet iſtud tranſtillum inaurari, ut verſ. 29. præcipitur, cum intus in denſitate aſſerum occultaretur.

V. 31. VELUM. פרוכת *parochetb* a כפר *caphar* litteris transpoſitis derivant, ſic nimirum dictum a *tegendo*, & *operiendo*, id eſt *aulæum*, ſeu *velum*, quod ut hic dicitur contextum erat de hyacintho, purpura, coccino, & byſſo retorta, & obtentum fuit inter ſanctum & ſanctum ſanctorum. Hinc haud dubie a *caphar* putant *ſiparium* eſſe mutuatum, quo veteres comici vocarunt aulæum, ſeu velum ſcenicum. Vide cap. XXV. 17. Interpres Matthæi XXVII. 51. & Pauli Hebræor. IX. 3. Græce dixerunt *καταπέτασμα*, nempe aliquid obductum, quod arceat conſpectum. Addunt, vetuſtiſſimos Hebræorum magiſtros tradere, denſitatem & ſpiſſitudinem eius veli fuiſſe quatuor digitorum, tantæ videlicet denſitatis ut nemini potuerit eſſe perſpicuum: unde non ſine magno miraculo in Chriſti paſſione ſciſſum fuiſſe, quo ſignificaretur Chriſtum morte ſua patefeciſſe omnibus iuſtis aditum ad ſancta ſanctorum, ut Paulus docet Romanorum v. 2. Hebræor. IV. 14. Alii פרוכת *parochet* a פרך *perec*, *ferocia*, deducunt, quaſi *velum durum*, *denſum*, *ferox*.

V. 32. CAPITA. ווים *vavim* quidam aiunt fuiſſe capitella in forma litteræ Vau, ſeu capitis cum collo columnis ſuperne adhibita ornatus gratia. *Uncinos* alii volunt, qui erant forma litteræ Vau, vel uncinos habentes in ſummitate capitellum, inſtar litteræ Vau. Exiſtimant, fuiſſe clavos, ſeu paxillos affixos capitibus columnarum, & inde exeuntes, ex quibus pendebant cortinæ, ſeu velamina.

V. 33.

V. 33. SANCTUARII SANCTUARIA. קודש קדשים *kodeſch kedaſchim*, *ſanctitas ſanctitatum*, ſive *ſanctum ſanctorum*. Hoc nomine Scriptura nunc ſacratiorem, ſeu ſacratiſſimum templi locum deſignat, in quo erat arca fœderis, & in eo Deus teſtificabatur populo, unde oracula edebantur, quod דביר *debir*, id eſt *adytum* dicitur, in quem tantum ſacerdos, & non niſi ſemel in anno ingrediebatur; ac ſi dicas, ſanctiſſimum, ſacroſanctum: nunc altare, Exodi xix. verſ. 37. nunc panes propoſitionis, & ſacrificia, quæ Aaroni tantum, & filiis eius cedebant, & illis in loco tantum ſancto veſci licebat, Levitici 11. verſ. 3. 10. nunc vaſa, veſtes, aliaſque res, quibus in ſacro miniſterio, ac Dei cultu ſacerdotes tantum utebantur; uti ſuis in locis videbimus.

V. 36. FACIES ET TENTORIUM. מסך *maſach*, *tegumentum*, *operimentum*, *velum*. Diverſum hoc a פרוכת *parochetb*, *aulæo*, de quo ſupra verſ. 31. Impie Forſterus lapſum in Epiſtola ad Hebræos coarguere non erubuit. In radice כפר pag. 393. hæc habet: *Porro fuit etiam aliud velum in templo, quod dicebatur Maſach', de quo ſuo loco, ut lapſus, qui eſt in epiſtola ad Hebræos etiam emendetur*. Et in radice סכך pag. 544. ait: *Maſach, velum, tegumentum. Exodi xxvi. verſ. 36. Et facies velum pro ianua tabernaculi de hyacintho, purpura, cocco, & byſſo retorta. Et hoc aliud fuit velum, quam Parochetb, cuius paulo ante verſ. 31. Moſes mentionem fecerat, ſicut ex hoc textu clariſſime cernere licet. Erant namque duo vela in tabernaculo, quæ etſi quo ad materiam, formam, & quantitatem attinet, ab invicem nihil differrent, tamen Parochetb tantum a quatuor columnis pendebat, quarum capitella erant aurea, & baſes argenteæ, Exodi xxvi. verſ. 32. At Maſach a quinque columnis, quarum quidem capitella erant aurea, ſed baſes non erant argenteæ, ut priores, ſed æreæ, ibidem verſ. 37. Et prius erat obtentum inter ſanctum ſanctorum & ſanctum, verſ. 33. ſed poſterius ſcilicet Maſach, erat ianuæ vice, & claudebat ſanctum: quod Auctor Epiſtolæ ad Hebræos cap. ix. 3. δεύτερον καταπέτασμα, ſecundum velum, vocat. Porro Exodi xxvii. verſ. 16. cap. xxxviii. verſ. 18. cap. xl. verſ. 8 & 33. etiam de tertio Maſach, velo, legitur, quod fuit vice ianuæ atrii, hoc eſt tertiæ tabernaculi partis, quod ſimiliter ex eadem materia, & iiſdem coloribus conſtabat, quibus priora duo, & pendebat a quatuor columnis, quarum capitella erant argentea, & baſes æreæ. Ut recte igitur, diſtinguas, nec confundaris: primum & intimum velum dicitur a Moſe* פרוכת *parochet, & aliquando* פרוכת המסך, *parochet hammaſac, aulæum, velum, ut Exodi xl. verſ. 21. Alterum, videlicet medium, quod Auctor Epiſtolæ ad Hebræos ſecundum velum vocat, dicitur a Moſe* מסך הפתח לפתח המשכן *maſach happetach, lepetach hammiſchcan, id eſt velum ianuæ, pro ianua habitaculi, vel etiam* מסך לפתח האוהל *maſach lepetach haohel, Exodi xxvi. verſ. 36. id eſt velum pro ianua tentorii. Tertium vocat Moſes* מסך שער לחצר *maſach ſchaghar lechatzer, velum portæ atrii. Aharon, & filii eius cum caſtra movenda erant, primum velum, involuta in eo arca teſtimonii, portabant: reliqua duo Gerſonitæ geſtabant*. Hactenus Forſterus, quem exſcripſit Mercerus in verbo סכך. Qui ut recte quidem & apposite diſtinxit, & explicavit ex Scriptura ipſa tria vela tabernaculi, primum atrii, ſecundum ſancti, tertium ſancti ſanctorum; ita abſurdiſſime erga locum Epiſtolæ ad Hebræos plura commiſit errata. I. Quod Auctorem Epiſtolæ ad Hebræos non exiſtimavit Paulum Apoſtolum, contra Eccleſiæ Catholicæ ſenſum. II. Quod lapſum in Epiſtola ad Hebræos ineſſe aſfirmavit: cuius Epiſtolæ ſacram, divinamque auctoritatem Eccleſia ſanxit. III. Quod in radice כפר pag. 393. diſerte affirmet, *Parochetb*, ſeu velum ſancti ſanctorum, appellari ab Auctore Epiſtolæ ad Hebræos cap. ix. *velum ſecundum*; & in radice סכך pag. 544. autumet, *Maſach*, ſeu velum ſancti, ab Auctore Epiſtolæ ad Hebræos cap. ix. vocari *velum ſecundum*. Turpis inconſtantia! IV. Ubinam eſt lapſus in Epiſtola ad Hebræos, quem ſe emendaturum in radice סכך antea promiſerat in radice כפר? Nam ſi Auctor Epiſtolæ ad Hebræos in eo lapſus eſt, quod intimum velum ſancti ſanctorum appellarit *velum ſecundum*, cum fuerit primum, iam ipſe Forſterus diſerte profitetur, ab ipſo Auctore Epiſtolæ ad Hebræos, ſecundum, vel medium velum ſancti, vocatum *velum ſecundum*, quod ipſe Forſterus approbat. Vides ut ſit cæca impietas. Nec eſt dubium, omnium conſenſu, Paulum *ſecundum velum* dixiſſe

illud

illud *parocheth* adyti, ſeu ſacrarii ſacratiſſimi; appellaſse vero ſecundum reſpectu alterius primi ſancti, quod ſacrarium ſacerdotum ab atrio populi ſeparabat: veli autem atrii non meminit Paulus, quod tantum de ſanctis, ſacriſque tabernaculi partibus ſermonem inſtituerat. OPERE PLUMARII. רוקם *rokem variegantem*, *veriegatorem* vertunt, nempe eum artificem qui varias formas, & figuras multis coloribus effigiare novit, nimirum *acupictorem*, *phrygionem plumarium*. Conveniunt omnes, conſentiente voce, eſse eum quem vulgo dicimus *recamador*, *bardador*; immo vocem vulgarem *recamar* ductam a verbo Hebraico *rakam*.

MENOCHII.

Verſ. 1. DE BYSSO RETORTA, cuius ſcilicet fila bina torta ſint, ac duplicata, ut fortior ſit. VARIATAS. Hebr. *Cherubim*; quaſi dicat, ſparſas imaginibus alatis. Chald. *figuras Cherubim*. OPERE PLUMARIO. Hebr. *Opere cogitantis*, opere ſcilicet ingenioſo, quod multa cogitatione, induſtria, & cura indiget. Byſſo quaſi ſtamini ſupertexebantur fila varia, hyacinthina, purpurea, & cocco tincta, & ita fiebat *opus* hoc *cogitantis*, varie ſcilicet pictum, aut textum, quod æmulabatur picturas ex plumis diverſicoloribus avium factas. Vox Hebræa רקם *requem* reſpondet voci noſtræ Italicæ *ricamato*.

V. 2. TENTORIA, id eſt cortinæ ad modum tentorii extenſæ.

V. 3. SIBI IUNGENTUR MUTUO; hoc eſt, quinas & quinas vel aſſutura, vel alio modo coniunges, ut ſint inſtar duarum magnarum cortinarum; quæ duæ rurſus in unum, quinquaginta anſulis copulabuntur.

V. 6. FACIES ET QUINQUAGINTA CIRCULOS, fibulas circulares, ut hæc duo cortinarum quinarum vela per eos coniungi, & rurſum ſolvi, ac diſiungi poſſint, quando proficiſciendum eſt.

V. 7. SAGA CILICINA UNDECIM. Hebr. *Cortinas e pilis caprarum undecim*: veſtes enim e pilis caprarum cilicinæ dicuntur. Hæc ſaga ſive vela eodem modo iungebantur, ut aliæ cortinæ de quibus dictum eſt num. 3. AD OPERIENDUM TECTUM: ad hoc enim erant factæ cortinæ iſtæ omnes, & tabernaculum quatuor operimentis erat tectum, primo velo decem cortinarum ex byſſo, purpura &c. ſecundo ſtragulo undecim ſagorum e cilicio; tertio pellibus arietum rubricatis; quarto pellibus ianthinis.

V. 9. DUPLICES; id eſt, extremitatem pendentem reducas in tectum, vertendo, ut ſolent quæ duplicantur.

V. 12. EX MEDIETATE. Cum ſaga hæc eſſent undecim, excedebant cortinas de quibus ſupra, latitudine, itemque longitudine, quia ſaga erant 30. cubitorum longitudinis, cortinæ autem illæ 28. Ex quatuor ergo cubitis latitudinis, quibus excedebat, duo duplicati tegebant pendentes anteriorem partem tabernaculi, & duo poſteriorem. Item duorum cubitorum quibus longitudo excedebat, alter pendebat ex uno latere tabernaculi, alter ex altero. Vide Torniellum Tom. I. anno mundi 2544. num. 63. qui rem totam clare, & diſtincte explicat.

V. 14. DE PELLIBUS ARIETUM, &c. An duo hæc operimenta, de pellibus ſcilicet arietum rubricatis, & pellibus ianthinis, tectum tabernaculi tantum texerint; an vero etiam latera, ut ſaga cilicina, & primum illud ex byſſo &c. non conſtat. Probabilius videtur texiſſe, quia eadem militat ratio, ut ſcilicet cortinæ delicatiores ab imbribus protegerentur.

V. 15. TABULAS STANTES TABERNACULI. Hæ tabulæ erant quaſi parietes tabernaculi erecti a tribus eius lateribus.

V. 17. DUAE INCASTRATURAE FIENT. Tabulæ ita erunt in lateribus elaboratæ, ut connecti poſſint, & bene inter ſe cohærere.

V. 22. FACIES SEX TABULAS, &c. quaſi dicat: Tabernaculum ad occidentem habebit octo tabulas, ut dicitur num. 25. ita tamen ut ſex integræ ſint, ſcilicet ſeſquicubitales, duæ vero reliquæ ſint tantum ſemicubitales.

V. 23. IN ANGULIS, &c. una enim latus meridianum, altera aquilonare tabernaculi tangebat. POST TERGUM: in parte occidentali, nam pars orientalis, qua patebat ingreſſus, nullas habebat tabulas.

V. 24. ERUNTQUE CONIUNCTAE,

ſex

ſex ſcilicet tabulæ æquales: nam de duabus reliquis, ſtatim.

V. 26. Facies et vectes. Hi vectes auro veſtiti, aureiſque annulis immiſſi totam continebant tabernaculi fabricam, ut moveri ſuo loco tabulæ non poſſent. Itaque quinque vectes erant triginta cubitorum a parte auſtrali, totidemque a parte boreali, a parte vero occidentali cubitorum decem. In unoquoque latere erant quinque huiuſmodi vectes.

V. 28. Per medias tabulas, non per ſpiſſitudinem ipſam tabularum, ſed per earum dorſa tranſverſim, annulis inſerti. A summo usque ad summum, ab extremo uſque ad extremum.

V. 31. Velum: quod ſcilicet divideret ſanctum a ſancto ſanctorum, quod tertiam tantum tabernaculi partem occupabat, & quadratum erat, decem habens cubitos in omni latere. Intra hoc velum erat arca, ut dicitur num. 33.

V. 36. Facies et tentorium. Alterum velum quod oppanſum erat primæ parti tabernaculi, quæ Sanctum dicebatur; ſicut prius velum, de quo num. 31. erat oppanſum Sancto ſanctorum.

TIRINI.

Verſ. 1. Tabernaculum, *erat templum mobile, & portatile*, inquit Ioſephus, *cum Hebræis ambulans per deſertum: eratque quaſi tentorium caſtrenſe, quod per partes ſolvebatur cum caſtra moverentur*. In longum habebat cubitos triginta, in latum decem, in altum decem. Compactum erat ex tabulis lignorum ſetim inauratis, quarum quæque lata erat cubitum & ſemis, & duabus argenteis baſibus terræ affigebatur. Ergo viginti erant tabulæ in longum ex una parte, & totidem ex altera: quæ in latum tranſverſim ad occidentalem plagam ſimilibus octo aliis tabulis iungebantur. Tabulæ ſibi mutuo incaſtraturis ſeu commiſſuris iungebantur, attenuato latere unius tabulæ, & in vicinæ tabulæ concavitatem immiſſo. A fronte, ad ingreſſum tabernaculi in parte orientali, loco tabularum erant quinque columnæ ſetim inauratæ, & tectæ tentorio, id eſt velo oblongo, ſed non ad terram uſque deciduo, quo & lumen hauriri poſſet, & ſacerdotibus, quibus ſolis ingredi licebat, acceſſus daretur. Hæ columnæ, & tabulæ ſic undique compactæ tegebantur ſuperne, primo cortinis decem, contextis opere plumario, id eſt polymito, ſeu phrygio ad inſtar plumarii, ſeu quod plumas nobiliorum avium referret: contextis, inquam, ex byſſo, & aliis filis hyacinthinis, coccineis, & purpureis: iiſque non ſimplicibus, ſed duplicatis aut triplicatis, adeoque & retortis & inter ſe convolutis, quo ſpiſſius, & durabilius eſſet opus. Hæ cortinæ ad modum tentorii ſuperne diſtendebantur, & pro cælo ſeu teſtudine erant: unde & tentoria hic vocantur. Secundo cortinis iſtis ſuperinducta erant undecim ſaga cilicina, id eſt undecim cortinæ e pilis caprarum contextæ. His tertio pelles arietum rubricatæ, id eſt rubro colore tinctæ. Quarto denique pellibus iſtis rubris aliæ rurſum pelles ianthini coloris ſuperinductæ erant contra pluvias, & procellas. Et his quatuor cortinis conſtabat tectum, ſeu operculum tegens tabernaculum. Ab intus tabernaculum in duas dividebatur partes. Prior ſive anterior erat viginti cubitorum, dicebaturque Sanctum, vel Sanctuarium, poſterior & interior erat decem cubitorum in longum, totidemque in latum, vocabaturque Sanctum ſanctorum, vel Sanctuaria ſanctuarii, id eſt ſanctiſſima pars tabernaculi: eratque quaſi chorus ſacelli. In hunc locum ſoli ſummo Pontifici licitum erat ingredi, nec niſi ſemel in anno, nempe die Expiationis, Levit. xvi. Dividebatur autem Sanctum a Sancto ſanctorum per velum, quod moriente Chriſto ſciſſum eſt, quia Chriſtus morte ſua Sanctum ſanctorum, id eſt cælum & claram Dei viſionem reſeravit. In Sancto ſanctorum non erat aliud quam arca cum propitiatorio, & Cherubinis; tabulæ legis in arca; virga Aaron, & urna cum manna utrimque ad latera arcæ. In Sancto autem erat menſula panum propoſitionis ad latus aquilonare: candelabrum ſeptifidum ad meridionale: in medio altare thymiamatis obverſum arcæ, & propitiatorio, ut eo aſcenderet fumus thymiamatis, quod Deo adolebant in hoc altari *a*. Ad hanc tabernaculi formam ſolitas olim conſtrui Eccleſias Chriſtianorum docet Cæſar Baronius.

Allegorice tabernaculum applicat Cyril-

rillus naturali corpori Chriſti, conformiter verbis eiuſdem *b*, *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*. Alii cum S. Paulo, & Ioanne Evangeliſta *c*, myſtico corpori Chriſti, id eſt Eccleſiæ. Origenes cum eodem S. Paulo *d* applicat cuivis animæ fideli.

(*a*) Omnia Hæc pateant Exod. cap. xxv.
(*b*) Ioan. II. 19.
(*c*) I. Tim. v. 15. Apoc. xxi. verſ. 3.
(*d*) Epheſ. III. verſ. 17. Orig. hom. IX.

GORDONI.

Verſ. I. TABERNACULUM. Quæ ſunt hic obſcuriores voces, explicatæ ſunt cap. xxv. Erat hoc tabernaculum longum triginta cubitis, latum decem, altum quoque decem. Diviſum erat in duas partes: nempe in Sanctum, quod cubitos viginti continebat; & Sanctum ſanctorum, quod reliquos decem habebat cubitos. Utraque pars tecta erat inſtar ædificii, & dicebatur Sanctuarium. Porro has duas partes dividebat velum, de quo hic verſ. 31. Ante tabernaculum erat atrium quinquaginta cubitorum, cinctum tabulis, & cortinis, ſub dio, ſeu ſine tecto. In huius atrii parte, quæ vicinior erat tabernaculo, ſoli erant ſacerdotes: & erat ibidem altare holocauſtorum, & labrum æneum. Pars remotior atrii admittebat laicos, non tamen gentiles, aut immundos. Murus tres cubitos altus dividebat ſic atrium ut populus videre potuiſſet immolantem ſacerdotem. En interim ſpeciem templi Salomonis, unde hæc omnia colligi poſſunt. Lege Ioſeph. Lib. III. cap. v. Abul. hic cap. xxvii. & Riberam de Templo Salomonis cap. ult. Ceterum intra tabernaculum, in Sancto erat altare thymiamatis; ad cuius latus dextrum erat candelabrum, ad ſiniſtrum menſa propoſitionis. Denique in Sancto ſanctorum erat arca continens tabulas ſub propitiatorio: item urna cum manna, & ſaltem ad latus virga Aaron, quæ fronduerat. In hanc partem ſolus Pontifex ingrediebatur, & ſemel in anno: Levit. xvi. Hæc de tabernaculo, quod erat ut templum portatile. Obſcuriores voces hic ſunt. OPERE PLUMARIO. Hebr. habet, *Opere cogitantis ingenioſo, & multæ cogitationis, & induſtriæ*: Græce πολύμιτον: Septuag. *textorio*. Sic Hieronymus confundit polymitum. Certe plumarium quamvis acu fiat, etiam polymitarium eſt; hoc eſt, multis liciis, & coloribus variegatum; ſicut vocatur & Phrygium opus. Plumarium vero quaſi varii coloris plumis variegatum. DE BYSSO RETORTA, ſunt fila byſſi plura, & retorta inter ſe, ut ſit fortior materia.

V. 2. UNIVERSA TENTORIA, ſunt cortinæ.

V. 3. CORTINAE, ſeu aulæa iſta debebant ſibi invicem iungi ſine hiatu. Ad hoc autem præſtandum, iubetur hic ut fiant anſulæ, verſ. 4. & circuli verſ. 6. de quibus, ut aliquid dicant, ſuſe digladiantur aliqui.

V. 6. CIRCULOS. Hebr. קרסי *karſe*: uncini ſunt, a curvando nomen קרס incurvavit ſe.

V. 7. SAGA CILICINA, erant texta ex pilis caprarum, denſa, & quæ aquam prohibent: tegebant vero totam longitudinem arcæ, & parietem extrorſum, & habebant ſuas anſas, atque uſum ampliorem, ut ſubinde ſubiungit.

V. 12. QUOD SUPERFUERIT. Cortinæ ſericæ erant 28. cubitorum; at quæ erant ex pilis caprarum, fuerunt 30. cubitorum.

V. 14. FACIES ET OPERIMENTUM. Tria tantum operimenta tabernaculi ponit Arias Montanus Lib. de Tabernaculo; tertium tamen ponit duplicatum.

V. 17. DUAE INCASTRATURAE. Intelligit tabularum commiſſuras, dum immittitur latus unius tabulæ in latus alterius.

V. 26. FACIES VECTES. Vectes iſti ſuis annulis immiſſi continebant fabricam, & tabulas, ne loco moverentur.

V. 28. A SUMMO USQUE AD SUMMUM. Ab una extremitate ad alteram.

V. 31. FACIES ET VELUM. Velum duplex erat; nempe exterius unum, interius alterum. Et hoc interius dividebat Sancta ſanctorum a Sanctuario, quaſi dividendo tabernaculum; exterius vero erat in ingreſſu tabernaculi, pendens a quinque columnis, & ut non tangebat terram, dabat aliquod lumen. Poſtea occurrebat candelabrum cum lucernis. Interiorem vero tabernaculi partem tantum intrabant ſacerdotes ſemel in anno.

Digitized by Google

V. 33. Sanctum sanctorum; excellentis ſanctitatis. Diſtinguit hic Sanctum, & Sanctum ſanctorum.

Ex Eiusdem Auctario.

V. 15. Tabulas stantes, ut eſſent velut parietes erecti in tribus lateribus tabernaculi. Numerat has omnes tabulas deinceps, & illis locum dat.

V. 28. Per medias tabulas, ſcilicet per annulos inſertos dorſis tabularum.

CAPUT XXVII.

Altare, & atrium tabernaculi, tentorium, columnæ, & oleum lucernarum parari iubentur..

1 FAcles (*a*) & altare de lignis Setim, quod habebit quinque cubitos in.
longitudine, & totidem in latitudine, id eſt quadrum, & tres cubitos
in altitudine. 2. Cornua autem per quatuor angulos ex ipſo erunt:
& operies illud ære. 3. Facieſque in uſus eius lebetes ad ſuſcipien-
dos cineres, & forcipes atque ſuſcinulas, & ignium receptacula:
omnia vaſa ex ære ſabricabis. 4. Craticulamque in modum retis æ-
neam: per cuius quatuor angulos erunt quatuor annuli ænei, 5. quos pones ſubter
arulam altaris: eritque craticula uſque ad altaris medium. 6. Facies & vectes al-
taris de lignis Setim duos, quos operies laminis æneis: 7. & induces per circu-
los, eruntque ex utroque latere altaris ad portandum. 8. (*b*) Non ſolidum, ſed
inane & cavum intrinſecus facies illud, ſicut tibi in Monte monſtratum eſt. 9.
Facies & atrium tabernaculi, in cuius auſtrali plaga contra meridiem erunt tento-
ria de byſſo retorta: centum cubitos unum latus tenebit in longitudine. 10. Et
columnas viginti cum baſibus totidem æneis, quæ capita cum cælaturis ſuis ha-
bebunt argentea. 11. Similiter & in latere Aquilonis per longum erunt tentoria
centum cubitorum, columnæ viginti, & baſes æneæ eiuſdem numeri, & capita
earum cum cælaturis ſuis argentea. 12. In latitudine vero atrii, quod reſpicit
ad occidentem, erunt tentoria per quinquaginta cubitos, & columnæ decem,
baſeſque totidem. 13. In ea quoque atrii latitudine, quæ reſpicit ad orientem,
quinquaginta cubiti erunt. 14. In quibus quindecim cubitorum tentoria lateri uno
deputabuntur, columnæque tres & baſes totidem: 15. & in latere altero erunt
tentoria cubitos obtinentia quindecim, columnæ tres, & baſes totidem. 16.
In introitu vero atrii fiet tentorium cubitorum viginti ex hyacintho, & purpura,
coccoque bis tincto, & byſſo retorta, opere plumarii: columnas babebit qua-
tuor, cum baſibus totidem. 17. Omnes columnæ atrii per circuitum veſtitæ e-
runt argenteis laminis, capitibus argenteis, & baſibus æneis. 18. In longitudine
occupabit atrium cubitos centum, in latitudine quinquaginta, altitudo quinque
cubitorum erit, fietque de byſſo retorta, & habebit baſes æneas. 19. Cuncta
vaſa tabernaculi in omnes uſus & cæremonias, tam paxillos eius quam atrii, ex
ære facies. 20. Præcipe filiis Iſrael ut afferant tibi oleum de arboribus olivarum
puriſſimum, piloque contuſum: ut ardeat lucerna ſemper 21. in tabernaculo te-
ſtimonii, extra velum quod oppanſum eſt teſtimonio. Et collocabunt eam Aa-

ron

Digitized by Google

ron & filii eius, ut uſque mane luceat coram Domino. Perpetuus erit cultus per ſucceſſiones eorum * a filiis Iſrael.

(a) Inf. xxxviii. 6. (b) Sup. xx. 24.

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

V. 21. *A filiis Iſrael*. Non eſt mutanda præpoſitio *a* præpoſitione *coram*.

C O M M E N T A R I A

S A.

Verſ. 1. ALTARE, ſcilicet holocauſtorum, quod extra tabernaculi tectum ſub dio erat.

V. 3. FUSCINULAS. Inſtrumenta erant cum dentibus, ad extrahendas ex olla carnes.

V. 5. QUOS PONES SUBTER ARULAM ALTARIS. Hebr. *Quam pones ſubter ambitum altaris*. Chald. *Et pones eam ſub circulo altaris*. MEDIUM, ſcilicet intra, ſecundum quoſdam, ut ligna ſuſtineret. At inf. cap. XXXVIII. indicatur, fuiſſe extra in ambitu altaris, ſcilicet ab infima altaris parte uſque ad eius medium: id quod etiam confirmat quod hic de vectibus dicitur.

V. 8. INANE. Erat autem uſque ad medium plenum terra, ſecundum quoſdam; ſecundum alios, lapidibus. Vide I. Mach. IV.

V. 9. ATRIUM, ſcilicet intra quod erat tabernaculum.

V. 18. QUINQUE: ſcilicet ut populus poſſet undique tabernaculum videre, non impeditus atrii altitudine.

V. 19. PAXILLOS, ſcilicet quibus terræ infixis cortinæ funibus alligabantur, ne agitarentur.

V. 20. LUCERNA, pro lucernæ, ſcilicet candelabri. SEMPER, id eſt per totam noctem: nam interdiu erat extincta, ut proxime indicatur, & I. Reg. III.

V. 21. TESTIMONII. Alii vertunt *conventus*, quod eo Deus conveniret. Vide cap. XXV. & Num. XVII. vel *fœderis*, quod illic Dei lex eſſet, & fœdus, quæ *teſtimonii* nomine ſignificantur. Vide infr. cap. XXXIII. TESTIMONIO, id eſt coram arca teſtimonii. Chald. *ante teſtamentum*. COLLOCABUNT. Hebr. *diſponent*, ſeu *apparabunt*. Chald. *ordinabunt*. Septuag. *incendent*. CULTUS. Hebr. *ſtatutum*; quaſi dicat, mos, ſeu ritus. SUCCESSIONES. Hebr. *generationes*.

E S T I I.

Verſ. 2. CORNUA AUTEM PER QUATUOR ANGULOS EX IPSO ERANT. Erant etiam apud Gentiles altaria cornuta. Unde Martialis in Epigrammate: *Cornibus ara frequens*. De qua re pluribus Politian. in Miſcell. cent. I. cap. LII. Ex quibus patet, æque atque ex his verbis Scripturæ, non idem eſſe cornu altaris, & angulum altaris: nam cornua prodibant ex angulis, & apprehendi poterant. Unde & III. Reg. II. legitur. Ioab fugiens male ſibi conſcius apprehendiſſe cornu altaris.

V. 4. & 5. QUATUOR ANNULI AENEI, QUOS PONES SUBTER ARULAM ALTARIS. Male quædam exemplaria legunt *ſuper arulam*, repugnante Hebraica veritate, & verſione Græca. In Hebræo ſic habetur: *Et ponet ſubter ambitum altaris de infra*.

V. 21. UT USQUE MANE LUCEAT CORAM DOMINO. Quæritur quomodo iſtud; cum verſu proxime præcedenti præcipiatur ut lucerna ardeat ſemper. Reſpondent multi, Dominum his verbis tantum velle, ut cura in primis ſit ſacerdotum ne forte nocte per ſomnolentiam neglecta Dei lucerna extinguatur: nam de die cum vigilant homines, facilius erat lumen eius conſervare. Liranus interim *ſemper* interpretatur pro qualibet nocte, quamvis & referat Ioſephum ſcribentem,

quod etiam de die ex ſeptem lucernis tres ſaltem ardere debuerint.

M A R I A N AE.

Verſ. 4. CRATICULAMQUE. Heb. *cribrum*.

V. 5. QUOS PONES SUBTER ARULAM. Hebr. *Et pones eam* (ſcilicet craticulam, ſeu cribrum) *ſub cavum altaris deorſum*: *& erit rete uſque ad medium altaris*. Nimirum craticulam ex annulis vult pendere intra altare uſque ad medium eius. Craticulæ ſupponebatur ignis, imponebantur carnes hoſtiarum.

V. 8. NON SOLtDUM, SED INANE ET CAVUM INTRINSECUS FACIES. Hebr. *Cavum tabulis*, pro ex tabulis, *facies*. Errant qui altare putant terra ſolidatum. Et ſane mirum, eas tabulas ignis ardorem ferre, quamvis ære veſtitas.

V. 9. ERUNT TENTORIA, id eſt cortinæ, quæ ſcilicet atrio prætendebantur. Sed hoc loco vocantur קלעים *kelahim*, id eſt *fundæ*, quod in modum retis pertuſæ erant, ne iis qui extra atrium erant, videndi facultatem adimerent.

V. 10. CAPITA CUM CAELATURIS. Hebr. *Uncini columnarum & fila*, ſeu *circuli earum argenti*. *Uncini* ait Hebræus, ut ex illis appenderentur oblationes; ſed Chald. *capita* vertit. Et וו *Vau*, *caput* ſignificare videtur, etſi dictionaria ſileant. *Fila* ad ornatum columnarum: ſic Hier. ea fila *cælaturas* dixit.

V. 17. VESTITAE ERUNT ARGENTEIS LAMINIS: *cinctæ argento*, Heb.

V. 19. TAM PAXILLOS EIUS. *Paxilli*, ſeu clavi figebantur in terra ad continendum cortinas, & vero totum opus contra ventos.

V. 20. OLEUM .... PURISSIMUM, PILOQUE CONTUSUM. *Pilo* non eſt in Hebræo, ſed bene ſuppletur: oleum nimirum non expreſſum mola in trapeto, ſed malleo tantum contuſis olivis, quo eſſet purius. UT ARDEAT LUCERNA SEMPER. Hebr. *Ad faciendum aſcendere lucernam ſemper*. Aſcendit ſua natura flamma: idque ad lucernam transfertur. Hieronim. ſententiam expreſſit. Sed ex adverbio *ſemper*, non colligas per diem incenſam lucernam, id enim noctibus tantum fiebat, ſed omnibus: idque ſignificat *ſemper*.

V. 21. IN TABERNACULO TESTIMONII: ſic illud vocat Stephanus Actorum cap. VII. Et quare ſic vocetur, cap. XXXIII. explicatur.

M A L V E N D AE.

Verſ. 2. CORNUA. Hæc cornua nonnulli in modum tigillorum effigiant, a ſolo altaris extrinſecus altitudine pari cum altari, nempe trium cubitorum aſſurgentia, in quatuor ipſis altaris angulis. Alii ſuper aream ipſam altaris in quatuor angulis collocant. Quidam non magna longitudine ſuper altare, in modum pyramidum effingunt, ornatus cauſa. Nonnulli putant, fuiſſe manubria quædam angularia altaris, quibus aſcendentes ſacerdotes ad altare, & de altari deſcendentes nitebantur: atque etiam ipſum altare commodius tranſportaretur. Nec deſunt qui putent hæc cornua deſtinata ſuſtinendo reti, ſeu cribro æneo, quod ſuper vacuum altaris erat extenſum, in quo carnes cremandæ ponebantur. Illud ex Scriptura habemus, eminuiſſe ſurſum ſuper altare, Ezechiel. XLIII. 15. item ad ea alligari ſolita animalia mactanda. Pſalm. CXVII. verſ. 27. ANGULOS. פנות *pinnoth* quidam *pinnas* reddunt, Sic Latini ſummitates murorum, pinnas vocant, quas nos *almenas*. In quatuor angulis altaris videntur fuiſſe quatuor pinnæ, ſeu prominentiæ, quibus quatuor cornua impoſita erant. EX IPSO ERUNT; id eſt, ex eadem materia æris, ipſi altari ſolide hærebunt, cum ipſo compacta: non erunt exemptilia.

V. 3. FORCIPES. יעים *iaghim* aiunt fuiſſe inſtrumenta ænea quibus cineres removebantur ab altari in cumulum: *palas* vertunt; alii *batillos*; nonnulli *ſcopas*; quidam *cochlearia*. Sunt qui exiſtiment, eſſe inſtrumenta quibus volvi ſolebant carnes quæ ſuper altare cremabantur: *creagras*, vulgo *horquillas*. Aliqui Hebræorum aſtruunt, fuiſſe *inſtrumenta ſimilia operculo ollæ ex ære fuſili tenui, cum capulo oblongo, ad removendos cineres ab altari*. Hiſpanicus Interpres vertit *muelles*. Cum hæc vox novies in Scriptura reperiatur, mirum quam diverſe Noſter eam convertit.

Hic,

Digitized by Google

Hic, & Exodi XXXVIII. 3. *forcipes*, Numeror. IV. 14. *tridentes*, I. Reg. VII. 42. 45. *ſcutras*, id eſt *ſcutellas*, II. Reg. XXV. 14. Jerem. LII. 18. *trullas*, II. Paralip. IV. 11. 16. *creagras*.

מזרקות *mizrakoth*. Hanc vocem videtur hic Noſter ſine interpretatione præteriſſe. Aiunt eſſe *aſperſoria*, *infuſoria*, vaſa in quibus, vel ex quibus aliquid ſpargitur, ſeu funditur. Aliqui notant, fuiſſe vaſa in quæ fundebatur ſanguis ſacrificiorum; & ex illis effundebatur, atque ſpargebatur ad mundandos & purificandos homines: vertunt *pelves*, *gutturnia*, *malluvia*, *crateras*, ex quibus aſperſiones fiebant: quidam *pelves aſperſorias*. Nec deſunt qui *ſparſoria*, *aſpergilla*. Noſter, nunc *phialas*, nunc *amulas*, modo *thuribula* vertit.

V. 4. CRATICULAMQUE. מכבר *micbar*, ut כברה *cebarah*, voce colludente, *cribrum* fere interpretantur a multiplicitate, & perplexitate dictum: alii *cratem*, *craticulam*: nonnulli *cancellulos*. Quidam putant hoc cribrum, ſeu cratem fuiſſe cancellos æreos circum altare externe ornatus cauſa; ſed alii aptius exiſtimant, expanſum ſuper cavum ipſum altaris deorſum verſus ad medium uſque altaris interne, ſuper quod imponerentur carnes cremandæ, & ligna, uti ſtatim dicemus. Aiunt cribrum fuiſſe e lamina ærea pertuſa parvis foraminibus, quibus cinis, & ſacrificiorum ſanguis ad unam altaris partem decideret: quod ſi ampliora fuiſſent foramina, potuiſſent quoque ligna, carbones, aut carnes eo decidere: *opus* autem *reticulatum* appellare, nempe foraminoſum, ut rete.

V. 5. SUBTER ARULAM. כרכוב *carcob* exponunt *ambitum*, *circuitum*, *vecturam*, *reſidentiam*. Quidam *cavum* ipſum altaris intelligunt. Volunt craticulam intra ipſum altare fuiſſe, in concavo nimirum ipſius altaris poſitam, altam uſque ad medium altaris. Quid Noſter per *arulam* intellexerit, varie ſudant Explanatores: ego ſimpliciſſime ambitum ipſum ſupernum quadratum altaris acceperim.

V. 8. NON SOLIDUM, SED INANE, ET CAVUM INTRINSECUS. Heb. *Cavum*, *vacuum*, *concavum*, *tabularum*, ſeu *tabulis*, &c. Exponunt I. Id eſt, ut eſſent tabulæ intus vacuæ, excavatæ, nempe tabulato cavato, ſeu concavo; nimirum ut levius eſſet ad ferendum, quam ſi ex ſolidis, & compactis aſſeribus conſtaret. II. Ut quatuor altaris parietes, ſeu latera non eſſent conſtructa ex continuis tabulis compactis, ſed ex tranſverſis quatuor lignis cum pedibus, ſine tabulis: ut vacuum tabulis, intelligamus carens tabulis. III. Vacuum ex tabulis; id eſt, quod non totum, & intus ſolidum, & plenum, ſed intrinſecus vacuum & cavum eſſet; cinctum a quatuor lateribus tabulis ære obductis, toto medio ſpatio concavo relicto: qui ſenſus eſt Vulgati, & præſtat aliis. Quidam exponunt: *Cavum tabularum*, id eſt tabularum ſarctura vacuum.

V. 9. TENTORIA. קלעים *kelaghim*. Quidam *rotationes*, *rotas*, *rotulas*, ſeu *tapetes* reddunt, nempe a rotulis, quæ illis fuerunt intextæ; vel quod in profectione populi a Levitis involverentur, & circumrotarentur: nonnulli *tapetes ocellatos*, nimirum textu, & non pictura tantum: alii *cortinas*, *aulæa*, *tentoria*, *vela*, ſphærulis quibuſdam in morem ovorum depicta, ſeu intexta: plerique *fundas*. Et Latini *fundas* etiam appellant vaſa quædam, & ſaccos reticulatos in quos aliqua immittuntur, quæ alio nomine reticula vocant. Hiſpanice *fundas* appellamus vaſa, vel ſaccos, in quibus alia inſeruntur, ut aſſerventur. Fortaſſe aulæa iſta atrii erant in modum fundarum opere reticulato contexta; vel erant quaſi contectoria, & thecæ ipſius atrii. Nec deſunt qui exſtiment ocellos, ſeu foramina inſtar fundæ iis cortinis aperta, & utrimque penetrantia fuiſſe, ut a foris per ea foramina videri poſſent quæ intus in atrio agerentur, quaſi opus reticulatum.

V. 11. CAELATURIS. חשקים *chaſchukim* aliqui vertunt *amplexus*, *circulos*, *circumferentias*, *cincturas*: alii *fila tenuia cingentia columnas*, ut ſunt circuli doliares: nonnulli *orbes*, *faſcias*, *zonas*, *cingula*, quibus columnæ atrii erant veluti redimitæ, & ornatæ: intelligunt cælaturas, quæ in modum faſciarum columnas ambiebant, & cingebant.

V. 18. IN LATITUDINE QUINQUAGINTA. Hebræa: *Et latitudo quinquaginta in quinquaginta*: exponunt: Id eſt, latitudo ex omni parte, & per omnia erit æqualis in utroque latere. Vel duplicatio vocis indicat, iuſtiſſime latitu-

di-

dimem fuiſſe quinquaginta cubitorum.

V. 20. CONTUSUM: non molitum, aut prælo expreſſum, ſed tudicula extuſum, quod ſolet eſſe purius. Vide Rab. Scelomonem. LUCERNA. Hic candelabrum, ſeu lucernarium, aut lychnuchum inſtructum lucernis ſuis intelligunt.

V. 21. IN TABERNACULO TESTIMONII. אוהל מועד *obel mogbed* varie reddunt. I. *Tabernaculum eccleſiæ, congregationis, congreſſus, conventionis, conventus*: quod Iſrael illuc conveniret, & congregaretur ad certum & ſtatutum tempus: vel quod illuc conveniret Deus, ut loqueretur cum Moſe & ſucceſſoribus eius, & pacta conventa tranſigeret cum populo ſuo. Vide cap. XXV. verſ. 22. cap. XXIX. verſ. 42. & Numeror. XVII. 4. Hiſpanice dicunt *emplazar, & tienda de plazo*. II. *Tabernaculum fœderis, pacti*: quod illic Deus reſponſa daret, & fœdera cum populo iungeret. III. *Tentorium parationis*: quod in eo eſſet totus apparatus divini cultus, legis, & verbi Dei. IV. *Tentorium indictionis, condictionis*, ubi indicebantur ritus ſacri, cæremoniæ, ſtata ſacra, ſeſta, neomeniæ. V. *Tabernaculum ſtatuti, certi temporis*: quod in eo ſtatuto tempore conveniret populus ad preces, & ſacrificia. VI. Notant, *obel mogbed* peculiariter ſpecificare, ac certificare, ac quaſi diſcernere hoc tentorium ab aliis omnibus; quaſi dicas *tentorium illud certum, conſtitutum, determinatum, ſpeciale*, quod erat extra caſtra, quo conſtitutum erat ut convenirent quicumque Deum quærere volebant: uti diſerte, & pulchre deſcribitur infra cap. XXXVII. verſ. 7. *Et Moſes accepit tentorium, & tetendit illud de foris caſtrametationi, longinquo de caſtrametatione: & impoſuit nomen ei, tentorium conſtitutionis: & erit, omnis requirens IHUH, egredietur ad tentorium conſtitutionis, quod de foris caſtrametationis*. VII. *Tentorium concilii*, vel *adunationis*, quod illic adunaretur Iſrael. Quidam, *Tentorium ſolemne*: quod locus eſſet celeberrimus, & frequens, in quem ſolemniter populus conveniret. VIII. Nobis illud videtur aptiſſimum, *Tentorium ſtationis*. Statio militaris dicitur; & totum illud tabernaculi miniſterium ſtatio & militia vocatur variis locis Scripturæ, præſertim Numer. VIII. ubi omnia certo & ſtatuto tempore, & ordine per vices miniſtrantium peragebantur, uti in bello; & ſtationes eccleſiaſticæ notiſſimæ, & uſitatæ primitivis Chriſtianis, etiam Tertulliano memoratæ, quæ erant veluti ſacri conventus fidelium ad vota, preces, vigilias, ieiunia convenientium & ſtantium: item ſacra quædam ſtata. Ergo *Tentorium ſtationis* dicitur, ubi fiebant ſtationes militiæ eccleſiaſticæ, ſacri conventus, ſacra ſtata, ſeſta, ſolemnitates, &c. IX. Septuaginta Interpretes, Stephanus, ſeu Lucas Actorum VII. 44. Noſter *Tabernaculum teſtimonii* dixerunt, & quod in eo Deus de ſua voluntate teſtari vellet, & quod in eo lex ipſa in arca aſſervaretur, quæ teſtimonium dicta fuit, etiam hoc verſu. Vide ſupra cap. XXV. 16. & cap. XVI. 34.

MENOCHII.

Verſ. 1. FACIES ET ALTARE. Sermo eſt non de altari thymiamatis, quod erat in Sancto, & in quo thymiama adolebatur mane, & veſpere; ſed de altari holocauſtorum, in quo & holocauſta, & quævis ſacrificia Deo immolabantur, & cremabantur. DE LIGNIS SETIM, quoad tabulas ambientes: nam interius in imo, altare hoc uſque ad ſui medium plenum erat lapidibus non ſectis; ſuperius vero per totum craticula ænea tegebatur: itaque hoc altare ex ſetim ſimile erat arcæ, ſeu capſæ quadratæ, quæ fundo, & operculo caret, & interius vacua eſt.

V. 2. CORNUA ... EX IPSO ERUNT. Anguli prominentes inſtar cornuum ad ornatum altaris, non aliunde, ſed ex ipſo altaris ære continuo opere ducentur. OPERIES ILLUD AERE. Tabulæ de lignis ſetim æneis tabulis tectæ erant, ne ab igne læderentur. LEBETES. Alii vertunt *ollas*. LXX. habent: *Et facies coronam altari*.

V. 3. FORCIPES. Hebr. יעים *iaim* quod LXX. vertunt *cooperimenta*; alii *ſcopas*. Videntur eſſe inſtrumenta quibus aliquid accipimus, aut removemus, uti ſunt forcipes, & betilla, ſive palæ. Italice *palle*, o *badili*. FUSCINULAS, tridentes, uncinos, ad extrahendas carnes ex ollis. IGNIUM RECEPTACULA: Vaſa ad capiendas prunas; unde aliqui vertunt *thuribula*; LXX. *focum*. Serviebant hæc vaſa

inter

inter alia ad hoc ut in illis ignis ſanctus ex altari holocauſti petitus ad altare thymiamatis veſpere, & mane, ad incenſum in iis adolendum deferretur: nam incenſum non in ipſo altari immediate, ſed in hiſce thuribulis altari impoſitis adolebatur.

V. 4. Craticulam in modum retis aeneam, quæ tegeret ſuperiorem altaris partem, cui craticulæ ſacrificia comburenda imponebantur. Quatuor annuli aenei. Craticula hæc ſuos annulos, & vectes habebat diſtinctos ab annulis, & vectibus altaris, ut ſeorſim portari poſſet.

V. 5. Arulam altaris. Ex craticula per catenulas, aut laminas appenſa pendebat arula ænea, ſive foculus in medio altaris ſuper lapidum impolitorum ſtructuram, in qua arula ponebantur ligna, & ignis ad cremandas carnes, quæ in ſuperiori craticula ponebantur. Uſque ad altaris medium. Craticula non ſola, ſed cum arula appenſa ad medium uſque altaris perveniebat: inter craticulam enim & arulam fere ſpatium erat cubiti unius cum dimidio, quod eſt medium altaris, quod trium cubitorum altitudinem habebat.

V. 6. Vectes altaris. Ut craticula, ſic altare ſuos habebat vectes, ut ſeorſim portari poſſet.

V. 7. Per circulos, per annulos.

V. 8. Non solidum, &c. Numero primo diximus altare vacuum fuiſſe.

V. 9. Atrium. Atrium hoc factum eſt ut undequaque ambiret tabernaculum, & altare holocauſtorum, tum ornatus, tum reverentiæ cauſa. Tentoria. Atrium a lateribus per circuitum ambiebatur tentoriis, id eſt velis, vel aulæis; hæcque vela erant inſtar parietum ipſi atrio.

V. 10. Et columnas, de quibus vela, ſive tentoria ſuſpenderentur. Capita cum caelaturis. Heb. & Chald. *Argentea erunt capita columnarum, cum cincturis*, vel *circulis*, quæ ſcilicet circa columnas filis argenteis ducentur: neque enim cælaturæ erant inciſiones, aut ſculpturæ, ſed laminæ tenues ambientes, vel fila ambientia capita columnarum.

V. 14. Quindecim cubitorum tentoria. Facies orientalis atrii in medio habebat ſpatium viginti cubitorum, quod portæ inſtar habebat. Hinc & inde relinquebatur ſpatium quindecim cubitorum, quod ſuas habebat columnas, & tentoria, ſive vela.

V. 16. Tentorium cubitorum viginti: quod portæ atrii appanſum, quaſi ianuæ vicem impleret.

V. 17. Argenteis laminis, circulis, ſive filis, ut explicatum eſt num. 10.

V. 19. Et caeremonias. Hebr. *In omnem cultum cæremonialem, ad colendum Deum.* Paxillos, columnis infixos ad vela, ſeu cortinas ſuſtinendas. Alii putant paxillis terræ infixis cortinas funibus alligatas, ne agitarentur.

V. 20. Piloque contusum: oleum, vel ſit ſponte fluens ex olivis, vel pilo contuſum, non prælo, aut mola expreſſum, quod amurca, & fæcibus plenum eſt. Tabernaculo testimonii: quia ſcilicet tabernaculum continebat legem, quæ erat teſtimonium voluntatis, & fœderis divini.

V. 21. Testimonio, arcæ continenti teſtimonium. Uſque mane. Hinc patet de die non arſiſſe lucernas in candelabro, quare quod dixit num 20. *Ut ardeat lucerna ſemper*, idem valet ac ſingulis noctibus. Successiones. Heb. *generationes*.

TIRINI.

Verſ. 1. Facies et altare. Duplex erat altare, unum thymiamatis, de quo cap. xxx. & hoc erat intus in Sancto, ſeu anteriore parte tabernaculi. Alterum holocauſtorum, de quo hic agitur, in quo & holocauſta, & quævis aliæ victimæ immolabantur, & cremabantur: eratque poſitum ante tabernaculum in medio atrii ſub dio, nempe propter ignem, fumum, & nidorem victimarum. Compactum erat ex lignis ſetim, quæ ne ab igne læderentur, æneis laminis exterius tegebantur; interius vero vel ceſpite, vel rudi lapidum & cæmenti compagine adverſus eumdem ignem muniebantur circumcirca. In medio vero cavum erat altare, & ſuperne apertum, cui in medio craticula ænea in modum retis foraminata, ambitu undique ſeu limbo latiore non pertuſo (quem *Arulam* hic vocat) cincta ſuperponebatur, per quam cineres, favillæ, & prunæ minores deciderent:

rent; victimæ vero ſuperimpoſitæ ſuſtentarentur, & ab igne ſubiecto cremarentur. Hæc craticula cum ſua arula poterat ſeparari a reliquo altari: erantque diverſi vectes craticulæ, & altaris, quibus utrumque ſeorſim, cum movenda eſſent, attolli, & devehi poſſent. Fuſius hoc altare deſcriptum habes apud Ezechielem *a*.

Moral. & Allegor. ex ſancto Gregorio & Beda, qui animæ fideli, *b* & cruci Chriſti accomodant, vide apud Franciſcum Riberam.

V. 9. FACIES ET ATRIUM. Erat area ſub dio quadrangularis ambiens tabernaculum & altare holocauſtorum, tum reverentiæ, tum ornatus cauſa. Centum cubitos in longum habebat, ſcilicet ab oriente verſus occidentem; quinquaginta vero in latum, ab aquilone ad auſtrum: ergo duplo longior quam lata. Tota vero area circumcirca claudebatur ſexaginta columnis æneis, ſed argenteis floſculis, ramis, vel emblematis undique veſtitis: ſingulis columnis ſpatio quinque cubitorum a ſe invicem diſtantibus. Viginti columnæ faciebant latus auſtrale, totidem latus boreale: decem claudebant latus occidentale, & decem reliquę orientale. Ex his columnis vela byſſina, ſed abſque opere phrygio, circumcirca dependebant, quæ hic tentoria vocat, & inſtar murorum ſepiebant, & claudebant atrium, quod nulli præterquam ſacerdotibus, & levitis, ingredi licebat. Unicum velum viginti cubitorum, quod erat in fronte, ſeu aditu atrii a parte orientali, eratque quaſi prota atri, plumarum erat, id eſt acu pictum, & opere Phryhio, ſeu polymito variegatum. Huius atrii pars media, ſeu quinquaginta priores cubiti ab oriente in quadrum, deputati erant ſacrificiis; unde & in medio illius ſpatii erat altare holocauſtorum ante frontem tabernaculi. In altera medietate atrii, quæ tota dicata erat tabernaculo, tabernaculum ipſum figebatur, eo ſitu ut a columnis atrii lateralibus ad auſtrum, & ſeptemtrionem utrimque diſtaret viginti cubitis; ab occidente vero decem cubitis, a columnis poſterioribus; & totidem cubitis verſus orientem, a ſepto anterioris partis atrii ſacrificiis deputatæ abeſſet.

Morale vide apud S. Gregorium, Bedam & Riberam.

(a) Ezech. xliii. verſ. 13.
(b) Ribera Lib. II. cap. xxi.

GORDONI.

Verſ. 1. FACIES. De duplici altari dixi cap. XXVI. verſ. 1. Nunc de eo quod, holocauſtorum erat, & in atrio poſitum. Excipiebat victimas ſubiecto igne intra concavitatem altaris; & per craticulam cinis victimæ decidebat. In hoc altari quotidie immolabatur iuge ſacrificium; eratque ex lignis ſetim, quæ ne igne læderentur, tegebantur interius, & exterius tabulis æneis: arulam habebat, velut focum in quo ardebat ignis: tota ænea erat, & mobilis per ſuos annulos quatuor, & vectes. Hæc paucis. Vide expreſſas harum rerum formas apud Vilalpandum, de Templo.

V. 2. CORNUA. Cornu hoc altaris putatur eſſe aliquid extans inſtar modicæ pyramidis ad angulos altaris, ut notavit Abulenſis. Subdit materiam, & ſupellectilem altaris.

V. 3. & 4. FACIESQUE IN USUS EIUS LEBETES, &c. *Lebetes* ollæ ſunt: *forcipes* vero aliqui ſcopos vertunt, vel palas. Septuaginta varii in his ſunt. *Ignium* denique *receptacula* ſunt thuribula, *τὰ πυρεῖα*. De craticulæ uſu diſſentiunt multi. Hanc cratem altari ſuperpoſitam fuiſſe pro foculo ſcribit Ioſephus III. Antiq. cap. VII. *Cribrum* eſt ſuſcinula dentata ad extrahendas carnes ex olla.

V. 9. FACIES ET ATRIUM TABERNACULI. Deſcribitur atrium ſacerdotum, de quo dixi cap. XXVI. verſ. 1. Erat centum cubitorum in longitudine: columnas habebat omnino ſexaginta, quibus claudebatur: ex his pendebant vela byſſina, ſeu tentoria, aut cortinæ.

V. 10. CAPITA CUM CAELATURIS: *uncini columnarum* ex Heb. & circuli, ſeu fila. Hebr. וים *vave*, *uncini*.

V. 19. PAXILLI: clavi infixi terræ ad continendum cortinas.

V. 20. OLEUM, non expreſſum mola, ſed tantum malleo contuſum, quod eſt purius.

V. 21. EXTRA OPPANSUM VELUM ardebat lucerna uſque mane: ſed an interdiu etiam luceret, certatur. Satis probabile ex Ioſepho etiam interdiu arſiſſe. Vide Ioſephum VIII. Antiquit. cap. II. TESTIMONIO, aut etiam fœderis;

deris: quia ibi erat fœdus, & lex Dei, quæ vocatur teſtimonium.

Ex Eiusdem Auctario.

V. 4. Huic craticulæ ſacrificia imponebantur comburenda, tegebat enim ſuperiorem partem altaris. Habebat craticula ſuos annulos, & vectes.

V. 5. Ad medium altaris, quod erat altum tres cubitos, deſcendebat craticula cum arula appenſa.

CAPUT XXVIII.

Pontificalia indumenta Aaronis & filiorum eius deſcribuntur.

1 Applica quoque ad te Aaron fratrem tuum cum filiis ſuis de medio filiorum Iſrael, ut ſacerdotio ſungantur mihi: Aaron, Nadab, & Abiu, Eleazar, & Ithamar. 2. Facieſque veſtem ſanctam Aaron fratri tuo in gloriam & decorem. 3. Et loqueris cunctis ſapientibus corde, quos replevi ſpiritu prudentiæ, ut faciant veſtes Aaron, in quibus ſanctificatus miniſtret mihi. 4. Hæc autem erunt veſtimenta quæ facient: Rationale, & ſuperhumerale, tunicam & lineam ſtrictam, cidarim & balteum. Facient veſtimenta ſancta fratri tuo Aaron & filiis eius, ut ſacerdotio ſungantur mihi. 5. Accipientque aurum, & hyacinthum, & purpuram, coccumque bis tinctum, & byſſum. 6. Facient autem ſuperhumerale de auro, & hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto, & byſſo retorta, opere polymito. 7. Duas oras iunctas habebit in utroque latere ſummitatum, ut in unum redeant, 8. Ipſa quoque textura & cuncta operis varietas erit ex auro, & hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto, & byſſo retorta. 9. Sumeſque duos lapides onychinos, & ſculpes in eis nomina filiorum Iſrael: 10. ſex nomina in lapide uno, & ſex reliqua in altero, iuxta ordinem nativitatis eorum. 11. Opere ſculptoris & cælatura gemmarii, ſculpes eos nominibus filiorum Iſrael, incluſos auro atque circumdatos: 12. & pones in utroque latere ſuperhumeralis, memoriale filiis Iſrael. Portabitque Aaron nomina eorum coram Domino ſuper utrumque humerum, ob recordationem. 13. Facies & uncinos ex auro, 14.* & duas catenulas ex auro puriſſimo ſibi invicem cohærentes, quas inſeres uncinis. 15. Rationale quoque iudicii facies opere polymito iuxta texturam ſuperhumeralis, ex auro, hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto, & byſſo retorta. 16. Quadrangulum erit & duplex: menſuram palmi habebit tam in longitudine quam in latitudine. 17. Poneſque in eo quatuor ordines lapidum: in primo verſu erit lapis ſardius, & topazius, & ſmaragdus: 18. in ſecundo carbunculus, ſapphirus, & iaſpis: 19. in tertio ligurius, achates, & amethyſtus: 20. in quarto chryſolithus, onychinus, & beryllus: incluſi auro erunt per ordies ſuos. 21. Habebuntque nomina filiorum Iſrael: duodecim nominibus cælabuntur, ſinguli lapides nominibus ſingulorum per duodecim tribus. 22. Facies in rationali catenas ſibi invicem cohærentes ex auro puriſſimo: 23. & duos annulos aureos, quos pones in utraque rationalis ſummitate: 24. catenaſque aureas iunges annulis, qui ſunt in marginibus eius: 25. & ipſarum catenarum extrema duobus co-

pulabis uncinis in utroque latere ſuperhumeralis quod rationale reſpicit. 26. Facies & duos annulos aureos, quos pones in ſummitatibus rationalis, in oris, quæ e regione ſunt ſuperhumeralis, & poſteriora eius aſpiciunt. 27. Nec non & alios duos annulos aureos, qui ponendi ſunt in utroque latere ſuperhumeralis deorſum, quod reſpicit contra faciem iuncturæ inferioris, ut aptari poſſit cum ſuperhumerali, 28. & ſtringatur rationale annulis ſuis cum annulis ſuperhumeralis vitta hyacinthina, ut maneat iunctura fabrefacta, & a ſe invicem rationale & ſuperhumerale nequeant ſeparari. 29. Portabitque Aaron nomina filiorum Iſrael in rationali iudicii ſuper pectus ſuum, quando ingredietur Sanctuarium, memoriale coram Domino in æternum. 30. Pones autem in rationali iudicii Doctrinam & Veritatem, quæ erunt in pectore Aaron, quando ingredietur coram Domino. & geſtabit iudicium filiorum Iſrael in pectore ſuo, in conſpectu Domini ſemper: 31. Facies & tunicam ſuperhumeralis totam hyacinthinam, 32. in cuius medio ſupra erit capitium, & ora per gyrum eius textilis, ſicut fieri ſolet in extremis veſtium partibus, ne facile rumpatur. 33. Deorſum vero, ad pedes eiuſdem tunicæ, per circuitum, quaſi mala punica facies, ex hyacintho, & purpura, * & cocco bis tincto mixtis, in medio tintinnabulis, 34. ita ut tintinnabulum ſit aureum & malum punicum, rurſumque tintinnabulum aliud aureum & malum punicum. 35. (*a*) Et veſtietur ea Aaron in officio miniſterii, ut audiatur ſonitus quando ingreditur & egreditur Sanctuarium in conſpectu Domini, & non moriatur. 36. Facies & laminam de auro puriſſimo: in qua ſculpes opere cælatoris, Sanctum Domino. 37. Ligabiſque eam vitta hyacinthina, & erit ſuper tiaram, 38. imminens fronti Pontificis. Portabitque Aaron iniquitates eorum, quæ obtulerunt & ſanctificaverunt filii Iſrael, in cunctis muneribus & donariis ſuis. Erit autem lamina ſemper in fronte eius, ut placatus ſit eis Dominus. 39. Stringeſque tunicam byſſo, & tiaram byſſinam facies, & balteum opere plumarii. 40. Porro filiis Aaron tunicas lineas parabis, & balteos ac tiaras in gloriam & decorem: 41. veſtieſque his omnibus Aaron fratrem tuum &, filios eius cum eo. Et cunctorum conſecrabis manus, ſanctificabiſque illos, ut ſacerdotio fungantur mihi. 42. Facies & feminalia linea, ut operiant carnem turpitudinis ſuæ, a renibus uſque ad femora: 43. & utentur eis Aaron & filii eius quando ingredientur tabernaculum teſtimonii, vel quando appropinqnant ad altare ut miniſtrent in ſanctuario, ne iniquitatis rei moriantur. Legitimum ſempiternum erit Aaron, & ſemini eius poſt eum.

(*a*) Eccli. xlv. 11.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 24. *Et duas catenulas ex auro puriſſimo.* Alii, omiſſa præpoſitione, ſcribunt ſecundo caſu *auri puriſſimi.*

V. 33. *Et cocco bis tincto.* Quod ſequitur in quibuſdam antigraphis, *& byſſo retorta*, merito hic omittitur.

COM-

COMMENTARIA

S A.

Verſ. 1. VESTEM Hebraice & Chald. *veſtes*, LXX. *veſtem*. GLORIAM ET DECOREM, id eſt ſplendorem, & ornamentum.

V. 3. SAPIENTIBUS CORDE, id eſt peritis artificibus. PRUDENTIAE. Heb. Chald. & LXX. *Sapientiæ*; quaſi dicat, arte. SANCTIFICATUS, id eſt conſecratus.

V. 4. RATIONALE. Hebr. *Pectorale*. LXX. λόγιον, ſeu λογεῖον, quæ duo, *Dei oracula* ſeu *reſponſa* indicant. Atque huc referendum eſt verbum *Rationale*, ſeu *Rationale iudicii*: Dei enim cuncta plena ratione, & iudicio. Adde quod in eo erat doctrina, & veritas, quæ ad rationem pertinent.

V. 5. SUPERHUMERALE. Hebr. *Ephod*. Carebat id manicis ſecundum quoſdam, quod alii negant. TUNICAM, Hebr. & Chald. *pallium*. LINEAM, ſcilicet tunicam erat vero; ſecundum Ioſephum ex byſſo, talaris, & ſtrictis etiam manicis. STRICTAM. Hebr. *ocellatam*, ſeu *oculatam*, ſcilicet oculis erat contexta opere Phrygionico, ut quidam aiunt: alii enim negant: nam Hier. recte vertit *ſtrictam*, ut & LXX. CIDARIM, id eſt tiaram pileoli rotundi forma.

V. 6. POLYMITO, ſcilicet vario, ut ſolent tapeta: ſupra vertit *plumario*.

V. 7. SUMMITATUM, id eſt extremitatum; ſcilicet ſub brachiis. IN UNUM REDEANT, id eſt *coniungantur*, ut eſt Heb.

V. 8. TEXTURA, ſcilicet baltei, ut indicatur Hebr. & Chald.

V. 9. ONYCHINOS. LXX. *Smaragdos*: FILIORUM. Dicunt quidam & hic, & in lapidibus rationalis, non Levi fuiſſe ſcriptum, ſed Ephraim & Manaſſe, qui cum reliquis faciunt duodecim tribus, ſed aliter ſentit Chald. ut inf. dicetur.

V. 10. NATIVITATIS: ſcilicet ut prius nati, priori ſint loco, & in dextro humero priores ſex.

V. 11. GEMMARII, id eſt artificis gemmas ſculpentis.

V. 12. LATERE, ſcilicet ſuper humeros. MEMORIALE, id eſt in memoriam, ſcilicet Deo, vel Aaroni.

V. 3. UNCINOS. Hi erant in ſummitate ſuperhumeralis, quibus alligandæ catenæ, ut dicitur inf. verſ. 25.

V. 14. COHAERENTES; quaſi dicat, opere intorto, more funium, ut indicant Hebr. & ſic etiam infra.

V. 15. IUDICII, ſcilicet quia ſine illo numquam ius dicebat in re gravi; vel quia continebat Urim, & Thummim, unde etiam & Rationale dictum.

V. 16. QUADRANGULUM, ſcilicet quadrum æquilaterum. DUPLEX, id eſt duplicatum. PALMI, ſcilicet duodecim digitorum, ſeu ſemicubiti, ut ex Hebr. & LXX. apparet.

V. 17. SARDIUS, &c. Nota, quod Chald. Cant. v. ait, ſcriptos fuiſſe in ſardio Rubem, in topazio Simeonem, in ſapphiro Levi, in carbunculo Iudam, in ſmaragdo Iſſachar, in iaſpide Zabulon, in beryllo Dan, in achate Nephthalim, in amethyſto Gad, in chryſolito Aſer, in onychino Ioſeph, in ligurio Beniamin. Nempe aliter lapides enumerat, quam noſter textus.

V. 20. CHRYSOLITHUS. Heb. *Tharſis*, ſcilicet a colore maris, quod ſi quietum, cæruleum eſt; aureum vero, ſi ſolis radiis percuſſum. Symm. *hyacinthum* vertit, ut etiam Hieron. Cant. v. nempe ob colorem hyacinthi qui cæruleus eſt, adeoque etiam maris. PER ORDINES SUOS. Hebr. *in repletionibus ſuis*, id eſt palis quas replent. Chald. *in cælaturis ſuis*.

V. 21. NOMINA, ſcilicet inſculpta.

V. 22. COHAERENTES. Vide ſup. num. 14. & nota, quod hæ videntur eſſe catenulæ, de quibus ſupra.

V. 23. SUMMITATE, id eſt extremitate, ſcilicet angulis ſuperioribus.

V. 26. SUMMITATIBUS, id eſt extremitatibus, ſcilicet angulis inferioribus. POSTERIORA, id eſt inferiorem partem.

V. 27. IUNCTURAE, ſcilicet rationalis, ubi alii duo annuli.

V. 30. DOCTRINAM ET VERITATEM: Forte litteris deſcriptæ erant. Auguſt. in Exod. qu. CXVII. Cyr. in expoſ.

Digitized by Google

Symboli Nicæni ait, iſta duo fuiſſe ſcripta in medio lapidum, & figuraſſe Chriſtum in medio duodecim Apoſtolorum. Heb. *Urim*, & *Thummim*, id eſt *illuminationes*, & *perfectiones*; ſcilicet iis oportet præditum eſſe pontificem. Pluralis vero numerus ſolet in Scriptura adhiberi ad copiam, ſeu perfectionem, & excellentiam ſignificandam. LXX. *Delosin*, *&* *alethian*, δήλωσιν ϗ ἀλήθειαν, id eſt *doctrinam*, ſeu *manifeſtationem*, *&* *veritatem*: ut *Urim* אורים ſit a *Iarah* ירה id eſt *docuit*; *Thummim* תומים ab *Aman* אמן, id eſt *credidit*. IUDICIUM, id eſt Rationale iudicii, vel curam & ſolicitudinem per illud ſignificatas,

V. 31. SUPERHUMERALIS, id eſt cui immediate ſuperponitur ſuperhumerale. Hæc ſupra dicta eſt *tunica*.

V. 33. TINTINNABULIS. Iuſtin. in Tryph. ait fuiſſe duodecim in figuram duodecim Apoſtolorum, quorum ſonus in omnem terram erat exiturus. Alii multo plures fuiſſe putant. Vide Eccli. xlv. Hieronym. epiſt. ad Fabiolam; Ioſeph. Lib. III. Antiq. cap. VIII.

V. 35. MORIATUR, ſcilicet me puniente, ſi aliter faciat.

V. 36. SANCTUM DOMINO. Alii, *Sanctitas Domino*; quaſi dicat: Sanctus eſt Dominus, ſancteque colendus.

V. 37. TIARAM, ſcilicet hyacinthinam, ſecundum Ioſephum.

V. 38. QUAE OBTULERUNT; quaſi dicat, commiſſas, dum non rite offerunt, ſeque ſanctificant ut debent: vel eorum, pro quibus ipſi Deo ſacrificia obtulerunt. Portat autem, ſcilicet pro iis Deo ſupplicaturus, & ſatisfacturus, in Chriſti figuram. SIT EIS; quaſi dicat: Ut populum Domino reconciliet.

V. 39. STRINGESQUE TUNICAM, &c. id eſt, facies ſtrictam tunicam ex byſſo; vel cinges eam byſſina zona. Erat hæc veſtis omnium prima, & plena, ſecundum quoſdam, ut ſupra dixi, oculis factis opere phrygionico, ſeu *ricamatura*, ut vulgo dicitur. BALTEUM, ſcilicet ad cingendum ephod. PLUMARII, ſcilicet variorum colorum.

V. 41. CONSECRABIS. Heb. *Implebis*, ſcilicet dans in manus quod offerant: id enim fiebat in ſacerdotum conſecratione. Itaque in Scriptura *Implere manum* ſignificat *conſecrare in ſacerdotem*. Senſus ergo hic eſt: Conſecrabis eos in ſacerdotes. SANCTIFICABISQUE, &c. explicatio præcedentis.

V. 42. LINEA, ſcilicet ex byſſo, ut ait Ioſephus. FEMORA, ſcilicet tota tegebant uſque ad genua.

V. 43. REI, ſcilicet iſta omittendo. LEGITIMUM; quaſi dicat, ritus. Heb. *ſtatutum*.

ESTI I.

Verſ. 1. APPLICA QUOQUE AD TE AARON FRATREM TUUM CUM FILIIS SUIS. Nondum filii Levi acceperant benedictionem ſacri miniſterii, de qua infra cap. XXXII. Sed Dominus interim præſcius futurorum, & in ſua providentia omnia diſponens, conſtituit de ſacerdotalibus indumentis Aaronis & filiorum eius, priuſquam illa tribus id feciſſet per quod ad miniſterium altaris, & tabernaculi fuit aſſumpta.

V. 4. HAEC AUTEM ERUNT VESTIMENTA QUAE FACIENT: RATIONALE, ET SUPERHUMERALE, &c. Primo loco inter indumenta pontificalia nominatur rationale. Hebraicam vocem alii *pectorale*, alii *rationale* vertunt. Et LXX. utrumque poſuerunt. Quare pectorale vocetur, cauſa manifeſta eſt, quia videlicet pectori ſummi Pontificis apponebatur. Rationale autem (quod nomen, teſte Hieronymo, myſterio non vacat) ideo dictum putant nonnulli, quia continebat ea quæ ſumma prudentia, & exacta ratione conſideranda erant a ſummo Pontifice, nempe doctrinam, & veritatem, de quibus rurſum verſ. 30. Hieron. ad Fabiolam ideo rationale appellatum dicit, quia omnium operum Dei moderatrix eſt ratio, velut media conſiſtens, ſicut rationale erat velut in corporis medio, nempe in pectore, cetera continens, & conſtringens. Vocatur etiam rationale iudicii, eo quod ſacerdos numquam ius diceret, aut ſententiam ferret in re gravi, niſi pectorale illud haberet ſuper pectus collocatum; quo velut ſigno conſulebat Dominum, quid vel agendum eſſet, vel in re dubia pronuntiandum.

V. 9. SCULPES IN EIS NOMINA FILIORUM ISRAEL. De his infra,

Me-

Digitized by Google

Memoriale filiis Iſrael, verſic. 12. & ibidem *ob recordationem*: & rurſum cap. XXXIX. *In monumentum filiorum Iſrael*. Hebraice eſt, *Lapides memoriæ ſeu recordationis filiis Iſrael*, non ut filii Iſrael recordarentur patrum ſuorum; (nam plures ex eis, ſcilicet Ruben, Simeon, Levi, pauca exempla virtutum reliquerant, plura vitiorum; omneſque in venditionem Ioſeph conſenſerant) ſed ut Pontifex meminiſſet pro omnibus æque tribubus orare: ut ſit ſenſus, Memoriale filiis Iſrael recordandis.

Si quæras quæ duodecim nomina fuerint inſcripta; num etiam nomen Levi, ſic ut pro Ephraim & Manaſſe unum nomen Ioſephi ſcriberetur: reſpondeo, probabilius eſſe quod, omiſſo Levi, Ephraim & Manaſſes ſeorſim inſcripti fuerint; iam enim hæ erant tribus diſtinctæ iuxta voluntatem, & prophetiam Iacob, & tribus Levi miniſterio tabernaculi deputata, & ſuiipſius non poterat non meminiſſe ſacerdos inter ſacrificandum.

V. 30. PONES AUTEM IN RATIONALE IUDICII DOCTRINAM, ET VERITATEM. Septuaginta vertunt, *Manifeſtationem*, & *veritatem*. Paraphraſtes Chaldæus integra reliquit Hebræa vocabula, *Urim*, & *Thumim*, per quæ Hebræi fere intelligunt *illuminationes*, & *perfectiones*. Sunt enim Heb. vocabula pluralis numeri, ut multitudinis numero ſignificetur ſumma illuminatio, & perfectio. Ideo autem iuſſiſſe Dominum inſcribi pectorali hæc vocabula, ut admoneretur ſummus Sacerdos oportere ipſum eſſe excellenti doctrina præditum, qua alios velut illuminaret, & ſumma vitæ integritate, qua doctrinam confirmaret, populumque hoc pacto perficeret. Plana, & probabilis expoſitio.

Alii ſubtilius aliquid tradunt hoc loco, nempe in pectorali ſcriptum fuiſſe nomen Dei tetragrammaton *Iehova*, quod in ſe contineat myſterium Trinitatis, cuius cognitione mens illuminetur, & perficiatur. Trinitatis autem myſterium eo nomine contineri ita oſtendunt. Nam prima littera Iod, Patrem deſignat, tamquam principium reliquorum omnium; ſecunda He, Filium, per quem creatura omnis eſſe incepit; tertia littera Vau, quæ Hebræis eſt coniunctio copulativa, ſignificat Spiritum ſanctum, qui eſt amor, & nexus Patris & Filii, ab utroque procedens; quarto autem loco repetita littera He, quæ ſecundo loco poſita fuit deſignans divinam naturam Filii, iam deſignat eiuſdem humanam naturam. Hæc memorantur tradita a veteribus Iudæis ante Chriſti nativitatem: quod an ita ſit, videndum.

MARIANAE.

Verſ. 3. SAPIENTIBUS CORDE. Sunt ſapientes ore tenus: ſicque artifices eximios vocat.

V. 4. TUNICAM ET LINEAM STRICTAM. Hebr. *Pallium* & *tunicam ocellatam*. מעיל *mehil* eſt *pallium*, תשבץ *thaſbez*, *ocellatum*.

V. 6. OPERE POLYMITO. Hebr. *Opere cogitantis*; hoc eſt artificio eximio. Talem artificem vocat cogitantem.

V. 7. DUAS ORAS IUNCTAS HABEBIT. Hebr. *Duo humeri iuncti erunt ei*: ad duas extremitates iungetur: ſcilicet ſuperhumerale ex duabus partibus conſtabat, anteriori, & poſteriori; quas *humeros* vocat, quoniam in humeris inter ſe nectebantur; aut iuncturas ipſas *humeros* vocat.

V. 8. IPSA QUOQUE TEXTURA. וחשב אפדתו *vcheſeb aphudatho*, quod Hebræi, & Chaldæi explicant: *Et artificium baltei eius, qui ſuper eum, ſicut opus ex eo* (id eſt ſimili opere) *fiat auro, hyacintho*, &c. Itaque relicto ephod tranſit ad balteum, quem *aphudah* vocat, quod conſtringendo ephod erat comparatus.

V. 11. OPERE SCULPTORIS. Sententiam expreſſit. Verba Hebraica ſic habent: *Opere ſculptoris lapidum, apertura* (id eſt ſculptura) *ſigilli aperies duos lapides, ſuper nomina filiorum Iſrael*, ſcilicet erunt. Quod Hier. addit, INCLUSOS AURO ATQUE CIRCUMDATOS, Hebr. *Circumdatos palis* (ſeu *ocellaturis*) *auri facies eos*. *Pala* Latinis eſt in qua gemma includitur, & vincitur metallo.

V. 12. ET PONES IN UTROQUE LATERE. Hebr. *Et pones duos lapides ſuper humeros ephod*. Memento *humeros* vocari iuncturas utriuſque partis ephod, quoniam ſuper humeros erant.

Verſ. 13. FACIES ET UNCINOS EX AURO. Hebr. *palas*, ſeu *ocellaturas*: eadem vox quæ verſ. 11. ſcilicet *misbezoth*.

V. 14. ET DUAS CATENULAS .... SI-

Digitized by Google

SIBI INVICEM COHAERENTES. Quædam hic omiſit Hieron. Hebr. ſic: *Et duas catenas auri puri coniunctas, facies eas opere funium ſive, plectili; & dabis catenas plectiles ſuper palas*. Adverte has *catenas* hoc loco, neque ephod hoc loco, neque rationali iungi: nam ſunt eæ, de quibus in rationali agit verſ. 22. *Coniunctas* vero refero ad ſimilitudinem & æqualitatem, iuxta illud ad Galat. IV. verſ. 25. *Sina mons eſt in Arabia, quæ coniunctus eſt*. Alioqui neſcio quorſum iunctæ eſſe deberent, præſertim nondum rationali innexæ.

V. 15. RATIONALE QUOQUE IUDICII. Cur *iudicii* vocaretur, magna quæſtio eſt. Fortaſſis iudicii, id eſt teſtimonii, quia Deus Sacerdoti eo induto indicabat quod volebat.

V. 16. MENSURAM PALMI. זרת *zereth* eſt palmus maior, digitorum duodecim.

V. 17. PONESQUE IN EO QUATUOR ORDINES. Heb. *Implebis in eo impletiones lapidis quatuor ordinum*. Porro de nominibus horum lapidum laborare non attinet: ipſis Hebræis ſunt ignota, & præſtat ſequi quod Hieronim. vertit, ſecutus LXX. Interpretes.

V. 18. FACIES IN RATIONALI CATENAS. Hebr. *pones*: iam erant factæ verſ. 14.

V. 19. ET IPSARUM CATENARUM EXTREMA DUOBUS COPULABIS UNCINIS, palis, ſeu ocellaturis: quas palas mandat poni in duobus humeris ephod; ſic rationale pendebat ab humeris ephod.

Verſ. 20. QUAE E REGIONE SUNT SUPERHUMERALIS, ET POSTERIORA EIUS ASPICIUNT. Heb. *Quæ ad latus ephod, intrinſecus*. Ita ſi rationale cateris tantum extrinſecus eſſet appenſum, moveri loco poterat: ne ſepararetur ab ephod, mandat intrinſecus etiam ligari cum eo hyacinthino funiculo; atque in eum uſum in margine interiori rationalis inſeri duos annulos.

V. 27. IN UTROQUE LATERE SUPERHUMERALIS DEORSUM. Hebr. *Et pones eos (annulos) ſuper duos humeros ephod inferius e regione eius; e regione*, inquam, *iuncturæ eius ſuperioris in artificio, ſeu textura ephod*. *Iuncturam* vocat, quam vocavit ante *humeros*: & ſub illa poni annulos iubet.

V. 28. ET STRINGATUR RATIONALE. Hebr. *Et levabunt*, ſeu *iungent rationale ex annulis ſuis ad annulos ephod funiculo hyacinthino, ut ſit ſuper texturam ephod, & non auferatur rationale ab ephod*.

V. 30. PONES AUTEM IN RATIONALI IUDICII DOCTRINAM ET VERITATEM. *Urim* & *Thummim*, id eſt *illuminationes*, & *perfectiones*. Quid vero id eſſet, non ſatis conſtat. Quidam eas voces rationali inſcriptas putant; alii nomen Dei quadrilitterum. Ioſeph. Lib. III. Antiquit. cap. XII. ſplendores quoſdam ex iis lapidibus micantes indicio proſperi eventus. Ego ſimpliciſſime puto ad nomen referendum quo vocatur rationale, ut ex eo ſui muneris admoneretur Sacerdos; qui legam in AEliano Lib. XIII. de varia hiſtoria, in AEgypto ſummum Sacerdotem geſtaſſe ſapphirum circum collum, qui vocabatur Veritas, quod Diodorus Siculus affert Lib. II. cap. III. Itaque *pones in rationali*, perinde eſt atque, *vocabis rationale, Urim* & *Thummim*.

V. 32. SICUT FIERI SOLET IN EXTREMIS VESTIUM PARTIBUS. Heb. *Sicut os loricæ erit ei, ne rumpatur*, ſcilicet ora per gyrum.

V. 40. TUNICAS LINEAS. In Hebræo non eſt *lineas*: Hieronymus addidit, quia eæ tunicæ lineæ erant, quas minores Sacerdotes geſtabant.

V. 41. CUNCTORUM CONSECRABIS MANUS. Hebr. *Et unges eos, & implebis manum eorum, & ſanctificabis eos*. *Implere manus* eſt dare illis hoſtias quas offerant, aut offerre oblationes eorum, ut Chald. explicat.

MALVENDAE.

Verſ. 4. RATIONALE. חשן *choſchen* omnes fere reddunt *pectorale*, neſcio ob quam rationem, niſi quod pectus muniret, & eſſet ornamentum pectoris; at id notio Hebraica non exprimit. Quidam deducunt a חשה *chaſchah, ſiluit, tacuit*, quod in eo myſteria Dei comprehenſa erant, & tacita depromebantur, atque eliciebantur: inde Græcos *logion* dixiſſe, & Latinos *rationale*: vide infra verſ. 15. exiſtimant Numam Pompilium ex hoc ritu *ancile* inſtituiſſe, quo Romana fata continerentur. Sed neſcio quid ancili cum

pa-

Digitized by Google

paſtorali commune: potius Iudæos imitatus Numa videtur eo in ritu quem Livius deſcribit Lib. I. cap. XX. *Salios item duodecim Marti Gradivo legit, tunicæque pictæ inſigne dedit, & ſuper tunicam æneum pectori tegumen, cæleſtiaque arma, quæ ancilia appellantur, ferre*. Certe æneum illud pectori tegumen Hebraico *pectorali*, forma, non materia, mire correſpondet. Dionyſius Halicarnaſſæus Lib. II. & Plutarchus in Numa, *mitras*, id eſt balteos, zonas, ſeu cingula, vocant. De ancilibus plura iidem auctores, & Feſtus in voce *Mamurii*. Quidam norant *choſchen* cognationem habere cum חוסן *choſen*, per Samech, id eſt *fortitudo*, *firmum præſidium*; & cum נחש *nicheſch*, *auguratus eſt*, *divinavit*: nam ex illo pectorali revelabat Deus voluntatem ſuam per *Urim* & *Thummim*, quod ſacerdos inſtar præſidii in pectore geſtabat. SUPERHUMERALE. אפוד *ephod* proprie *ſuperindumentum*, *ſupertegumentum*, *cinctum*. De ephod complura diximus in Antichriſto Lib. XI. cap. XIII. ibi vide. Quidam *amiculum* exponunt: fuiſſe in modum thoracis cum manicis recte ibi exiſtimavimus: de duplici ephod, & illo ſummi ſacerdotis proprio, & altero ſacerdotibus, & Levitis, & aliis communi ibidem egimus. TUNICAM. מעיל *meghil* aiunt eſſe *ſummam & extimam veſtem*, quæ Romanis fuit toga, Græcis pallium: & ea non ſuperinduti, nudi in Scriptura dicuntur; quamvis tunicam, & alia interiora veſtimenta retineant. Annotant, veſtem fuiſſe honoratiorem, qua reges, prophetæ, & honeſtiores in populo utebantur. A מעל *maghal*, *tranſcendere*, deducunt, quod tranſcenderet alias veſtes, & eis ſuperinduceretur; vel *prævaricari*, quod fœdum eſſet, & quaſi prævaricatio, aut tranſgreſſio, in publicum ſine ea prodire. Putant in novo Teſtamento reddi ἱμάτιον, id eſt *ſuprema & extima veſtis, quam ſuper alias induunt*, ut Matthæi V. 40. Lucæ VI. 29. Sic illud Ioan. XIII. 4. intelligunt, de Chriſto, *Et ponit veſtimenta ſua*, ἱμάτια, id eſt *ſummas veſtes*: ne quis Ieſum plane nudum fuiſſe putet, cum pedes lavaret diſcipulis. Recte notant nonnulli Hebræorum, *meghil* ſummi Sacerdotis diverſum fuiſſe a *meghil* quo alii communiter utebantur: nam iſtud ſacerdotis erat in modum tunicæ, cui ſuperinducebatur ephod; aliorum vero in modum Græcanici pallii, aut chlamydis. Hic *tunicam ſinuoſiorem* quidam apte vertunt: alii *interulam*, inepte; nonnulli *ſupparum*. De ſupparo vide Feſtum: nam inter alia, fuit veſtis conſecrata. ET LINEAM STRICTAM. כתונת *cetoneth*, *tunica*: nec dubium hinc Græcos feciſſe χιτῶν, & Latinos litterarum tranſpoſitu *tunicam*. Sed quod Noſter dixit, *Et lineam ſtrictam*, ex Hebræo varie reddunt. I. *Et tunicam ocellationis*, ſeu *ocelleatam*, id eſt opere phrygiano quaſi quibuſdam ocellis intertextam, vel acu pictam, ſeu diſtinctam, uti *ſcutulatas veſtes*, ſcutulis diſtinctas, Plinio Lib. VIII. cap. XLVIII. & Iuvenali Satyra II. II. *Tunicam circumcirculatam, circumconcluſam, circumgyratam*. Aiunt enim verbum שבץ *ſchibbez* ſignificare in rotundum arctiores & arctiores introrſus circulos ducere ornatus cauſa, faciendo circulum intra circulum, quod fiebat vel a phrygionibus acu pingendo, ſeu intexendo; vel in auro arte aurifabrorum, ut in medio lapis pretioſus introduceretur: quod opus vel bullam, vel palam, vel roſam licebit appellare. Ergo *tunicam circulatam* exponunt, id eſt intertextam, diſtinctam, ut haberet circulos arctiores & arctiores, id eſt circulos intra circulos. III. *Et tunicam arculatam*, ſeu *arcularem*; id eſt, non in circulum, ſed in quadrum, figuris, ſeu quadratis introcluſis, veluti arcuarum nimirum, ut non eſſent arctiores circuli intra circulos, ſed quadrata intra quadrata. IV. *Et tunicam teſſellæ*, *teſſellationis*, vel *teſſellatam*, quaſi eſſet opus inſititium, & emblemate vermiculatum, ac veluti teſſellis, ſeu quadriculis diſtinctum. Quidam volunt veſtem fuiſſe ocellatam, habentem palas, quibus aurum inſereretur. V. *Tunicam incluſionis*; id eſt, quæ fulgebat variis ornamentis, & præſertim incluſis lapidibus pretioſis, & margaritis, quos ſepiebant roſulæ, ſpecula, & ornamenta ex aureis facta filis. VI. *Et tunicam incluſionis*, *conſtrictionis*, *legationis*, id eſt conſtringentem corpus; quod LXX. Noſter, alii ſecuti ſunt. CIDARIM. מצנפת *mitznephet* omnes *cidarim*, *tiaram*, *mitram* reddunt. Aiunt fuiſſe pileolum rotundum, non acuminatum, quo reges, ſacerdotes, & iudices ſunt uſi & inſigniti in capite. Alii volunt fuiſſe diadematis genus,

nus, hoceſt vittam, faſciam, vel tæniam, qua caput redimeretur. *Cidarim* vocem eſſe Perſicam conſtat. Q. Curtius Lib. III. *Cidarim Perſæ regium capitis vocabant inſigne: hoc cærulea faſcia albo diſtincta circuibat*. Et Lib. VI. *Itaque purpureum diadema, diſtinctum albo, quale Darius habuerat, capiti circumdedit*. Sic infra verſ. 37. & 39. BALTEUM. אבנט *abnet* aiunt vocem eſſe peregrinam, balteumque ac cingulum militare ſignificare; quo ſacerdos utebatur, ut expeditior eſſet in miniſtrando, quo accinctus quaſi in militia ſua Eccleſiaſtica ſtaret. *Zonam* alii reddunt.

V. 8. IPSA QUOQUE TEXTURA. חשב *cheſcheb* varie vertunt. I. *Opus ingenioſum, excogitatum, induſtrium*, ſeu *artificium*. II. *Textura polymita, plumaria*. III. *Opus phrygianum*, aut *phrygianum*, ſeu *acu pictorium*. IV. *Cingulum*: intelligunt cingulum, quo ipſum ephod ſuccingebatur, quod ſingulari quadam induſtria, & ingenioſo opere confectum erat. Quidam hic femineo genere vertunt *cingulam*: & ut in præcedenti verſu duas ſcapulas, ſeu humeralia accipiunt duas alas ſuperiores, ſeu cingulas ipſius ephod; ita hic cingulum, vel cingulas exponunt duas alias alas inferiores eiuſdem ephod. Nos in noſtra Translatione ex verbo Hebraica expreſſimus, quorum mirifice ſenſum Noſter aſſecutus eſt. Illud vero, *Sicut factura*, aut *opus eius, de ex eo erit*, intelligo, quod ſicut textura ipſa ephodi erat ex auro, hyacintho, purpura, & coccino dibapho, ac byſſo internexa, ut verſ. 6. dicitur; ita varietas, ſeu variegatio eius: inſuper non uno opere, & artificio veſtis ipſa confecta erat, & alio variegata; ſed & textura, & variatio unum & idem opus, unius & eiuſdem artificis erat; quaſi dicat: Et fundus ipſe, & pictura ex eadem materia, & opere conſtabat: ſiquidem opus ipſum, ſeu veſtem ephod iam textam & factam, non phrygio acu pinxerat, aut variis figuris, & operibus diſtinxerat, & variegaverat; ſed arte plumaria in eodem opere & textura plumarius diverſos colores, & varietates acu pertexuerat, & confecerat, & æquali ac plano opere cum ipſa textura, ut variegatio extra corpus veſtis non emineret, aut varie aſperaretur, ut in opere phrygiano; ſed lævis & plana ubique totius contexti facies appareret, quamvis pluribus coloribus intexta variiſque picturis diſtincta eſſet. Quidam hunc verſum ex Hebræo ita convertunt: *Textura polymita limbi eius, quæ eſt superne in eo, fit qaemadmodum opus eius, quin ex ipſo ſit, nempe ex auro, hyacinthino, ſerico, purpureo, coccino bis tincto, & byſſo torta*. Alii: *Cingula quoque amictus eius, quæ in ipſo* erit, *prout opus eius fuerit, ex ipſo eſto, ex auro, hyacinthino, & purpureo, & coccino dibapho, & xylino internexo*: cingulam intelligunt inferiores alas ephodi. Illud vero, *Quæ in ipſo erit*, diſcretionis cauſa adiectum putant, ne hæ cingulæ pro balteo accipiantur: erat enim balteus ſeparatus; iſtæ vero cingulæ quaſi faſciæ amiculo, ſeu ephodo continentes. Nonnulli: *Et artificium accommodationis eius, quod ſuper ipſum, ſicut opus ipſius ex ipſo erit, ex auro, hyacinthino, ac purpura*, &c. Accommodationem vero exponunt, texturam quamdam ſuper veſtem ephodi circum circa firmiorem, ad hoc ut veſtis iſta accommodaretur corpori, per annulos, palas, & catenas: quæ textura ſuper extrema circumcirca non adiicienda veſti, ſed ex ipſa veſte fieri, & eſſe præcipitur, & ex eadem materia quinque filorum, & eodem polymitario, ſeu plumario opere. Nos אפדה *appuddah*, pro אפוד *ephod*, accepimus.

V. 10. IUXTA ORDINEM NATIVITATIS EORUM. Optime ſenſum expreſſit. Hebr. *Secundum, iuxta, generationes*; vel *ſicut nativitates eorum*; ſeu *prout illi nati ſunt*; id eſt, habita ratione nativitatis, & ætatis eorum, ut maior natu ſit prior; & inſerantur ætatis, & nativitatis ordine.

V. 13. UNCINOS. משבצות *miſchbetzot* vertunt *ocellos, palas, bullas, roſas, arculas*, nempe opus circumcirculationis, circumconcluſionis, de quo ſupra verſ. 4. Quidam *ſpintra*, quæ ſunt fibulæ humerariæ, teſte Priſciano. Vide etiam verſ. 11. 14. Alii *fundas*.

V. 14. SIBI INVICEM COHAERENTES. Hebr. duæ ſunt ſententiæ: *Terminales facies eas, opere funis*. מגבלת *migbaloth* reddunt, & exponunt. I. *Terminatas*, vel *terminationem*, ſeu *determinatas*: vel quod breves eſſent: aut quod terminos pectoralis, ſeu extremitates attingerent, &

con-

Digitized by Google

coniungerent. II. *Conterminatas*, id eſt vicinas, aut finitimas, vel æquales, paris longitudinis, & magnitudinis: *æquabiles* nonnulli reddunt. Illud מעשה עבות *maghaſeh ghaboth* diverſimode reddunt. I. *Opus finis*. II. *Opere plectilis*. III. *Opere intricato, complicato, condenſato*. IV. *Opere contorto, tortili*: Hiſpaniee diceremus *cadenas entorcadas*. V. *Opere rudentis*: quod hic recte quadrat: non magnitudine, ſed opere, & forma, quod rudentes ſint maxime intorti, & complicati.

V. 15. RATIONALE QUOQUE IUDICII. Quidam ex Hebræo vertunt, *Sacrum pectorale iuris*; alii, *Contemplationem*, ſeu *obſervationem iudicii*, aut *iuris*: quod myſticum valde ornamentum, atque inſtrumentum eſſet a Deo inſtitutum, cuius uſu ſortes divinæ ducerentur, certumque oraculorum petendorum redderetur ius. Cur autem ſit dictum rationale, ſeu pectorale iudicii, varie elucidant. I. Quod ſacerdos numquam ius diceret in re gravi, præſertim de voluntate Dei interpretaturus, niſi pectorale indutus. II. Quia in pectorali erant Urim & Thummim, quæ iudicium & ſententiam Dei de rebus agendis continebant: unde Numeror. XXVII. 21. dicitur, *Iudicium Urim*. III. Quod in rationali eſſet iudicium filiorum Iſrael, id eſt ordo, diſpoſitio, ſpecimen, monumentum, exemplar filiorum Iſrael, nempe nomina, & memoriæ in duodecim gemmis: infra verſ. 29. *Portabitque Aaron nomina filiorum Iſrael in pectorali iudicii ſuper pectus ſuum*, &c. & verſ. 30. *Geſtabit iudicium filiorum Iſrael in pectore ſuo*. IV. Quod in pectorali eſſent nomina duodecim tribuum Iſrael, qua cæremonia ſignificabatur, ſingulas tribus Iſrael ſuum habere ius in omnibus promiſſionibus Dei, quæ ad Abraham, Iſaac, & Iacob factæ ſunt: unde dicitur ſacerdos portare iudicium filiorum Iſrael in pectore ſuo, ut eo ritu admonerentur ſingulæ tribus, quarum nomina gemmis pectoralis inſculpta erant, ſui iuris, quod habebant in promiſſionibus Dei. V. Quod ſacerdos, exquiſiturus iudicium & ſententiam Dei de rebus magnis conſultus, quando ingrediebatur oraculum, ſemper pectorale geſtabat. VI. משפט *miſchpat* notant ſumi pro *officio ipſo*, *ordinatione*, *functione*, *adminiſtratione*, *conſulatu*, *magiſtratu*, *miniſterio publico*; ut Pſalm. LXXI. 2. *Deus iudicium tuum regi da*. Vide I. Samuel. II. verſ. 13. Ergo *pectorale iudicii* dici putant, quod eſſet peculiare inſigne, ac præcipuum ſacroſanctæ dignitatis, & ordinationis, ſacri magiſtratus, & ſacerdotii ſummi; quaſi dicat pectorale pontificatus maximi. Vide verſ. 30.

V. 17. PONESQUE IN EO. Hebr. *Et implebis in eo*. Notant verbum מילא *mille* in Pihel *plenam*, *totalem*, & *abſolutam impletionem*, ſeu *plenitudinem* ſignificare; ac ſi indicet, rationale totaliter & perfecte implendum illis quatuor ordinibus lapidum. SARDIUS. אודם *odem*, a rubedine, ſeu rubore nomen habet. Alii *ſardonycham*; nonnulli *pyropum*; quidam *rubinum*; quod etymo mire convenit. De ſarda vide Plinium Lib. XXXVII. cap. VII. TOPAZIUS. פטדה *pitdah*, voce non abludente, *topazium* volunt; alii *ſmaragdum*. De topazio Plinius Lib. XXXVII. cap. VIII. SMARAGDUS. ברקת *bareketh* a fulguratione, & coruſcatione nomen habet. Quidam *carbunculum*; alii *rubinum*; nec deſunt qui *chryſolithum* putent. *Berrocos*, voce non multum ab Hebraica abludente, noſtri vocant margaritas maioris magnitudinis.

V. 18. CARBUNCULUS. נופך *nophec* quidam idem putant cum פוך *puch*, id eſt *fuco*: unde *rubinum* vertunt: ſed quid fuco cum rubino? Hebræi quidam aiunt eſſe gemmam nigri coloris; alii *ſmaragdum*; nec deſunt qui *chryſopraſum*, de qua Plinius Lib. XXXVII. cap. V. & VIII. SAPPHIRUS. ספיר *ſappir*. De hac voce egimus ſupra cap. XXIV. verſ. 10. Explodendi qui hic vel *iaſpidem*, vel *adamantem*, aut *rubinum* interpretantur: æque delirant quidam Hebræorum, qui *magnetem* ſomniant. IASPIS. יהלום *iahalom*, ab *halam*, *concutere*, *conquaſſare* deducunt: lapis pretioſus tantæ duritiæ ut ictum reſpuat, & eo ferrum cuſſum utrimque diſſultet, incudeſque ipſi diſſiliant, indomabilis contemptor, & victor ignis: *adamantem* eſſe volunt.

V. 19. LINGURIUS, ſeu *lincurius*: לשם *leſchem*, fere omnes cum Noſtro vertunt *lyncurium*, ſeu *ligurium*: de quo neceſſe eſt apponere verba Plinii Lib. VIII. cap. XXXVIII. de lyncum urina: *Lyncum*

humor ita redditus ubi gignitur, glaciatur, areſcitve in gemmas carbunculis ſimiles, & igneo colore fulgentes, lyncurium vocatas, atque ob id ſuccino a pleriſque ita generari prodito. Novere hoc, ſciuntque lynces, & invidentes, urinam terra operiunt. Solinus cap. VIII. *Lynces, quarum urinas coire in duritiem pretioſi calculi fatentur qui naturas lapidum exquiſitius ſunt perſecuti. Iſtud etiam ipſas lynces perſentiſcere hoc documento probatur, quod egeſtum liquorem illico arenarum cumulis, quantum valent, contegunt, invidia ſcilicet, ne talis egeries tranſeat in noſtrum uſum, ut Theophraſtus perhibet. Lapidi tali ſuccini color eſt, pariter ſpiritu attrahit propinquantia, dolores renum ſedat, medetur regio morbo, lyncurion Græce dicitur.* Plinius rurſum Lib. XXXVII. cap II. de electro, ſeu ſuccino, quod nos *ambar* vocamus: *Demoſtratus lyncurion id vocat, & fieri ex urina lyncum beſtiarum, e maribus fulvum & igneum, e feminis languidius atque candidum.* Alii *dixere langurium, & eſſe in Italia beſtias langurias. Zenothemis langas vocat eaſdem, & circa Padum iis vitam affirmat.* Et cap. III. *De lyncurio proxime dici cogit auctorum pertinacia. Quippe etiam ſi non electrum id eſſet, lyncurium tamen gemmam eſſe contendunt. Fieri autem ex urina quidem lyncis, ſed egeſtam terra protinus beſtia operiente eam. quoniam invideat hominum uſui. Eſſe autem qualem in igneis ſuccinis colorem, ſcalpique. Nec folia tantum aut ſtramenta ad ſe rapere, ſed æris etiam ac ferri laminas, quod Diocles quidem ac Theophraſtus credidit. Ego falſum id totum arbitror, nec viſam in ævo noſtro gemmam ullam ea appellatione.* Vides Plinii inconſtantiam de lyncurio. Plerique exiſtimant, neque ex urina lyncum ullam gemmam concreſcere, neque *lyncurium* gemmam eſſe in rerum natura; ſed *lyngurium*, uti LXX. Ioſephus, & Noſter habent, ut etiam Tertullianus Lib. II. adverſus Marcionem, cap. x. Ligurium quidam putant eſſe genus carbunculi, quod anthracites appellatur, & in Liguria, unde nomen accepit, naſci nonnulli tradiderunt, apud Plinium Lib. XXXVII. cap. VII. Alii quod, magis reor, *ligurium* eſſe *ſuccinum*, ſeu *electrum*, quod Theophraſtus in Liguria effodi dixit, ut auctor eſt Plinius Lib. XXXVII. cap. II. Et Strabo Lib. IV. pag. 202. *Copioſum eſt etiam apud Ligures lyncurium* (melius ligurium) *quod nonnulli cognominant electrum.* De ſuccino plura Plinius Lib. XXXVII. cap. II. & III. quod tamen a gemmis diſtinguit. Nec deſunt qui לשכם *leſchem*, *cyanum* gemmam interpretentur, de qua Plinius Lib. XXXVII. cap. IX. Aliqui putant ab urbe Leſchem, cuius extat mentio Ioſue XIX. 37. factum gemmæ nomen, quod in ea urbe plurimus hic lapis reperiretur: alii e contra a gemma, quæ ibi naſceretur, inditum urbi nomen. *Hæc* eſt celebris illa Dan, ſeu Paneas, de qua multa diximus in Antichriſto Lib. III. cap. VIII. S. Hieronymus epiſt. CXXVIII. ſuſpicatur, *leſchem* eſſe hyacinthum, quod alioqui hæc præſtantiſſima gemma prætermiſſa eſſet in rationali. Recentiores Hebræi *thurqueſam* exiſtimant. ACHATES. Ita LXX. & fere omnes. Nec tamen deſunt qui שבו *ſcebo*, *turcicum* exponunt: alii *topazion*, De achate Plinius Lib. XXXVII. cap. I. & X. AMETHYSTUS. De eo Plinius Lib. XXXVII. cap. IX. אחלמה *achlamah* quidam aiunt eſſe *gemmam, quæ vituli oculum forma, & colore referat.* Alii *lyncurium* a חלם *chalam*, *ingroſſari*, quod nimirum ex lyncis urina ſit concretus. Alii gemmam ſic dictam, vel quod inſomnia inducat, vel quod mala inſomnia depellat.

V. 20. CHRYSOLITHUS. תרשיש *tarſchiſch chryſolithum* vertunt LXX. Aquila, & Noſter, de qua Plinius Lib. XXXVII. cap. IX. & XI. Symmachus *hyacinthum*; alii conſona voce *turcicum*, ſeu *turqueſam*, quidam *beryllum thalaſſium*, ſeu *marinum*. De beryllo Plinius Lib. XXXVII. cap. V. *Probatiſſimi ſunt ex iis qui viriditatem puri maris imitantur.* Gemmarii *aquas marinas* vocant. Et huic competit nomen Tharſis, quod mare ſignificat. Vide Notas in Ezechiel. I. 16. ONYCHINUS. שוהם *ſchoham*, *onyx*, vel *ſardonyx*. Vide Geneſ. II. verſ. 21. de onyche Plinius Lib. XXXVII. cap. VI. *Sardium* hic quidam volunt. BERYLLUS. ישפה *iaſchpeh* Græci, Chaldæi, Noſter *beryllum* interpretantur; ſed ſonus Hebraicæ vocis *iaſpidem* poſcit. INCLUSI AURO ERUNT PER ORDINES SUOS. Hebr. quidam ſic reddunt: *Impacti fundis aureis ſunto in inſitionibus ſuis.*

V. 22. CATENAS SIBI INVICEM COHAERENTES. Hebr. *Catenas termini*

mini opere funis. Vide ſupra verſ. 14.

V. 25. QUOD RATIONALE RESPICIT. Hebr. *E regione facierum eius*. Quidam: *Verſus anteriorem partem eius*, nempe ſummi ſacerdotis, cuius tegebat pectus: alii, *eius*, id eſt ephodi, nempe anterioris partis eius.

V. 26. IN SUMMITATIBUS. Hebr. *Super duas extremitates*: inferiores nimirum intelligunt: nam de ſuperioribus iam locutus fuerat verſ. 23. 24. 25. IN ORIS, QUAE E REGIONE SUNT SUPERHUMERALIS, ET POSTERIORA EIUS ASPICIUNT. Nos in noſtra Translatione Hebræa ex verbo reddidimus (* *Super labio eius, quod ad tranſitum ephod in domum.*) Quidam ea ita exprimunt: *In ora eius, quæ eſt in latere ipſius ephod intrinſecus*. Alii: *In ora eius, quæ eſt verſus ephod intus*, id eſt in parte interna, quæ contingit ſuperhumerale. Nonnulli: *Intrinſecus in ora eius, quæ erit ſecus amiculum*, id eſt in poſteriore pectoralis parte, ut commiſſura annulorum lateret ſub angulis eius, & pectorale ſacrum inſideret cingulis, ſeu alis amiculi, vel ephodi quoties conſtringeretur, e verſ. 28.

V. 27. NEC NON ET ALIOS DUOS ANNULOS, &c. Totum hunc verſum Hebraice ſubobſcurum, quidam dilucidius conati ſunt exprimere in hunc modum: *Et facies duos annulos aureos, & pones eos in duobus lateribus ephod inferne, e regione iuxta commiſſuras eius, ſupra texturam polymitam ipſius ephod*. Illud, *E regione iuxta commiſſuras eius*, exponunt: In anteriore parte, e regione utriuſque iuncturæ eius, ſupra cingulum, vel balteum, ſive artificium ſuperhumeralis. Alii: *Similiter facies duos annulos aureos, quos indes duobus humeralibus ipſius amiculi, ſeu ephodi, inferne, verſus anteriorem partem eius, e regione* alterius *commiſſuræ eius, a ſuperiore parte cingulæ ipſius amiculi*, ſeu ephodi. Illud *humeralibus* explicant *ſubaxillaribus*, id eſt duabus cingulis, ſeu alis inferioribus, quæ etiam humerales dicuntur, & a Trebellio Pollione in D. Claudio vocantur *ſubarmalia*. *Subarmalis* meminit quoque Flavius Vopiſcus in Aureliano. Quidam neutrum faciunt *ſubarmale*; alii maſculinum *ſubarmalem* voluntque veſtem eſſe pacificam, feſtivalem, & pompatilem, quæ vel ſub armo, vel ſupra armum fibula necteretur: de qua Caſaubonus, & Salmaſius: aut quod ea milites ſub armis uterentur, cui arma inducebant, ut vult Turnebus. Qua etiam ratione in Gloſſis S. Iſidori *armiluſa* dicitur *ſcapulare monachorum*. Sed nihil ſubarmalia Trebellii, & Vopiſci ad noſtra כתפית *cetephot*, *ſcapulas*, ſeu *humeralia* ephodi. Illud vero, *A ſuperiore parte cingulæ ipſius amiculi*, exponunt: Nam ita commodius ſub inferiore parte pectoralis vitta conſtringebatur, cum extremitas cingulæ, vel alæ ei ſubiiceretur, ut verſu præcedenti. De ſignificato vocis *cheſcheb*, quam hic *cingulam*, vel *alam* vertunt, diximus verſ. 8.

V. 30. DOCTRINAM, ET VERITATEM. אורים *Urim*, & תמים *Thummim*. De his complura ſcripſimus in Antichriſto Lib. XI. Quidam annotant, *Urim*, & *Thummim*, quæ & qualia fuerint, non conſtare; certum autem eſſe, non numerari inter ea quæ artificibus commiſſa ſunt facienda; nec hominum artificio facta, aut comparata fuiſſe; ſed Moſi ſoli a Deo data, ut ea ſacro pectorali inderet: prout feciſſe legimus Levit. VIII. 8. ac propterea fortaſſe ſupra verſ. 16. iuſſiſſe Deum, pectorale fieri duplicatum, ut *Urim*, & *Thummim* intus reponerentur, & ab utraque parte laterent. Equidem in omnibus aliis ornamentis & veſtibus ſummi ſacerdotis ſemper ſcriptum exſtat, *Et facies*, *Et facient*, *Et ſculpes*, *Et ſcribent*; atque in ipſa eorum curatione, *Et fecerunt*, vel *inciderunt*; at de Urim, & Thummim tantum dicitur, *Et pones*; ſeu, ut eſt Hebraice, *Et dabis*, *Et dedit*, ut hic, & Levit. VIII. 8. Ergo cum pectorale fuerit duplicatum, ut verſ. 16. dicitur, nempe geminum, inſtar burſæ corporalium apud nos; exiſtimant a tribus lateribus commiſſum fuiſſe, ex uno autem laterum, dextro videlicet, apertum, quo aliquid in illo ornamento aſſervandum inſerri poſſet; inter utramque vero partem Urim, & Thummim illata fuiſſe, ibidemque tamquam in burſa ſervata, ſacerdotis hæſiſſe pectori: inde vero proferri ſolita quoties

* *Ne quid in hac editione Commentariis Malvendæ deeſſe cuiquam videretur, ubicumque ad ſuam Translationem Lectorem provocat, verba ipſius, quæ in Lugdunenſi editione, ut in Præfatione generali dictum eſt, Vulgatæ oppoſita erat, parentheſi incluſa, hic Commentariis deinceps inſerentur.*

divinum reſponſum petendum eſſet: nam erant myſteriorum plena, & inſtrumenta divinorum oraculorum. Hanc autem rem, ſeu hoc genus Urim, & Thummim, aliqui arbitrantur fuiſſe multiplici figura diſtinctum, ſimul etiam clarum, lucidum, ſpeculique inſtar terſum: quod ex nominum figura, & numero etiam multitudinis intelligunt: nam ex verbo *inflammationes, illuminationeſque*, & *perfectiones*, atque *ſimplicitates* reddere poſſumus, cum adiuncta notatione inſigni, videlicet *illas illuminationes*, & *illas perfectiones*. Quanam autem materia, opere, artificio conſtarent, omnino ignorari. Forſterus: *Ego Urim & Thummim inde exiſtimo habere appellationes, quod Deus per Urim, luces, revelare conſilium, & voluntatem ſuam, quid eſſet faciendum; & per Thummim effectionem, & conſummationem voluntatis ſuæ ſignificare voluerit; quaſi dicat, Conſilium, & effectio: nam verbum* תמם *tamam principaliter perficere notat*. AEgyptios imitatos hunc ritum Urim & Thummim, ex Diodoro, & AEliano in Antichriſto Lib. XI. cap. XI. demonſtravimus. Subtilius quidam exponunt, *cavernas, valles, & integritates*: quod in pectorali ſacro ad ornatus decorem eſſent quædam cavernulæ, ſeu foſſulæ, & quaſi valles, & alia integra, & extantia: ut variaretur opus partibus & locis quibuſdam depreſſioribus, aliis extantibus. Urim cavernas, vel valles ſignificare Iſaiæ XXIV. verſ. 15. notant. ET GESTABIT IUDICIUM FILIORUM ISRAEL. Quidam exponunt *Iudicium*, id eſt pectorale iudicii; ut arca dicitur *teſtimonium*, id eſt arca teſtimonii, metonymice, & ſynecdochice: alii, *Iudicium*, id eſt nomina filiorum Iſrael, tamquam memoriale & monumentum, e verſ. 29. nonnulli, *Iudicium*, id eſt cauſas, & negotia Iſraelitarum, ut ad Deum referret. Ego exiſtimo *iudicium* hic dici plenam & abſolutam ſcientiam, notitiam, & auctoritatem iuris divini & humani, quam ſacerdos in pectore geſtare debuit, a quo Iſraelitæ petere, & accipere iubebantur: quia præcipua iuris divini explicandi, & humani ſtatuendi auctoritas penes Pontificem erat. Hanc clauſulam proculdubio expoſuit Moſes Deuter. XXXIII. verſ. 10.

Verſ. 32. SICUT FIERI SOLET IN EXTREMIS VESTIUM PARTIBUS. Hebr. *Sicut os* תחרא *tachara, loricæ* communiter vertunt: ſed conſentiente voce, litterarum tranſpoſitu, nos *thoracis* diximus; quod, auctore Servio ad illud VII. AEneidos,

—— *alii thoracas ahenos*,

apud maiores loricæ tantum pectora tegebant: nec erat eis os, ſeu capitium, ut thoracibus. Forſan innuit in ore, ſeu capitio pallii, ſeu tunicæ illius hyacinthinæ, non eminuiſſe collare, ſeu faſciam circum collum; ſed depreſſum fuiſſe capitium, & ut Hiſpanice dicimus, *cuello baxo, y escotado*, ut in loricis, & thoracibus militaribus. Annotant quidam, os tunicæ, & os loricæ, ſeu thoracis, quod hic dicitur, Græcis appellari περιςόμιον, quod nihil quidem aliud eſt quam os & apertura ambiens id quod intromittitur; Latinis vero priſcis vocari *luram*, quia loro aliquo plurimum conſtringi apertura eiuſmodi, & firmari ſolet, ut hoc verſu dicitur. Sed *lura* Feſto eſt *os culei*, ſeu *utris*: & Auſonio in Periocha Odyſſeæ XIII. *lura* pro utre ponitur.

V. 33. TINTINNABULIS. פעמונים *peghamonim* aiunt eſſe *inſtrumenta muſica* a percutiendo & concutiendo ſic dicta, quæ vel *crepitacula*, vel *cymbala*, ſeu *nolas* appellare poſſumus. Alii communiter *tintinnabula* vertunt, nec eſſe muſica inſtrumenta: *nolas*, aut *campanulas* recte interpretabimur. Vide in Eccleſiaſticum, cap. XLV. verſ. 11.

V. 36. LAMINAM. ציץ *tzitz* proprie eſt *flos*, ſcilicet ex folliculo iam enatus: hinc ſumi pro ornamento capitis in modum floris: LXX. dixerunt πέταλον, id eſt *folium*; Noſter *laminam*; alii *bracteam*; nonnulli *frontale*; quidam *alam pennam*. Fortaſſe fuit *apex* inſigne ſacerdotum, quem deſcribit Servius II. AEneidos. Pleriſque aiunt fuiſſe laminam duorum digitorum ab aure ad aurem pertingentem inſtar diadematis. SANCTUM DOMINO. Hebr. *Sanctitas* IHUH. I. Id eſt, Dominus eſt ſanctiſſimus, & ſacratiſſimus; eſt ipſa ſanctimonia, munditas, puritas. II. Dominum decet omnis ſanctitas; quaſi dicat: Procul, o, procul eſte profani: ſancte, caſte, & pure colendus eſt Deus. III. Sacerdos ipſe eſt conſecratus Domino.

V. 38. PORTABITQUE AARON INIQUITATES EORUM QUAE OBTU-

LE-

LERUNT, ET SACRIFICAVERUNT FILII ISRAEL, &c. Hanc partem dilucidius ſic quidam ex Hebræo convertunt : *Et feret Aaron iniquitatem conſecratorum, quæ conſecrant filii Iſrael cunctis donis ſuis ſanctis*; id eſt, tollet iniquitatem quam admittere poſſent Iſraelitæ in omnibus muneribus ſuis, quæ conſecrant Domino, ſi quid peccent non rite offerendo, aut ea offerendo quæ offerri non debent, condonabiturque eis propter ſacerdotem ſummum. Alii : *Ut auferat Aaron iniquitatem rerum ſacrarum, quas conſecraverint filii Iſraelis omnium donorum, rerum conſecratarum ab illis*. UT PLACATUS SIT EIS DOMINUS. Hebr. *In beneplacitum, in benevolentiam, in bonam voluntatem, ad acceptationem eorum coram Domino*: quidam, *Pro reconciliatione eorum coram Domino*; id eſt, ut conciliet eis beneplacitum, benevolentiam, bonam voluntatem, acceptationem, favorem & gratiam Dei; ſive ut illos Deo gratos & acceptos reddat cum muneribus ſuis. Et hæc quidem non tam in perſona propria, quam primario & principaliter in perſona Chriſti ſummi Pontificis, quem typice ſacerdos ille Moſaicus referebat : notari enim hic obſervant duo beneficia Chriſti propria, quæ ſunt remiſſio peccatorum, & reconciliatio, æternaque benevolentia Dei erga homines.

V. 40. TIARAS. מגבעת *mighbaghoth* aiunt eſſe *galericulos*, in modum collis, ſeu ſcyphi formatos; alii *mitras, tiaras*; plerique *pileolos*, ſeu *pileos*; nonnulli *petaſos*; quidam exiſtimant, fuiſſe pileos latiores inſtar petaſorum, habentium in medio colliculum, ſpecie quodammodo cardinalitii galeri; alii epiſcopalium mitrarum ſpeciem retuliſſe exiſtimant. Sed eorum formam accurate deſcripſere Ioſephus Lib. III. Originum, cap. VIII. & Sanctus Hieronymus epiſtola CXXVIII.

V. 41. ET CUNCTORUM CONSECRABIS MANUS. Hebr. *Et implebis manum eorum*. Obſervant, in lege ritum & cæremoniam fuiſſe ut ſacerdotibus, quibus ſacrificandi munus committeretur, manus implerentur partibus ſacrificiorum: vide infra cap. XXIX. verſ. 24. & nemini licuiſſe ſibi ſumere officium ſacrificandi, etiamſi eſſet ex tribu Levi, niſi prius hac cæremonia eſſet initiatus: ex quo ritu factum putant, ut implere manum ſumatur pro conſecrare, ſeu initiare ſacris, ut cap. XXIX. 9. cap. XXXII. 29. & alibi. Ex eodem ritu volunt Eccleſiam catholicam accepiſſe ut initiandis ſacerdotibus in conſecratione manus implere ſoleat, dato libro, & calice, quibus illis tribuit ius & poteſtatem miſſas celebrandi, & prædicandi verbum Dei: unguntur etiam manus eorum ſacro chriſmate; ſed non eſt dubium Chriſti hanc eſſe inſtitutionem ex apoſtolica traditione. Aliqui hic : *Et implebis manum eorum*, exponunt : Id eſt, ſuppeditabis illis victimas, & trades in manus eorum, ut offerant. Alii: Id eſt, tu mittes eos in poſſeſſionem ſacerdotii: nam cum aliquis mittitur in poſſeſſionem alicuius rei, ea traditur in manus eius. Ergo tradendo certas partes ſacrificiorum in manus ſacerdotum, immittebantur ſolemniter in poſſeſſionem muneris ſacrificandi, in eoque pleniſſime confirmabantur: inde *implere manum* ad quamvis conſecrationem traductum eſt.

V. 42. FEMINALIA. מכנסי *micneſe* exponunt *colligamenta, collectiones, ligacula, colligacula, ſubligacula, conſtrictoria ſubligacula, femoralia*, ſic dicta a colligendo, & conſtringendo, nimirum eas partes quas natura tectas eſſe voluit.

V. 43. NE INIQUITATIS REI MORIANTUR. Hebr. *Et non portabunt iniquitatem, & morientur*; hoc eſt, ſi ſic fecerint, non facient iniquitatem, ob quam debeant mori; ſeu nihil dignum morte committent. Quidam exponunt: *Ne ferant iniquitatem, & moriantur*; hoc eſt, ne ſi ſecus fecerint, peccent, ob idque moriantur. Alii: *Ne ferentes iniquitatis pœnam, moriantur*.

MENOCHII.

Verſ. 1. APPLICA: *accedere fac*, ut eſt in Hebræo. AARON FRATREM TUUM CUM FILIIS SUIS: ut eos ſacerdotes conſecres, & veſtibus ſacerdotalibus induas.

V. 2. VESTEM SANCTAM: enallage, pro veſtes ſanctas, veſtes ſacerdotales. IN GLORIAM, ET DECOREM, ſacerdotum, & ſacerdotalium munerum.

V. 3. SAPIENTIBUS CORDE, artificibus peritis. SPIRITU PRUDENTIAE. Late ſumitur prudentia, ut etiam artem, & peritiam mechanicam ſignificet. Hi ar-

ti-

tifices erant Beſeleel, & Ooliab, de quibus cap. xxxv. num. 30. Vocatur ſpiritus prudentiæ, quia erat prudentia a Deo aſpirata.

V. 6. SUPERHUMERALE, quod Hebraice dicitur אפוד *ephod*, id eſt pallium, ſive extima veſtis, quæ aliis ſuperinduitur; LXX. ἐπωμίδα appellant, quod idem ſignificat quod ſuperhumerale. PURPURA, COCCO, &c. Hæc cap. xxv. explicata ſunt. OPERE POLYMITO, id eſt opere variorum colorum, & liciorum. LXX. vocant opus textile variegatoris: erat enim ephod Pontificis textum ex ſtamine byſſino, & ſubtegmine tricolori; videlicet hyacinthino, coccineo, & purpureo, intermixtis filis aureis. Aliud erat ephod lineum purum, quo utebantur inferiores ſacerdotes, taleque fuit ephod Samuelis I. Reg. II. 18. & ſacerdotum a Saule occiſorum I. Reg. XXII. 18. Tali etiam uſus David ſaltans ante arcam II. Reg. VI. 14.

V. 7. DUAS ORAS, ſupra utramque humeri partem, ut per eas commodius Pontifex poſſet caput inſerere, & ephod induere; quo cum erat indutus, tunc oræ illæ fibula nectebantur. SUMMITATUM, quia non ſub axillis, ſed in ſummo ephod ſuper humeros erant.

V. 9. LAPIDES ONYCHINOS, ita vertunt paſſim; LXX. tamen habent *Smaragdos*; Ioſephus *Sardonychas*; Arias Montanus putat eſſe *Beryllos*. Vide dicta Geneſ. II. 12. eſt enim hic eadem vox Hebræa שהם *ſcoam*.

V. 10. SEX NOMINA IN LAPIDE UNO, &c. Onychi dextero inſculpta erant hæc nomina Ruben, Simeon, Iudas, Dan, Nephthali, & Gad: ſiniſtro Aſer, Iſſachar, Zabulon, Ephraim, Manaſſes, & Beniamin. Nomen Levi inter duodecim tribus non numerabatur, & alioqui ipſe ſacerdos, utpote levita per ſe ſuam tribum repræſentabat.

V. 11. CAELATURA GEMMARII. Hebr. *Apertionibus ſigilli*, hoc eſt ad eum modum quo in gemmis, quibus utimur pro ſigillo, ſymbola, & characteres deſcribuntur.

V. 12. MEMORIALE FILIIS ISRAEL, ut meminiſſet Pontifex, ac populus fidei, probæque vitæ duodecim Patriarcharum, eamque imitarentur. II. ut recordaretur in orationibus duodecim tribuum, quæ ex illis patriarchis prognatæ. III. ut meminiſſet Pontifex & pectore, & humeris portandum populum; pectore per amorem & caritatem, humeris per tolerantiam earum moleſtiarum quæ Pontificalem curam comitantur.

V. 13. UNCINOS EX AURO, ut ſcilicet per eos, & catenulas, rationale alligaretur ſuperhumerali, ipſi nimirum ephod.

V. 14. SIBI INVICEM COHAERENTES, cuius ſcilicet circuli, ſive annuli, ex quibus catenula conflatur, invicem innexi cohæreant.

V. 15. RATIONALE QUOQUE. Hæc eſt ſecunda veſtis Pontificis. Dicebatur ab Hebr. חשן *choſen*, a Græcis λόγιον, a Latinis *rationale*. Sic autem appellabatur, quia Pontificem, & populum admonebat eorum quæ ſumma prudentia, & ratione ipſis in ſuo officio, ſacrificiis, & ſacerdotio conſideranda erant, quæque ſignificabantur per nomina filiorum Iſrael, perque *Urim*, & *Tummim*, id eſt per *Doctrinam*, & *Veritatem*, quæ rationali inſcripta erant. Secundo ſic appellabatur, quia rationale hoc dabat oracula, quaſi mente, aut ratione provida, & prophetica præditum foret. IUDICII. Iudicii nimirum partim humani, partim divini. Humani, hoc eſt debiti, & officii ſacerdotis, & populi Iſrael, cuius, ut dixi, eos admonebat. Divini, quo ſcilicet Deus ſententiam ſuam dicebat per Pontificem, a quo conſultus oraculum per rationale edebat; quod oraculum ſententia & iudicium Dei erat.

V. 16. QUADRANGULUM ERIT, omni ex parte æquilaterum. ET DUPLEX, ex duplici tela conſtans, ad hoc ut ſuſtinere poſſit gemmas in eo collocandas.

V. 17. IN PRIMO VERSU ERIT LAPIS SARDIUS &c. LXX. etiam ipſi *ſardium* vocant. Plinius appellat *ſardam*. Sic dicta eſt gemma a Sardibus Lydiæ urbe ubi primum inventa eſt, rubei coloris. Arias Montanus putat ſardium eſſe eam gemmam, quam nos appellamus *rubino*. TOPAZIUS. Gemma virens, de qua vide Plin. Lib. XXVII. cap. VIII. non ſemel hæc gemma laudatur in Scripturis. SMARAGDUS: & hæc eſt virens gemma. Vide Plin. Lib. XXVII. cap. V.

V. 18.

Digitized by Google

V. 18. Carbunculus, ita dictus quod igniti carbonis ſpeciem referat. Vide Plin. Lib. XXVII. cap. vii. Sapphirus, gemma cærulei, ac cæleſtis coloris; ſubinde tamen hæc gemma aureis punctis collucet, vel etiam purpuraſcit. Vide Plin. Lib. XXVII. cap. ix. Iaspis. Huius multæ recenſentur ſpecies; primaria tamen ſpecies, quæ *grammatias*, vel *polygrammas* dicitur, virens eſt, affiniſque ſmaragdo. Vide Plin. Lib. XXVII. cap. ix.

V. 19. Ligurius. Ita etiam LXX. D. Hier. Epiſt. ad Fabiolam *Lyncurium* appellat. Non ſatis conſtat quænam ſit hæc gemma; qui verius loquuntur, ſuccini ſpeciem eſſe dicunt. Achates. Ab Achate Siciliæ fluvio ſic dictus hic lapis, in quo primo inventus: gemma eſt ſatis vulgaris, & mira in coloribus varietas. Vide Plin. Lib. XXVII. cap. x. Italice appellamus *Agata*. Amethystus, purpurea, vel violacea gemma, vel potius mixtam habens violam purpuræ. Ita appellata quod ebrietatem prohibere credatur. Vide Plin. Lib. XXVII. cap. ix. qui aliam etymologiam affert.

V. 20. Chrysolithus, lapis aurei coloris, ut nomen indicat. Vide Plinium ibid. Onychinus, gemma humani unguis coloris, & candoris. Vide dicta Geneſ. ii. num. 12. Beryllus. gemma viridis, ſed cum pallore. Vide Plin. Lib. XXVII. cap. v. Harum myſteria difficile eſt aſſequi. Vide tamen multa apud Cornelium a Lapide.

V. 21. Habebuntque nomina. Ipſa nomina characteribus deſcripta, non quod exiſtimavit Prado in cap. i. Ezech. pag. 43. ſymbola, ſeu inſignia cuiuſvis tribus. Italice dicimus: *L'Arme*.

V. 22. Catenas, de quibus num. 13.

V. 26. Facies et duos annulos, &c. Hoc verſ. 26. & duobus ſequentibus deſcribitur ligamen rationalis cum ephod per quatuor annulos, qui erant in extremitatibus rationalis, per quos traiecta vitta hyacinthina adſtringebat rationale cum ephod, in quo ephod pariter apte reſpondentes annuli erant inſerti. Et posteriora eius aspiciunt. *Poſteriora*, id eſt interiora: pars enim anterior exterior erat, & viſu patens; poſterior vero interior, abſcondita, & tecta.

V. 27. Contra faciem iuncturae. Hebr. *E regione iuncturæ eius ſuper texturam ingenioſam ephod*.

V. 29. Super pectus suum. Heb. *Super cor ſuum*.

V. 30. Doctrinam, et veritatem. Heb, אורים ותמים *Urim vetummim*, iuxta varias derivationes ſignificant ſive *doctrinam*, & *veritatem*, ut noſter habet Interpres; vel *illuminationes*, & *perfectiones*. Videntur hæ duæ voces ſcriptæ fuiſſe in rationali, & ſignificaſſe doctrinæ ſplendorem, & integritatem vitæ, quæ in Pontifice, qui paſtor, doctor, & princeps erat, requirebantur. Gestabit iudicium, id eſt rationale iudicii.

V. 31. Tunicam superhumeralis. Hæc eſt tertia veſtis Pontificis.

V. 32. Capitium. In Heb. eſt *Os capitis*, id eſt apertura, ſive foramen in ſummo, per quod caput tranſmittatur. Et ora per gyrum, &c. Ora hæc erat fimbria, vel lymbus aperturæ iam dictæ; ſive capitii latera, ne rumperentur, tegens, & firmans per circuitum. Textilis, non acu facta, ſed opere textili.

V. 33. Mixtis in medio tintinnabulis. Erant alternatim ſita malum punicum, & tintinnabulum; hæc erant ex auro, illa ex hyacintho &c. Aliqui aiunt fuiſſe ſeptuagintaduo tintinnabula, & totidem mala punica. Ita S. Hier. & Iſidor.

V. 35. Et non moriatur, ſi ſecus ſecerit, ſi non paruerit.

V. 36. Laminam. Lamina hæc affixa erat tiaræ in fronte Pontificis. Sanctum Domino. Hebr. קדש ליהוה *quodeſc le Iehova*, *ſanctitas Iehova*; quaſi dicat, Deus ſanctiſſimus eſt, immo ipſa ſanctitas. Colendus ergo rite, ſancte, & religioſe. Tiaram, hyacinthinam ſecundum Ioſephum.

V. 38. Quae obtulerunt; quaſi dicat, commiſſa dum non rite offerunt, ſeque non ſanctificant ut debent. Vel eorum pro quibus ipſi Deo ſacrificia, obtulerunt. Portat autem pro iis ſupplicaturus, & ſatisfacturus in Chriſti figuram. Ut placatus sit eis Dominus: hac enim quaſi proteſtatione laudis, & ſanctitatis Dei, hocque actu latriæ, & obedientiæ vel maxime exorabit Deum, ut populo reconcilietur; & hoc modo portabit, & auferet peccata populi.

V. 39.

Digitized by Google

V. 39. STRINGESQUE TUNICAM BYSSO. Eſt quarta veſtis ſacerdotalis, ſcilicet tunica linea, & ſtricta. Hanc tunicam iubet ſtringi byſſo, id eſt zona byſſina, quam Ioſephus ait ſuiſſe latam quatuor digitos, & ita contextam, ut ſerpentis exuvium videri poſſet, & floribus varii coloris picturatam. Tunicam, factam ex byſſo: ſtrictam, ſine rugis, aut ſinibus, ad crura tantum uſque demiſſam ſecundum S. Hier. qui tamen eam poderem vocans, ad talos uſque deſcendiſſe ſignificare videtur. TIARAM, ea eſt quæ etiam cidaris dicitur, & mitra. Tiara Pontificis capitis erat integumentum aliquantulum aſſurgens, & faſcia, ſeu vitta circumdatum, ut olim mos regibus, & ſacerdotibus. ET BALTEUM, zonam extimam, quæ ſuperhumerale, & omnes alias veſtes cingat. OPERE PLUMARIO. Vide ſupra cap. XXVI. 1.

V. 40. PORRO FILIIS AARON, &c. Hinc numerantur veſtes minorum ſacerdotum, quæ erant quatuor: Feminalia, tunica linea, zona, tiara. Carebant ergo tunica hyacinthina, ephod, rationali, & lamina aurea cum nomine Domini, quam habebat Pontifex.

V. 41. CONSECRABIS MANUS. Heb. *Implebis*, ſcilicet dans in manus quod offerant: id enim fiebat in ſacerdotum conſecratione. Senſus ergo eſt, Conſecrabis eos in ſacerdotes.

V. 42. FEMINALIA, linea ex byſſo retorta, ut vult Ioſephus. A RENIBUS USQUE AD GENUA, incluſive. Ideo inſtituta feminalia, ne, ſi cadere ſacerdotem contingeret, revelaretur turpitudo ejus, ut loquitur Scriptura.

V. 43. LEGITIMUM SEMPITERNUM. Lex perpetuo ſervanda Aaroni, & poſteris eins.

TIRINI.

Verſ. 4. HAEC ERUNT VESTIMENTA. Vulgarium ſacerdotum veſtimenta, quibus in tabernaculo miniſtrabant Deo, erant hæc quatuor. Primo ſemoralia linea, ſeu byſſina. Secundo, tunica talaris, etiam linea, ſeu byſſina, ſed ſtricta, id eſt ſine laxitate, aut fluxu ſuperfluæ materiæ, ſine rugis, ſinibus, aut plicis, ſed corpori ubique decenter adapta ta. Tertio zona ſeu balteus, *opere phrygio contextus ex variis coloribus*, inquit Ioſephus *a*, Hieronymus, & Iſidorus, *ſed ſine auro; latus quatuor digitis, textura præ ſe ferens exuvium ſerpentis*. Quarto cidaris ſeu tiara in capite, & quaſi pileus, e byſſo, rotundus inſtar mediæ ſphæræ, per vittam occipitio adſtrictus. Præter hæc omnibus ſacerdotibus communia, habebat ſummus Pontifex alia quatuor ſibi propria. Primo tunicæ ſtrictæ albæ, de qua iam dixi, ſuperinduebat aliam tunicam ſere talarem, ſed hyacinthinam, *e qua inferne aurea tintinnabula, & mala punica opere phrygio contexta, numero ſeptuaginta*, inquit Ioſephus, *alternis dependebant*. Secundo zona altera, & priore nobilior, qua veſtis hæc hyacinthina adſtringebatur. Tertio, ſuperhumerale veſtis erat extima, eademque pretioſiſſima polymito, ſeu Phrygio opere contexta; Græce *ἐπωμίς* dicta, quod humeros tegeret; Hebraice *Ephod*. Erat inſtar interulæ ad cingulum uſque porrectæ, quæ duabus conſtabat partibus, anteriori, & poſteriori: quæ duæ partes in utroque latere ſummitatum, id eſt in utriuſque partis ſummitate, iungi debebant in humeris, ut e duabus una quaſi thorax efficeretur. Et habebat hic thorax in anteriore pectoris parte ſuperaſſutum aliud pretioſioris operis phrygici ornamentum quadratum palmare, dictum Græce λόγιον, Latine *Rationale iudicii*: quod per illud, quaſi eſſet rationale ſeu ratione præditum, redderentur oracula & reſponſa divina, quibus iudicia ſeu ſententiæ Dei hominibus manifeſta fiebant. Pontifex enim indutus ephod, & ornatus hoc rationali, conſulebat Deum de futuris & dubiis; Deus vero voce aliqua vel interna, vel externa reſpondebat conſulenti. Huic rationali intextæ erant duodecim pretioſæ diverſi generis gemmæ, & cuique gemmæ inſculptum nomen unum duodecim Patriarcharum vel tribuum Iſrael. Eadem nomina erant etiam inſculpta duobus apidibus onychinis eximiæ magnitudinis, Iquibus quaſi nodis nectebantur in humeris ſummitates ephod. Et horum ſingulis arte gemmaria inſculpta erant ſex nomina ſex tribuum. Idque in *memoriale filiis Iſrael, & ob recordationem*; id eſt, ut meminerit & recordetur Pontifex, ſuum munus eſſe, ſubditos ſuos ferre non ſolum in-

Digitized by Google

in pectore per amorem, ſed etiam in humeris, eorum onera & peccata ferendo, ac Deum pro ipſis deprecando, & ſacrificiis placando. Ita S. Hieronymus *b*, Beda, Oleaſter, Caietanus, & Torniellus, qui cum Aria Montano, ſub pala horum duorum onychinorum in humeris pontificis collocat aureos illos uncinos quorum hic fit mentio, qui mordebant catenas aureas inſertas in ſummitate annulis rationalis, atque ita retinebant rationale in ſua lacuna, in qua ad pectus pontificis recipi debebat. Quartum pontificis peculiare ornamentum erat lamina aurea tiaræ pontificiæ in fronte affixa, cui inſculptum erat *Sanctum Domino*, id eſt *Iehova*, de quo egi Exod. III. verſ. 14. quod inter cetera nomina reſque divinas erat ſanctiſſimum, ſummeque reverendum. Ita Ioſephus, Philo, Hieronymus, Auguſtinus, Beda, Sixtus Senenſis & Torniellus *c*.

V. 30. PONES AUTEM IN RATIONALI IUDICII DOCTRINAM ET VERITATEM. Hebraice, *Pones Urim & Tummim*; id eſt, pones illuminationes, & perfectiones. Petes quid hæc fuerint. Reſpondent Lyranus, Abulenſis, Ribera, Serarius, Delrio, Pererius, Barradius, Villalpandus, Bonfrerius, Genebrardus, Torniellus *d*, ipſas duodecim gemmas rationali infixas, *Urim & Tummim* vocatas fuiſſe, quatenus per illarum inſolitum ſplendorem, vel aliam notabilem mutationem Deus oracula reddebat conſulentibus, ita docens ſeu illuminans illos, ac perfectam veritatem manifeſtans. Sed, ſalva tantorum Doctorum reverentia, iubet hic Deus, præter lapides pretioſos iam dictos, imponi rationali etiam *Urim & Tummim*: ergo erat quid diverſum a gemmis. Neque verum eſt, ſemper oracula captata fuiſſe ex ſplendore, aut immutatione gemmarum. Quis enim aut ſplendor, aut alia immutatio potuit Davidi ſuggerere II. Reg. v. & I. Paralip. XIV. *Ne aſcendas contra* Philiſtæos, *ſed gyra poſt tergum eorum, ex adverſo pyrorum: & cum audieris ſonitum gradientis in cacumine pyrorum, tunc inibis prælium*, &c. Dico ergo cum Philone, S. Auguſtino, *e* Rabbino Kimhi, Ruperto, Hugone Victorino, Hugone Cardinali, Magiſtro hiſtoriæ Scholaſticæ, Emmanuele Sa, Bellarmino, Azor, & Cornelio a Lapide, has voces *Urim & Tummim* in-

ſcriptas vel inſculptas fuiſſe ipſi rationali in medio gemmarum: idque ut deſignaretur, pontificem indutum ephod, & rationali, ornamentis ipſi propriis, accipere a Deo *Urim & Tummim*, id eſt claram *doctrinam*, & perfectam *veritatem* dubiorum de quibus conſulebatur. Tropologice vero, in pontifice reperiri debere doctrinam legis, & veritatem vitæ, ſeu morum ſanctitatem.

Notat Delrio ex Ioſepho *f*, hoc oraculum, ſeu reſponſa per *Urim & Tummim* ceſſaſſe, centum vel paulo pluribus annis ante natum Chriſtum. Serarius vero, diu ante, nempe a Babylonica captivitate: quod ex eo tempore non legatur uſpiam Iudæis id obtigiſſe. Et Ioſephus Gorionides *g* affert in hanc rem teſtimonium Iaddi ſummi Pontificis tempore Alexandri Magni. *Cum enim*, inquit Ioſephus, *optaret Alexander Magnus de Perſici belli eventu numen conſuli per urim & tummim de quibus inaudierat*; *a Iaddo pontifice* reſponſum accepit, *A die quo domus* Iſrael *deportata eſt in Babylonem, abſconditi fuerunt ab ea urim & tummim*. Ratio afferri poſſet quod hoc oraculi privilegium non ratione ſolius ephod, aut rationalis iudicii competeret Iudæis, ſed ſimul etiam ratione arcæ fœderis, ſeu propitiatorii, cui ſpecialiter Deus adeſſe, & exinde reſponſa reddere volebat; unde etiam Sanctum ſanctorum paſſim vocabatur *Oraculum*. Et diſerte dicit S. Chryſoſtomus: *Si quando cognoſcendum erat aliquid, e propitiatorio vox quædam e medio Cherubim prodibat prædicens futura*. Non quod ſemper ſacerdos propitiatorio præſens adeſſe deberet, ſed ſaltem quando commode poſſet, cum illud fons eſſet, & ſcaturigo oraculi. Iam vero cum conſtet, ſubductam fuiſſe arcam *h* cum propitiatorio, Iudæis in Babylonem tranſmigrantibus, vero ſimile eſt, etiam hoc oraculi privilegium eodem tempore iiſdem ſubractum fuiſſe.

V. 38. ERIT AUTEM LAMINA SEMPER IN FRONTE. Aar. n, ſcilicet quotieſcumque ſacrificandum illi eſſet: ut ſignificetur, peccata omnia populi, quæ pontifex pro illo oraturus, & ſacrificio expiaturus ferre debebat, illi remittenda virtute Iehova, quod nomen laminæ aureæ in fronte Pontificis inſculptum erat. Ita Lyranus & Abulenſis. Hæc aurea pontificis

lamina, Eccleſiaſtici XLV. v. 14. *Corona* vocatur, & Sap. XVIII. verſ. 24. *Diadema*. Nam, teſte Ioſepho, non erat ſimplex lamina, ſed vere corona aurea, & quidem triplici ordine, quali & nunc fere Romani Pontifices tiara utuntur. Et *conflabatur hic triplex ordo, e calyculis aureis, non abſimilibus iis calyculis quos herba hyoſcyamus profert; ſic tamen ut calyculi iſti frontem pontificis non ambirent, ſed tempora tantum & occiput: frontem enim tegebat eiuſdem coronæ pars altera iiſdem calyculis adhærens, quæ lata ac plana nomen Iehova inciſum geſtabat*. Ita Ioſephus *i*. Porro eodem verſu addit Sapiens, *In veſte poderis, quam habebat* pontifex, *totus erat orbis terrarum*; id eſt, repræſentabatur totus orbis: puta, per byſſum ſeu linum, terra e qua naſcitur; per zonam, oceanus terram cingens; per tunicam hyacinthinam, aer cærulei coloris: e qua prodeunt mala punica, id eſt fulgura, & tintinnabula, id eſt tonitrua. Purpura & coccus ignem repræſentant; ephod & rationale cælum ſidereum; onychini duo ſolem & lunam, vel duo hemiſphæria; duodecim gemmæ, duodecim ſigna Zodiaci; tiara cælum empyreum; aurea lamina Deum omnibus ſupereminentem & præſidentem. Voluit, inquam, Deus hoc habitu hæc omnia repræſentari, quo certius ſciret & meminiſſet Pontifex ſe locum tenere eius qui Dominus eſſet totius mundi. Item, ſe pro univerſo mundo deprecatorem non minus voce, & mente, quam habitu agere debere apud Deum; ſimulque totum mundum quaſi adiutorem ſibi in hoc munere advocare. Ita Philo, Ioſephus, S. Hieronymus, S. Thomas *k* & alii.

(*a*) Ioſephus Lib. III. Antiq. cap. VIII.
(*b*) Hieron. Epiſt. ad Fabiolam.
(*c*) Ioſeph. Lib. VI. Belli cap. VI. Phil. Lib. III. de Vita Moyſis. Hier. ſup. Aug. q. CXX. in Exod. Beda in Catena. Sixtus Lib. II. Bibliot. P. Tornielius in Annal.
(*d*) Lyr. Abulenſ. & Bonfr. hic. Ribera Lib. III. de Templo cap. XII. Ser. Lib. I. Ioſue cap. IX. q. XXIV. Delrio Lib. IV. Magic. cap. I. q. II. Per. in Gen. Tom. IV. ad cap. V. Barrad. Tom. II. Concord. Lib. II. cap. XVI. Villalp. ad Ezech. XXVIII. Genebr. anno 3640. Tor. anno 2544. num. 86.
(*e*) Philo ſup. & Lib. de Iudic. Aug. q. CXVII. in Exod. Bellar. Lib. IV. de Pont. cap. III. Azor. Tom. I. Moral. Lib. VI. cap. XLI.
(*f*) Ioſeph. III. Antiq. cap. IX.
(*g*) Ioſephus Gorion. cap. V.
(*h*) I. Mach. II. verſ. 4.
(*i*) Ioſephus Lib. III. Antiq. cap. VIII.
(*k*) S. Tho. I. II. q. CII. a. 5. ad 9.

GORDONI.

Veſtes ſacerdotales.

SAcerdos primum induebat feminalia linea, arcte conſtricta circa lumbos: mox tunicam lineam ad talos demiſſam; ſtricta erat, nec ſinuabat ad corpus. Deinde balteo quatuor digitos lato, coloribus variegato, cingebatur hæc tunica. Denique capiti imponebant pileum byſſinum. De his ſupra in præloquio.

Pontifex præter hæc recenſita, habebat ſupra tunicam lineam adhuc veſtem talarem, coloris hyacinthini, in cuius limbo erant malogranata & tintinnabula. Porro ſuper hanc erat ſuperhumerale ſeu ephod ante, & retro; demiſſum uſque ad ilia, & acu pictum, in cuius medio erat lacuna ad recipiendum rationale, quale hic deſcribo verſ. 6. & deinceps. Hæc veſtis hyacinthina, & ſuperhumerale conſtringebatur alio balteo, eoque perpulchro. Ad pileum ſacerdotum Pontifex addebat mitram hyacinthinam triplici corona diſtinctam. In fronte erat lamina aurea, cui inſcriptum erat nomen יהוה. Ergo decem veſtes habebat.

V. 1. APPLICA QUOQUE AD TE, ſeu ſepara a turba AARON. En vocationem legitimam ſacerdotum, nempe Deo iubente, & nominante ſelectos ad miniſterium in ſacrata veſte, & conſecratione verſ. 3. & alibi.

Verſ. 3. CUNCTIS SAPIENTIBUS CORDE. Per ſapientes corde intelligit peritos artifices. Septuaginta, *ſpiritu ſapientiæ, & ſenſus*.

V. 4. TUNICAM ...... STRICTAM. Heb. *Pallium oculatum, oculis contextum, opere phrygionico*; ſed Hieronymus illud תשבץ *tawbets*, *ſtrictam* vertit.

V. 6. SUPERHUMERALE. Prima veſtis ſacerdotalis. Apud Septuaginta ἐπωμίς, Heb. אפוד *ephod*, *pallium*, ſeu *extima veſtis*. Radix אפד, *ſuperinducre*. Pectus & humeros tegebat. Habebat duos lapides onychinos, quibus inſculpta erant duodecim nomina filiorum Iſrael (verſ. 9.) Ad pectus patebat locus rationali inſerendo, in quadam lacuna. Hos lapides Septuaginta vocant *ſmaragdos*. Vide Gen. cap. II. verſ. 12. De duplici ephod vide præloquium. POLYMITO, vario, aut plumario. Heb.

epi-

opere cogitantis, ſeu *eximio*, *elaborato*.

V. 7. Duas oras. Videtur per oras ſignificare, humerale conſtare duabus partibus; anteriore, & poſteriore, & quæ iungebantur fibulis in humero, ut fieret quaſi unus thorax.

V. 8. Textura, ſcilicet baltei, additi ad conſtringendum ephod.

V. 9. Sumesque duos lapides onychinos. De his lapidibus alibi dictum. Credendum eſt fuiſſe raræ magnitudinis, quando arte gemmaria inſcribebantur ſingulis ſex nomina filiorum Iſrael; hoc eſt, ſex in uno, & ſex in altero. Ab hac inſcriptione plerique excludunt Levi. Probabilius alii ponunt Levi & Ioſeph, ſive Ephraim & Manaſſe.

V. 10. Iuxta ordinem nativitatis filiorum Iſrael.

V. 15. Rationale. Veſtis Pontificis ſecunda eſt Græcis λόγιον. Heb. חשן *choſen*. Habebat ex verſ. 17. quatuor ordines lapidum. Vide Riberam Lib. III. de Templo, cap. XI. Habebant ſinguli lapides ſingula nomina duodecim filiorum Iſrael (ex verſ. 9.) Sardius, Ruben; Topazius, Simeon, &c. En quomodo Pontifex, tum in humero (ex verſ. 12.) tum in pectore (ex verſ. 29.) portat nomina hæc tamquam ſolicitudinem pro commiſſo ſibi grege. Adde verſ. 30. ubi doctrina, & veritas ponitur in rationali pro inſcriptione אורים ותמים *Urim Tummim*. Septuaginta δήλωσιν καὶ τὴν ἀλήθειαν. Facile eſt hinc moralem ſenſum elicere. Multi multa de his divinant. Sed puto ſimpliciſſime ſic intelligendum eſſe; nempe hoc eſſe nomen impoſitum rationali, ut his duabus vocibus nuncupatum, admoneret Deus ſacerdotem ſui muneris, videndo inſcriptionem rationalis eſſe illuminationes & perfectiones.

V. 16. Quadrangulum. Rationale quadrangulum æquilaterum ad menſuram palmi, habens quatuor verſus, ſeu ordines lapidum duodecim. Videtur ſic fuiſſe quadratum ex tela byſſina replicata ad firmitatem. Intelligo ad menſuram palmi maioris. Hebr. זרת *zoreth*, palmus hic eſt non contractus, ſed extenſus, & eſt duodecim digitorum palmus maior.

V. 30. Pones autem. De *Urim* dixi verſ. 15. Video pleroſque recentiores Genebrardum, Serrarium, Delrio, Pererium & alios opinari, Urim, & Tummim non fuiſſe ſolum & ſimpliciter lapides, quod dicit, & tuetur Oleaſter; ſed etiam per illas gemmas (quando applicabatur ephod ad conſulendum Deum) dari ſolita oracula: eorum ſane eſt, qui ita ſentiunt, oſtendere non tantum quando hæc oracula dari ceſſaverint; ſed quomodo, quo loco, & quibus de rebus dari ſolebant, per immutationem, aut præſentiam harum gemmarum. Et multo magis refutabunt, quod dicit Oleaſter, ſi ſpecialem de hac re dederint promiſſionem, vel inſtitutionem.

V. 31. Facies et tunicam. Tunica hyacinthina eſt tertia veſtis Pontificis: hæc proxime incumbebat τῷ ephod ſeu ſuperhumerali; ad talos deſcendebat; proinde ποδήρης eſt apud Septuaginta, ἀπὸ τῶ ποδός. Inferne habebat viginti ſeptem mala punica, & totidem tintinnabula, verſ. 33. & 35. Vide Sapient. XVIII. verſ. 24. & 25.

V. 32. Capitium. Hic plerique interpretantur foramen: nam in Hebræo eſt, *os capitis*: nempe quia veſtiendo tranſibat caput per illud foramen.

V. 39. Stringesque. Hæc quarta veſtis eſt, nempe tunica linea, & ſtricta. Putatur eſſe illa, quam proxime ſuper femoralia induebat ſacerdos; & tantum ad crura pertingebat. Hanc ſi recte Hieronymus vocavit *poderem*, eſt quia ad crura deſcendebat. Quinta veſtis zona eſt, quæ hanc tunicam ſtringebat. Altera erat zona, de qua Levit. VIII. verſ. 7. Et tiaram byssinam. Hæc ſexta veſtis eſt, & ea quæ cidaris, & mitra dicitur. Huic tiaræ inſcriptum erat nomen tetragrammaton, ſub coronula aurea.

V. 40. Porro. Hic de veſtibus minorum ſacerdotum: hi non habebat ephod, rationale, tunicam hyacinthinam, nec laminam auream.

V. 41. Consecrabis manus. Hebr. *implebis manum*, ſeu *dans in manum*, quod offerant: ſic ritus conſecrandi attingitur.

Ex Eiusdem Auctario.

V. 1. De veſtibus miniſtrorum vide quæ dicta ſunt ad initium Exodi. Ut de hac re ſtatuatur, iubentur applicari, & advocari Aaron & filii. Deſignatur materia,

verſ. 5. De cocco dixi cap. xxv.

V. 6. De vario ephod alibi. Hoc pontificium erat, textum ex ſtamine byſſino, & ſubtegmine trium colorum, permixtis filis aureis.

V. 11. Levi non numerabatur inter tribus Iſrael. CAELATURA GEMMARII, ut ſolent includi gemmæ, quibus utimur pro ſigillo.

V. 13. & 14. Per uncino, & catenulas rationale alligabatur ſuperhumerali.

V. 17. De his lapidibus vide Gen. 11. 12. & alibi.

V. 26. 27. 28. Deſcribit ligamen ephod cum rationali per ſuos annulos.

V. 36. Tiaram Ioſephus putat fuiſſe hyacinthinam, vocatur Cidara, & Mitra.

V. 38. INIQUITATES, ſcilicet commiſſas, dum non rite & pie ſacrificant.

V. 43. LEGITIMUM SEMPITERNUM. Lex perpetuo ſervanda.

CAPUT XXIX.

Quæ fuerit ſacerdotum conſecratio, rituſque oblationis pro illis, & qui his oblationibus veſcentur: ac de duobus agnis anniculis quotidie offerendis.

1 SEd & hoc facies, ut mihi in ſacerdotio conſecrentur. (*a*) Tolle vitulum de armento, & arietes duos immaculatos, 2. paneſque azymos, & cruſtulam abſque fermento, † quæ conſperſa ſit oleo, lagana quoque azyma oleo lita: de ſimila triticea cuncta facies: 3. & poſita in caniſtro offeres: vitulum autem & duos arietes. 4. Et Aaron ac filios eius applicabis ad oſtium tabernaculi teſtimonii. Cumque laveris patrem cum filiis ſuis aqua, 5. indues Aaron veſtimentis ſuis, id eſt linea & tunica, & ſuperhumerali & rationali, quod conſtringes balteo. 6. Et pones tiaram in capite eius, & laminam ſanctam ſuper tiaram, 7. & oleum unctionis fundes ſuper caput eius: atque hoc ritu conſecrabitur. 8. Filios quoque illius applicabis, & indues tunicis lineis, cingeſque balteo. 9. Aaron ſcilicet & liberos eius, & impones eis mitras; eruntque ſacerdotes mihi religione perpetua. Poſtquam initiaveris manus eorum, 10. (*b*) applicabis & vitulum coram tabernaculo teſtimonii. Imponentque Aaron & filii eius manus ſuper caput illius, 11. & mactabis eum in conſpectu Domini, iuxta oſtium tabernaculi teſtimonii. 12. Sumptumque de ſanguine vituli, pones ſuper cornua altaris digito tuo, reliquum autem ſanguinem fundes iuxta baſim eius. 13. (*c*) Sumes & adipem totum qui operit inteſtina, & reticulum iecoris, ac duos renes, & adipem qui ſuper eos eſt, & offeres incenſum ſuper altare: 14. carnes vero vituli & corium & fimum combures foris extra caſtra, eo quod pro peccato ſit. 15. Unum quoque arietem ſumes, ſuper cuius caput ponent Aaron & filii eius manus. 16. Quem cum mactaveris, tolles de ſanguine eius, & fundes circa altare. 17. Ipſum autem arietem ſecabis in fruſta: lotaque inteſtina eius ac pedes pones ſuper conciſas carnes, & ſuper caput illius. 18. Et offeres totum arietem in incenſum ſuper altare: oblatio eſt Domino, † odor ſuaviſſimus victimæ Domini. 19. Tolles quoque arietem alterum, ſuper cuius caput Aaron & filii eius ponent manus. 20. Quem cum immolaveris, ſumes de ſanguine eius, & pones ſuper extremum auriculæ dextræ Aaron & filiorum eius, & ſuper polli-

Digitized by Google

lices manus eorum ac pedis dextri, fundeſque ſanguinem ſuper altare per circuitum. 21. Cumque tuleris de ſanguine qui eſt ſuper altare, & de oleo unctionis, aſperges Aaron & veſtes eius, filios & veſtimenta eorum. Conſecratiſque ipſis & veſtibus, 22. tolles adipem de ariete, & caudam & arvinam, quæ operit vitalia, ac reticulum iecoris, & duos renes, atque adipem qui ſuper eos eſt, armumque dextrum, eo quod ſit aries conſecrationis: 23. tortamque panis unius, cruſtulam conſperſam oleo, laganum de caniſtro azymorum, quod poſitum eſt in conſpectu Domini: 24. poneſque omnia ſuper manus Aaron & filiorum eius, & ſanctificabis eos elevans coram Domino. 25. Suſcipieſque univerſa de manibus eorum: & incendes ſuper altare in holocauſtum, odorem ſuaviſſimum in conſpectu Domini, quia oblatio eius eſt. 26. Sumes quoque pectuſculum de ariete, quo initiatus eſt Aaron, ſanctificabiſque illud elevatum coram Domino, & cedet in partem tuam. 27. Sanctificabiſque & pectuſculum conſecratum, & armum quem de ariete ſeparaſti, 28. quo initiatus eſt Aaron & filii eius, cedentque in partem Aaron & filiorum eius iure perpetuo a filiis Iſrael: quia primitiva ſunt & initia de victimis eorum pacificis quæ offerunt Domino. 29. Veſtem autem ſanctam, qua utetur Aaron, habebunt filii eius poſt eum, ut ungantur in ea, & conſecrentur manus eorum. 30. Septem diebus utetur illa qui pontifex pro eo fuerit conſtitutus de filiis eius, & qui ingredietur tabernaculum teſtimonii ut miniſtret in Sanctuario. 31. Arietem autem conſecrationis tolles, & coques carnes eius in loco ſancto: 32. quibus veſcetur Aaron & filii eius (*d*) Panes quoque, qui ſunt in caniſtro, in veſtibulo tabernaculi teſtimonii comedent, 33. ut ſit placabile ſacrificium, & ſanctificentur offerentium manus. Alienigena non veſcetur ex eis, quia ſancti ſunt. 34. Quod ſi remanſerit de carnibus conſecratis, ſive de panibus uſque mane, combures reliquias igni: non comedentur, quia ſanctificata ſunt. 35. Omnia quæ præcepi tibi, facies ſuper Aaron & filiis eius. Septem diebus conſecrabis manus eorum: 36. & vitulum pro peccato offeres per ſingulos dies ad expiandum. Mundabiſque altare cum immolaveris expiationis hoſtiam, & unges illud in ſanctificationem. 37. Septem diebus expiabis altare, & ſanctificabis, & erit Sanctum ſanctorum: omnis qui tetigerit illud, ſanctificabitur. 38. Hoc eſt quod facies in altari: (*e*) Agnos aniculos duos per ſingulos dies iugiter, 39. unum agnum mane, & alterum veſpere, 40. decimam partem ſimilæ conſperſæ oleo tuſo, quod habeat menſuram quartam partem hin, & vinum ad libandum eiuſdem menſuræ in agno uno. 41. Alterum vero agnum offeres ad veſperam iuxta ritum matutinæ oblationis, & iuxta ea quæ diximus, in odorem ſuavitatis: 42. ſacrificium eſt Domino, oblatione perpetua in generationes veſtras, ad oſtium tabernaculi teſtimonii coram Domino, ubi conſtituam ut loquar ad te. 43. Ibique præcipiam filiis Iſrael, & ſanctificabitur altare in gloria mea. 44. Sanctificabo & tabernaculum teſtimonii cum altari, & Aaron cum filiis ſuis, ut ſacerdotio fungantur mihi. 45. Et habitabo in medio filiorum Iſrael, eroque eis Deus, 46. & ſcient quia ego Dominus Deus eorum, qui eduxi eos de terra AEgypti, ut manerem inter illos: ego Dominus Deus ipſorum.

(*a*) Levit. IX. 2. (*b*) Levit. I. 3. (*c*) Levit. III. 3. (*d*) Lev. VIII. 31. XXIV. 9. Matt. XII. 4. (*e*) Num. XXVIII. 3.

BRU-

BRUGENSIS

Lectionum Varieta.

V. 2. *Quæ conſperſa ſit oleo*. Quidam libri legunt plurali numero *ſint*.

V. 18. *Odor ſuaviſſimus victimæ Domini*. Quædam bona manuſcripta pro genitivo *victimæ* habent nominativum *victima*.

COMMENTARIA

S A.

Verſ. 1. IN SACERDOTIO, id eſt in ſacerdotii functionem. Chald. *Ad miniſtrandum coram me*. IMMACULATOS, id eſt integros, & quibus nihil deſit.

V. 2. CRUSTULAM, id eſt placentulas.

V. 5. LINEA, ET TUNICA, id eſt tunica ſtricta, & altera laxior, quæ ſupra dicta eſt *tunica ſuperhumeralis*.

V. 7. CAPUT, ſcilicet depoſita tiara.

V. 9. RELIGIONE. Hebr. *ſtatuto*; quaſi dicat, ritu. INITIAVERIS, id eſt conſecraveris. Heb. *impleveris*. Vide ſupra cap. XXVIII. num. 41.

V. 13. OFFERES INCENSUM; id eſt, *incendes ea*, ut ait Chald.

V. 14. EXTRA CASTRA. Figura Chriſti. PRO PECCATO. Hebr. *peccatum*, id eſt ſacrificium pro peccato. Sic II. Cor. v. Nota vero, Deum velle illa comburi, quæ concupiſcentiam fovent, ſcilicet renes, adipem, hepar, &c. PEDES, id eſt crura.

V. 18. OBLATIO, id eſt holocauſtum. Hebr. dicitur *holah* עלה, quod aſcendat, ſcilicet in fumum converſum. Græce ὁλόκαυστον *holocauſtum*; quaſi dicat, *totum combuſtum*.

V. 22. ET ARVINAM; pro, id eſt arvinam, ſcilicet adipem.

V. 24. SUPER MANUS. Hinc conſecratio ſacerdotis dicitur *impletio manus*; & conſecrare, *manum implere*. ELEVANS, ſcilicet oblationem. Sic & Euchariſtia elevatur in Miſſæ ſacrificio. Nota, quod oblationem elevantes manibus, movebant ab oriente in occidentem, & a ſeptemtrione in meridiem, quo ſignificabatur Deum eſſe totius orbis Dominum. Fit & quiddam ſimile in Miſſis Pontificalibus, ut videre eſt Romæ in ſacello Papæ.

V. 26. SANCTIFICABISQUE; id eſt, tamquam ſanctum ſeparabis, vel conſecrabis elevando, &c.

V. 27. ET PECTUSCULUM, &c. quaſi dicat, non ſolum pectuſculum, de cuius conſecratione proxime dictum eſt, ſed etiam armum, &c. SEPARASTI. Hebr. *elevaſti*.

V. 28. CEDENTQUE, ſcilicet talia in ſacrificiis populi. PRIMITIVA; quaſi dicat, debita ſicut primitiæ. INITIA, id eſt partes quædam conſecratæ.

V. 29. IN EA, pro cum ea, ſcilicet ea induti.

V. 30. SEPTEM, ſcilicet continuis, quibus durabat ritus conſecrationis. UTETUR, ſcilicet cum dedicatur. Auguſt. in Exod. qu. CXXIX.

V. 33. UT SIT PLACABILE, &c. Senſus eſſet ſecundum Hebr. Quod ſit ſacrificium, per quod expiatio facta ſit, & manuum ſacerdotum conſecratio. SANCTI SUNT, pro ſancta ſunt, id eſt ſanctificata, ſcilicet carnes, & panes.

V. 34. SANCTIFICATA, adeoque eodem die comedenda.

V. 36. MUNDABISQUE, id eſt expiabis, ſcilicet oblato vitulo. IN SANCTIFICATIONEM; id eſt, ut ſit conſecratum.

V. 37. SANCTUM SANCTORUM, id eſt ſanctiſſimum. OMNIS QUI, pro omne quod; ſcilicet oblata ſuper illud ſanctificabantur, ut a ſolis ſacerdotibus edi poſſent. Vide cap. XXX.

V. 39. VESPERE. Heb. *Inter duas veſperas*. Vide ſupra cap. XII.

V. 40. DECIMAM, ſcilicet ephi, nempe gomor. Habet ephi ſata tria, gomor autem quantum 43. ova, at chomer, ſeu corus 10. ephi, ſcilicet 43000. ova. TUSO, id eſt tundendo expreſſo. HIN conti-

Digitized by Google

tinet 12. logim, log vero quantum 6. ova; diciturque ab Hieronymo *ſextarius*. Eſt autem *bin* menſura AEgyptiaca.

V. 42. SACRIFICIUM EST, ſcilicet holocauſtum. CONSTITUAM, id eſt conveniam, ſeu adero.

V. 43. SANCTIFICABITUR ALTARE. Heb. *Sanctificabitur*, ſcilicet locus ob Dei præſentiam. Chald. & LXX. *Sanctificabor*. IN GLORIA, id eſt in gloriam, ſeu ob glorioſam meam præſentiam.

V. 45. HABITABO; id eſt, præſens ero, & protegens, favenſque, &c.

E S T I I.

Verſ. 9. 10. ERUNTQUE SACERDOTES MIHI RELIGIONE PERPETUA. Quæritur quomodo ſacerdotium hoc dicatur perpetuum, cum finem acceperit per Chriſtum. Reſpondet Auguſt. ſacerdotium hoc dici potuiſſe æternum duplici ratione: vel quia non erat terminus aliquis præfixus; vel proprie fuiſſe dictum æternum, non in ſe, ſed in re ſignificata, eodem modo quo Angelus dicit de Chriſto Lucæ I. *Et dabit illi Dominus Deus ſedem David patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum*. Ita ergo ſacerdotium æternum, ſicut regnum David æternum: nempe Chriſtus in utroque præſignatus ſempiternum habet & regnum, & ſacerdotium. Ita Auguſt. qu. XLIII. & CXXIV. in Exod. POSTQUAM INITIAVERIS MANUS EORUM, APPLICABIS ET VITULUM. Pro eo quod hic dicitur *initiare manus*, Heb. eſt *implere manus*. Id varie exponitur, quamvis ſenſus fere eodem recidat. Quidam dicunt, *Implere manus alicui*, idem eſſe quod tradere ei in manu victimas, ut eas offerat. Alii dicunt, *Implere manum* id eſſe, quod Iuriſconſulti vocant, *Mittere in poſſeſſionem*. Cum enim quis mittitur in poſſeſſionem alicuius rei, traditur ei aliquid in manus. Alii denique phraſim eſſe Hebræam, qua non aliud ſignificetur, quam conſecratio. Sed poſterior ſententia minus probabilis eſt: nam præcedentibus verſibus ritus conſecrationis explicati ſunt; agitur nunc tantum de conſecrationis uſu & poſſeſſione. Vide etiam Iudicum XVII. & III. Reg. XIII.

M A R I A N AE.

Verſ. 5. ET RATIONALI, QUOD CONSTRINGES BALTEO. Hebr. *Et rationale, & iunges illud in artificio*, ſeu *textura ephod*. Atque ita verterunt Sept. חשב *heſeb*, *artificium* vertimus ſuperius. At hic Hieron. Chald. Pagninus quoque *balteum* vertunt, fortaſſis, ne eius indumenti prætermiſſa mentio videatur.

V. 6. LAMINAM SANCTAM SUPER TIARAM. Hebr. *coronam ſanctitatis*: ſed præter tiaram ſola lamina erat, quæ hoc loco Hebraice vocatur *corona*.

V. 7. ATQUE HOC RITU CONSECRABITUR. Hebr. *Et unges eum*.

V. 9. POSTQUAM INITIAVERIS MANUS EORUM. Hebr. *Et implebis manum Aaron, & manum filiorum eius. Implere* pro *conſecrare* ſumitur.

V. 13. ET OFFERES INCENSUM SUPER ALTARE. Chald. *Et incendes ſuper altare*. Sept. *Et impones ſuper altare*: non incenſum aliud, id eſt thus, ſed hoſtiæ partes, quas commemoravit, *incendes ſuper altare*, ut Chald. id eſt *incenſum adipem offerre*, quod Hieronymus dixit.

V. 14. CARNES VERO. In odium peccati totum vitulum comburi mandat, etiam ſtercus, ne memoria aut reliquiæ ullæ ſuperſint; eaque extra caſtra ablegat.

V. 18. ODOR SUAVISSIMUS. Heb. *odor quietis*, ſcilicet in quo quieſcit Dominus, hoc eſt ſuaviſſimus. Eſtque ei ſe odor ſuavis, quod referat offerentis imaginem, ſe Deo, & ſua membra mactantis; ſive quod Chriſti oblati ſymbolum eſſet.

V. 22. EO QUOD SIT ARIES CONSECRATIONIS. Heb. *impletionum*: ſed impletio manuum ad conſecrationem pertinebat.

V. 23. TORTAMQUE PANIS. ככר לחם *chicar lehem*, *maſſam panis*, id eſt panem magnum: nam reliqua quæ adiungit, exigua erant, nempe cruſtula, & laganum.

V. 24. ET SANCTIFICABIS EOS ELEVANS CORAM DOMINO. Heb. *Et elevabis ea elevatione coram Domino*. Nibil tamen dicitur de ſanctificatione Aaron & filiorum.

V. 25. ET INCENDES SUPER AL-

TARE

Digitized by Google

TARE IN HOLOCAUSTUM. Heb. *Incendens* (in) *altari ſuper holocauſtum*. Quid incendes? nempe dona quæ in manibus Aaron & filiorum.

V. 32. & 33. COMEDENT, UT SIT PLACABILE SACRIFICIUM. Hebr. *Et comedent ea quibus expiatum eſt in eis ad implendum manum eorum ad ſanctificandum eos*. Ea periphraſi ſignificat, ſolos ſacerdotes ea comedere debere, non alienigenam, id eſt qui non ſit ex ordine ſacerdotum.

V. 40. DECIMAM PARTEM SIMILAE. *Hiſaron* vox Hebraica, pro qua Interpretes poſuerunt *decimam partem*, eſt menſuræ nomen, nempe gomor, quæ ephi decima erat, nempe Toletani modii, quem *celeminem* dicimus, aliquid amplius dimidio. Ioſephus fere pro gomor, *aſſaronem* poſuit. QUOD HABEAT MENSURAM QUARTAM PARTEM HIN: hac menſura oleum & vinum adhiberi in iugi ſacrificio vult. *Hin* menſura liquidorum continet ſextarios Hebraicos, ſeu logim duodecim, qui efficiunt octo ſextarios Romanos, decem Toletanos. Ita quarta pars hin continebat duos ſextarios Romanos, Toletanos duos, & dimidium azumbris dimidio aliquid amplius. De his rebus diſputavimus Lib. de Pond. & Menſ. cap. x. & xiv.

MALVENDAE.

Verſ. 1. VITULUM DE ARMENTO. Hebr. *Iuvencum filium bovis*: quidam reddunt *iuvencum ſubrumum*, ſeu nondum lacte depulſum; alii *filium bovis*, id eſt vaccæ; quaſi dicat, adhuc iuvenem, nondum adultum, quaſi ſub cura matris poſitum. IMMACULATOS. תמימם *tamim* proprie *integros*, *conſummatos*, *perfectos*, *omnibus numeris & modis abſolutos*, *ita ut reprehendi*, *& culpari non poſſint*. Notant, quando de animalibus dicitur in templo offerendis, tum ſemper eſſe qualitatis, & ſignificare, talia animalia, quæ ſecundum legem irreprehenſibilia ſunt, non manca, non clauda, non cæca, non macilenta, aut infirma, non morbida, aut a beſtiis lacerata, &c. ſic ſupra cap. XII. verſ. 5. Levit. I, verſ. 3. & alibi ſæpius.

V. 2. ET CRUSTULAM. חלה *challah* aiunt eſſe *paſtillum farinaceum*, *cruſtulam placentam*. Quidam *collyram* vertunt, qua voce uſum Plautum notant. Eam habet Athenæus Lib. III. cap. XXVII. *Panis*, *quem collyram vocant*, *meminit Ariſtophanes in Pace*: „ Et collyram magnam, & „ condylon in ea coxi. " *Tortam* intelligunt. Noſter Levit. VII. 12. & alibi *collyridam* dixit, quod eſt diminutivum a *collyra*, ut ibi dicemus. Aliqui exiſtimant, *placentam*, ſeu *cruſtulam* rotundam eſſe, ſic dictam a levitate, quaſi קלה *kalah*; ſed alii putant temere permutari litteras. Nec deſunt qui velint, *placentam eſſe fiſtuloſam*, *intrinſecus cavam*.

V. 4. AQUA, Notant, non qualibet, ſed ex labro ſancto, infra cap. XXX. 18.

V. 6. ET LAMINAM. נזר *nezer* exponunt *coronam*, *coronamentum*, *ſertum*, *diadema*, quod regi, & ſacerdoti conſecrata & dedicata eſſet; vel quod ea rex, & ſacerdos ab aliis ſepararentur & diſtinguerentur; quaſi dicas, *ſeparationem*, *conſecrationem*, *dignitatem*. Hanc autem *laminam*, ſeu *coronam* eam ipſam eſſe quam cap. XXVIII, verſ. 36. ציץ *tzitz*, *florem*, ſeu *bracteam* appellavit, non eſt dubium, uti diſerte explicatur Levit. VIII, verſ. 9. infra cap. XXXIX. verſ. 30. dicitur, *Flos diadematis ſanctitatis*.

V. 10. IMPONENTQUE AARON ET FILII EIUS MANUS SUPER CAPUT ILLIUS. Hebr. *Et fulciet*, *ſuſtentabit*, *ſuſtinebit*, *Aharon*, *& filii eius manus ſuas ſuper caput iuvenci*. Notant, verbum סמך *ſamac* in multis eiuſmodi Scripturæ locis dici de ſingulari cæremonia, qua manus ſuper alicuius hominis, vel animalis caput imponebatur, qua volebant ſignificare illum hominem, ſeu pecus deſtinatum eſſe divinitus vel in publicum ſacrificium, & pœnam, ut hic, & Levit. XXIV. 14. vel ad publicum miniſterium, ut Deuter, XXXIV. 9. Numer. XXVII. 18. Simili ratione in novo Teſtamento hunc ritum obſervatum, vel cum deſignarentur diſcipuli ad accipienda dona Spiritus ſancti, Actorum VIII. verſ. 17. & cap. XIX. 6. vel cum facerent miracula, Matth. IX. verſ. 18. Marc. VII. verſ. 32. vel ad publicam functionem miniſterii eccleſiaſtici, Actorum VI. 6. cap. XIII. 3. I. Timoth. IV. 14. & cap. V. 22. & II. Timoth. I. 6. ut cernas ritum imponendi manus in utroque Teſtamento non eſſe humanum, ſed divinum

tum inſtitutum. Quidam ita hic Hebræa convertunt: *Nitente Aharone, & filiis eius manibus ſuis ſuper caput illius iuvenci*; id eſt, quaſi ſe ipſi ſiſterent, & ſacrificarent Iehovæ (ſic deinceps in ſacrificiis omnibus) non tam in ſe quam in perſona Chriſti, veluti immaculati, & irreprehenſibilis, qui futurus erat victima expiatoria mundi.

V. 13. ET RETICULUM IECORIS. יותרת *iotbereth* aiunt eſſe *membranam carnoſiorem, & pinguiorem reti ſimilem, ſuper bepar, ſeu iecur in modum retis in tranſverſum protenſam*. Hebr. *Et reticulum ſuper bepar*. Quidam Hebræorum exponunt: Id eſt, cum hepate: quod dicit, quia parum de iecore tollebat, una cum reticulo. Nonnulli reddunt; *Et fibram ſuper iecur*: alii, *Et ſuperfluum, exuberantiam, ſuperabundantiam ſuper bepar*; quam medici dicunt eſſe panniculum, cui appenditur hepar, & habere aliquid pinguedinis: aliqui, *Et reſiduum ſuper grave*. כבד *cabed, iecur, bepar*, a gravitate ſic dictum: unde Galenus Lib. VI. de uſu partium, cap. XVII. hepar omnium viſcerum graviſſimum, & denſiſſimum appellat. DUOS RENES. כליות *celaioth, renes*, quidam deducunt a כלה *calah*, quod interdum eſt *deſiderare, deperire*, quod iis inſit vis concupiſcendi, & deſiderium coitus. Alii a perficiendo potius & conſummando dictos putant: nam in illis collocant vim conſultandi, & conſummandi conſilii: ſunt enim ſedes principii, & conſummationis affectuum: hinc in Scriptura renes pro affectibus, cogitationibus, & intimis quibuſque hominis uſurpantur. Nec deſunt qui a perficiendo & conſummando actu venereo, quod *patrare* Latini dicunt, appellatos velint. Rectius nonnulli a כלי *celi* derivant, quod ſint vaſa ſeminaria, & inſtrumenta ad liberorum procreationem parata. ET OFFERES INCENSUM SUPER ALTARE. Hic admonent Hebræi, Deum potiſſimum exigere in ſacrificium animalia illa, & membra quæ concupiſcentiæ ſubiiciuntur: non vult offerri animal infirmum, aut teſticulis diminutum: requirit renes, qui concupiſcentiæ ſunt officina: vult habere hepar, quod roborat libidinem, & adipes, qui effrænem faciunt concupiſcentiam, iuxta illud Deuteronom. XXXII. 15. *Incraſſatus eſt dilectus, & recalcitravit: incraſſatus, impinguatus, dilatatus*. Hæc omnia vult Dominus habere in ſuo ſacrificio: non quod illum iſta delectent; ſed quod hæc ſignificent nobis, mortificanda eſſe membra noſtra ſuper terram, Coloſenſ. III. 5.

V. 14. EO QUOD PRO PECCATO SIT. Hebr. *Peccatum ipſum*. חטאת *chattath*, & *peccatum ipſum*, id eſt culpam, & reatum: & ex ſignificatione verbi חטא *chitta* in Piel, *expiationem ipſam*, ſeu *purgationem peccati*, vel *piaculum*, id eſt ſacrificium expiationis, quo ſcilicet expiatur, & aboletur peccatum, denotat. Quidam *erratorium*, ſeu *peccatorium* reddunt. Hic *peccatum*, id eſt ſacrificium pro peccato. Utramque ſignificationem vocis *chattath* Paulus nomine ἁμαρτίας, id eſt *peccatum*, expreſſit, atque coniunxit, Romanorum VIII. verſ. 3. *Et de peccato damnavit peccatum*: ubi prius pro piaculo, ſeu ſacrificio expiatorio; alterum pro peccato admiſſo ſumitur. Et II. Corinth. V. 21. *Eum qui non noverat peccatum*, id eſt culpam, *pro nobis peccatum fecit*, id eſt piaculum, ſeu hoſtiam peccato expiando deſtinatam. Vide Levit. VI. verſ. 25.

V. 22. ARMUMQUE DEXTRUM. שוק *ſchok* aiunt eſſe *coxam*, ſeu *pedem totum inde a coxendice unde excurrit, uſque ad talos: tibiam, crus*, interpretantur. Noſter *armum* dixit, fortaſſe catechriſtice, ut Virgilius VI. AEneidos:

Aut ſpumantis equi foderet calcaribus armos.

Sed quia *ſchok, coxa*, eſt femineum, & ימין *iamin, dextrum*, maſculeum, Hebræi ſubaudiunt, coxam dextri lateris. EO QUOD SIT ARIES CONSECRATIONIS. Hebr. *Quia aries impletionum ipſe*. De quo ritu implendi manus, vide cap. XXVIII. verſ. 41. id eſt, aries initiationum, conſecrationum, quo ſacris initiabantur Aaron & filii eius.

V. 23. TORTAM. ככר *ciccar* reddunt *bucellam, fruſtum, maſſam, orbem, portionem orbicularem*: quidam *tractam*; notantque, ſic vocare Catonem, quam vulgo tortam; atque addunt, Delios ex Hebræa voce dixiſſe *chichora*, vel *coccora*, aut *coccara*, teſte Semo Lib. II. Deliadis, apud Athenæum Lib. XIV. Deipnoſophiſtarum, cap. XIII. Sed Delii *coccaram* placentæ genus ex tribus ficis, & totidem

Digitized by Google

nucibus conficiebant, eodem Semo auctore, quod nihil ad noſtrum *ciccar*. Valentina vox *coca* nonnihil accedit ad Hebraicam.

V. 24. ELEVANS CORAM DOMINO. Hebr. *Et exaltabis*, *elevabis*, *agitabis*, *ventilabis*, vel *agitare*, *ventilare facies*. Quidam vertunt: *Motitabis*, *motitabis*, *ea tenuphah ante Dominum*. תנופה *tenuphah* proprie *agitatio*, *agitanda*, *levanda*, *movenda*, *ventilatio*. Notant fuiſſe ritum quemdam oblationis, quo in ſacrificiis res ipſæ, quæ offerebantur, certo quodam modo in ſublime attollebantur, & agitabantur ante altare. Hebræi dicunt hoc intereſſe inter תרומה *terumah*, *elevationem*, & תנופה *tenuphah*, *agitationem*, quod *terumah* erat ſurſum ac deorſum, *tenuphah* vero antrorſum & retrorſum, dextrorſum ac ſiniſtrorſum, ita ut in omnem partem orbis oblatio agitaretur, & ventilaretur. Quidam ritum *tenuphah* ita deſcribunt. Sublatam in altum hoſtiam manibus tenentes, agitabant, & motitabant, primum ab oriente in occidentem, deinde a ſeptemtrione in meridiem: qua agitatione profitebantur Deum eſſe totius mundi Dominum. Veteres Hebræi annotabant, eam ventilationem factam ad quatuor mundi plagas, ad oſtendendum in quatuor mundi partibus debere ſacrificia ad laudem nominis divini offerri. Quod de ſacrificiis legalibus intelligi non poteſt, quæ extra templum Ieroſolymitanum offerri non poterant; ſed de ſacro, & incruento Euchariſtiæ ſacrificio, Malachiæ 1. verſ. 11. Noſtri in *tenuphah* pie obſervant figuram, & religionem crucis; ſed & ritum *tenuphah* in ſacra miſſa ſancte ſervamus. Alii volunt *tenuphah* tantum fuiſſe factam a dextra in ſiniſtram, & e contra.

V. 27. SANCTIFICABISQUE. Hebræa quidam reddunt: *Et ſeparabis*, *ſegregabis pectus*, *& armum ipſi Aharoni*, *& filiis eius*; id eſt, reſervabis, ſepones illis; cedent in partes eorum. Alii eodem ferme ſenſu: *Et conſecrabis*, &c. id eſt, non ſines ut iis profanum vulgus veſcatur, ſed ſoli ſacerdotes Deo conſecrati. ET ARMUM, QUEM DE ARIETE SEPARASTI. Hebr. *Et armum terumah*, id eſt *elationis*, *elevationis*. Hebræi notant, *terumah* hic certum ritum indicare, quo hoſtia ſurſum elevabatur, & deorſum deponebatur, ſicut *tenuphah* erat agitatio, & ventilatio in quatuor partes orbis. Alii: *Armum ſeparationis*, *exemptionis*, id eſt ſeparatum & exemptum ab ariete; quem ſenſum Noſter ſecutus eſt: vel qui in uſum ſacerdotum ſeparabatur, & eximebatur. Nec deſunt qui *armum elationis*, id eſt elevatum, ſelectum, optimum. De voce *terumah* diximus cap. xxv. verſ. 2. Totus hic verſus plenius habetur in Hebræo, uti ex verbo in noſtra Tranſlatione expreſſimus (*Et ſanctificabis pectus agitationis*, *& coxam elevationis*, *quod agitatum fuit*, *& quæ elevata fuit de ariete impletionum*, *de quo Aharon*, *& de qua filiis eius*,) Poſtremam illam clauſulam, *De quo Aharon*, *& de quo*, vel *qua filiis eius*, quidam exponunt: De quo ariete conſecrationum, fuit conſecratio Aaroni, & filiis eius; id eſt, de ariete, quo fuit initiatus Aaron, & filii eius: qui ſenſus eſt Noſtri. Unde reddunt: *De ariete conſecrationum ipſius Aharon*, *& filiorum eius*: alii, *De ariete conſecrationum ipſius Aharon*, *& propter filios eius*; vel *pro Aharone*, *& pro filiis eius*, nimirum quod aries ille conſecrationum immolatus fuerit pro conſecratione Aaronis, & filiorum eius: adhibitus enim fuit tamquam ritus & cæremonia conſecrationis & initiationis Aaron, & filiorum eius; vel *ex ariete conſecrationum*, ex eo *qui* fuerit *pro Aharone*, *& ex his*, *qui* fuerint *pro filiis eius*. Poſſit intelligi, de quo pectore, & de qua coxa erit ipſi Aaroni, & filiis eius; id eſt, pectus & armus, ſeu coxa cedent in partem Aaronis, & filiorum eius, uti ſequenti verſu magis explicatur.

V. 28. CEDENTQUE IN PARTEM AARON, ET FILIORUM EIUS IURE PERPETUO; id eſt, iure ſempiterno accipient Aaron, & filii eius a filiis Iſrael pectus, & armum. Totum hunc verſum in Hebræo ſubobſcurum, uti ex verbo reddidimus (*Et erit Aharoni*, *& filiis eius conſtituto ſæculi*, *de ad filios Iſrael*, *quia elevatio ipſa*: *& elevatio erit de ad filios Iſrael de ſacrificiis pacificorum eorum*, *elevatio eorum* IHUH:) clarius ita quidam conati ſunt reddere: *Utrumque futurum eſt Aharonis*, *& filiorum eius ſtatuto perpetuo a filiis Iſraelis*, *quia eſt terumah*, *elatio*: *cum erit terumah*, *elatio*, *a filiis Iſraelis*

in

Digitized by Google

ex ſacrificiis eucbariſticis eorum, *terumab*, *elatio eorum Iebovæ erit*; id eſt, cum Iſraelitæ pacifica ſacrificia ſua offerent, pars illa elevabitur, & offeretur Domino, & propterea ſacerdotes habebunt illam, hoc eſt pectus, & armum dextrum. Vide infra verſ. 31. 32.

V. 29. UT UNGANTUR IN EA, ET CONSECRENTUR MANUS EORUM. Hebr. *Ad ungere in eis*, *&* *ad implere in eis manus eorum*. Quidam reddunt: *Ad ungendum indutos eis*, *&* *ad conſecrandum in eis miniſterium illorum*; id eſt, ut cum ungendi fuerint, & conſecrandi ſucceſſores, induantur illis, quemadmodum Aaron, & filii eius: ſtatuit enim perpetuam rationem conſecrandi ſacerdotes, puta, ſummos quidem ſacerdotes ungi, ceteros vero impoſterum ſine unctione conſecrari ad ſacerdotium oportere. Vide infra cap. XXX. 30. & cap. XL. 15.

V. 31. IN LOCO SANCTO, id eſt in porta tentorii conventus, ubi coquenda, & comedenda erat, infra verſ. 32. & Levit. VIII. verſ. 31.

V. 33. UT SIT PLACABILE SACRIFICIUM. Hebr. quidam convertunt: *Quia expiatio facta eſt pro eis*: alii, *Quibus expiatus fuit in illis*: nonnulli, *Eo quod propitiatio per ea facta ſit*: nec deſunt qui reddant: *Ii pro quibus expiatio facta fuerit*. ALIENIGENA, id eſt qui ex familia Aaronis non fuerit.

V. 36. ET VITULUM PRO PECCATO OFFERES. Hebr. *Et iuvencum peccati facies*; id eſt, ſacrificabis. *Facere* Hebræis pro *ſacrificare*, uſitatiſſimum. Non poſſum hic abſtinere quin Ioannis Forſteri, qui ſummus peritia linguæ Hebraicæ inter proteſtantes habetur, non inſcitiam, ſed perſpicuum veritatis, & pietatis odium, tantiſper traduxero. Is præfatione in ſuum Hebraicum dictionarium auſus eſt iſta conſcribere: *Et cum nunc adverſarii veritatis etiam ſtudeant in hac lingua*, *tantum eo conſilio ut ex ea patrocinia quærant ſuæ impietatis*: *ſicut Eccius volens probare miſſam eſſe ſacrificium*, *arripiebat falſo pro ſe verbum Hebræum* עשה *ghaſab*, *ita argumentando*: *Hoc verbum ſignificat in Lege Moſi ſacrificare*, *ſicut & Virgilius eo uſus eſt*, *cum ſcribit*,

Cum faciam vitulam pro frugibus, ipſe venito;

id eſt, *cum ſacrificavero*: *ergo in hoc dicto Chriſti*, Hoc facite in mei commemorationem, *etiam ſumitur pro ſacrificare*; *&* *ſic eſt exponendum*: Hoc ſacrificate in mei commemorationem. *Imperitus linguæ Hebraicæ facile tali argumento perſuaderetur*, *ut crederet verbum faciendi idem ſignificare quod ſacrificare*; *ſed doctus linguæ ſcit antecedens eſſe falſum*, *&* *quod in Moſe verbum ghaſab*, *dum de ſacrificiis agitur*, *non ſacrificare ſignificet*, *ſed ſacrificia præparare*, *ſeu adaptare*, *ſicut in verbo* עשה *ghaſab*, *multis Scripturæ teſtimoniis demonſtratum*. *Demonſtravimus etiam multa abſurda ſequi*, *ſi verbum hoc Hebræum pro ſacrificare accipiendum eſſet*. Hæc ille. Contuli ſtatim me ad verbum ipſum *ghaſab* in Dictionario, ut viderem ſi Forſterus fide ſe exolveret: & o potentem veritatis vim! penitus ſui oblitus hæc habet: עשה *ghaſab*, *fecit*: *&* *ſignificat talem effectionem*, *qua aliquid exiſtit vel realiter*, *&* *ornate*, *vel ut non ſit in priſtino ſtatu quo fuit*: & cum multa loca adduxiſſet, in quibus verbum *ghaſab* de ſacrificiis dicitur, atque inprimis hunc Exodi XXIX. verſ. 36. quem enarramus, ſubdit: *Sic etiam Virgilius uſus eſt verbo faciendi*, *ecloga* III.

Cum faciam vitulam pro frugibus, *ipſe venito*.

At quis umquam dubitavit Virgilium verbum *facere* pro *ſacrificare* poſuiſſe? Sic Forſterus ſuo ſe enſe necavit. Quin & ex proteſtantibus alii, qui Hebraicæ linguæ notitiam profeſſi ſunt, verbum *ghaſab* pro *ſacrificare* multis ſacræ Scripturæ locis accipiunt, uti Mercerus, Avenarius, Druſius, Schindlerus, & alii. Latinis verbum *facere* pro *ſacrificare*, in uſu eſſe, vel notiſſimo Virgilii verſu, compertum eſt, uti etiam Servius, & Nonius, item Macrobins Lib. III. Saturnalium cap. III. & XI. & plerique alii annotarunt. Hebræi verbum *ghaſab*, in ſignificatu ſacrificandi conſtruunt cum accuſativo, ut hic *facere iuvencum*, & verſ. 39. 41. *facere agnum*, & alibi ſæpe. At Latini cum ablativo conſtruunt, *Cum faciam vitula*; quamvis non pauci viri eruditi in Virgilio quarto caſu legendum velint, *Cum faciam vitulam*, reclamante tamen Macrobio, ſed lectione probiſſima. Ineptiſſime proteſtantium aliqui hic reddunt: *Et iuvencum peccatum parabis*, *præparabis*, *aptabis*. Tolerabile eſt, *Parabis in ſacrificium*. PER SINGULOS

DIES. Hebr. *Diei*, vel *in diem*, id eſt quolibet die. Sic verſ. 38. AD EXPIANDUM. Heb. *Ad luſtrationes:* intelligunt Aaronis, filiorum, & altaris.

V. 37. SANCTUM SANCTORUM. Hebr. *Sanctitas ſanctitatum*, id eſt ſanctiſſimum, ſacratiſſimum. Vide cap. XXVI. verſ. 33. SANCTIFICABITUR; id eſt, eo non licebit uti in rebus profanis, ſed tantum in ſacris. Sic cap. XXX. verſ. 29. Quo reſpexiſſe volunt Chriſtum Matthæi XXIII. 18. 19. Alii: Quicumque tangit altare prius debet eſſe mundus & purus. Quidam: Mundari & purificari debet, quod rem illicitam perpetraverit tangendo altare.

V. 40. DECIMAM PARTEM. Hebr. עשרון *ghiſeron* notant idem omnino eſſe quod עומר *ghomer*, & eſſe decimam partem *ephah*, contineréque 43. ova, & quintam ovi partem, cum ephah capiat 432. ova. Vide ſupra cap. XVI. verſ. 16. & 36. Hic omnes intelligunt, decimam partem ephi, id eſt ghomer; quamvis alioqui generale nomen eſſe poſſit. Vide Num. XXVIII. 5. QUARTAM PARTEM. רבע *rebagh*, *quartale*, *quartarius*, *quarta*, nimirum pars, & Valentini *quartam* ſimpliciter appellamus quartam partem canthari vini. HIN, הין *hin*, tam Hebræi quam noſtri conſentiunt fuiſſe menſuræ genus liquidorum, ut vini, & olei continens duodecim *loghim*, at לוג *log* continuit ſex ova, quæ ſimul collecta faciunt quantum capere poſſunt putamina, ſeu teſtæ, ſeptuaginta gallinaceorum ovorum. Quartale hinis erant 18. ova, id eſt dimidium congii, uti volunt Ioſephus Lib. III. Originum cap. X. *Hin menſuræ nomen eſt, quæ capit duos choas Atticos*. S. Hieronymus in IV. Ezech. verſ. 10. *Hin duos choas Atticos facit, quos nos appellare poſſumus duos ſextarios Italicos*.

V. 42. AD OSTIUM TABERNACULI. Quidam, *Intra portam tentorii*: nam in ea tabernaculi parte collocandum erat altare, & offerenda ſacrificia, infra cap. XL. 29. TABERNACULI TESTIMONII CORAM DOMINO UBI CONSTITUAM. Heb. aliqui reddunt: *Tentorii conventus, ubi conveniam vobiſcum*: putantque oſtendi hic etymon cur dictum אוהל מועד *ohel moghed*, *tentorium conventus*, *quod ibi conveniret Deus cum Iſraelitis*. Vide verſ. 21. capitis XXVII.

V. 43. ET SANCTIFICABITUR ALTARE. Heb. non eſt *altare:* quidam ſubaudiunt, *locus*, vel *tabernaculum*: alii, *Iſraelitarum quiſque*. IN GLORIA MEA. Emphaſim hæc verba habent, ut volunt quidam; id eſt, gloria mea: præcipuus auctor ſanctificationis ſum; ſanctificabitur per me, per meam præſentiam, non per unctionem, aſperſionem, ſacrificia, aut quidvis aliud: nam externa illa omnia adhibebantur, ut veræ ſanctificationis ſymbola.

MENOCHII.

Verſ. 1. IN SACERDOTIO, ad ſacerdotis functiones. IMMACULATOS, integros, non claudos, non oculo uno carentes, &c.

V. 2. CRUSTULAM, placentam. QUAE CONSPERSA SIT OLEO. Heb. *Quæ commixta ſit oleo*, cum ſcilicet ſubigeretur. LAGANA QUOQUE. Lagana ſunt liba tenuia, aqua commixta cum ſubiguntur; ſed cum offeruntur, in oleo frixa.

V. 3. VITULUM AUTEM ET DUOS ARIETES, offeres, id eſt ſiſtes, & applicabis ad tabernaculum, ut poſtea immolentur, de quo num. 10. VESTIMENTIS SUIS. Feminalium hic nulla fit mentio, quia iam ea noverat Aaron, & eius filii, ut honeſte lavarentur, ait Beda.

V. 7. OLEUM UNCTIONIS. Hoc peculiare fuit ſummi ſacerdotis, ut oleo unctionis in capite ungeretur, nam de minoribus ſacerdotibus nihil tale legitur. SUPER CAPUT EIUS, depoſita tiara.

V. 9. INITIAVERIS MANUS EORUM, oleo inungens. Caput tantum Pontificis: manus etiam minorum ſacerdotum inunguntur.

V. 10. IMPONENTQUE ... MANUS: ut hoc ritu conteſtentur ſe peccatores, & peccata ſua vitulo imponere, illumque victimam pro ſuis peccatis offerre, ut ſic emundati digni reddantur qui pro aliorum peccatis intercedant, & ſacrificent.

V. 11. MACTABIS EUM, tu Moſes: nam etiam Moſes ſacerdos, licet viſibili initiatione conſecratus non eſſet. Itaque legimus in Pſal. XCVIII. 6. *Moſes & Aaron in ſacerdotibus eius*.

V. 13. ET OFFERES INCENSUM. Hæc omnia inſtar thuris accendes, & adole-

olebis, ut evaporent in ſummum, & incendantur in honorem Dei. Adeps ergo, & renes vocantur *incenſum*, id eſt victima incenſa.

V. 14. Extra castra, &c. Ratio cur hæc omnia extra comburenda ſint, redditur, quod hoſtia ſit pro peccato, non quod omnis hoſtia pro peccato eo modo combureretur, ſed quod hoſtia pro peccato ſummi ſacerdotis, aut pro multis, quorum unus ipſe eſſet, hoc modo comburi debeat, ut patet Levit. iv.

V. 16. Fundes circa altare, hoc eſt ſuper ipſum altare per circuitum, ut habetur paulo poſt in hoſtia pacifica: nam eadem & hic, & ibi in Hebræo ſunt verba.

V. 18. Oblatio est Domino. Heb. *Holocauſtum eſt Domino*. Odor suavissimus. Heb. *Odor quietis*, in quo ſcilicet ſuaviſſime, & iucundiſſime odoratus conquieſcit. Victimae Domini, In conſecratione hac Aaronis, & filiorum in ſacerdotes, oblatum fuit omne genus ſacrificiorum, ſcilicet holocauſtum, pacificum, & pro peccato: ad illa enim offerenda ordinabantur & conſecrabantur ipſi. Nam aries unus primario oblatus eſt in holocauſtum, licet & comitanter pro peccatis offerretur; alter aries oblatus eſt in victimam pacificam; vitulus denique oblatus eſt pro peccato.

V. 19. Arietem alterum. Hic eſt aries qui offertur in victimam pacificam, ut ſcilicet proſpere ſacerdotium novi ſacerdotes ſuſciperent, utque illud eis, & populo pacificum, id eſt fauſtum, & fortunatum foret.

V. 20. Quem cum immolaveris, cum iugulando ſacrificaveris Deo. Nam poſtea aries hic ad plenam ſacrificii conſummationem comburendus erat. Et pones, ſanguinem ſcilicet arietis. Et super pollices manus eorum. Pollex tantum manus dexteræ ſingulis ſanguine aſpergebatur, quod clarius habetur in textu Hebræo, in quo legimus: *Et ſuper pollicem manus eorum dexteræ, & ſuper pollicem pedis eorum dexteri*.

V. 21. De oleo unctionis, de cuius compoſitione numer. 23. Asperges, oleo ſcilicet, & ſanguine, vel ſeorſum acceptis, vel, quod probabilius videtur, ſimul mixtis.

V. 22. Et caudam: ſiquidem cum ſacrificium pacificum eſſet ex ovina ſpecie, reliquis addebatur & cauda in altari cremanda, cum in ceteris victimis cauda non cremaretur in altari. Eo quod sit aries consecrationis. Redditur ratio cur armus dexter hic comburi iubeatur, cum alioqui in aliis pacificis non combureretur, ſed in partem ipſius ſacerdotis cederet cum pectuſculo, qua de re vide Levit. xvii. 10. ſed nimirum hic indicatur id peculiare fuiſſe huic victimæ conſecrationis, ut armus ipſius dexter abſumeretur.

V. 23. In conspectu Domini, coram altari holocauſtorum.

V. 24. Sanctificabis eos elevans &c. Hæc ſacerdotum ſanctificatio non erat aliud quam elevatio manuum eorum cum muneribus facta per Moſen, qua elevatione ſignificabatur munera illa ad Deum pertinere, ac deinceps ſimilia Deo ſanctificanda eſſe, & offerenda per manus ſacerdotum.

V. 26. Quo initiatus est Aaron, qui ſcilicet aries immolatus eſt pro felici conſecratione Aaron.

V. 27. Sanctificabisque et pectusculum; id eſt, offeres pectuſculum Deo. Et armum. Statuitur lex generalis de ſacrificio pacifico, non eo quod hic offertur pro conſecratione ſacerdotum, ſed de omni eo quod impoſterum oblaturi erant filii Iſrael; ut ſcilicet ex eo pectuſculum, & armum dent ſacerdotibus, ſicut ipſi ſacerdotes in ſuo hoc ſacrificio utrum dederunt Deo.

Verſ. 28. Quia primitia sunt, et initia, &c. quia hæc ſunt partes primæ, quæ initio e victima pacifica ſeparantur Deo, Deique nomine offeruntur ſacerdoti.

V. 29. Vestem quoque sanctam, &c. Veſtes Pontificis ſanctis uſibus deputatas, mortuo patre Pontifice, accipiet filius ſenior, qui patri in Pontificatu ſuccedet, ut iis indutus ungatur, & conſecretur Pontifex. Unctio, & conſecratio novi Pontificis fiebat ab aliquo e minoribus ſacerdotibus: neque enim erat maior aliquis, qui illum conſecraret.

V. 30. Septem diebus, ſeptem continuis diebus, quibus durabit ritus conſecrationis: nec poterat ſeptem illis diebus

con-

giter. Inde dictum eſt *iuge ſacrificium*, quod iugiter quotidie offerretur, neque umquam intermitteretur. Materia erant duo agni, unus mane ſub ortum ſolis, alter veſpere ſub occaſum, uterque in holocauſtum. Addebatur ad complendum convivium decima pars ephi, ſeu gomor *c*, ſimilæ oleo conſperſæ, & quarta pars hin, ſeu tres ſextarii, vini ad libandum, id eſt libatione, ſeu effuſione offerendum Deo.

Allegorice hoc iuge ſacrificium ſignificabat ſacrificium Chriſti, maxime Eucharisticum, quo immaculatus Agnus quotidie in ſpeciebus panis & vini immolatur in Miſſa. Quod iuge ſacrificium auferet Antichriſtus, ſicut Antiochus Epiphanes figura Antichriſti ſuſtulit illud Iudaicum, Dan. XII. verſ. 11.

(*a*) Athen. Lib. III. Dipnoſop.
(*b*) Levit. VII. verſ. 12.
(*c*) Prolegom. de Menſur.

GORDONI.

Verſ. 2. CRUSTULAM. Panis delicati genus eſt; immo & laganum, ut cum farinæ ſubactæ adduntur ova, aut mel ad ſaporem, & delicias. Nec improbabile eſt hæc duo non aliter quam forma ſeu figura differre. Aliqui tamen cum Heſychio laganum definiunt ſpeciatim eſſe placentæ genus e ſimila, & oleo recente.

V. 3. VITULUM AUTEM; hoc eſt, vitulum etiam.

V. 4. Quod eſt hic de lotione, explicatur capite inſequente, v. 19.

V. 11. ET MACTABIS. Iubetur Moſes mactare, & fungi munere ſacerdotali, conſecrareque velut hierarcha, tum ipſum Pontificem, tum ſacerdotes. Aug. qu. XX. in Levit. Hinc Pſal. XCVIII. verſ. 6. *Moſes & Aaron in ſacerdotibus eius*. Poſtquam vero Moſes ſacerdotium conſignavit Aaroni, & poſteris eius, numerati ſunt poſteri Moſis non inter ſacerdotes, ſed inter levitas, I. Paralip. XXIII. verſ. 14. Hæc nunc iubentur, & fient Lev. cap. VIII.

V. 13. SUMES .... RETICULUM IECORIS. Alibi vocatur arvina iecoris. Septuag. vertunt *fimbram iecoris*. Arvina iſta tegit venas a iecore diffuſas, & habet formam reticuli. Iam vero ait, has particulas offerendas eſſe in incenſum, hoc eſt incendendas.

V. 21. De hoc oleo unctionis vide cap. XXX. verſ. 23.

V. 23. TORTAMQUE PANIS. Vox Hebr. ככר *chiccar* ſignificat quicquid ſub plana figura refert panis tortulam.

V. 29. HABEBUNT FILII EIUS POST EUM, UT UNGANTUR &c. Pontificatus apud Hebræos tranſmittebatur ad poſteros, uſque ad finem Machabæorum, & Herodis tempora: Deus tamen aliquoties talem ſeriem interrupit, ut docet Scriptura.

V. 36. MUNDABIS, expiabis, oblato vitulo.

V. 37. ERIT SANCTUM SANCTORUM, hoc eſt res ſanctiſſima. At quid eſt *tangentem ſanctificari*? Certe noſter Interpres & Septuaginta ponunt in maſculino, *Omnis qui*: & ſenſus commodiſſimus eſt, ut ſit in his verbis non tantum exhortatio ad ſanctitatem in iis qui inſerviunt altari, ſed etiam gravis monitio, immo & denuntiatio divina, ut tales ſint miniſtri altaris. Sicut etiam alibi dicitur: *Erunt ſancti, quia ego Sanctus*.

V. 38. PER SINGULOS DIES IUGITER. Iuge ſacrificium, hoc eſt quotidianum, & numquam intermittendum. Materia, duo agni, idque in holocauſtum; unus mane, & alter veſperi.

V. 40. DECIMAM PARTEM &c. Hæc decima pars eſt gomor, quæ eſt decima pars ephi. Vide ſupra cap. XVI. & Gen. cap. XVIII. verſ. 6. Acceſſoria in ſacrificiis erant vinum, & ſimila ſubacta oleo, quod eſt hic quarta pars hin: dat tres ſextarios, citatis locis.

V. 42. SACRIFICIUM EST, nempe holocauſtum. Item CONSTITUAM; id eſt, conveniam.

V. 43. IBIQUE. Senſus eſt, locus erit ſanctior ob gloriam præſentiæ meæ.

V. 45. HABITABO, præſens ero, protegendo.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 7. OLEUM UNCTIONIS peculiare erat; & caput Pontificis, manus vero minorum ſacerdotum ungebantur.

V. 19. Hic alter aries eſt, qui offertur in hoſtiam pacificam pro felici conſecratione minorum ſacerdotum.

V. 24. Hac manuum elevatione denotatur munera ad Deum pertinere.

Digitized by Google

CAPUT XXX.

Inſtitutio altaris thymiamatis, & pecunia in uſus tabernaculi exigendæ, labii æneï conſtruendi, unctionis thymiamatis, & reliquorum quæ ad tabernaculum ſpectant.

1 FAcies quoque altare ad adolendum thymiama, de lignis ſetim, 2.
habens cubitum longitudinis, & alterum latitudinis, id eſt qua-
drangulum, & duos cubitos in altitudine. Cornua ex ipſo pro-
cedent. 3. Veſtieſque illud auro puriſſimo, tam craticulam eius,
quam parietes per circuitum, & cornua. Facieſque ei coronam
aureolam per gyrum, 4. & duos annulos aureos ſub corona
per ſingula latera, ut mittantur in eos vectes, & altare portetur. 5. Ipſos quo-
que vectes facies de lignis ſetim, & inaurabis. 6. Poneſque altare contra velum,
quod ante arcam pendet teſtimonii coram propitiatorio quo tegitur teſtimonium,
ubi loquar tibi. 7. Et adolebit incenſum ſuper eo Aaron, ſuave fragrans, ma-
ne. Quando componet lucernas, incendet illud: 8. & quando collocabit eas ad
veſperum, uret thymiama ſempiternum coram Domino in generationes veſtras.
9. Non offeretis ſuper eo thymiama compoſitionis alterius, nec oblationem, &
victimam, nec libabitis libamina. 10. Et deprecabitur Aaron ſuper cornua eius
ſemel per annum, in ſanguine quod oblatum eſt pro peccato, & placabit ſuper
eo in generationibus veſtris. Sanctum ſanctorum erit Domino. 11. Locutuſque eſt
Dominus ad Moyſen, dicens. 12. (a) Quando tuleris ſummam filiorum Iſrael
iuxta numerum, dabunt ſinguli pretium pro animabus ſuis Domino, & non erit
plaga in eis, cum fuerint recenſiti. 13. Hoc autem dabit * omnis qui tranſit ad
nomen, dimidium ſicli iuxta menſuram templi. (b) Siclus viginti obolos habet.
Media pars ſicli offeretur Domino. 14. Qui habetur in numero, a viginti an-
nis & ſupra, dabit pretium. 15. Dives non addet ad medium ſicli, & pauper
nihil minuet. 16. Suſceptamque pecuniam, quæ collata eſt a filiis Iſrael, trades
in uſus tabernaculi teſtimonii, ut ſit monimentum eorum coram Domino, &
propitietur animabus eorum. 17. Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens:
18. * Facies & labrum æneum cum baſi ſua ad lavandum: poneſque illud inter
tabernaculum teſtimonii & altare. Et miſſa aqua, 19. lavabunt in ea Aaron &
filii eius manus ſuas ac pedes, 20. quando ingreſſuri ſunt tabernaculum teſtimo-
nii, & quando acceſſuri ſunt ad altare, ut offerant in eo thymiama Domino,
21. ne forte moriantur, legitimum ſempiternum erit ipſi, & ſemini eius per ſuc-
ceſſiones. 22. Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, 23. dicens: Sume tibi aro-
mata, primæ myrrhæ & electæ quingentos ſiclos, & cinnamomi medium, id
eſt ducentos quinquaginta ſiclos, calami ſimiliter ducentos quinquaginta, 24.
caſiæ autem quingentos ſiclos in pondere ſanctuarii, olei de olivetis menſuram
hin: 25. facieſque unctionis oleum ſanctum, unguentum compoſitum opere un-
guentarii, 26. & unges ex eo tabernaculum teſtimonii, & arcam teſtamenti,
27. menſamque cum vaſis ſuis, candelabrum, & utenſilia eius, altaria thymia-

ma-

Digitized by Google

matis, 28. & holocauſti, & univerſam ſupellectilem quæ ad cultum eorum pertinet. 29. Sanctificabiſque omnia, & erunt Sancta ſanctorum: qui tetigerit ea, ſanctificabitur. 30. Aaron & filios eius unges, ſanctificabiſque eos, ut ſacerdotio ſungantur mihi. 31. Filiis quoque Iſrael dices: Hoc oleum unctionis ſanctum erit mihi in generationes veſtras. 32. Caro hominis non ungetur ex eo, & iuxta compoſitionem eius non facietis aliud, quia ſanctificatum eſt, & ſanctum erit vobis. 33. Homo quicumque tale compoſuerit, & dederit ex eo, alieno, exterminabitur de populo ſuo. 34. Dixitque Dominus ad Moyſen: Sume tibi aromata, ſtacten & onycha, galbanum boni odoris, & thus lucidiſſimum, æqualis ponderis erunt omnia; 35. facieſque thymiama compoſitum opere unguentarii, mixtum diligenter, & purum, & ſanctificatione digniſſimum. 36. Cumque in tenuiſſimum pulverem univerſa contuderis, pones ex eo coram tabernaculo teſtimonii, in quo loco apparebo tibi. Sanctum ſanctorum erit vobis thymiama. 37. Talem compoſitionem non facietis in uſus veſtros, quia ſanctum eſt Domino. 38. Homo quicumque fecerit ſimile, ut odore illius perfruatur, peribit de populis ſuis.

(*a*) Num. 1. 2. (*b*) Levit. xxvii. 25. Num. iii. 47. Ezech. xlv. 12.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

Verſ. 13. *Omnis qui tranſit ad nomen*. Pro *nomen* quidam legunt *numerum*; ſed prior eſt germana verſio veteris Interpretis.

V. 18. *Facies & labrum æneum*. Præſtat *labrum* ſcribere diſſyllabum, *r* media littera, quam *labium* triſſyllabum, *i* media, hoc & aliis ſimilibus locis.

COMMENTARIA

S A.

Verſ. 2. EX IPSO, ſcilicet non affixa, ſed ex eodem ligno, quo altare conſtat, producta. Erant autem cornua hæc, velut radii quidam ex angulis in altum ſublati, ut quidam putant.

V. 3. CRATICULAM. Hebr. & Chald. *Tectum*. AUREOLAM, pro auream, ſcilicet limbum, qui vulgo *cornice*.

V. 6. CONTRA VELUM, ſcilicet e regione, ſed extra Sancta ſanctorum, quotidie enim adolebatur. Vide cap. xl. TESTIMONII, ita dicta, quod in ea tabulæ Legis, quæ eſt quædam voluntatis Dei teſtificatio. TESTIMONIUM, id eſt arca teſtimonii.

V. 7. AARON, ſcilicet vel filii, ut infra. Id enim, & quod ſequitur, erat etiam aliorum ſacerdotum. COMPONET, ſcilicet repurgando.

V. 8. COLLOCABIT, ſcilicet incendendo. AD VESPERUM. Hebr. *Inter duas veſperas*. Vide ſupra cap. XII. SEMPITERNUM, id eſt perpetuo ritu, vel ſemper in altari tenendum.

V. 9. ALTERIUS, ſcilicet quam eius de qua in fine cap. NEC OBLATIONEM &c. ſcilicet hæc facienda ſuper altare holocauſtorum.

V. 10. DEPRECABITUR. Hebr. *Expiabit*. Chald. & LXX. *Propitiabitur*. IN SANGUINE, pro cum ſanguine. QUOD OBLATUM, pro qui oblatus. PLACABIT. Hebr. *Expiabit*. SUPER EO, ſcilicet altari. SANCTUM SANCTORUM, id eſt ſanctiſſimum; quaſi dicat, res ſanctiſſima.

V. 12. IUXTA NUMERUM; pro, eorum qui numerandi ſunt, ſcilicet 20. annorum, & ſupra. PRETIUM, ſcilicet ad redimendam animam, id eſt vitam: ne ſci-

Digitized by Google

ſcilicet alioqui interficiantur. Hebr. *Expiationem*, ſeu *redemptionem*. PLAGA, ſcilicet ut fuit tempore David, II. Reg. XXIV.

V. 13. TEMPLI, ſcilicet ſiclus ſacer quatuor drachmarum, at vulgaris duarum: ſic talentum templi, ſeu ſacrum, libræ 120. vulgare autem 60. Vide tamen ſup. finem cap. XXV.

V. 14. HABETUR IN NUMERO, id eſt qui numeratur. PRETIUM. Heb. & LXX. *Oblationem*.

V. 16. MONUMENTUM, ſcilicet ut Deus recordetur, & placetur.

V. 18. LABRUM, ſcilicet concham.

V. 19. IN EA, pro ex ea. PEDES, ſcilicet nudis pedibus miniſtrabant.

Verſ. 21. SUCCESSIONES. Hebr. *Generationes*.

V. 23. PRIMAE, id eſt præcipuæ, ſeu puræ. CALAMI, ſcilicet aromatici.

V. 24. SANCTUARII. Vide ſup. num. 13. HIN. Vide Ezech. XV.

V. 29. SANCTIFICABITUR; quaſi dicat: Ut qui rem ſanctiſſimam tetigerit, abſtinebit a profanis; & quidquid ipſa tetigerit, cedet in uſus ſacros: vel quaſi dicat: Antequam ea quiſquam tangat, ſanctificetur; ſcilicet ſolis ſacerdotibus, qui ſanctificati, ſeu conſecrati erant, licebat ea tangere. Nunc hæretici quibuſvis permittunt ſacrorum non ſolum contactum, ſed functionem: quamquam quid apud illos ſacrum?

V. 31. SANCTUM ERIT MIHI; quaſi dicat: In uſus ſolum ſanctos ad mei cultum aſſumetur. Chald. *Sanctum erit coram me*. LXX. *Sanctum erit vobis*: ſcilicet explicarunt phraſim Hebraicam, ubi ſæpe abundat *mihi*: dicunt enim, *Ito mihi*, pro *Ito*: ſic Iſaiæ VI. *Quis ibit nobis*? pro *Quis ibit*? Ita hic *Sanctum mihi erit*, pro *Sanctum erit*, ſcilicet vobis, ſeu apud vos.

V. 32. CARO, id eſt pars aliqua corporis. HOMINIS, ſcilicet non ſacerdotis. Quidam etiam Reges excipiunt, cum in Reges ungebantur.

V. 33. ALIENO, id eſt non ſacerdoti. EXTERMINABITUR, &c. quaſi dicat, Interficietur.

V. 34. ONYCHA, id eſt unguem aromaticum, ſcilicet leve quiddam, & pellucidum eſt inſtar unguis. AEQUALIS PONDERIS. Hebræi dicunt accepiſſe Moyſen cuiuſque 70. libras.

V. 35. THYMIAMA, id eſt aromaticum ſuffimentum. SANCTIFICATIONE DIGNISSIMUM; id eſt, ob ſanctitatem pretioſiſſimum. Hebraice, & LXX. *Sanctum*. Chaldaice, *In ſanctificationem*.

V. 36. SANCTUM SANCTORUM, id eſt ſanctiſſimum.

EXTII;

Verſ. 6. PONESQUE ALTARE CONTRA VELUM QUOD ANTE ARCAM PENDET. Hoc erat altare incenſi ſeu thymiamatis: unum enim idemque eſt incenſum & thymiama, eſtque in Hebræo unum vocabulum. Iuſſum eſt autem poni hoc altare contra velum, non a parte interiori ubi erat arca, ſed exterius; fiebatque bis quotidie ſuper hoc altare incenſio thymiamatis. Ita Thomas ſuper Hebr. IX. & alii. Hinc etiam intellige Zachariam patrem Ioannis, Luc. I. quando ei adolenti incenſum apparuit Angelus, non fuiſſe in Sancto ſanctorum, ſed in priori tabernaculo: nam ſoli ſummo Sacerdoti licitum erat ingredi Sancta ſanctorum.

Verſ. 29. SANCTIFICABISQUE OMNIA, ET ERUNT SANCTA SANCTORUM: QUI TETIGERIT EA, SANCTIFICABITUR. Sancta ſanctorum vocat omnia illa quæ oleo unctionis fuerint uncta, non eo modo quo tabernaculum interius, in quo erat arca, & propitiatorium; ſed comparatione earum rerum, quæ Deo quidem conſecrabantur, ut ipſæ hoſtiæ, ſed oleo hoc non ungebantur. Porro quod ſequitur, *Qui tetigerit ea, ſanctificabitur*, hunc ſenſum habet: Id eſt, Quicumque ea tangere voluerit, prius ſanctificetur, & ita ad tangendum accedat. Sic & Apoſtolus de tremendis altaris novi Teſtamenti myſteriis I. Corinth. XI. *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, &c.*

V. 32. IUXTA COMPOSITIONEM EIUS NON FACIETIS ALIUD. Quid hoc ſibi velit, explicatur verſ. 38. his verbis: *Homo quicumque fecerit ſimile, ut odore illius perfruatur, peribit de populis ſuis.* Prohibet autem hoc Dominus tam ſevere ob reverentiam rerum deputatarum cultui divino, ne illæ ulla ratione vileſcant.

MARIANAE.

Verſ. I. ALtare. Quærit Hebræus, cur vocetur id *altare thymiamatum*, Hebraice *Miſbeah* a *ſebah*, id eſt *victima*, dictum, in quo nulla offerebatur? Reſpondet: Quoniam hoſtiæ ſanguine cornua eius tingebantur, ut paulo poſt mandatur. Tu dic eſſe etiam ſacrificia incruenta, quale & noſtrum.

V. 3. Tam craticulam eius. In hoc altari non erat craticula. Hebr. *Tectum eius & ſuperficiem veſties auro*.

V. 7. Quando componet lucernas, incendet illud. Hebr. *Quando bonificabit* (abſterget, parabit) *lucernas, ſuffumigabit illud*, ſcilicet altare.

V. 9. Nec oblationem, et victimam, nec libabitis libamina. Hebr. *Et holocauſtum, & munus, & libamen non libabitis ſuper eo*. Ita non eodem modo de thymiamate loquitur, & de aliis. Sed thymiama exterum, & diverſum offerri ibi vetat; holocauſtum & alia quæcumque offerri in eo non vult.

V. 10. Et deprecabitur. Heb. *Et propitiabitur*. Ea unctio Deo placebit, & cedet in remiſſionem peccatorum populi.

V. 12. Quando tuleris summam. Hebr. *Quando tuleris caput*; hoc eſt, quando populum per capita numeraveris. Tunc mandat per capita offerri dimidium ſiclum in uſus Sanctuarii. Hanc putant quidam fuiſſe culpam Davidis, quando populum numeravit, eam pecuniam ad ſe avertiſſe.

V. 13. Dimidium sicli iuxta mensuram templi. Heb. *Sanctuarii*. Hinc natum fuiſſe puto, ut pondera Sanctuarii, & popularia diſtinguerent, & illa his duplo facerent maiora. Sic ſiclus Sanctuarii viginti obolos continebat, drachmas quatuor; popularis dimidium. Sept. hic, & Levit. ult. pro *ſiclo quatuor drachmarum* poſuere *didrachmum*. Cauſam ſic ponendi explicuimus Lib. de Pond. & Menſ. cap. VI.

V. 15. Et pauper nihil minuet. Additur in Hebraico, *de dimidio ſiclo, ad dandum oblationem Domino, ad propitiandum pro animabus veſtris*: nempe ad auferendum & redimendum peccata animarum eo pretio.

V. 16. Monimentum eorum coram Domino. Hebræi omni anno hoc tributum ſolutum putant; idque inter Legis præcepta numerant centeſimum ſextum.

V. 18. Et altare. Intellige holocauſtorum, quod abſolute altare erat.

V. 23. Sume tibi aromata primae myrrhae. Hebr. *Sume tibi aromata caput*, id eſt præcipua. Verum illa vox *caput*, quæ Hebraice iungitur cum voce *aromata*, ab Hieronymo iungitur cum voce ſequenti *myrrhæ*, quod fecere etiam Septuag. vertentes: *Cape aromata florem myrrhæ*. Porro de ſingulis ſpeciebus laborandum non eſt; difficile eſt ſingulis vocibus veras ſignificationes tribuere: uſque eo ut Hebræi pro *myrrha*, *muſcum* mutent, pro *cynnamomo* Hieronymo *linaloe*, pro *calamo canelam*. In ſola *caſia* conveniunt, ad unguenta minime omnium idonea, nempe ingrati odoris.

V. 24. Olei de olivetis mensuram hin. Quanta eſſet ea menſura, iam diximus cap. XXIX. verſ. 40. Porro Sep. εἶν etiam Græce dixerunt, atque ita legunt Romana Biblia. In Regiis, & Compl. ἓν eſt, id eſt *unum*, ſed per errorem, & vitioſe.

V. 26. Arcam testamenti. *Teſtimonii* potius, ut poſuerunt Septuag. ſed Hieronymus mutavit, ne eamdem vocem repeteret poſitam eodem verſu, cum dixit, *Tabernaculum teſtimonii*.

V. 29. Qui tetigerit ea, sanctificabitur; id eſt, qui non fuerit ſanctificatus, non tangat. Quidam explicat, etiam profana quæcumque, ſi ibi imponantur in altari aut menſa, quaſi dona ſancta erunt, nec licebit ea ad profanos uſus vertere.

V. 34. AEqualis ponderis erunt omnia. בד בבד יהיה *Bad bebad ihieh*, quæ verba Hieron. Sept. & Pagn. eodem modo explicant; alii, *tantum in tanto*: quod eamdem ſententiam continet. Chald. *pondus in pondere*, neque hoc diſcrepat. Alii, *unum in uno*. Hebræus Schol. ait, quod ב Beth ponitur pro כ Chaph hac ſignificatione, *unum ſicut alterum erit*, id eſt eodem pondere.

MALVENDAE.

Verſ. 3. **C**Raticulam. גג *gag* reddunt *ſolarium*, *tectum*, *menianum*, id eſt ſuperiorem illam tabulam, ſeu aream, ſummam partem altaris; quaſi dicas, tectum planum, non faſtigiatum, aut acuminatum, quod ſit ſub dio, nec ſupra ſe aliud tectum habeat, ac ſit peribolo circumſeptum, ac circummunitum.

V. 9. Thymiama compositionis alterius. Hebr. *Suffitum*, *ſuffimentum*, *incenſum aliud*, *alienum*, *exterum*, *extraneum*, nimirum, aliunde prolatum, aut quocumque modo diverſum ab eo quod infra verſ. 34. & ſequentibus præſcribitur: neque alia includat, aut aliam mixturam & compoſitionem admittat quam quæ ibi imperatur.

V. 10. Sanctum sanctorum erit Domino. Hebr. *Sanctitas ſanctitatum ipſa*, vel *ipſe*, aut *ipſum*, *ipſi Domino*; id eſt, hæc res, hæc cæremonia expiationum erit ſanctiſſima & ſacratiſſima in cultum & honorem Domini; vel ipſum altare thymiamatis erit ſacratiſſimum Domino. Vide cap. xxix. verſ. 37. & infra hoc cap. verſ. 36.

V. 12. Quando tuleris summam filiorum Israel. Hebr. ex verbo: *Cum levabis caput filiorum Iſrael*: quod varie efferunt, ſed in eumdem ſenſum. I. *Quando capies ſummam filiorum Iſrael*. II. *Cum recenſueris ſummam filiorum Iſrael*. III. *Cum cenſum egeris ſecundum capita filiorum Iſrael*. IV. *Cum tolles capitationem filiorum Iſrael*. Capitio cenſus, ſeu tributum erat quod in ſinagula capita pendebatur. Iuxta numerum. Hebr. ex verbo, *Ad viſitatos eorum*; Alii diverſe exprimunt. I. *Per numeratos*, *vel numerandos eorum*; id eſt, quando recenſere voles filios Iſrael, qui veniunt in numerum: non enim omnes numerabantur, nam qui vigeſimum annum nondum attigerant, reiiciebantur ab eo num. verſ. 14. II. *Iuxta cenſitionem*, *cenſum eorum*. Pretium pro animabus suis. כופר *copher*, *expiationem*, *luſtrationem*, *redemptionem*, *redempturam*, *pretium piaculare*, *lytron*, *pretium*, *quo vita hominis redimitur*. Vide cap. xxi. verſ. 30.

V. 13. Qui transit ad nomen. Hebr. *Omnis tranſiens ſuper numeratos*, *recenſitos*. Quidam exponunt, Omnis tranſiens a cœtu numerandorum ad cœtum numeratorum. Simplicius, Omnis veniens ad cenſum, numerum. Atqui hic *viſitatos* exponunt *præfectos*, & *cenſores*, qui numerum ſeu ſummam filiorum Iſrael excipiebant, & cenſum capitationis agebant. Vide infra cap. xxxviii. 25. Dimidium sicli iuxta mensuram templi. Heb. *Dimidium ſicli in ſiclo ſanctuarii*. De ſiclo diximus Geneſ. xxiii. verſ. 16. Ea apud Hebræos, & omnes fere noſtros obtinuit opinio, ut ſiclus ſanctuarii, id eſt eius uſus in ſanctuario, & rebus ſacris erat, eſſet duplo maior vulgari & profano; ita ut vulgaris ſiclus dimidium ſicli ſanctuarii contineret. Nam ſiclus ſanctuarii, ut Hebræi aiunt, & aſſentitur Ioſephus, quatuor drachmas, id eſt ſemunciam, pendebat; at profanus & vulgaris ſiclus duas tantum drachmas continebat. Verum nonnulli contendunt non niſi unius generis ſiclum apud Hebræos, æque in rebus profanis & ſacris fuiſſe, qui ſemper fuerit tetradrachmus, id eſt quatuor drachmas, nempe dimidiam unciam, haberet: ſed dici hic ſiclum ſacrum, ſeu ſanctuarii, quod in tabernaculo, ſeu templo aſſervaretur iuſtiſſimi & exactiſſimi ponderis ſiclus, ad cuius pondus ceteri omnes exigerentur. Sic nunc Romæ ſcuta aurea cameræ apoſtolicæ dicuntur, quæ ſunt certi & exacti ponderis. Sic putant a Iulio Capitolino in Maximinis dici *amphoram capitolinam*, quod in capitolio publicæ menſuræ & pondera exigerentur. De quo vetuſto more vide Caſaubonum in Notis ad Maximinos Iulii Capitolini. Unde Priſcianus:

Amphora fit, cuius vim ne violare liceret,
Sacravere Iovi Tarpeio in monte Quirites.

Et apud nos publicas & iuſtas menſuras & pondera magiſtratus ſervant, ad quæ alia privata, ne fraus aut dolus ſubrepat, exigunt. Ergo ſiclus ſacer, ſeu eccleſiaſticus, & ſanctuarii, unus & idem erat cum vulgari & profano; ſed eccleſiaſticus erat iuſti & inviolati ponderis, ac veluti norma vulgaris, quod ii facile uſu, aut nequitia attererentur, ac diminuerentur; & uterque quatuor drachmas, ſeu ſemunciam appendebat. Quam nos ſententiam haud gravate amplectimur. Iam quod hic dicitur, *Dimidium ſicli in ſiclo ſanctuarii*, id

Digitized by Google

eſt dimidium ſicli iuſti & exacti ponderis ac valoris, ad pondus & pretium ſicli ſanctuarii, qui erat iuſtiſſimus. Sic nunc Romæ in apoſtolica Dataria ſcuta aurea ponderant & examinant ad iuſtiſſimum pondus. SICLUS VIGINTI OBOLOS HABET. גרה *gerah*, *obolum* omnes interpretantur: quidam ſic dictum volunt, quaſi *minimum monetæ ſegmentum*. Aiunt continere tres ſiliquas, hoc eſt tritici grana duodecim. Alii notant, obolum eſſe tantum argenti quantum pendunt 16. grana hordei: itaque hunc ſemiſiclum pendiſſe 160. integrum vero ſiclum 320. grana hordei. Atqui non eſt dubium argenteam drachmam apud Hebræos quinque obolos habuiſſe argenteos: dimidium ſiclum, decem, & integrum ſiclum viginti obolos habuiſſe, ut hic dicitur. Duo *baiochi* Romani faciunt unum obolum. De obolo aliarum gentium plura Scaliger in re Numaria. Iam ex iſto, & præcedenti verſu exiſtit quæſtio, num hoc mandatum capitationis ſemiſicli, ſeu didrachmi, temporarium fuerit, an perpetuum. Hebræi fere omnes ac noſtri perpetuum putant; nimirum ut ex ea collecta compararentur holocauſta quotidiana, ſacrificia in dies feſtos, & reliquæ oblationes pro toto cœtu. Iunius, & Tremellius, *quia nuſquam de anniverſaria collecta legitur, veriſimilius* exiſtimant, *mandatum fuiſſe Moſi ut ſemel tantum fieret. Primum a fine, nam hæc capitatio ad expiationem populi recens ex Ægypto educti imperata eſt. Secundo a verbis, exemploque Moſis, quia neque hoc ſtatutum perpetuum vocat, ut cetera omnia, neque deinceps repetiſſe legitur, neque tum quidem cum iterato & tertio populum recenſuit,* Numer. I. *& XXVI. Tertio ab exemplo ſucceſſorum omnium, qui nuſquam leguntur hanc capitationem imperaſſe. Legitur quidem Ioaſch* II. *Chronicor. XXIV. exemplum Moſis adhibuiſſe, ut extraordinariæ neceſſitati extraordinariam collectam conſuleret; ſed quod ibi ſcribitur, de anno in annum, &c. non ad penſitationem, ut vulgo putatur, ſed ad aſſiduam templi inſtaurationem pertinet, ut quæ non eſſet unius anni opus: ut illud taceamus, quod diverſum fuerit collectæ genus, ut apparet ex eo quod cunctabatur Ioiada eam colligere: & quod deinde tamquam voluntaria oblatio in arcam ſive cippum eccleſiæ, ab unoquoque pro arbitrio ſuo conjecta eſt. Poſtremo, ab huius collectæ uſu: nam pecunia hæc in monumentum ſtatuenda dicitur, verſ. 16. hoc eſt, in miniſterium tabernaculi, quod manebat; non autem in res, quæ conſumuntur (qualia ſacrificia erant, & oleum, ſupra cap. XXVII. 20.) impendebatur: ac propterea Nehemias legis ſtudioſiſſimus obſervator Iſraelitis poſtliminio reverſis, non legis auctoritate, ſed ipſa æquitate fretus, ad illum uſum trientem ſicli indixit, Nehemiæ X. 32. quod minime omnium facturus erat, ſi hac lege caveri intellexiſſet.* Hactenus illi. Ceterum ſive ex mandato Dei perpetuo, quod his duobus verſibus continere plerique autumant, ſive ex pietate & devotione, certiſſimum eſt Hebræos capitatim ſingulis annis hemiſiclum, ſeu didrachmum templo pendiſſe. Ioſephus Lib. XVIII. Orig. cap. XII. de Iudæis Babyloniis: *Iudæi freti locorum natura, ſacrum didrachma, quod Deo ex more ſolent offerre, ceteramque votivam pecuniam in his urbibus*, Neerda, & Niſibi, *deponebant, tamquam in communi ærario, inde ſuo tempore tranſmittendam Ieroſolymam.* Et Lib. VII. Belli cap. XXVI. de Veſpeſiano principe: *Stipendium vero ubicumque degerent; Iudæis indixit; binaſque drachmas ſingulis annis deferre in Capitolium iuſſit, ita ut antehac Ieroſolymorum templo pendebant.* Hoc autem fuiſſe didrachma, quod a Chriſto repoſcebant, Matthæi XVII. verſ. 24. magni Evangeliorum Interpretes affirmant; quamvis alii reclament; quod modo non diſcutio.

V. 15. ET PAUPER NIHIL MINUET. Poſt hæc addunt Hebræa, *Ad dandum terumah Domini, ad expiandum ſuper animas veſtras*. Alii reddunt: *Cum dederint oblationem Iehovæ ad expiandas animas veſtras*. Quidam: *Ad dandum munus, oblationem Domino, ad placandum Dominum propter animas veſtras*, vel *animabus veſtris*; id eſt, ne interficiat vos.

V. 16. IN USUS TABERNACULI. Quidam vertunt, *Ad miniſterium tentorii*, quod ſpeciatim exprimitur inf. cap. XXXVIII. verſ. 25. & ſequentibus.

V. 18. ET ALTARE. Holocauſti omnes intelligunt, de quo ſupra cap. XXVII. verſ. 1. nam thymiaterium, de quo verſ. 1. huius capitis, intra tabernaculum ante velum ſanctuarii erat collocandum, ſupra verſ. 6. quamobrem huic loco accommodari non poteſt.

Digitized by Google

V. 23. AROMATA. Heb. *Aromata caput*. Sic vertimus, quod בשמים *beſamim* non ſit conſtructum; id eſt, quod præcipuum, & eximium eſt inter aromata. Quidam vertunt, *Aromata, & caput*; id eſt, id aroma quod præſtantiſſimum eſt: alii, *Aromatum præſtantiſſimum*, vel *ſpeciem omnium præſtantiſſimam*, hoc eſt balſamum, omnibus, ut Plinius Lib. XII. cap. XXV. loquitur, odoribus prælatum; quod ideo Arabibus dicitur *belſamim*; quaſi dicas, dominium obtinens inter aromata. Unde hic ראש *roſch*, *caput*, pro ſingulari ſpecie aromatum, ſeu odorum, nempe *balſamo*, capiunt. Hæc, inquiunt, interpretatio magis placeret, ſi huic quoque aromati balſamo, ut ſequentibus, certum pondus adſcriptum eſſet; aut ſi in Chananæa fuiſſent Iſraelitæ: nam balſamum, inquit Plinius, *uni terrarum Iudææ conceſſum*. Quare aliter explicant, *Aromatum præſtantiſſimum*; id eſt, uniuſcuiuſque generis, quod ſubiungitur, quidquid eſt præſtantiſſimum. Plerique, *Aromata capitis*, id eſt odoramenta præcipua, primæ notæ, optima, præſtantiſſima, pretioſiſſima. PRIMAE MYRRHAE ET ELECTAE. Hebr. *Myrrham libertatis*: exponunt, libere, & ſponte fluentem: alii, liberam a ſalſitate, & mixtura, non adulteratam: nonnulli, ingenuam, liberam, electam, optimæ notæ & indolis. Audent hic quidam vertere, *Et guttam lacrymam*, balſamumque intelligunt. De myrrha Plinius Lib. XII. cap. XV. & XVI. QUINGENTOS SICLOS. Heb. eſt ellipſis, *quingentos*, ſeu *quingenta*: quam quidam ex Chaldæo implent, *Quingenta pondo*. Optime Noſter: *Quingentos ſiclos*: nam ſiclus pondus eſt, & moneta eiuſdem ponderis, nempe ſemunciæ. Erant igitur myrrhæ 250. unciæ. ET CINNAMOMI. קנמן *kinnamon* convenit cum voce *cinnamomum*: nec dubito Græcum nomen, & Latinum ab Hebraico fluxiſſe. *Cannam aromaticam*, ſeu *calamum odoratum*, de quo Plinius Lib. XII. cap. XXII. & Theophraſtus Lib. IX. Hiſtoriæ plantarum cap. VII. quidam exponunt. De hac ſpecie accurate diximus in Antichriſto Lib. V. cap. VI. Errant qui corticem ligni odoriferi, ſeu *canelam* noſtram putant, & magis errant qui *aloen* eſſe volunt. CALAMI. קנה *keneh*, voce conſentiente, *canna aromatica*. Quidam volunt eam eſſe cannam ſeu arundinem, cuius ſuccus per decoctionem fit ſaccarum: abſurde. Alii *calamum aromaticum*, *acorum*. Iam eruditorum conſenſus docet eam eſſe, quam vulgo vocamus *canelam*, nempe corticem aromaticum arboris, nulli non notum, in modum cannæ.

V. 24. CASIAE. קדה *kiddah*, *caſſiam* omnes exponunt: Hebræorum quidam *coſtum*; de quo Plinius Lib. XII. cap. XII. *Radix, & folium Indis eſt maximo pretio. Radix coſti guſtu fervens, odore eximio, frutice alias inutili*. Et Lib. XXIII. cap. XXIV. *Thure ſupplicamus, & coſto*. Nec deſunt qui *zinziber*.

V. 25. UNGUENTUM COMPOSITUM OPERE UNGUENTARII. Varie ex Hebræo vertunt, in eumdem ſemper ſenſum. I. *Unguentum unguenti*, *opus unguentarii*, id eſt ungentum ſuaviſſimum & optimum. II. *Pigmentum pigmenti*, *factura pigmentarii*. III. *Conditeram conditeræ*, *opus condimentarii*. IV. *Confectionem confectionis opere confectionarii*. V. *Unguentum unguentariæ operæ*, id eſt artificioſiſſime paratum, unguentarii, non tyronis, ſed peritiſſimi artificis. Magis ex verbo dicemus, *Condimentum*, *unguentum*, *pigmentum conditeræ*, *confecturæ*, *unguentationis*, *pigmentationis*. Duplicatio vocis indicat mirabile artificium, bonitatem, præſtantiam unguenti; quaſi dicat, ſumma arte confectum a peritiſſimo apothecario.

V. 30. AARON, ET FILIOS EIUS UNGES. Quidam notant, tantum videlicet ungendos eſſe Aaronem, & filios eius, qui erant ſummi ſacerdotes: nam inferiores omnes ſacerdotes, & qui poſt illud tempus ſecuti ſunt non amplius fuiſſe unctos, ſed horum unctione totum ordinem fuiſſe conſecratum. Vide cap. XXIX. 29. & cap. XL. 15.

V. 33. ALIENO, id eſt qui non fuerit ſacerdos. Sic cap. XXIX. verſ. 33. Alii non tantum ad perſonas, ſed ad alias quoque res referunt; quaſi dicat: Non ſolum ad uſum hominum non adhibeatur hæc unctio, ſed ne ad alias quidem res: unde reddunt: *Quiſquis imponet ex eo rei exteræ*.

V. 34. STACTEN. נטף *nataph* proprie *ſtillam*, *guttam*, quæ ſua ſponte defluit & diſtillat. Quidam volunt eſſe guttam balſami, e ligno inciſo ſudantem, *opobalſamum*

mum redd..., id eſt ſuccum arbuſculæ balſami. Nonnulli Hebræorum *reſinam*, vel *gummi*, aut *theriacam* interpretantur. *Stacte* Græcis eſt *ſtilla*, ſeu *gutta*, ſed peculiariter eſt ſpecies odorifera, de qua Plinius Lib. XII. cap. xv. de Arboribus myrrhæ. *Sudant autem ſponte, priuſquam incidantur, ſtacten dictam, cui nulla præfertur*. S. Baſilius homilia in Pſalm. xliv. *Stacte vero & ipſa myrrhæ ſpecies eſt tenuiſſima: ex hoc enim aromate contuſo, atque expreſſo omne quod hæſit liquidum, in ſtacten ſeparatur; reliquum, quod reſtat craſſius, myrrha appellatur*. Vide Eccleſiaſtici xxiv. verſ. 17. Theodoretus, & Euthymius in Pſalmum xliv. notant, ſtacten, ſeu guttam eſſe illum liquorem qui ex myrrha ipſa exprimitur. ONYCHA. שחלת *ſchecheleth* hic tantum, nec alibi legitur in Scriptura. Hebræi, & noſtri conſtanter affirmant eſſe ſpeciem *aromaticam*, *odoriferam*, *levem*, & *lucentem in modum unguis, quæ abraditur*, & *uritur in odores*; quam omnes *onycham* vocant. Nonnulli radicem aromatis cuiuſdam colore unguis, *ungulam odoratam*, ſeu *aromaticam* reddunt. Sed mihi *onyx*, ſeu *onycha* pro ſpecie aromatica verbum in auctoribus incompertum, nec magis ſcio, quid ſit *ſchecheleth*. Quidam vertunt *ungulam caballinam*; genus herbæ, quam alii *tuſſilaginem*, ſeu *populaginem* vocant. Nonnulli, quod vulgo appellant *blattam Byzantiam*. Vide Theſaurum Henricianum Tom. II. colum. 1344. & Notas in Eccleſiaſtici xxiv. verſ. 17. GALBANUM. חלבנה *chelbenah*, conſentiente voce, omnes *galbanum* exponunt. Aiunt eſſe ſpeciem *reſinæ*, ſeu *pinguedinis aromaticæ*, & *odoriferæ, a pinguedine nomen habere*. Galbani naturam, & dotes exequitur Plinius Lib. XII. cap. xxv. & Lib. XXIV. cap. v. Hebræi notant, *chelbenah* odoris mali ac tetri fuiſſe, ſed odoramento huic aromatico immixtum, ut admonerentur, patienter eſſe infirmos & peccatores Iſraelis inter pios tolerandos. Virgilius Georgicorum III.

Galbaneoque agitare gravi nidore Chelydros.

BONI ODORIS. סמים *ſammim*, *odores*, *odoramenta*, *odora*, *aromata*. Quidam annotant, tribus modis hanc partem ab Hebræis reddi: quoſdam hoc modo: *Stacten, & onychem, & galbanum*, hæc *aromata, & thus*, &c. alios: *Stacten, & onychem, & galbanum*, illa *aromata*, & *thus*, &c. reſpicientes ad ea quæ nominata ſunt in ſuperiore confectura, verſ. 23. alios: *Stacten, & onychem, & galbanum, nardos, & thus*, &c. quod quidam recentiorum ſequuntur, vertentes: *Nardi folia, cum ſpicis, & thus purum*. Nardus enim teſte Plinio Lib. XII. cap. xii. præcipua eſt in unguentis odoratis, ideoque generis nomen per excellentiam obtinet; obtinet autem in plurali, quia non tantum ſpica ſua, ſed etiam foliis celebratur, gemina dote, ut idem Plinius loquitur. LUCIDISSIMUM. זכה *zaccab*, *mundum*, *purum*, *cui nihil vitii, aut labis eſt admixtum*, *ſincerum*, *clarum*, *lucidum*, *irreprehenſibile*. AEQUALIS PONDERIS ERUNT OMNIA. Hebræa ſubobſcura ſunt, & varie redduntur, & explicantur. I. *Pondus in pondere erit*; id eſt, erunt omnia æqualis ponderis. II. *Tantum in tanto erit*; id eſt, tantum de uno quantum de altero. III. *Pondus ſicut pondus erit*; id eſt, ut ponderetur unumquodque ſeorſim, quo facilius diſcernantur. Tradunt Hebræi, uniuſcuiuſque horum aromatum libras 70. Moſen accepiſſe. IV. *Solum cum ſolo erit*; vel *ſingulum cum ſingulo erit*; id eſt, tantum de uno quantum de alio. V. *Solitudo in ſolitudine*, vel *ſolum cum ſolo*, aut *ſingulum in ſingulo erit*; id eſt, ſeorſum, & ſigillatim unumquodque erit; id eſt, ut quodlibet ſeorſum contundatur ſolum, per ſe, non mixtum cum aliis. VI. *Solum in ſolo erit*, ad thus referunt; id eſt, ipſum thus ſolum, purum putum erit, nihil labis admixtum habebit, erit puriſſimum, vel unaquæque harum ſpecierum aromaticarum, purum cum puro erit, vel ſolum, cum ſolo erit; id eſt, erit ſola ſeu pura e ſine ulla admixtione. VII. *Unumquodque ſolum* cum altero *ſolo eſto*; id eſt, odoramentum & ſuffitus iſte non ὑγρὸς, puta aqua, oleo, aut liquore ullo præter econſperſum, aut maceratum eſto; ſed xerium; id eſt, emplaſtrum ſiccum eſto, ſive apaſma, ut appellant Medici. Quamobrem ut hæc odoramenta ſicca inter ſe coaleſcerent, ſtacten iuſſit adhiberi Deus.

V. 35. MIXTUM DILIGENTER. ממלח *memullach* quidam pro nomine ſubſtantivo capiunt, *ſalitionem*, *ſalituram*, *conditutam*; ſed eſt proprie participium paſſivum Pihel, *ſalitum*, *ſalſum*. Hebræorum

rum nonnulli putant in eo aromatario opere ad ſuffitum, adhibitum fuiſſe ſal Sodomiticum, ſeu aſphaltum: nam eo quoque uſos fuiſſe AEgyptios in condituris, Strabo Lib. XVI. auctor eſt. Alii hic *ſalitum* figurate accipiunt pro *commixtum*, *condenſatum*, *fermentatum*, *temperatum*, *conditum*.

V. 36. CONTUDERIS. שחק *ſchachak* omnes exponunt, *contundere*, *conterere*, *molere comminuere*; quidam tamen *levigare*, *ſeu leviſacere* reddunt, quod magis genuinum puto: unde reddunt: *Et leviſacies de ex eo*, id eſt de condimento illo aromatico, ſeu de ſuffimento: Hebr. feminee, *Ex ea*, ſcilicet conditura, confectione: ex paſtillis unguentariis eius, qui non toti friabantur, & contundebantur, ſed tantum quotidie quantum abſumendum erat. *Leviſiebant* autem, id eſt friabantur, ſeu comminuebantur in levem & tenuem pulverem, ut ſtatim ait. IN TENUISSIMUM PULVEREM. הדק *hadek* quidam capiunt pro infinitivo Hiphil, redduntque: *Et contundes ex eo comminuere*, ſc *comminuendo*. Quidam: *Contundeſque ex eo minutum*, ſeu *minutatim*. Alii volunt eſſe nomen cum præfixo articulo, exponuntque: *Et leviſacies ex eo tenue*, *ſubtile*, *gracile*, *minutum*, nempe pulverem; quod Noſter ſecutus eſt.

MENOCHII.

Verſ. 2. QUADRANGULUM, quadratum, æquis lateribus. CORNUA EX IPSO PROCEDENT, ex tigillis quatuor angularibus officio pedum fungentibus ſurgebant in obeliſci, aut, ut alii volunt, in pomi modum, affabre elaborata.

V. 3. CRATICULAM. Heb. *tectum*, vel *operimentum eius*. Craticula hæc erat reticulata, ut per eius foramina thymiamatis, ſive aromatum incenſorum cinis decidens in humum ſub altare delaberetur. Non tamen immediate ſuperponebatur craticulæ thymiama incendendum, alioqui auream craticulam vis ignis ſolviſſet, ſed in æreo thuribulo, quod craticulæ ipſi imponebatur. Levitic. x. 1. FACIESQUE EI CORONAM, limbum, vel circulum: Italice dicimus *Cornice*. Vide dicta cap. xxv, 25. AUREOLAM, auream.

V. 6. CONTRA VELUM, quod dirimit ſanctum a Sancto ſanctorum. ARCAM TESTIMONII, teſtamenti. Dicitur arca teſtimonii, quia in ea erant tabulæ Legis, quæ eſt quædam voluntatis Dei teſtificatio. TEGITUR TESTIMONIUM tegitur ipſa arca.

V. 8. THYMIAMA SEMPITERNUM, quod ſingulis diebus mane ſemel, & ſemel veſpere adolendum ſit iugiter.

V. 9. COMPOSITIONIS ALTERIUS, alterius ſcilicet quam præſcribam vobis, num. 34.

V. 10. DEPRECABITUR. Hebr. *Expiabit*: agitur enim iam de anniverſaria altaris expiatione. IN SANGUINE, cum ſanguine. QUOD OBLATUM, qui oblatus eſt. PLACABIT, expiabit, vel placabit Aaron pontifex Deum. SUPER EO, ſcilicet altari. IN GENERATIONIBUS VESTRIS; id eſt, qui ritus expiationis ſervabitur futuris deinceps ſemper generationibus. SANCTUM SANCTORUM, ſanctiſſimum altare, ſanctiſſimus ritus expiationis.

V. 12. TULERIS SUMMAM, populum numerabis, cenſum inibis. PRETIUM PRO ANIMABUS SUIS: quo ſcilicet animam ſuam, id eſt vitam ſuam, a Domino quodammodo redimant, ne ſcilicet interficiantur, ſi tributum hoc pendere negligant; quod accidit II. Reg. ult. in cenſu quem imperavit David, in quo cum ſervata non eſſet lex hæc tributi, ut notat Ioſephus VII. Antiq. cap. x. ſeptuaginta hominum millia peſte ceciderunt. NON ERIT PLAGA, ut tempore Davidis accidit.

V. 13. OMNIS QUI TRANSIT AD NOMEN. Hebr. *Omnis qui tranſit ad numeratos*, cuius ſcilicet nomen recenſetur. DIMIDIUM SICLI. Siclus moneta uſitatiſſima Hebræis, quæ & ſtater dicebatur. Pondus ſicli erat quatuor drachmarum Atticarum, & æquivalebat quatuor regalibus Hiſpanicis; quod intellige de argenteo: nam erat etiam ſiclus aureus, & æreus paris omnes ponderis, ſed pro materia inæqualis pretii. IUXTA MENSURAM TEMPLI: quod dicitur, quia in ſanctuario quaſi in loco ſacro, & tuto ſervabatur ſiclus iuſtiſſimi ponderis, ad cuius normam reliqui omnes examinarentur ſi opus eſſet, ne fraus aliqua irrepe-

ret,

ret. VIGINTI OBOLOS HABET, Iudaicos ſcilicet, nam Atticos habebat 24. tot enim obolos efficiunt drachmæ quatuor Atticæ, quas valet ſiclus.

V. 15. DIVES NON ADDET, &c. Pretium æquale in cenſu ſolvent dives, & pauper, vel ut ex ſiclis conſtet populi numerus, vel ne dives præ ſe pauperem, quod minus dederit, deſpiciat; vel etiam quia æque pretioſa apud Deum pauperis vita quam divitis, & pro illius acceptæ beneficio pares gratias omnes referre debemus.

V. 16. IN USUS TABERNACULI, cuius ſumptus magni erant, maiores etiam templi, in fabrica tam ampla, in alendis, & veſtiendis ſacerdotibus, &c. UT SIT MONIMENTUM EORUM CORAM DOMINO: ut per hoc Deus veſtri recordetur, ſitque vobis propitius.

V. 18. LABRUM. Heb. *Concham*. Erat hoc vas factum ad aquam continendam, qua lavarentur primo ſacerdotes, antequam ad ſacra accederent; ſecundo partes victimarum quæ immolabantur. Poſitum erat inter Sanctum, & altare holocauſtorum.

V. 19. LAVABUNT IN EA, aqua nimirum per fiſtulam effluente. MANUS SUAS, AC PEDES. Sacerdotes nudis pedibus in tabernaculo miniſtraſſe docet Ribera cum aliis.

V. 21. NE FORTE MORIANTUR, ſi hanc lotionis cæremoniam negligant. LEGITIMUM. Lex erit æterna ſemper ſervanda.

V. 23. PRIMAE MYRRHAE, ET ELECTAE. Myrrha prima, hoc eſt præſtantiſſima, aut quæ prima defluit e cortice, quæ appellatur *ſtacten*, ἀπὸ τῦ στάζειν, a diſtillando. In Hebræo eſt, *Myrrha libera*, quæ ſcilicet libere, ſponte erumpit, & defluit & eſt quaſi quidam myrrhæ flos. CALAMI, odorati, ſive aromatici, de quo Theophraſtus Lib. IX. Hiſt. Plant. cap. VII. Plin. Lib. XII. cap. XXII. Galen. Lib. VIII. medicam. ſimpl. Dioſcorid. Lib. I. c. XVII.

V. 24. CASIAE. D. Hier. ad Principiam cenſet caſiam eſſe illam quæ σύριγξ, hoc eſt fiſtula caſiæ, nominatur, quod fiſtularum, vel cannarum ſpeciem referat. Italice, *Cannella*. Vide Dioſcorid. Lib. I. cap. XII. qui eius plures ſpecies recenſet. MENSURAM HIN, de qua dictum cap. XXIX. num. 40.

V. 25. OPERE UNGUENTARII, iuxta artem myropolarum, pigmentariorum, ſeplaſiariorum.

V. 29. ERUNT SANCTA SANCTORUM: erunt ſanctiſſima ex hac conſecratione. SANCTIFICABITUR, ſanctificetur. Fortaſſe etiam hic ſanctificabitur, ſignificat culpam contrahet, hoc ſenſu: Si quis non initiatus ea contrectare auſus fuerit, noxam contrahet: nam ſanctificari aliquando in Scriptura idem eſt ac pollui: culpa polluetur. Vide Deut. XXII. 9. & Aggæi II. 13.

V. 31. SANCTUM ERIT MIHI; quaſi dicat: In uſus ſolum ſanctos ad mei cultum aſſumetur. Chald. *Sanctum erit coram me*. LXX. *Sanctum erit vobis*. In lingua Hebræa ſæpe abundat *Mihi*: dicunt enim, *Ito mihi*, pro Ito; ſic Iſaiæ VI. *Quis ibit nobis?* pro Quis ibit? Ita hic, *Sanctum mihi erit*, pro Sanctum erit, vobis ſcilicet, & apud vos.

V. 32. CARO HOMINIS, NON UNGETUR &c. nullus hominum, vel nulla pars hominis: quidam Reges excipiunt, qui oleo ungebantur; ſed hi oleo communi, non oleo unctionis, ut loquitur Scriptura, aut ſancto quo Pontifices.

V. 33. ALIENO, alicui qui non ſit ſacerdos, vel generis ſacerdotalis. EXTERMINABITUR, interficietur.

V. 34. STACTEN, vide ſupra hoc cap. num. 23. ONYCHA, unguem odoratum, de quo Dioſcor. Lib. II. cap. VIII. GALBANUM *ſuccus eſt*, ait Dioſcor. Lib. III. cap. LXXXI. *ferulæ naſcentis in Syria, quem nonnulli metopium vocant*. BONI ODORIS, aromaticum, ſelectum, odoratum. THYMIAMA, aromaticum ſuffimentum. SANCTIFICATIONE DIGNISSIMUM: tam diligenter, exacteque compoſitum, ut dignum ſit quod Deo ſanctificetur, id eſt adoleatur, offeratur, incendatur.

Verſ. 36. CORAM TABERNACULO TESTIMONII: coram Sancto ſanctorum, in altari thymiamatis. IN QUO LOCO, tabernaculo iam dicto, Sancto ſcilicet ſanctorum. SANCTUM SANCTORUM, hoc eſt ſanctiſſimum.

V. 38. FECERIT SIMILE, thymiama. PERIBIT DE POPULIS SUIS. Hebr. *Exſcindetur de populis ſuis*: interficietur, perdet illum Deus.

TIRINI.

Verſ. 8. THYMIAMA SEMPITERNUM vocat, non quod totum diem vel noctem ille odorum ſuffitus perduraret, ſed quod ſingulis diebus adolendus eſſet, *oriente & occidente ſole, ante matutinum & poſt veſpertinum iuge ſacrificium*, inquit Philo *a*: neque ullo die intermitti poſſet. Unde colligo tria quotidiana ſacerdotum officia. Primum erat iuge ſacrificium, de quo cap. præced. Secundum oblatio thymiamatis ſuper altari aureo ante velum Sancti ſanctorum, ut hoc cap. præcipitur. Tertium accenſio lucernarum in aureo candelabro ſeptifido, quam veſpere ſemper faciebant, mane vero quaternas extinguebant, & omnes novo oleo complebant, ut ſupra diximus cap. XXV.

V. 10. DEPRECABITUR AARON SUPER CORNUA EIUS SEMEL PER ANNUM. Hoc erat proprium ſummi pontificis munus, ſemel in anno, nec niſi ſemel, die ſcilicet expiationis, intrare Sanctum ſanctorum, & delato ſecum ſanguine expiationis, ſeu victimarum pro peccatorum expiatione immolatarum, cornibuſque ſeu angulis altaris incenſi eodem ſanguine tinctis, deprecari pro peccatis ſuis ac populi, Deumque placare.

V. 12. DABUNT PRETIUM PRO ANIMABUS SUIS; id eſt, offerent pro animæ, ſeu vitæ ſuæ redemptione: ne ſcilicet, ut ſequitur, *plaga* aliqua, vel peſte percutiantur.

Nota, ſicut hic cenſus populi, & tributum dimidii ſicli, ſeu duorum regalium Hiſpanicorum in ſingula capita maſculorum a viginti annis & ſupra, hoc loco inſtitutus eſt ad expenſas fabricæ tabernaculi colligendas; ſic noluiſſe Deum deinceps citra iuſſum ſuum, vel neceſſitatem, verbi gratia belli imminentis, ſimilem indici cenſum, ac ne tum quidem niſi oblato a ſingulis capitibus cenſis ſimili tributo ſemiſicli in uſus eiuſdem tabernaculi vel templi: quo conſtaret, eum cenſum in honorem Dei, & agnitionem ſupremi domini illius fieri. Quare cum utrumque horum neglectum eſſet in eo populi cenſu, quem David fecit II. Reg. ult. peſtilentia a Deo immiſſa, ſeptuaginta virorum millia extincta ſunt.

Nota ſecundo, ſolitos Iudæos etiam extra cenſus tempora, quotannis perſolvere idem tributum, ubicumque gentium vel terrarum morarentur, ut de Iudæis Babylone habitantibus teſtatur Ioſephus *b*. Qui etiam addit, deſtructo licet iam templo, deletis Ieroſolymis, ac diſperſis undique Iudæis, Veſpaſiani iuſſu idem illud ſacrum tributum, quod antea Ieroſolymis templo Dei pendebant, Romam ad Capitolium mittere quotannis coactos.

V. 13. TRANSIT AD NOMEN, ſupple recenſitorum; id eſt, refertur in catalogum iam recenſitorum. Unde quidam putant loco *nominis* legendum *numerum*, ut legitur verſu præced & ſequente. MENSURAM TEMPLI, inf. verſ. 24. vocat *Pondus ſanctuarii*, id eſt pondus quod in ſanctuario templi adſervabatur; quaſi dicat, Pondus iuſtum & legitimum. Nam eum in finem ſacerdotes adſervabant in ſanctuario pondera *c*, ut reliqua quæ in uſu vulgi erant, ad illorum normam exigi, & examinari poſſent, quo iuſta cenſerentur. Hic Levit. XXVII. verſ. 25. iubet Deus ut *omnis æſtimatio ſiclo ſanctuarii ponderetur*; id eſt, ut omnes contractus, venditiones, & emptiones, iuxta pondera in ſanctuario adſervata fiant. Non ergo erant alia pondera publica (ut quidam opinati ſunt) alia templi; ſed omnia debebant unius eſſe modi & normæ, cuius erant illa quæ in ſanctuario quaſi ſacroſancta repoſita manebant, ad quæ reliqua omnia privatorum pondera, ut iuſta cenſerentur, exigi debebant. Uti etiam apud Romanos factitatum teſtis eſt Fannius, & probant Villalpandus ac Mariana *d*. Iubebatque etiam in templis Chriſtianorum primariis pondera & menſuras adſervari Imperator Iuſtinianus *e*.

(*a*) Phil. Lib. de Victimis.
(*b*) Ioſephus Lib. XVIII. Antiquit. cap. III, & Lib. VII. bell. cap. XXVI.
(*c*) I. Paralip. XXIII. verſ. 29.
(*d*) Villalp. in fine Apparatus Marian. de Pond. & menſuris cap. XXV.
(*e*) Iuſtin. in Authentica de Collatoribus. § *Eas autem*.

GORDONI.

Verſ. 1. FACIES QUOQUE ALTARE. Vide cap. XXVII. quæ dicta ſunt de altari duplici.

V. 2.

V. 2. Quadrangulum. Hoc accipe quod eſt quadratum, & æquilaterum. Quæ ſint cornua altaris, dixi cap. xxvii. verſ. 2.

V. 3. Craticula, nempe ut inde cineres deciderent. Eſt probabilius eam fuiſſe ferream. Parietes hic ſunt quatuor altaris latera. Corona aureola per gyrum, eſt limbus aureus prominens.

V. 6. Ponesque. Non fuit hoc altare incenſi: non videtur fuiſſe intra Sancta ſanctorum, ſed in anteriore parte Sanctuarii, tamen vicinum velo, quod ſeparabat Sancta ſanctorum a reliqua parte Sanctuarii.

V. 8. Thymiama sempiternum; hoc eſt, non intermittendum, ut non fiat quolibet die. Non enim durabat per totos dies & noctes; ſed ſtatis diei horis fiebat.

V. 9. Non offeretis. Non vult offerri thymiama alterius generis quam quod hic præſcribitur, verſ. 35. & 36. Denique docet quid non ſit offerendum in hoc altari.

V. 10. Et deprecabitur. Sept. *Propitiabitur*. Hebr. *Expiabit*: cedet in remiſſionem peccati.

V. 12. Quando tuleris summam filiorum Israel. Iniri poterat numerus populi, Deo iubente, aut ex neceſſitate belli, aut tributi; non ex ſuperbia, ut David. Pretium ſingulis fit dimidium ſicli verſ. 13.

V. 13. Qui transit ad nomen; hoc eſt, omnis qui nomine recenſetur. Siclus viginti obolos habet. Sicut vero ſiclus Hebraicus viginti obolos habebat; ita in drachma erant quinque oboli. Vide Gen. xx. & xxiii. Opinantur aliqui, ſiclum ſanctuarii pretio & pondere differre a communi ſiclo; ſed hanc diſtinctionem ignorarunt veteres, Hieronymus, Ioſephus & alii. Sane hos ſiclos eſſe æquales habetur ex Ezech. cap. xlv. verſ. 12. nam ibi ſiclus communis dicitur habere viginti obolos: & hoc capite Exodi ſacer ſiclus totidem habet obolos. Erant ſicli aurei, argentei, & æreí. Argenteus valebat quantum quatuor regales Hiſpanici: vide Geneſ. xx. & xxiii. at quot drachmas, dicam Levit. xxvii.

V. 15. Et pauper nihil minuet, ſcilicet de eo pretio (ut additur in Hebr.) & dimidio ſiclo.

V. 16. Sit monimentum: ut Deus memor huius rei placetur.

V. 18. Labrum aeneum ſignificat concham, vel pelvim: ſic dictum, quod haberet extremitates velut labia prominentes, quale fuit in templo Salomonis Mare æneum. Solemne multis gentibus fuit ante ſacra manus abluere. Hoc altare eſt holocauſtorum.

V. 23. Primae myrrhae: myrrha prima, hoc eſt primaria. Apud Sept. *Flos myrrhæ electæ*: eſt quæ ſponte fluit ante arboris inciſionem: aliqui *ſtacten* vocant. Per cinnamomum plures canellam intelligunt: fruticis cortex quidem erat, ſed pretioſior quam canella: & vix nunc reperitur. Calamus hic aromaticus eſt, & ad ſpeciem cannæ: nec facile nunc invenitur.

V. 24. Casiae. Caſia aliam cannæ ſpeciem refert, aut fiſtulæ. Putatur ab aliquibus noſtra canella. Pondere sanctuarii; hoc eſt, quod vel maius eſt vulgari pondere, vel (quod probabilius eſt) pondere non adulterino, & quod norma eſt publici ponderis, ne minuatur hoc, vel augeatur.

V. 29. Sanctificabitur. Ut ſupra cap. xxix. verſ. 37. Qui non eſt ſanctificatus non tanget: ergo hic contactus ſolis ſacerdotibus permittitur.

V. 34. Stacten. Quid per ſtacten intelligat attigi verſ. 23. Onycha, piſcis genus inſtar unguis; & vocatur Unguis odoratus: vocatur etiam a Plinio Oſtracium. Commemorant etiam Scriptores onychen marmoris genus, immo & gemmam. Galbanum eſt ſuccus fruticis cuiuſdam, non multum a thure diſcedens. Plin. Lib. XII. cap. xxv. Thus hic luciſſimum, & præſtantiſſimum, quale eſt quod in autumno colligitur.

V. 35. Thymiama, ſuffimentum aromaticum.

Verſ. 36. Sanctum sanctorum; hoc eſt, quod a nullo debeat attrectari, niſi a ſacerdote.

Ex Eiusdem Auctario.

V. 10. Quod oblatum: qui oblatus eſt ſuper eo altari. Sanctum sanctorum, ſanctiſſimum.

V. 32. Caro hominis non ungetur, &c. nullus hominum. Non eſt hoc oleum commune, ſed ſpeciale, & pro Pontificibus.

CAPUT XXXI.

Deputantur a Domino Beſeleel & Ooliab ad extructionem tabernaculi ac ceterorum quæ dicta ſunt: de ſabbati obſervatione, & de tabulis a Domino Moyſi datis.

1 Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens: 2. Ecce; vocavi
ex nomine Beſeleel filium Uri filii Hur de tribu Iuda, 3. &
implevi eum ſpiritu Dei, ſapientia, & intelligentia, & ſcientia
in omni opere, 4. ad excogitandum quidquid fabrefieri poteſt
ex auro, & argento, & ære, 5. marmore, & gemmis, & di-
verſitate lignorum. 6. Dedique ei ſocium Ooliab filium Achi-
ſamech de tribu Dan. Et in corde omnis eruditi poſui ſapientiam: ut faciant
cuncta quæ præcepi tibi, 7. tabernaculum fœderis & arcam teſtimonii, & pro-
pitiatorium, quod ſuper eam eſt, & cuncta vaſa tabernaculi, 8. menſamque &
vaſa eius, candelabrum puriſſimum cum vaſis ſuis, & altaria thymiamatis, 9.
& holocauſti, & omnia vaſa eorum, labrum cum baſi ſua, 10. veſtes ſanctas
in miniſterio Aaron ſacerdoti, & filiis eius, ut fungantur officio ſuo in ſacris:
11. oleum unctionis, & thymiama aromatum in Sanctuario, omnia quæ præ-
cepi tibi, facient. 12. Et locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens: 13. Loque-
re filiis Iſrael, & dices ad eos: (a) Videte ut ſabbatum meum cuſtodiatis: quia
ſignum eſt inter me & vos in generationibus veſtris: ut ſciatis quia ego Do-
minus, qui ſanctifico vos. 14. Cuſtodite ſabbatum meum: ſanctum eſt enim
vobis: qui polluerit illud, morte morietur: qui fecerit in eo opus, peribit ani-
ma illius de medio populi ſui. 15. * Sex diebus facietis opus: in die ſeptimo
ſabbatum eſt, requies ſancta Domino: omnis qui fecerit opus in hac die, mo-
rietur. 16. Cuſtodiant filii Iſrael Sabbatum, & celebrent illud in generationibus
ſuis. Pactum eſt ſempiternum 17. inter me & filios Iſrael, ſignumque perpetuum:
(b) ſex enim diebus fecit Dominus cælum & terram, * & in ſeptimo ab ope-
re ceſſavit. 18. Deditque Dominus Moyſi, completis huiuſcemodi ſermonibus
in monte Sinai, (c) duas tabulas teſtimonii lapideas, ſcriptas digito Dei.

(a) Sap. xx. 8. Ezech. xx. 12. (b) Gen. 1. 31. (c) Deut. 1x, 10.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

Verſ. 15. *Sex diebus facietis opus.* Non mutes numerum pluralem in ſingularem *facies.*

V. 17. *Et in ſeptimo ab opere ceſſavit.* Non addas *omni.*

COM-

COMMENTARIA

SA.

Verſ. 2. EX NOMINE, id eſt præ aliis, ſeu nominatim.

V. 3. DEI, id eſt divino, ſeu excellenti. OPERE, id eſt arte mechanica.

Verſ. 5. MARMORE, ET GEMMIS. Chald. *Lapidibus pretioſis*. Hebr. *In fabrefactione lapidis*, ſcilicet pretioſi.

V. 6. OMNIS ERUDITI; quaſi dicat, etiam aliorum, qui poſſint illos duos iuvare. Vide cap. XXXVI.

V. 7. VASA, id eſt inſtrumenta.

V. 13. SABBATUM. Hebr. *ſabbata*; quaſi dicat: Nolo tamen illa, quæ præcepi, fieri diebus feſtis. GENERATIONIBUS, id eſt ætatibus; quaſi dicat, quamdiu vixeritis. UT SCIATIS, &c. quaſi dicat: Ut ſic teſtemini vos eſſe populum meum, a me ſanctiſicatum, meoque cultui dicatum.

V. 14. SANCTUM, id eſt ſancte colendum. MORIETUR, ſcilicet iudicis decreto. QUI FECERIT, &c. explicatio præcedentis.

V. 16. CELEBRENT. Hebr. *Faciant*. SEMPITERNUM, id eſt de re duratura toto ſtatu veteris legis: itaque dicitur, IN GENERATIONIBUS SUIS.

V. 17. CESSAVIT. Heb. *Quievit*, & *recreatus eſt*, ſeu *refocillatus*: ſcilicet loquitur ſæpe Scriptura de Deo humano more; quod metaphorice intelligendum eſt, neque enim humana in Deo.

V. 18. TESTIMONII, id eſt legis, Dei voluntatem teſtantis. DIGITO, id eſt opera.

ESTII.

Verſ. 2. & 3. DE Beſeleel: ET IMPLEVI EUM SPIRITU DEI, SAPIENTIA, &c. Non ſpiritu ſanctificante, atque interius mentem renovante, a quo gratia dicitur gratum faciens; hæc enim neceſſaria non erat ſed dicitur impletus ſpiritu Dei quocumque modo aliquis in homine, vel per hominem operante: quæ vocantur gratiæ gratis datæ. Talis ſcilicet fuit ſpiritus ſapientiæ, & intelligentiæ in Beſeleel ad exacte faciendum tabernaculum iuxta exemplar Moyſi a Domino in monte monſtratum. Et hoc eſt quod Beſeleel dicitur repletus ſpiritu Dei, non abſolute, ſed cum iſta determinatione, *In omni opere ad excogitandum quidquid fabrefieri poteſt ex auro*, &c. Quod identidem quoque repetitur cap. XXXV. & XXXVI. BESELEEL FILIUM URI FILIUM HUR, &c. I. Paralip. II. legimus: *Caleb accepit uxorem Ephrath, quæ peperit ei Hur, porro Hur genuit Uri, & Uri genuit Beſeleel*. Ubi notandum hunc Caleb proavum Beſeleel omnino diverſum eſſe a Caleb exploratore Terræ ſanctæ. Nam, ut liquet ex cap. XIV. Ioſue, explorator ille eo tempore quo ſtruebatur tabernaculum, vix erat quinquagenarius, ut nullo modo tunc potuerit eſſe proavus Beſeleel. Adde quod proavus Beſeleel (qui & Calubi & Caleb vocatur I. Paralip. II.) filius Heſron deſcribitur: alter autem Caleb explorator filius Iephone eſt, ut patet Num. XIII. Ioſue XIV. & etiam I. Par. IV.

MARIANAE.

Verſ. 5. ET GEMMIS. Hebr. *Ad implendum*, ſupple, palas gemmis eſt Beſeleel peritus.

V. 6. ET IN CORDE OMNIS ERUDITI POSUI SAPIENTIAM. Hebr. *Et in corde omnis ſapientis corde poſui ſapientiam*. Hebraiſmus eſt; ſed & habenti dari indicat, non dormienti: ſignificat etiam, præter duos artifices, alios etiam ſapientia repleviſſe, quos operi adhibuit adiutores.

V. 8. CANDELABRUM PURISSIMUM. Quo maior ex oleo erat occaſio fœdandi illud, eo magis puritatem eius commendatam eſſe vult.

V. 10. VESTES SANCTAS IN MINISTERIO AARON. Hebr. *Et veſtes miniſterii, & veſtes ſanctitatis Aaroni ſacerdoti, & veſtes filiorum eius, ut ſacerdotio fungantur*. Ita præter veſtes ſacerdotum erant veſtes aliæ, nempe cortinæ, quas *veſtes miniſterii* vocat: aut aliæ ad operiendum altare & menſam, ut ait David Kimhi.

V. 13.

Digitized by Google

V. 13. VIDETE UT SABBATUM MEUM CUSTODIATIS. Hebr. *Verumtamen ſabbata mea cuſtodietis*. Quaſi diceret: Hæc facite quæ præcepi opera tabernaculi, cum eo ne violetis ſabbatum.

V. 15. IN DIE SEPTIMO SABBATUM EST, REQUIES SANCTA DOMINO. Sic fere Sept. poſuerunt, præterquam quod *ſabbata* dixerunt numero multitudinis. Alioqui Hebraice, *In die ſeptima ſabbatum ſabbati, ſanctitas Domino*, hoc eſt ſabbatum precipuum: auget enim ſignificationem tum geminatio eiuſdem vocis, ut cum dicimus *Sanctum ſanctorum*, ſeu *Sanctitas ſanctitatis*; tum voci geminatæ additæ quædam litteræ: dicitur enim *ſabbath ſabbathon*, ut prima voce *requiem* intelligamus, poſteriori *reliquam diei celebritatem*, ut explicat Hebræus.

V. 17. ET IN SEPTIMO AB OPERE CESSAVIT. Hebr. *Et in die ſeptimo quievit & reſpiravit*. Loquitur de Deo more humano.

V. 17. DIGITO DEI. Tabulas ſcriptas dedit Deus Moyſi. *Dei digito*, pro *ſuo*: utitur ſæpe ea lingua antecedenti pro relativo.

MALVENDAE.

Verſ. 2. EX NOMINE; id eſt, nominatim, ſingulariter, præ omnibus aliis delegi eum. Sic Iſaiæ XLIII. 1. XLV. 3.

V. 3. IN OMNI OPERE. Hebr. *In omni miniſteriali*: Hiſpanice, *En todo meneſter*. Sic in ſequentibus verſ. 5. 14. 15.

V. 4. AD EXCOGITANDUM QUIDQUID FABREFIERI POTEST. Hebr. *Ad imaginandum imaginationes*. Quidam, *Ad texendum polymita*, vel *ad plumandum plumaria*, ſeu *ad phrygiandum phrygiana*: alii, *Ad excogitandum res induſtrie inventas*. De verbo חשב *chaſchab* in hac uſurpatione egimus cap. XXVI. verſ. 1.

V. 5. ET GEMMIS. Addunt Hebræa, *Ad implendum*; id eſt, ad inſerendum gemmas palis, ſeu fundis.

V. 8. CANDELABRUM PURISSIMUM, id eſt de auro puriſſimo, ſupra cap. XXV. verſ. 31. Alii hoc additum volunt, quod quamvis oleo implerentur lucernæ eius, quod facile diffluit, ac penetrat, & vaſa ipſa fœdat; at cura ſacerdotum manebat ſemper mundiſſimum.

V. 10. VESTES SANCTAS IN MINISTERIO AARON. Hebr. diſtincte: *Et veſtimenta miniſterii, & veſtimenta ſancta Aharon*, &c. Alia dicuntur veſtimenta miniſterii, alia veſtimenta ſancta Aaron. שרד *ſerad* omnes fere reddunt *miniſterium*; unde nonnulli Hebræorum putant, Daleth in *ſerad* poſitum pro Thau, ex verbo שרת *ſchereth*, *miniſtravit*. Alii, ſerad, ut שריד *ſarid*, *reſiduum* exponunt, conſentiente voce Latina, litterarum inverſione: unde convertunt: *Et veſtes reſidui*, *reſiduas*, ſeu *reliquiarum*, aut *derelictionis*, vel *reliquæ*. Quidam intelligunt veſtes reliquas ſacerdotum privatas, & vulgares, quibus quotidie in miniſteriis utebantur, nempe inferiores, & communes: quæ exutis pontificalibus, reſiduæ ſunt & reliquæ. Alii, *Veſtes reſidui*, id eſt ad reſidua neceſſarias. Hebræi, & plerique noſtrorum conſtanter affirmant, has veſtes non intelligi veſtes pontificales, ſeu ſacerdotales, ſed ſtragula, id eſt aulæa & vela tabernaculum veſtientia, ſupra cap. XXVI. & infra cap. XXXVI. item involucra, quibus tegebantur, & involvebantur candelabrum, arca, menſa, altare, & reliqua inſtrumenta ſacra cum deportanda erant, & movenda caſtra, ut late ſcribitur Numeror. IV. Sic infra cap. XXXV. 19.

V. 13. VIDETE UT SABBATUM MEUM CUSTODIATIS. Hebr. *Verumtamen ſabbatum meum obſervabitis*. Quidam putant eſſe elipſin; quaſi dicat: Facient quidem opifices prædicti omnia illa quæ iuſſi; nolo tamen ea fieri ſabbatis; ſed ſabbata mea. id eſt mihi dicata, ſervate. Tanti volo fieri ſabbata mea, ut ne hoc quidem opus, quamvis ſacrum, & cultui meo dicatum, ſabbatis fieri velim. Alii potius volunt, univerſe hic inculcari mandatum ſabbati, quod ea obſervantia præ ceteris eſſe ſacr. ſanctiſſima, & nedum ſemel, ſed ſæpius ob id præcipienda. QUIA SIGNUM EST INTER ME ET VOS, &c. Quidam exponunt: Id eſt, documentum commune inter nos; mei, ut creatoris, Domini, & ſanctificantis; veſtri autem, ut qui creati eſtis, & populus meus peculiaris, & qui ſanctificati eſtis; ideo ſubiungit: UT SCIATIS QUIA EGO DOMINUS, &c. quaſi dicat; Quod obſervari iubeo, ut eius obſer-

va-

vatione id ipſum recognoſcatis, nempe me eſſe Creatorem & Dominum, ſanctificantem vos: nam idcirco iubeo ſabbatum cuſtodire, ut totum diem illum impendatis recognoſcendo beneficium creationis, illum tranſigendo in cultu divino, auditu verbi Dei, precibus, & ſacrificiis, ut hac ratione remittam vobis peccata, & ſanctificem vos.

V. 14. MORTE MORIETUR. Hebr. *Moriendo morietur*; id eſt, omnino, ſine ulla ſpe veniæ moriatur. Notant quidam, quod quando verbum מות *muth* ponitur in coniugatione Hophal, ut hic futurum, יומת *iumath*, quam ſextam faciunt inter Hebraicas, tunc ſignificat *ſententia iudicis mori*: unde exponunt, *Moriatur*, *interficiatur*, *perimatur*, *interimatur*: alii, *Moriendo morti tradetur*, *morte afficietur*, *plectetur*, *multabitur*. Sic hic, & verſ. 15. & alibi ſæpius. Id iam ſemel annotatum eſto.

V. 17. CESSAVIT. Addunt Hebr. וינפש *vaiinnaphesch*, quod verbum a *nephesch*, *anima*, conflatum eſt; id eſt, *animatus fuit*. *anhelavit*, *reſpiravit*, *reſumpſit animum*, *refocillatus*, *refrigeratus*, *recreatus fuit*. Hiſpanice, *Tomo buelgo*, vel *quievit animo*. Humano more loquitur de Deo ac ſi homo eſſet, qui poſt magnum laborem quaſi feſſus recrearetur; ut indicet quam ingens opus fuerit creatio.

V. 18. DIGITO DEI; id eſt, non artificio humano, ſed divinitus ſculptas: erant enim opus Dei, cap. XXXII. verſ. 16. nam ſecundas, de quibus infra cap. XXXIV. verſ. 1. paravit Moſes.

MENOCHII.

Verſ. 2. VOCAVI EX NOMINE BESELEEL; quaſi dicat: Ego Deus nominatim præ ceteris omnibus delegi Beſeleel. FILII HUR. Hur iſte avus Beſeleel videtur fuiſſe ille de quo cap. XVII. 14. & XXIV. 14. ideoque non proceſſiſſe Moſen in genealogia Beſeleel, ſed nullum ultra Hur nominaſſe, quod Hur ex ſupra dictis ſatis eſſet cognitus.

V. 3. SPIRITU DEI, id eſt ſpiritu meo, vel ſpiritu excellenti. Porro ſpiritus Dei eſt qui ſequitur, videlicet ſapientia, intelligentia, & ſcientia in omni opere fabrili.

V. 6. IN CORDE OMNIS ERUDITI; quaſi dicat: Peritis artificibus minoribus, & inferioribus dedi etiam induſtriam ſuam, & peritiam, ut iuvent Beſeleel, & Ooliab in fabrica tabernaculi.

V. 13. SABBATUM. Hebr. *ſabbata*; quaſi dicat: Nolo tamen illa quæ præcepi, fieri diebus feſtis. IN GENERATIONIBUS VESTRIS: ætatibus, quamdiu vixeritis. QUI SANCTIFICO VOS: qui ſcilicet vos ad cultum meum applico, mihique quaſi dico & conſecro per hanc feſtivitatem meam ſabbati, ut in ea ſancte me colatis.

V. 14. SANCTUM EST ENIM VOBIS, ſancte colendum. PERIBIT, iudicis ſententia, aut alioqui Deo vindicante.

V. 15. REQUIES DOMINO, ad colendum Dominum.

V. 16. PACTUM SEMPITERNUM: lex perpetuo duratura, dum ſtatus veteris legis durabit.

V. 17. CESSAVIT AB OPERE. Heb. *Reſpiravit a labore*. Loquitur more humano.

V. 18. DUAS TABULAS TESTIMONII, decalogi ſive legis, quæ teſtimonium eſt divinæ voluntatis. DIGITO DEI, opera Dei, aut Angeli Deum referentis, non hominis.

TIRINI.

Verſ. 2. VOCAVI EX NOMINE BESELEEL; id eſt, ad hoc nominatim elegi Beſeleel nepotem Hur mariti Mariæ, ut ſupra cap. XV. diximus probabile eſſe.

V. 3. ET IMPLEVI EUM SPIRITU DEI; id eſt, infudi illi omnem neceſſariam ſcientiam.

V. 6. ET IN CORDE OMNIS ERUDITI POSUI SAPIENTIAM; id eſt, omnes viros ingenioſos, & artium peritos, perfectiore implevi ſcientia, addens quod illis deerat. Itaque Beſeleel & Ooliab præerant omnibus operibus, eaque dirigebant tamquam primi & ſupremi architecti: præter hos tamen, & ſub his, alii multi ad res tabernaculi conficiendas evocati fuerunt.

V. 16. & 17. CELEBRENT SABBATUM IN GENERATIONIBUS SUIS; id eſt, & nunc, & deinceps per omnes poſteros. PACTUM enim EST SEMPITER-

NUM

NUM INTER ME ET FILIOS ISRAEL; quaſi dicat: Inter alia pacta, etiam de hoc æternum ſervando inter nos convenit; & non niſi hac lege promiſi me fore illis protectorem, ac remuneratorem. Inſuper erit & SIGNUM PERPETUUM inter me & vos: quo nempe oſtendetis vos eſſe peculiarem populum meum, meque Deum veſtrum: nam ſabbati obſervatione non minus quam circumciſione palam dignoſcentur Iudæi a ceteris nationibus. Plures quidem aliæ gentes religioſo etiam cultu diem ſabbati, uti & circumciſionem ſervarunt, teſte Philone & Euſebio *a*; ſed hos ritus a Iudæis acceperunt, quorum exempla imitati ſunt.

(*a*) Philo Lib. II. de Vita Moyſis. Euſeb. Lib. XIII. de Præpar. cap. VII.

GORDONI.

Verſ. 3. IN OMNI OPERE, ſcilicet mechanico.

V. 6. OMNES ERUDITI, qui poſſunt priores iuvare artifices.

V. 14. MORIETUR, iudicis decreto.

V. 16. SEMPITERNUM, quamdiu durat lex vetus.

V. 18. TESTIMONII. Opera Dei teſtimonium vocantur, quia teſtantur Dei voluntatem.

Ex EIUSDEM AUCTARIO.

V. 3. IMPLEVI EUM SPIRITU DEI. Spiritu meo docui hunc Beſeleel, quem vocavi, & deſignavi nomine.

V. 13. SABBATUM MEUM CUSTODIATIS: ſenſus eſt, Videte tamen ne ſabbatum violetis propter hoc opus.

V. 14. SANCTUM EST VOBIS, ſancte colendum.

V. 18. Lex eſt teſtimonium divinæ voluntatis.

CAPUT XXXII.

Ob vitulum adoratum Moyſes Deum precatur, tabulas frangit, vitulum comburit, & Aarone obiurgato idololatras occidi iubet, ceteriſque veniam impetrat.

1 VIdens autem populus quod moram faceret deſcendendi de mon-
te Moyſes, congregatus adverſus Aaron, dixit: (*a*) Surge, fac
nobis deos, qui nos præcedant: Moyſi enim huic viro, qui
nos eduxit de Terra AEgypti, ignoramus quid acciderit. 2.
Dixitque ad eos Aaron: Tollite inaures aureas, de uxorum
filiorumque & filiarum veſtrarum auribus, & afferte ad me.
3. Fecitque populus quæ iuſſerat, deferens inaures ad Aaron. 4.
(*b*) Quas cum ille accepiſſet, formavit opere fuſorio, & fecit ex eis vitulum
conflatilem. Dixeruntque: Hi ſunt dii tui Iſrael, qui te eduxerunt de Terra AE-
gypti. 5. Quod cum vidiſſet Aaron, ædificavit altare coram eo, & præconis
voce clamavit dicens: Cras ſolemnitas Domini eſt. 6. Surgenteſque mane, ob-
tulerunt holocauſta & hoſtias pacificas, & (*c*) ſedit populus manducare, & bi-
bere, & ſurrexerunt ludere. 7. Locutus eſt autem Dominus ad Moyſen, di
cens: (*d*) Vade, deſcende: peccavit populus tuus, quem eduxiſti de Terra AE-
gypti. 8. Receſſerunt cito de via, quam oſtendiſti eis: feceruntque ſibi vitulum
conflatilem, & adoraverunt, atque immolantes ei hoſtias, dixerunt: (*e*) Iſti ſunt
dii tui Iſrael, qui te eduxerunt de Terra AEgypti. 9. Rurſumque ait Dominus
ad Moyſen: (*f*) Cerno quod populus iſte duræ cervicis ſit: 10. dimitte me, ut
ira-

Digitized by Google

iraſcatur furor meus contra eos, & deleam eos, faciamque te in gentem magnam. 11. Moyſes autem orabat Dominum Deum ſuum, dicens: (g) Cur, Domine, iraſcitur furor tuus contra populum tuum, quem eduxiſti de Terra AEgypti, in fortitudine magna, & in manu robuſta? 12. Ne quæſo dicant AEgyptii: Callide eduxit eos, ut interficeret in montibus, & deleret e terra: quieſcat ira tua, & eſto placabilis ſuper nequitia populi tui. 13. Recordare Abraham, Iſaac, & Iſrael, ſervorum tuorum, quibus iuraſti per temetipſum, dicens: (h) Multiplicabo ſemen veſtrum ſicut ſtellas cæli: & univerſam terram hanc, de qua locutus ſum, dabo ſemini veſtro, & poſſidebi is eam ſemper. 14. Placatuſque eſt Dominus ne faceret malum quod locutus fuerat adverſus populum ſuum. 15. Et reverſus eſt Moyſes de monte, portans duas tabulas teſtimonii in manu ſua, ſcriptas ex utraque parte, 16. & factas opere Dei: ſcriptura quoque Dei erat ſculpta in tabulis. 17. Audiens autem Ioſue tumultum populi vociferantis, dixit ad Moyſen: Ululatus pugnæ auditur in caſtris. 18. Qui reſpondit: Non eſt clamor adhortantium ad pugnam, neque vociferatio compellentium ad fugam: ſed vocem cantantium ego audio. 19. Cumque appropinquaſſet ad caſtra, vidit vitulum, & choros: iratuſque valde, proiecit de manu tabulas, & confregit eas ad radicem montis: 20. arripienſque vitulum quem fecerant, combuſſit, & contrivit uſque ad pulverem, quem ſparſit in aquam, & dedit ex eo potum filiis Iſrael. 21. Dixitque ad Aaron: Quid tibi fecit hic populus, ut induceres ſuper eum peccatum maximum? 22. Cui ille reſpondit: Ne indignetur dominus meus: tu enim noſti populum iſtum, quod pronus ſit ad malum: 23. dixerunt mihi: Fac nobis deos, qui nos præcedant: huic enim Moyſi, qui nos eduxit de Terra AEgypti, neſcimus quid acciderit. 24. Quibus ego dixi: Quis veſtrum habet aurum? Tulerunt, & dederunt mihi: & proieci illud in ignem, egreſſuſque eſt hic vitulus. 25. Videns ergo Moyſes populum quod eſſet nudatus, (ſpoliaverat enim eum Aaron propter ignominiam ſordis, & inter hoſtes nudum conſtituerat) 26. & ſtans in porta caſtrorum, ait: Si quis eſt Domini, iungatur mihi. Congregatique ſunt ad eum omnes filii Levi: 27. quibus ait: Hæc dicit Dominus Deus Iſrael: Ponat vir gladium ſuper femur ſuum: ite, & redite de porta uſque ad portam per medium caſtrorum, & occidat unuſquiſque fratrem, & amicum, & proximum ſuum. 28. Feceruntque filii Levi iuxta ſermonem Moyſi, † cecideruntque in die illa quaſi viginti tria millia hominum. 29. Et ait Moyſes: Conſecraſtis manus veſtras hodie Domino, unuſquiſque in filio, & in fratre ſuo, ut detur vobis benedictio. 30. Facto autem altero die, locutus eſt Moyſes ad populum: Peccaſtis peccatum maximum: aſcendam ad Dominum, ſi quo modo quivero eum deprecari pro ſcelere veſtro. 31. Reverſuſque ad Dominum, ait: Obſecro, peccavit populus iſte peccatum maximum, feceruntque ſibi deos aureos: aut dimitte eis hanc noxam, 32. aut ſi non facis, dele me libro tuo quem ſcripſiſti. 33. Cui reſpondit Dominus: Qui peccaverit mihi, delebo eum de libro meo: 34. tu autem vade, & duc populum iſtum quo locutus ſum tibi: Angelus meus præcedet te. Ego autem in die ultionis viſitabo & hoc peccatum eorum. 35. Percuſſit ergo Dominus populum pro reatu vituli, quem fecerat Aaron.

(a) Act. vii. 40. (b) Pſal. cv. 19. (c) I. Corinth. x. 7. (d) Deut. ix. 12. (e) III. Reg. xii. 28. (f) Infr. xxxiii. 3. Deuter. ix. 13. (g) Pſalm. cv. 23. Numeror. xiv. 13. (h) Geneſ. xii. 7. & xv. 7. & xlviii. 16.

BRUGENSIS

LECTIONUM VARIETAS.

V. 28. *Cecideruntque in die illa quaſi viginti tria millia hominum*. Pro *viginti tria*, quod eſt in quibuſdam libris, in quibuſdam legitur amplius, nempe *triginta tria*, in quibuſdam minus, nempe *tria*. His poſtremis favent Hebræa, Græca, & Chaldæa; & inter Auctores Rabanus diſerte ubi enarrat hunc locum, Ambroſius epiſtola lvi. Thomas in Summa II. II. qu. xiv. a. 3. & qu. xcvii. art. 4. præter alios.

COMMENTARIA

SA.

Verſ. 1. PRAECEDANT, ſcilicet per deſertum ducentes.

V. 4. VITULUM: ſcilicet volebant adorare Apim AEgyptium, ſeu Serapim. qui bos erat. DIXERUNTQUE, ſcilicet populus.

V. 5. DOMINI, non dicit Vituli: ſcilicet ſperabat Moyſen prius rediturum.

V. 6. LUDERE, ſcilicet choreis, & cantu, more idololatrarum.

V. 7. TUUS, non dixit meus: quia ab ipſo defecerant idoli cultu.

V. 8. OSTENDITS. Hebr. & LXX. *Præcepi*; Chald. *Præcepiſti*.

V. 10. DIMITTE ME; quaſi dicat: Deſine diligere, dilectio enim tua impedit ne deleam: dicit vero id, non præcipiendo, ſed monendo, & exprimendo quid illum a ſupplicio revocet. Auguſt. in Exod. qu. cxlix. ET DELEAM EOS, &c. pertinet id ad abiectionem Iſraelis, & aſſumptionem Gentium. Hieron. epiſt. cxxix IN GENTEM, id eſt præfectum genti. vel patrem gentis; quaſi dicat: Dabo tibi magni populi præfecturam, vel copioſam poſteritatem.

V. 12. ESTO PLACABILIS SUPER NEQUITIA. Hebr. *Pœniteat te ſuper malo*, id eſt punitione. Vide infra.

V. 14. PLACATUSQUE EST DOMINUS. Hebr. *Pœnituitque Dominum*.

V. 18. ADHORTANTIUM, &c. Chald. *Victorum, nec eorum qui vincuntur*: atque id indicant etiam Hebr.

V. 20. CONTRIVIT. Vidi ego Mediolani aurum igni in pulverem redigi, in eius artis officina. POTUM: ſcilicet ut diſceret populus contemnere quod in ſeceſſum proiici videbat. Hieronym. epiſt. cxxviii.

V. 21. INDUCERES; quaſi dicat, faceres peccare.

V. 23. MOYSI. Heb. *Moyſi viro*.

V. 24. EGRESSUSQUE, id eſt factus, ſeu formatus.

V. 25. NUDATUS, ſcilicet apparuerat quo animo eſſet, vel nudatus Dei protectione. SPOLIAVERAT, ſcilicet & auro, & Dei gratia. PROPTER IGNOMINIAM SORDIS. id eſt idoli cauſa: valde enim ſordidum factum illud, & ignominioſum. LXX. *In ludibrium hoſtibus ſuis*. NUDUM, ſcilicet Dei gratia, immo & Deo ipſo, quem reliquerat.

V. 26. DOMINI, id eſt pro Domino, ſeu ex parte Domini; quaſi dicat, Dei cultor, & gloriæ eius defenſor. OMNES FILII. Non ſignificat omnes Levitas congregatos, ſed omnes congregatos Levitas fuiſſe.

V. 30. DEPRECARI. Hebr. *Expiare*, ſcilicet precando Deum. Chald. *Placare*.

V. 32. DELE. Auguſt. in Exod qu. cxlvii. Securus dicit, ut concludatur ratiocinatio; quaſi dicat: Non me delebis; remitte ergo. Quidam hyperbolem dicunt, ſcilicet expreſſionem affectus maximi ad populum, non autem deliberati animi: ſic Rachel Geneſ. xxx. *Da mihi liberos, alioquin moriar*. LIBRO, ſcilicet prædeſtinatorum; vel quaſi dicat, de numero tuorum: ſequitur enim, DELEBO EUM, &c. nemo autem de libro prædeſtinatorum deletur.

V. 34. DIE ULTIONIS, id eſt tempore punitionis peccatorum.

V. 35. PERCUSSIT, ſcilicet per Moyſen tunc, vel poſtea ſuo tempore; quaſi dicat: Non impune tulerunt, ſed ſunt poſtea pro illo peccato puniti,

ES-

Digitized by Google

E S T I I.

Verſ. 4. **F**ORMAVIT OPERE FUSORIO, ET FECIT EX EIS VITUTUM CONFLATILEM. Sulpitius in hiſtoria, *Tunc ex metallis conflatilis vituli caput extitit:* & Ambr. in Apolog. I. David cap. IV. *Aaron aurum popoſcit, in ignem miſit, & caput vituli figuratum eſt.* Similiter Hier. ſuper Oſee IV. *Videtur mihi idcirco & populus Iſrael in ſolitudine feciſſe ſibi caput vituli, ut quod in AEgypto didicerant ἄπιν χαὶ μνέυιν, qui ſub figura boum coluntur, eſſe Deos, hoc in ſua ſuperſtitione ſervarent*: quibus conſonant quæ habet in epitaphio Fabiolæ ad Oceanum, quæ eſt epiſtola XXX. cap. II. Atque eodem modo vocant bubalum caput. Tertull. initio libri cont. Iudæos, & Cypr. de Bono patientiæ. Serio autem dixiſſe Iſraelitas, HI SUNT DII TUI, (Hebr. *Elohim*) vereque idololatras fuiſſe patet I. Cor. X. ubi dicit Apoſtolus: *Neque idololatræ efficiamini ſicut quidam ex ipſis, quemadmodum ſcriptum eſt, &c.* De quo & Deut. XXXII. *Immolaverunt dæmoniis, & non Deo*: quod notandum eſt contra Calvinum, qui conatur perſuadere, Iſraelitas hoc non magis fuiſſe idololatras quam Chriſtianos venerantes imagines. Quod autem Aaron huic idololatriæ cooperatus ſit, ſciendum eum tunc nondum fuiſſe ſummum ſacerdotem, etenim non conſecratus eſt niſi poſtea, ut patet Lev. VIII.

V. 5. CRAS SOLEMNITAS DOMINI EST. Lyranus & Vatablus ſic interpretantur, non quod ſignificare vellet vitulum aureum eſſe Dominum *Iehova*, aut eius imaginem; ſed quod ſperaret Moyſem rediturum ante diem ſequentem, & feſtum idoli mutaturum in ſolemnitatem veri Dei.

Verſ. 29. CONSECRASTIS MANUS VESTRAS HODIE DOMINO ... UT DETUR VOBIS BENEDICTIO. Sed quo merito Aaron ſummum ſacerdotium adeptus eſt, cum ob crimen conflati vituli magis ab ea dignitate fuerit repellendus? An crimen quod non malitia, ſed metu inductus commiſit, & pœnitentia iuſtaque vindicta in obſtinatos iam expiavit, non debuit obſtare quominus ſummus ſacerdos fieret, ſicut crimen ternæ negationis in Petro non prohibuit quominus eum Chiſtus faceret Eccleſiæ ſuæ paſtorem? Sic autem permiſit & ordinavit Dominus, ut qui ſummi Pontifices erant futuri, ex propriis lapſibus diſcerent aliorum infirmitatibus condolere.

V. 30. ASCENDAM AD DOMINUM; SI QUO MODO QUIVERO EUM DEPRECARI. Quæritur: Quomodo iterum Moyſes orat, cum teſtetur Sciptura Deum eius oratione iam ante placatum fuiſſe? Reſpondeo: Tunc placatus fuit, ne univerſum populum deleret; nunc (etſi poſt tot hominum cædem) nihilominus orat, ne amplius vindicet Deus; & neque exauditur, ut patet ex verbis ſubiectis v. 34. *Ego autem in die ultionis viſitabo & hoc peccatum eorum.*

V. 32. AUT SI NON FACIS, DELE ME DE LIBRO TUO QUEM SCRIPSISTI. Non poſſe hoc proprie accipi de libro prædeſtinatorum, patet, quia de libro illo nemo poteſt deleri: Dominus autem hic reſpondet; *Qui peccaverit mihi, delebo eum.* Simpliciſſimus ſenſus videtur, qui eruitur ex ſimilibus verbis Moyſis Num. XI. ubi dicit: *Sin aliter tibi videtur, obſecro ut interficias me.* Ex hoc loco apparet, Moyſem ſimiliter hic loqui de libro viventium vita hac præſenti; quaſi dicat, deleto hoc populo, nolo amplius vivere. Sic Elias, Tobias, & alii ſancti quoque mori petierunt, ne viderent quædam indigna huius vitæ. Vide Hieron. in Epiſt. ad Algaſ. quæſt. IX. & noſtra in Lib. I. ſent. diſt. XL.

M A R I A N AE.

Verſ. 1. **C**ONGREGATUS, populus, ADVERSUS AARON. vel *ad Aaron*, ut dixere Sept. utrumque enim Hebraica præpoſito על *hal* ſignificat, *contra*, & *ad.* Ergo populus venit ad Aaron, vel contra eum.

V. 4. FORMAVIT OPERE FUSORIO. בחרט *behereth.* Sept. *in ſtylo*: ſicque Hebræi fere intelligunt. Sed quorſum ſtylus in vitulo conflatili, qualem fuiſſe infra oſtenditur? Nimirum in typo cereo aut ex argilla, quem ante formavit, ſtylo eſt uſus: deinde æs liquatum in locum eius coniecit. Hoc magis placet quam quod quidam ex Hebræis putant ea voce ſignificari typum ipſum.

V. 6. SURREXERUNT LUDERE.

Vox Hebraica *lætari* tantum ſignificat, & *ludos inſtituere*, *tripudia*, *choreas*, non colere idolum.

V. 7. PECCAVIT POPULUS TUUS. Hebr. *Corrupit* (ſupple viam ſuam) *populus tuus*.

V. 12. ESTO PLACABILIS SUPER NEQUITIA POPULI TUI. Hebraica poſſunt ſic reddi: *Pœnitere ſuper malo* (ſupple, quod cogitaſti facere) *populo tuo*. Hoc ſequitur Chald. Quæ explicatio & confirmatur, & conſentanea eſt iis quæ dicuntur verſ. 14.

V. 15. TABULAS ...... SCRIPTAS EX UTRAQUE PARTE. Hebr. *Ex utroque latere*, *hinc & hinc erant ſcriptæ*. Videtur hoc loco dici, tabularum utramque faciem inſcriptam fuiſſe. An vero pari numero fuerint præcepta, alia quæſtio eſt. Ego potius tria priora tantum in una fuiſſe puto, quæ numero verborum exæquant alia omnia: neque facile recedebam ab opinione vulgari, ſic præcepta primæ, & ſecundæ tabulæ diſtinguentium, ut primæ ad Deum, ſecundæ præcepta ad homines pertineant.

V. 18. NON EST CLAMOR ADHORTANTIUM AD PUGNAM. Hebr. *Non eſt vox clamandi fortitudinem*, *& non vox clamandi debilitatem*; hoc eſt, nec vincentium, nec qualis eorum qui vincuntur. SED VOCEM CANTANTIUM. *Vocem canendi*, id eſt ſonoram. Sic Hebræus explicar hæc omnia: neque a vulgata interpretatione diſcrepant. Ita hic verſus correctio eſt ſuperioris: *Ululatus pugnæ auditur in caſtris*.

V. 20. VITULUM .... COMBUSSIT, ET CONTRIVIT USQUE AD PULVEREM. Aurum igne non conſumitur: ergo igne liquatum, ut deleretur forma, deinde lima in pulverem vertit. Bibit illum in aqua populus: dignum ſupplicium, ut peccaror cinerem, & fæces ſui peccati bibere cogatur, ſcilicet pœnas, & effectus alios pravos, & moleſtos.

V. 25. VIDENS ERGO MOYSES POPULUM QUOD ESSET NUDATUS. Sept. *diſperſus*. Chald. *otioſus*. Sed vox Hebraica *nudatum* ſignificat. Sed qua re fuit nudatus? Forte veſtibus, armis, aur auro: quæ omnia opportunum hoſtibus reddebant, & infamem efficiebant. Hebræus *nudatum* refert ad manifeſtationem ſceleris, quo admiſſo ex Aaronis ſcilicet conceſſu, infames inter hoſtes reddebantur. Quæ explicatio ſi placet, erit cauſæ redditio cur Moyſes ad vindictam ſine iudicii forma proceſſit, quia peccatum erat manifeſtum.

V. 29. CONSECRASTIS MANUS VESTRAS. Heb. *Impleſtis manum veſtram hodie Domino*. Hoc eſt, non minus placuiſtis quam ſi plenis manibus munera obtuliſſetis. Memento in conſecratione ſacerdotum impleri manus: quare Hieron. *implendi* verbum poſuit in ſignificatione *conſecrandi*. Sep. *Implete manus veſtras*.

V. 31. OBSECRO. אנה *anah* poteſt etiam verti, *Fateor peccavit populus*, ſed dimitte eis.

V. 32. DELE ME DE LIBRO TUO, ſcilicet prædeſtinationis, iuſtorum; aut *dele*, id eſt, occide me. Plura Sixtus Senenſ. Lib. II. Bibliothecæ ſanctæ.

MALVENDAE.

Verſ. 1. MORAM FACERET. Verbum quadratum בושש *boſchebſch* varie hic reddunt. I. *Tardaret*, *remoraretur*, *differret*. II. *Obriguiſſet*, *ſubſtitiſſet*. Aiunt enim id verbum ſignificare, animum, vel ſpiritum in ipſo periculo, ſeu malo deiici, conſternari, ac conculcari, ut homo pudore rigeſcat, ac ſubſiſtat, fiatque aridus, ac pallidus, fœteat, ac pudeſiat. Conferunt enim cum verbis באש *baaſch*, *fœtuit*, & יבש *iabaſch*, *aruit*. Ego apte expoſuerim, *Quod pudefaceret*, *pudore ſuffunderet*. Erat enim eis pudori tanto tempore carere gubernatore; quaſi Moſes ſua abſentia alio diſceſſiſſet, & reliquiſſet populum, eiſque illuſiſſet, ac pudefeciſſet eos. Aliter: *Quod erubeſcens*, *pudeſiens deſcendere de monte*; quaſi non poſſet promiſſa præſtare de introducendo eos in Chananæam.

V. 2. TOLLITE. Quidam reddunt, *Abrumpentes detrahite*; alii, *Frangite*.

V. 3. FECITQUE POPULUS QUAE IUSSERAT. ויתפרקו *vaiitpareku*, *& abrumpere*, *frangere ſe fecerunt*: alii, *Et abrumpentes detraxerunt*, *avulſerunt ſibi*. Recte notant Hebræi, uſum hic Moſen verbo in formula Hithpahel, ut indicaret quam magno & prompto animo privaverunt ſe pretioſis quibuſque, ut idolum conflarent.

Nota

Nota immanem rabiem idololatriæ.

V. 4. FORMAVIT OPERE FUSORIO. Heb. *Et finxit illud cum ſtylo*, nempe ex argilla, cui poſtea infuſum eſt aurum. Ridicule quidam: *Et ligavit*, *conſtrinxit illud* aurum *in marſupio*, ſeu *crumena*, ſcilicet ſignata, ut omnis furti ſuſpicio tolleretur. VITULUM. Plerique noſtrorum affirmant hunc vitulum fuiſſe Serapim, ſeu Apim bovem, quem AEgyptii ut Deum ſumma religione colerent, atque nunc Iſraelitæ peſſima AEgyptiorum æmulatione, ſeu ab illis impie edocti, hunc Deum adorare inſtituerint. De Api, ſeu Serapi tam multa ſcripta in auctoribus extant, ut immenſum eſſet illa tranſcribere: collegit ea ſingulari diligentia Lilius Gregorius Gyraldus Syntagmate VI. de Diis Gentium. Inſignis eſt Herodotus in deſcribendo Api Lib. II. & III. item Diodorus Siculus Lib. II. numero 54. Videndus quoque S. Auguſtinus Lib. XVIII. de Civitate Dei cap. V. atque in primis Plinius Lib. VIII. cap. XLVI. & Ammianus Marcellinus Lib. XXII. cap. XXXIII. Et nos Geneſ. XLIX. verſ. 6. nonnulla de Api notavimus.

V. 6. LUDERE. Hebr. *Ad ludendum*, vel *ridendum*. Quidam exponunt, ſaltationes puta, & choros agitando, cum cantibus, coram vitulo, infra verſ. 18. 19. Paulus I. Corinth. X. 7. ſecutus LXX. *ludere* quoque convertit. Sed quia verbum צחק *tzachak* in Pihel peculiarem habet interdum *illudendi*, & *irridendi* ſignificationem, videtur Spiritus ſanctus ſingulari conſilio uſus eo verbo, ut totam illam novi dei ſcenam non niſi illuſionem, irriſionem, & merum ludibrium fuiſſe ſignificaret.

V. 7. PECCAVIT. שחת *ſchicheth* in Pihel *corrupit*, *depravavit*; *funditus perdidit*: quidam ſubaudiunt, viam ſuam; alii, ſe; id eſt, idololatria ſua ſibi exitium comparavit, effecitque ut non amplius habeatur pro populo meo: ſic Deuter. XXXII. verſ. 5. Sed alii notant, quando verbum *ſchicheth* abſolute ponitur, nec poſt ſe accuſativum regit, tunc capi intranſitive, ut hic: unde reddunt: *Corrupte*, *depravate*, *perdite egit populus tuus*. Vide Deut. IV. verſ. 16.

V. 8. CITO. מהר *maher* & poteſt eſſe nomen quod verbo adiunctum adverbiaſcat, *Feſtinus*, *feſtinanter*; & poteſt eſſe infinitivus, *Receſſerunt feſtinare*, vel *feſtinando*, ut ſit hypallage, *Feſtinarunt recedere*; vel poteſt eſſe imperativus, *Receſſerunt*, *feſtina*, ut ſit apoſtrophe interiecta parentheſi; quaſi dicat: Feſtina deſcendere, nam receſſerunt.

V. 10. DIMITTE ME. Hebr. *Et nunc relinque mihi*: verba irati: eſt Hebraiſmus, quem nos Hiſpanice apte repræſentamus, *Dexad a mi*; id eſt, relinque mihi hanc curam, hanc provinciam. Communiter, Sine me, relinque me, dimitte me. Quidam annotant, quando verbum נוח *ianach* conſtruitur cum dativo, ut hic, verbo *permittendi* eſſe reddendum: unde exponunt: *Permitte mihi*, *ut exardeat naſus meus*. Magna dignatio Dei erga ſervum ſuum Moſen, ut non niſi eius permiſſu velit iraſci in populum, quaſi ab eo poſtulans iraſcendi copiam, licentiam, facultatem. Tanti Deus facit amicos ſuos. CONTRA EOS, nempe idololatras, atque adeo etiam contra ipſum Aaronem, e Deuter. IX. 20.

V. 11. MOYSES AUTEM ORABAT DOMINUM DEUM SUUM. Verbum חלה *chalah* in Pihel cum iungitur cum voce פנים *panim*, *facies*, perquam eleganti Hebraiſmo, pro *placare faciem* ſumi volunt; quaſi ægrotare facere furorem, infirmare iram: nam facies iraſcentium vivaciores, & acriores redduntur, quæ acrimonia precibus retunditur, & debilitatur: unde hic vertunt: *Et ægrotare fecit Moſeh facies Iehovæ Dei ſui*. Alii, *Enixe*, ſeu *cum animi ægritudine*, & *dolore deprecari*, exponunt.

V. 12. CALLIDE. Hebr. *In malo*. Quidam, *Malo animo*; alii, *Ad malum*, nempe ut interficeret: nec deſunt qui, *In malo*, & infelici ſidere; quod AEgyptii omnia tribuerent ſideribus. ET ESTO PLACABILIS SUPER NEQUITIA POPULI TUI. Hebr. *Et pœniteat te ſuper malo*, malitia, *in populum tuum*. Varie reddunt. I. *Et pœniteat te mali huius contra populum tuum*. II. *Et pœniteat te iſtius mali*, *quod propoſuiſti contra populum tuum*; id eſt, muta ſententiam de malo quod facere decreviſti populo tuo: nam iſta ſubaudienda, quod facere propoſuiſti, e verſ. 14. liquet. III. *Et condoleas ſuper malo populo tuo*; & tunc *malum* poſſit eſſe culpæ; id eſt, condole, ignoſce, miſerere culpæ populo tuo; vel condole populo tuo ſuper malum quod admiſit.

V. 15. SCRIPTAS EX UTRAQUE PARTE. Hebraica ita reddunt. I. *Tabu-*

læ

Digitized by Google

læ ſcriptæ a duobus lateribus, ſeu *ex utroque latere earum, hinc & inde erant ſcriptæ*. II. *Tabulæ ſcriptæ a duabus ſuperficiebus*, ſeu *ab utraque facie, hinc & inde erant ſcriptæ*. III. *Tabulis ſcriptis a binis paginis ſuis, hinc & inde ſcriptis*. IV. ex verbo, *Tabulæ ſcriptæ de duobus tranſitibus earum, de hinc, & de inde ipſæ ſcriptæ: tranſitibus*, id eſt lateribus: Hiſpanice *de dos paſſadas*, id eſt tractibus.

V. 16. SCULPTA. חרות *charuth*, *inſculpta, exſculpta, exarata, deſcripta, notata. impreſſa, expreſſa, expoſita*. Paulus II. Corinth. III. 7. *ἐντετυπωμένη*, *informata, deformata*.

V. 17. VOCIFERANTIS. ברעוה *beregboh in vociferatione eius*. Varie exponunt. *In triumpho, triumphatione eius*, ut ſit vocis, non pompæ, aut ſpectaculi; id eſt, audivit vocem populi, qualem in triumpho edere milites ſolent. Alii, *In iubilo, in gratulatione eius*. Nec deſunt qui, *In taratantara ſuo*, ſeu *in claſſico ſuo*. Ennius:

At tuba terribili ſonitu taratantara dixit. Quaſi dicat: Audivit ſonitum veluti claſſici, aut cum receptui canitur: quæ interpretatio ſequentibus congruit. Vide Levitic. XXIII. verſ. 24.

V. 18. NON EST CLAMOR ADHORTANTIUM AD PUGNAM, &c. Ut varie totum hunc verſum alii reddiderint, paſſim apud Explanatores videri poteſt: nos eas tantum expoſitiones reddemus quæ propius ad Hebræa accedunt. I. *Non vox reſpondere præpotentiam*, prævaleſcentiam, ſuperioritatem, prædominium, victoriam *& non vox reſpondere domationem, deiectionem: vocem alternis reſponſare ego audiens*. Sunt hic tria infinitiva ענות *ghanoth*, ex eadem radice *reſpondendi*, duo priora ex Kal, & tertium ex Pihel, quæ vel pro gerundiis, vel pro nominibus participiaſibus capiunt. II. *Non eſt vox clamandi ſtrenuitatem, neque vox clamandi debilitatem, infirmitatem; vocem cantandi ego audio*: vel *non eſt ſonus quo ſtrenui clamant, neque eſt ſonus quo debiles clamant, ſonum cantantium audio*, ideſt poſt crapulam coram vitulo ludentium, verſ. 6. & 19. III. *Non eſt vox ſonandi victoriam, neque vox reſpondendi laſſitudinem*; quaſi dicat: Non eſt vox eorum qui vincunt in prælio, neque vox laſſorum, qui vincuntur; *ſed vocem cantandi ego audio*. IV. *Non eſt vox reſonandi; perſonandi, prævaleſcentiam; & non eſt vox reſonandi, perſonandi, deiectionem*: ut ſit ſenſus: Non eſt vox quæ ſonet, vel perſonet, Prævaleſcentia, Victoria; nec vox quæ perſonet, Deiectio: *ſed vocem*, &c. V. Quidam audent: *Non eſt vox ad percipiendam exuberantiam, neque vox, ad percipiendam laſſitudinem; ſed vocem*, &c. Duo priora infinita per *reſpondere, reſponſare, clamare, ſonare, reſonare, perſonare*; tertium vero per *alternis reſponſare*, ſeu *alternatim canere*, ut fit in choris, accipiunt.

V. 19. ET CONFREGIT, zelo ſanctiſſimo ductus, & duce ſpiritu Dei. Vide Deuteron. IX. verſ. 17.

V. 20. COMBUSSIT, ET CONTRIVIT USQUE AD PULVEREM: deformavit conflans, & liquefaciens igne, ad deteſtationem idololatriæ. ET DEDIT EX EO POTUM. Nota eſt S. Hieronymi obſervatio epiſtola CXXVIII. ad Fabiolam. Ut diſceret, inquit, populus contemnere id quod conſumi videbat, comminui, potari, & in ſeceſſum proiici; adeoque ut hoc velut ſymbolo palam agnoſceret, a ſe non immerito maledictionem ſuam epotandam, & exhauriendam eſſe, niſi miſereretur Deus: ſecundum analogiam illius legis quæ habetur Numeror. v. de potatione aquarum maledictarum. Quidam putant eo ſymbolo voluiſſe Moſen ſignificare, haud parvo ſtaturum illis immane ſcelus idololatriæ, & maximas pro eo pœnas deguſtaturos. Sic Hiſpanice dicimus, *Yo ſe los dare a bever*. Ita hunc locum expoſuit Ludovicus Iſtella Magiſter ſacri Palatii, vir eximiæ probitatis, qui Commentaria in Geneſim, & in Exodum compoſuit. Memoriæ optimi viri, ac præceptoris mei omnis honos. Poſſit quoque eo facto videri Moſes voluiſſe traducere effrenem ac præcipitem Iſraelitarum temeritatem, qua in ſcelus idololatriæ tanta facilitate & levitate ruerunt, quod eo modo bibendi in ſacris litteris indicatur: factum plane fœdum ac pudendum, iuxta illud Iob XV. verſ. 16. *Abominabilis, & putidus*, fœtidus, *vir bibit ſicut aquam iniquitatem*.

Verſ. 22. QUOD PRONUS SIT AD MALUM: Hebr. *Quia in malo ipſe*, Quidam: *Tu noſti populum hunc in malo iacere*: alii, *Quod populus iſte in moleſtia fuerit*;

Digitized by Google

vit; id eſt, mihi moleſtus, & importunus ſuerit, atque ſua improbitate vitulum a me extorſerit. Ego intellexerim, quod deſperatus in malum ſuerit, ut nec mea oppoſitio, aut contradictio quidquam prodeſſe potuerit, quantumvis illis obviam iiſsem.

V. 25. QUOD ESSET NUDATUS (SPOLIAVERAT ENIM EUM AARON, &c.) Diverſimode hunc verſum ex Hebræo exprimunt. I. Plerique cum Noſtro: *Quod nudatus eſſet, quodque Aharon nudaſſet eum ad ignominiam, coram eis qui contra eos inſurrecturi erant*. II. *Populum eſſe nudatum, quod nudaſſet eum Aharon ad ignominiam ſubeundam ab inimicis, qui inſurrecturi fuiſſent in eos*. Nudatum intelligunt, gratia, & præſidio Dei, quem adeo graviter offenderat: *quod nudaſſet eum Aharon*, præſtando quod petebant, eoſque in errore confirmando, verſ. 4. & 5. unde gravis in eum ira ſecuta eſt, Deuteronomii IX. verſ. 20. *Ab inimicis, qui inſurrecturi fuiſſent in eos*, ut poſtea evenit ab Amalekitis, Numer. XIV. 45. III. *Quod detectus eſſet: detexerat enim eum Aharon ad ignominiam apud hoſtes eorum*; id eſt, cum vidiſſet Moſes, quod detecta & nota facta eſſet malitia populi ipſius ad ignominiam eius apud adverſarios. Erat enim magnum dedecus & magna confuſio Iſraelitis coram hoſtibus, ut deſerto Deo cæli, qui tot & tanta miracula fecerat in oculis eorum, & pro utilitate eorum, eligerent alium deum. etiam cum magno diſpendio auri & argenti ſui. Denudavit igitur Aaron populum illum, primum quod innoteſcere fecerit univerſo mundo quam futilem & levem, ac etiam impium haberent animum, cum illis fabricavit vitulum, quem adorarunt; præterea denudavit eum ornamentis ſuis aureis. Nec deſunt qui exiſtiment Aaronem abſente Moſe timentem populi ſeditionem prætextu religionis nudaſſe ac ſpoliaſſe armis Iſraelitas, eaque apud ſe depoſuiſſe: unde nactus occaſionem Moſes facile Levitas potuit armare adverſus vitulolatras. IV. Notant, verbum פרע *paragh* cum univerſe ſignificet *vacuum*, *otioſum*, *liberum*, *feriatum eſſe*; apud Moſen tamen, aliiſque quibuſdam Scripturæ locis theologicam ac myſticam habere ſignificandi rationem: unde convertunt: *Et vidit Moſes populum quod liber factus eſſet, & quod liberum reddidiſſet eum Aharon per verbulum vile in conſtitutionibus eorum*. Exponuntque: *Quod liber factus eſſet*, ſcilicet a Deo, a lege, ab obedientia verbi, & ab ipſo Chriſto: *& quod liberum reddidiſſet eum Aharon*, id eſt vacuum, otioſum, liberum, feriatum a Deo, & fide, lege, atque obedientia verbi. Hinc volunt Paulum accepta occaſione, phraſi iſta delectatum ac verbo uſum, & interpretatum fuiſſe verbo καταργεῖν, quod *otioſum reddere* ſignificat, ut Roman. III. 3. *Numquid incredulitas illorum fidem Dei otioſam, inutilem, reddet?* Et ad Galatas V. 3. *Otioſi eſtis facti, evacuati eſtis, a Chriſto, quicumque per legem iuſtificamini*; id eſt, liberi a Chriſto, otioſi a Chriſto, ut Chriſtus non amplius in vobis operetur, non ſit amplius in vobis efficax gratia, & ſpiritu ſuo ſancto. Illud vero, *Per verbulum vile*, שמץ *ſchemetz*, ter tantum legitur in Scriptura: Iob IV. 12. ubi Noſter *venas ſuſurri*, Iob XXVI. 14. *parvam ſtillam*. Conſentiunt omnes eſſe *modicum*, *tantillum*, *pauxillum*, *pauxillulum*: unde exponunt: *Quia nudaverat eum Aharon tantillum*, vel *ad modicum inter hoſtes eorum*; id eſt, tantum non eum obiecerat hoſtibus inermem, & præſidio divino nudatum. Quidam tamen notant, ſignificare *levem*, vel *tenuem auditum*, *ſonum*, ſeu *murmur*, & *ſuſurrum*, qui leviter aures ferit, & tamen percipitur; ut conveniat nonnihil cum verbo שמע *ſchamagh*, *audire*: *vile*, & *exile verbulum*, *auditulum* convertunt. Hic vero ponitur in femineo genere, שמצה *ſchimtzah*, quod plerique exponunt, *Detractioni*, *ignominiæ*, *infamiæ*, vel *ad ignominiam inter hoſtes eorum*. Nonnulli: *Per vile verbulum*, *ad auditulum*, *de* in *conſtitutionibus eorum*, id eſt quas tradidiſſet eis. Ego iſta non capio, nec ex his ſenſum aliquem eruo: niſi forte, per vilem rumorem & murmur de petendo novo deo, conſtituerit eis Aaron feſta & ſacrificia, &c. קמים *kamim conſtitutiones* reddunt; ſed omnes alii *inſurgentes*, *hoſtes*, *adverſarios*. Quidam, *Inſurgentibus eorum*, id eſt inſurgentibus pro eis, nimirum inter illos qui eis ſuccedent, aut poſterius exorientur, ſeu exiſtent; quaſi dicat, apud poſteros. Sic verbum *ſurgendi* capitur Numeror. XXXII. 14. Exod. I. 8. & alibi.

V. 28.

*V.*26. OMNES FILII LEVI. Quidam annotant non quidem omnes Levitas ſeſe adiunxiſſe Moſi; ſed omnes qui aggregati ſunt, fuiſſe Levitas; videlicet qui domi manentes non interfuerant vitulolatriæ hoc enim nomine commendantur Deuteronomii XXXIII. 9. alioqui ex iis multi in idololatriam cum Aarone lapſi erant, ut e verſ. 29. colligitur, & etiam e Deuteronom. XXXIII. 9. Verum ſacerdotes, qui holocauſta, & pacifica vitulo immolarunt, ſatis conſtat & Levitas, & idololatras fuiſſe.

*V.*29. CONSECRASTIS MANUS VESTRAS. Hebr, *Implete manum veſtram*. Quidam volunt eſſe imperativum pro præterito *impleviſtis*. Alii præcedens verbum per præteritum imperfectum, vel pluſquam perfectum, hoc vero per imperativum reddunt: *Iam antea dixerat*, vel *dicebat enim Moſeh: Implete manum veſtram hodie*, vel *conſecrate miniſterium veſtrum hodie*: ut ſit ætiologia alacritatis Levitarum, quod a Moſe didicerant rem fore Deo gratiſſimam, ſibique ac toti populo ſalutarem; & in ipſo actu inflammabantur vehementiſſimis acclamationibus, celeuſmatis, & promiſſionibus eius, cum ſingularem ſanctimoniam ipſis, & benedictionem divinam pronuntiarent. Ego ſimpliciter acceperim hoc dictum a Moſeh poſt ſtragem; quaſi dicat: Hoc factum veſtrum præclarum conſecrate hodie Domino, & poſtibus tabernaculi tamquam trophæum veſtræ pietatis de impietate erectum affigite. *Implere manum*, pro *conſecrare*, *initiare*, *dedicare*, vide cap. XXVIII. verſ. 41.

V. 32. DELE ME DE LIBRO TUO. Pluribus Theologi hanc locutionem interpretantur. Communiter intelligunt eſſe hyperbolem metaphoricam; id eſt, ne habeas me in tuorum numero, quos ad ſalutem prædeſtinaſti. Ac ſecurus quidem hoc dixit, ait Auguſtinus: verumtamen advertendum eſt quantum malum in illo peccato Moſes perſpexerit, quod tanta cæde crediderit expiandum, ſuoque ipſius (ſi potuiſſet fieri) excidio; & quantum deceſſurum de gloria Dei putaverit; quaſi dicat: Nullus ſum, nihili me ipſum, ſalutemque meam facio præ gloria tua, quæ omnino cum huius populi ſalute coniuncta eſt.

MENOCHII.

Verſ. 1. FAC NOBIS DEOS. *Deos*, id eſt Deum: unum enim tantum petierunt, & Aaron unum dando eorum ſatisfecit poſtulato. QUI NOS PRAECEDANT. Habebant columnam; ſed quia, Moſe in monte moras trahente, & ipſa ſteterat, cupido illos inceſſit novi alicuius Dei, quem ducem ſequerentur. MOYSI HUIC VIRO. De Moyſe contemptim loquuntur, quaſi de quopiam e vulgo, & non cognito.

Verſ. 2. TOLLITE INAURES UXORUM, &c. Poſtulat inaures, quas viros a mulieribus ægre, ac ne ægre quidem impetraturos ſperabat: ut ſic a male ſato propoſito avertat.

*V.*4. VITULUM. Aliqui Patres putant tantum vituli caput effictum. Ita D. Cyprian. Lib. de Bono patientiæ ſub finem. Ambr. Epiſt. LXII. Lactant. Lib IV. x. Aug. in Pſal. LXXIII. Hier. in Amos 5. & alibi ſæpe. Fuit vero hic vitulus Apis, AEgyptius bos, alio nomine Serapis dictus.

V. 5. AEDIFICAVIT ALTARE CORAM EO, idolo vituli. SOLEMNITAS DOMINI EST. Pro *Domini*, in Hebr. eſt nomen tetragrammaton: quod nomen etſi ſoli Deo debitum, tamen Aaron iam peccato lapſus, idolo tribuit. Sic Iud. XVII. & XVIII. idem nomen ab idololatris ſculptilibus tribuitur; & Sap. XIV. 21. legimus: *Incommunicabile nomen lapidibus, & lignis impoſuerunt*.

V. 6. MANDUCARE, ex hoſtiis vitulo immolatis, ut ita feſtum communi, & ſacro convivio celebrarent. SURREXERUNT LUDERE: ſaltando, canendo, choros agendo. hos enim deſcendens e monte vidit Moſes num. 19.

V. 7. POPULUS TUUS: non iam meus, qui me tam graviter offendit.

V. 10. DIMITTE ME; quaſi dicat, deſine diligere, dilectio enim tua impedit ne deleam: dicit vero id, non præcipiendo, ſed monendo, & exprimendo quid illum a ſupplicio revocet: Aug. in Exod. quæſt. CXLIX. Chald. vertit: *Intermitte deprecationem*, qua ſcilicet prohibeor, & quæ mihi quodammodo manus ligat. Vel etiam cum ita Dominus Moſen affatur, rogandi occaſionem præbet. *Quid eſt aliud*, ait S. Greg.

dimitte me, *quam deprecandi anſam præbe-re?* Faciamque te in gentem magnam, non tam ex te naſcituram, quam tibi ſubiiciendam, & te duce gubernandam. Id patet Numer. xiv. 12. ubi ſimilis promiſſio iteratur Moſi his verbis: *Te autem faciam principem ſuper gentem magnam.*

V. 12. Callide. Heb. *Cum malitia*, vel *cum malignitate*. Eduxit eos, ut ſcilicet eis maleſaceret, eoſque perderet in deſerto. Esto placabilis. Hebr. *Pœniteat te ſuper malo.*

V. 14. Placatusque est Dominus: ne ſcilicet deleret populum ut deſtinarat, ſed ut alia plaga caſtigaret, de qua num. ult.

V. 15. Scriptas ex utraque parte, ab utroque latere: neque enim erant ita magnæ, cum eas Moſes manu ferret, & eas arca caperet; litteræ tamen magnæ, ut eminus legi poſſent. Sunt qui putent utroque in latere totum Decalogum deſcriptum, ut legi poſſet ab utraque parte conſiſtentibus, & Moſen circumdantibus Hebræis.

V. 19. Proiecit .... et confregit, zelo adverſus publicam impietatem incitatus, & abſurdum ratus ſi legem Dei populo, ebrio, legemque tam nefarie per idololatriam infringenti, afferre vellet.

V. 20. Combussit: vi ignis ſolvit, liquefecit. Et contrivit. Hebr. *Et moluit uſque ad tenuitatem*. Dedit ex eo potum, &c. Fecit id Moſes ex zelo, ut idolum ſuum vorarent apoſtatæ, & ut contemnere diſcerent quod ipſi ſuo ore hauriebant.

V. 22. Quod pronus sit ad malum. LXX. *Tu noſti populi huius* ὅρμημα, impetum, & quaſi furentem impulſum, qui cum in aliquam partem incubuerit, revocari facile non poteſt. Itaque ego unus reſiſtere non potui.

V. 24. Egressusque est vitulus. Crimen verbis extenuat, ut leniat fratris iram; quaſi non conſilio, & animi deſtinatione, ſed caſu quodammodo formatus fuiſſet vitulus.

V. 25. Nudatus, inauribus, & quod maius eſt (nam inaurium facilis iactura) honore ſuo, opeque. & auxilio divino. Spoliaverat enim eum Aaron, tum inauribus. tum divina ope, ut dictum eſt. Propter ignominiam sordis: propter idolum, quod Hebræi ſtercus appellant, quia ut ſordes, & ſtercora abominanda ſunt, ut dicitur Deut. vii. num. ult. Inter hostes nudum: hoſtibus expoſitum, & divino præſidio nudatum.

V. 26. Stans in porta castrorum, in ingreſſu caſtrorum. Si quis est Domini, qui a partibus Domini ſtat, & honoris illius zelo fervet. Omnes filii Levi. Plerique peccato non conſenſerant; aliqui tamen ex Levitis Aaronem Levitam peccantem ſecuti ſunt. Nec parcitum Levitis ſontibus: nam dicitur num. xxix. *Conſecraſtis manus veſtras*, &c. *unuſquiſque in filio*, & *in fratre ſuo* &c. eos. nimirum cædendo. Cum ergo dicitur *Omnes*, intellige pleroſque. Vel ſignificatur, omnes congregatos, Levitas fuiſſe.

V. 27. Occidat unusquisque. Moſes dux populi habebat ius gladii; & Domini acceſſerat iuſſio, & voluntas.

V. 29. Consecrastis manus vestras: hinc enim Levitæ meruerunt benedictionem, & ſacerdotium. Vide Deut. xxxiii. 9.

V. 30. Si quo modo quivero deprecari: ut ſcilicet hac una cæde contentus, alias plagas non immittat.

V. 32. Dele me; quaſi dicat: Non me delebis; dimitte ergo: quidam hyperbolen eſſe volunt, expreſſionem ſcilicet affectus maximi ad populum, non autem deliberati animi; ſic Rachel Geneſ. xxx. 1. *Da mihi liberos, alioquin moriar.* Libro, ſcilicet prædeſtinatorum, vel de numero tuorum, quos amas, quibus faves. S. Hier. ad Algaſ. & S. Gregor. X. Mor. cap. vii. accipiunt de libro viventium non in cælo, ſed in præſenti vita; quaſi dicat: Aut dimitte, aut occide.

V. 34. In die ultionis, tempore punitionis peccati, de qua ſtatim numero ſequenti.

V. 35. Percussit ergo Dominus, vel peſte, vel alia plaga, quam Scriptura non expreſſit.

TIRINI.

Verſ. 15. Duas tabulas scriptas ex utraque parte, et factas opere Dei: tam enim concinnatio tabularum, quam ipſa

ipſa ſcriptura erat a Deo, ſeu Angelo profecta. Et erant *ex utraque parte*. LXX. *Ex utriſque partibus hinc & hinc* conſcriptæ: ut ſcilicet utrimque ab omnibus ſive ante: ſive poſt ſtantibus omnia præcepta cerni, & legi poſſent. Ita Lyranus, Lipomanus, Dionyſius Carthuſianus.

V. 20. VITULUM ... COMBUSSIT. In hoc vitulo colebant Iudæi Apin, ſeu Serapin, exemplo AEgyptiorum, apud quos id didicerant, de quo plura dixi Gen. XLI. Ad huius vero vituli imitationem ſuos fecit poſtmodum vitulos Ieroboam in Dan & Bethel III. Reg. XIII. Quod v. 24. dicit Aaron, *Proieci aurum in ignem, egreſſuſque eſt hic vitulus*, non ſignificat, arte magica productum hoc idolum, ut quidam opinantur; ſed arte, & *opere fuſorio*, ut v. 4. dicitur, egreſſum ſeu conflatum fuiſſe. Haud dubie moverit omnem lapidem Aaron ad populum a tam fœda idololatria divertendum, prius quam iniquæ illorum poſtulationi cederet; ideoque & inaures illorum in id opus depopoſcit, quod ſperaret numquam eos inductum iri, ut uxores & liberos ſuis ornamentis, quorum ſunt tenaciſſimi, ſpoliarent. Diodorus Tarſ. *a* dicit, Hebræos interminatos fuiſſe mortem Aaroni, ni faceret. Addunt Rabbini, alterum e duumviris, ſcilicet Hur, ſocium (quin & ſororium *b*) Aaronis, cum tam impium ſcelus diſturbare conaretur, a populo interfectum fuiſſe. Hęc, ſi vera ſint, minuerunt quidem peccatum Aaronis, utpote vi ad id inducti & coacti: unde & Ambroſius *c* eum condemnare non audet. Sed certe non excuſant etiam a gravi exceſſu: nam quęvis etiam mors ſubeunda potius quam in re tam impia impiis obſequamur. Unde & Moyſes hic *d* peccatum fratris maximum vocat: & Deus *e* *iratus vehementer adverſum Aaron voluit eum conterere*. CONTRIVIT autem Moyſes vitulum USQUE AD PULVEREM.) Solet aqua forti aurum redigi in lutum: & alchimiſtæ iactant, etiam virtute ignis ſe id in pulverem redigere poſſe. Atque hac arte uſum fuiſſe Moyſen videntur velle Emanuel Sa & Torniellus. Sed conformius Scripturæ eſt, Moyſen in re propera vitulum igni non niſi in maſſam conflaſſe, hanc deinde in partes confregiſſe, ac denique mola, cui infixa erat lima ferrea, per vehementem affrictum in pulverem redegiſſe. Id inſinuant LXX. Heb. & Chald. Pulverem mox quaſi rem abominandam abiecit in torrentem qui e monte delabebatur, ne & ullæ idoli reliquiæ ſupereſſent, inquit Caietanus: & Olaeſter cum S. Hieronymo addit, id etiam factum ut populus diſceret contemnere & execrari quod tam vili modo tractari cerneret. Quia vero hic torrens e monte delabebatur in ſubiecta caſtra Hebræorum, hinc additur, Moyſen ex eo pulvere torrenti inſperſo dediſſe potum filiis Iſrael: neque enim alia erat in caſtris aqua quam quæ ex hoc torrente delabebatur.

V. 32. SI NON FACIS, DELE ME DE LIBRO TUO QUEM SCRIPSISTI; id eſt de ſerie, ſeu catalogo iuſtorum, & albo amicorum tuorum. Horum vero duplex eſt album, ſeu liber, inquit S. Thomas *f*. Unus omnium eorum qui pro præſenti tempore iuſti ſunt, & quibus ratione præſentis iuſtitiæ debetur vita æterna, licet per peccatum poſſint ab hac iuſtitia & vita excidere. Alter eſt eorum qui pro æternitate prænoſcuntur a Deo iuſti futuri, & vita æterna reipſa potituri. Hi ſunt ſoli prædeſtinati, qui numquam eradi poſſunt. De utrovis libro poteſt hic Moyſes intelligi, nempe tam de carentia beatitudinis æternæ, quam de iactura iuſtitiæ præſentis. Non quod efficaciter alterutrum vellet, (id enim ſecundum præſentem rerum ſtatum ſciebat vel impium eſſe, vel impoſſibile) ſed ſolum hypothetice, caſu quo citra culpam ullam illud poſſet utile medium eſſe ad veniam populo obtinendam. Et ſi unum ſine altero obtineri non poſſet, malebat ipſe ſic iacturam beatitudinis & gratiæ amicitiæque divinæ facere, quam totus ille populus in perpetuum a Deo abiiceretur & diſperderetur. Et huiuſmodi deſideria, licet inefficacia ad agendum, maximi ſunt meriti & efficaciæ ad impetrandum. Et ſolent amici ſimilibus precibus vim quodammodo amico facere, & quod volunt extorquere; ut ſi filius patri cariſſimus culpam fratris immorigeti a parente deprecetur hoc modo: Vel fratri ignoſce, vel occide me, vel hereditate priva me. Scit enim parentem quidvis potius quam illud poſterius facturum. Simile eſt illud Pauli ad Rom. IX. *Optabam ego ipſe anathema eſſe a Chriſto pro fratribus meis*.

Digitized by Google

meis. Ita Chryſoſtomus, Origenes, Ambroſius, Theophylactus, Oecumenius in cap IX. ad Romanos. Et hinc colligi poteſt, Moyſen revelationem habuiſſe de ſui prædeſtinatione & ſalute.

(*a*) Diodor. in Catena.
(*b*) Vide Exodi XV.
(*c*) Ambroſ. Epiſt. LVI.
(*d*) verſu 21.
(*e*) Deuter. IX. verſ. 20.
(*f*) S. Thom. I. p. quæſt. XXIV. art. III.

GORDONI.

Verſ. I. VIDENS AUTEM POPULUS, &c. Dum Moſes a capite XXIV. hunc uſque loquutur cum Deo, interim populus ad radicem montis expectans dilabitur ad idola, conflato vitulo.

V. 2. TOLLITE INAURES. Quamvis Aaron propoſuerit modum hunc gravem de colligendo auro, ut averteret populum ab idololatria; tamen graviter conſentiendo peccavit, utpote paſtor, qui potius mori debuit quam conſentire. Graviſſime etiam peccavit populus, ut Deus teſtatur.

V. 4. OPERE FUSORIO. Sept. *In ſtilo*. Vitulo conflatili ex ære non erat ſtilus neceſſarius; ſed forte ſolum ad poliendam argillam, quæ dabat typum vituli conflandi, fuit ſtilo uſus.

V. 6. ET BIBERE. certe vinum aliunde conquiſitum ad hanc ſolemnitatem; forte e vineis Engaddi, aut, ſi hæ longius aberant, e vicina Madianitide: aut ſaltem non defuerunt aromata ad condiendam aquam.

V. 10. DIMITTE ME UT IRASCATUR, &c. Paſſiones quæ in Scripturis tribuuntur Deo, non deſignant perturbationem, ſed operationem, & energiam, ex Auguſt. Lib. I. contra Adverſarium legis, capit. XX. nec mutatur Deus, ſed res quæ agitur. Hinc Gregor. Lib. XX. Moral. cap. XXIV. *Conſilium*, inquit, *non mutat Deus, ſed rem: quod ſi ſententiam mutet, non mutat decretum*.

V. 15. SCRIPTAS EX UTRAQUE PARTE. Non quidem pars in uno latere, & pars altera in altero latere; ſed tota lex ſcripta in utroque latere, ut Vulgatus, & Septuaginta deſignant, ſic ut poſſit lex utrinque legi: ſeu *hinc & hinc*, ex Hebr.

V. 19. CONFREGIT, ex zelo iuſto iratus, & ut oſtenderet populo quam graviter peccaſſet. Et quid ſi Deo etiam inſpirante?

V. 20. DEDIT EX EO POTUM FILIIS ISRAEL. Quorſum? An ut nihil ſupereſſet? Immo ut quodam contemptu in ſeceſſum abiret quod tantopere coluerunt.

V. 25. SPOLIAVERAT ENIM EUM AARON. Hebræi idola vocant ſtercora, גללים *gillulim*, ſeu deos ſtercoreos. Senſus ergo eſt, Aaronem, ut conflaret גלל *galal*, ſpoliaſſe populum inauribus, & nudum conſtituiſſe in medio hoſtium vicinorum. Septuaginta διεσκέδασε, diſperſit illos Aaron in ludibrium ἐπίχαρμα, adverſariis, ob mutationem tot divitiarum in Deum ſtercoreum. Nudatus etiam ſic protectione divina.

V. 28. QUASI VIGINTI TRIA MILLIA. Legunt aliqui tria millia; alii millia: varia lectio eſt. Sept. τρεῖς χιλιάδες. Ita nunc quidem: putant tamen aliqui, Septuaginta legiſſe, & vertiſſe ex Hebræo, viginti tria millia, quia Paulus I. Cor. X. qui ſolet ſequi Septuaginta interpretes, habet viginti tria millia: & ita fine legunt Biblia Romana, & alii plurimi cum Hieronymo. Et hoc verius eſt.

V. 29. Quæri hic poteſt, quomodo in occidione facta fuerit ſeparatio innocentium a ſontibus. Sed facile fuit divinæ providentiæ, quæ huic rei præfuit, evertere ab inſontibus hanc pœnam.

V. 31. OBSECRO. Hoc ſonat vox אנה *anach*: vel ac ſi diceret: Sit ita Domine: peccatum eſt, ſed dimitte.

V. 32. AUT ... DELE ME DE LIBRO TUO. Variam habet interpretationem. Auguſt. qu. CXLVII. putat eſſe hyperbolen, qua ſignificatur vehemens deſiderium Moſis: Caietanus intelligit principatum Moſis: alii conſignationem in libro prædeſtinationis: Hieronymus vero ad Algaſ. intelligit vitam præſentem, ac ſi Moſes optaſſet potius mori. Sequere vel Auguſtinum, vel Hieronymum: non placent reliquæ ſententiæ.

V. 35. PERCUSSIT, vel tunc, vel poſtea ſuo tempore.

CAPUT XXXIII.

Minis Dei in populum ſedatis a Moyſe, populus luget delictum: loquitur Dominus cum Moyſe facie ad faciem, qui cupit videre faciem & gloriam Domini.

1 Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens: Vade, aſcen-
de de loco iſto tu, & populus tuus quem eduxiſti de Terra
AEgypti, in terram quam iuravi Abraham, Iſaac, & Ia-
cob, dicens: (*a*) Semini tuo dabo eam. 2. Et mittam præ-
curſorem tui Angelum, ut eiiciam Chananæum, & Amor-
rhæum, & Hethæum, & Pherezæum, & Hevæum, & Ie-
buſæum, 3. & intres in terram fluentem lacte & melle. Non enim aſcendam te-
cum, (*b*) * quia populus duræ cervicis es: ne forte diſperdam te in via. 4. Au-
dienſque populus ſermonem hunc peſſimum, luxit: & nullus ex more indutus
eſt cultu ſuo. 5. Dixitque Dominus ad Moyſen: Loquere filiis Iſrael: Populus
duræ cervicis es, ſemel aſcendam in medio tui, & delebo te. Iam nunc depone
ornatum tuum, ut ſciam quid faciam tibi. 6. Depoſuerunt ergo filii Iſrael or-
natum ſuum a monte Horeb. 7. Moyſes quoque tollens tabernaculum, teten-
dit extra caſtra procul, vocavitque nomen eius, Tabernaculum fœderis. Et o-
mnis populus, qui habebat aliquam quæſtionem, egrediebatur ad tabernaculum
fœderis, extra caſtra. 8. Cumque egrederetur Moyſes ad tabernaculum, ſurge-
bat univerſa plebs, & ſtabat unuſquiſque in oſtio papilionis ſui, aſpiciebantque
tergum Moyſi, donec ingrederetur tentorium. 9. Ingreſſo autem illo tabernacu-
lum fœderis, deſcendebat columna nubis, * & ſtabat ad oſtium, loquebaturque
cum Moyſe, 10. cernentibus univerſis quod columna nubis ſtaret ad oſtium ta-
bernaculi. Stabantque ipſi, & adorabant per fores tabernaculorum ſuorum. 11.
Loquebatur autem Dominus ad Moyſen facie ad faciem, ſicut ſolet loqui homo
ad amicum ſuum. Cumque ille reverteretur in caſtra, miniſter eius Ioſue filius
Nun, puer, non recedebat de Tabernaculo. 12. Dixit autem Moyſes ad Do-
minum: Præcipis ut educam populum iſtum: & non indicas mihi quem miſſu-
rus es mecum, præſertim cum dixeris: Novi te ex nomine, & inveniſti gratiam
coram me. 13. Si ergo inveni gratiam in conſpectu tuo, * oſtende mihi faciem
tuam, ut ſciam te, & inveniam gratiam ante oculos tuos: reſpice populum tuum
gentem hanc. 14. Dixitque Dominus: Facies mea præcedet te, & requiem da-
bo tibi. 15. Et ait Moyſes: Si non tu ipſe præcedas, ne educas nos de loco
iſto. 16. In quo enim ſcire poterimus ego & populus tuus inveniſſe nos gratiam
in conſpectu tuo, niſi ambulaveris nobiſcum, ut glorificemur ab omnibus po-
pulis qui habitant ſuper terram? 17. Dixit autem Dominus ad Moyſen: Et verbum
iſtud, quod locutus es, faciam: inveniſti enim gratiam coram me, & teipſum
novi ex nomine. 18. Qui ait: Oſtende mihi gloriam tuam. 19. Reſpondit: E-
go oſtendam omne bonum tibi, * & vocabo in nomine Domini coram te: &
(*c*) miſerebor cui voluero, & clemens ero in quem mihi placuerit. 20. Rur-
ſum

Digitized by Google

ſumque ait: Non poteris videre faciem meam: non enim videbit me homo, & vivet. 21. Et iterum: Ecce, inquit, eſt locus apud me, & ſtabis ſupra petram. 22. Cumque tranſibit gloria mea, ponam te in foramine petræ, & protegam dextera mea, donec tranſeam: 23. tollamque manum meam, & videbis poſteriora mea: faciem autem meam videre non poteris.

(a) Geneſ. VII. Sup. XXIII. 20. Ioſ. XXIV. 12. Deuteronom. VII. 21. (b) Sup. XXXII. 9. Deuteronom. IX. 13. (c) Rom. IX. 15.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 3. *Quia populus duræ cervicis es*. Non commutes perſonam ſecundam *es* cum tertia *eſt*.

V. 9. *Et ſtabat ad oſtium*. Non eſt addenda vox *tabernaculi* (tametſi Hebraice exprimatur) ut neque vox *Dominus*, ubi ſequitur *loquebaturque cum Moyſe*.

V. 13. *Oſtende mihi faciem tuam*. Non iudicarunt Romani Correctores, pro *faciem* ſubſtituendum *viam*.

V. 19. *Et vocabo in nomine Domini coram te*. Cave ne ſcribas paſſivum *vocabor* pro activo *vocabo*.

NOTATIO.

V. 19. *Ego oſtendam omne bonum tibi, & vocabo in nomine Domini coram te*. Legendum non eſſe *vocabor* docent Auctor Correctorii, & Domnus Hentenius; nec ſine ratione, cum exemplaria emendatiora *vocabo* legant, ſuffragantibus Hebræis, Chaldæis, & Græcis codicibus. Docet autem D. Auguſtinus in quæſtionibus ſuper Exodum cap. CLIV. *vocabo* genere locutionis inuſitato pro *vocabor* poſitum ad Dei gratiam commendandam: locum enim hunc hoc modo intelligit: Ego faciam, ut omnes gentes Dominum me vocent, atque agnoſcant in conſpectu (tuo, hoc eſt) Iſraelitici populi (cuius hæc audiens typum geris) dum per univerſum terrarum orbem diſperſus erit. Quidam iſtius loci hunc ſenſum reddunt: Ego te audiente recenſebo nomina mea, ex quibus gloriam, & bonitatem meam intelligere queas.

COMMENTARIA

S A.

Verſ. 1. TUUS. Non dixit *meus*, iram oſtendens. Auguſt.

V. 3. ASCENDAM; id eſt, ducam aſcendentem in Palæſtinam, quæ altior AEgypto.

V. 4. PESSIMUM, id eſt iræ plenum, ſeu acerbum. CULTU, id eſt ornatu.

V. 5. DIXITQUE, pro dixerat enim. ASCENDAM, pro accedam: more hominis loquitur, qui aſcendere dicitur in mediam turbam. DEPONE, ſcilicet in ſignum pœnitentiæ.

V. 6. A MONTE, pro ad montem.

V. 7. TABERNACULUM FOEDERIS, ita dictum, quod in eo tabulæ, in quibus Dei lex fœdus continens. Hebr. *conventus*. LXX. *teſtimonii*.

V. 8. TENTORIUM, id eſt tabernaculi atrium.

V. 10. PER FORES, id eſt ad fores.

V. 11. FACIE AD FACIEM, id eſt familiariſſime. PUER, id eſt iuvenis. TABERNACULO, id eſt tentorio.

V. 12. EX NOMINE, id eſt præ ceteris, ſeu ut electum inter multos. INVENISTI GRATIAM; id eſt, mihi es gratus.

V. 13. FACIEM. Hebr. *Viam*, ſcilicet per quam populum ducam. Chald. *Viam bonitatis tuæ*. LXX. *Teipſum aperte*. RESPICE, &c. Hebr. *Vide quod populus tuus ſit gens hæc*; quaſi dicat, ut interpretatur Chaldæus, *Scis hunc tuum eſſe populum*.

V. 14. FACIES MEA, id eſt ego ipſe.

V. 16. UT GLORIFICEMUR AB OMNIBUS POPULIS. Hebr. & LXX. *Et glorificemur præ omnibus populis*.

V. 18. GLORIAM, id eſt maieſtatem; quaſi dicat, Te quantus ſis.

V. 19.

V. 19. OMNE BONUM, id eſt me. VOCABO, id eſt clamabo. IN NOMINE DOMINI, id eſt nomen Domini, ſcilicet dicens, Dominus adeſt. LXX. *Dominus coram te*, ſcilicet id erat Dominus, ſeu Angelus clamaturus. MISEREBOR, &c. Repetitio ſignificat firmitatem miſericordiæ, vel Gentes, Iudæos. Auguſt. in Exod. qu. CLIV.

Verſ. 20. VIDERE FACIEM MEAM, ſcilicet in vita, quæ agatur mortalibus ſenſibus. Auguſt. ibidem. ET VIVET: ſcilicet opus eſt abſtrahi a ſenſibus, & velut mentem a vita. Aug. ep. CXII.

V. 21. LOCUS, ſcilicet ubi ſoleo tecum loqui. Auguſt. per locum intelligit Eccleſiam.

V. 22. FORAMINE. Apparet, Moyſen ex antro per foramen aſpexiſſe Dominum tranſeuntem, forma aliqua, forte humana. PROTEGAM, id eſt tegam. Hebr. *Operiam*: ſcilicet ne poſſis videre anteriora mea.

V. 23. TOLLAMQUE, ſcilicet ut poſſis videre. POSTERIORA, id eſt tergum abeuntis. Auguſtinus II. de Trin. carnem interpretatur poſtremis temporibus ſuſceptam. FACIEM, id eſt Divinitatem. NON POTERIS. Vide ſupra verſ. 20.

ESTII.

Verſ. 11. LOQUEBATUR AUTEM DOMINUS AD MOYSEN FACIE AD FACIEM, SICUT SOLET LOQUI HOMO AD AMICUM SUUM. Senſus eſt, Loquebatur Dominus ad Moyſem admodum familiariter. Nequaquam autem poteſt hæc phraſis ad eum modum accipi quo dicit Apoſtolus I Corinth. XI. *Videre facie ad faciem*: ibi enim de perfecta Dei viſione loquitur, quæ poſt hanc vitam expectatur. Petiit quidem Moyſes hoc ipſum verſ. 13. dicens, *Oſtende mihi faciem tuam:* & rurſum verſ. 18. *Oſtende mihi gloriam tuam*. Sed non eſt exauditus pro hac vita: ſic enim reſpondet ei Dominus verſ. 20. *Non poteris videre faciem meam, non enim videbit me homo & vivet*: & de gloria verſ 22. *Cum tranſibit gloria mea, ponam te in foramine petræ, & videbis poſteriora mea, faciem autem meam videre non poteris*; quaſi dicat: Imperfectam tamen quamdam mei viſionem, & tranſitoriam tibi exhibebo; ſicut qui hominem a tergo videt, cognoſcit quidem quod homo ſit, ſed non, ſit ne Petrus aut Ioannes, &c.

V. 19. EGO OSTENDAM TIBI OMNE BONUM. Dictum eſt hoc phraſi Hebræa, ſcilicet cum exceptione ſubiecta; quaſi dicat: Quidvis tibi præſtabo; hoc autem quod petis, ut gloriam meam tibi oſtendam, & faciem meam videas (eſſentiam ſuam divinam intelligit) præſtare non poſſum, ſcilicet ſecundum ordinariam potentiam: *non enim videbit me homo, & vivet*; videlicet quia obrueretur natura mortalis tanta maieſtate. Unde loco huius beneficii denegati mox aliud magnum amico præſtitit, oſtendens ei poſteriora ſua, id eſt ſpeciem humanitatis Chriſti. Vide noſtra in II. diſt. XVIII.

V. 19. MISEREBOR CUI VOLUERO, ET CLEMENS ERO IN QUEM MIHI PLACUERIT. Hebr. ſic: *Et gratiam addam cui gratiam addam, & miſerebor cui miſerebor*. Septuaginta hoc modo: *Miſerebor cuiuſcumque miſertus fuero, & miſerabor quemcumque miſeratus fuero*. Quam verſionem Septuaginta ſecutus eſt etiam Paulus Rom. IX. Non eſt autem hic ſermo nugatorius; ſed voluit Dominus ſignificare non aliam ſuæ miſericordiæ hominibus præſtitæ rationem quærendam eſſe, quam in ipſo Deo, eiuſque bonitate, clementia & miſericordia, quæ præveniendo omne meritum humanum, omnemque liberi arbitrii bonum motum, vult hominibus gratiam ſuam præſtare. Vide plenius ad Rom. IX.

MARIANAE.

Verſ. 3. QUIA POPULUS DURAE CERVICIS ES. Durus cervice, ducta metaphora a vitulo, qui cervice iugum excutit; vel ab eo qui oculos & cervicem ad vocantem non vertit.

V. 5. SEMEL ASCENDAM. Hebr. *Uno impetu aſcendam*. ET DELEBO TE. Id Deus populo dicit.

V. 7. VOCAVITQUE NOMEN EIUS, TABERNACULUM FOEDERIS. מועד *mogbed*, hactenus Hieron. vertit *tabernaculum teſtimonii*, a verbo יעד *iabad*, quod *teſtificari* ſignificat: quod Septuag. hic & ubi-

ubique ſunt ſecuti: alii *tabernaculum conventus* vertunt, quia eo populus conveniebat: & vocem *moghed* id potius ſignificare contendunt.

V. 11. MINISTER EIUS IOSUE FILIUS NUN, PUER. Pueri eſt majoribus miniſtrare; ideo puer vocatur miniſter, etiamſi adultæ ætatis ſit.

V. 12. NOVI TE EX NOMINE. Te familiariter utor: nam qu ex ſolo aſpectu ſunt noti, ii minus familiares exiſtunt.

V. 13. OSTENDE MIHI FACIEM TUAM. Hebr. *Vias tuas:* ſic Gotth. quaſi dicat, ingenium tuum, qua re oblecteris; aut viam, qua nobis ſit eundum. RESPICE POPULUM TUUM GENTEM HANC. Heb. *Reſpice quod populus tuus gens hæc*, ſcilicet eſt.

V. 14. FACIES MEA PRAECEDET TE. Hebr. *Facies meæ ibunt*, id eſt comitabuntur vos, ſcilicet Angeli, aut beneplacitum meum.

V. 16. NISI AMBULAVERIS NOBISCUM, UT GLORIFICEMUR AB OMNIBUS POPULIS QUI HABITANT SUPER TERRAM? Hebr. *Et diſtinguemur ego & populus tuus ab omni populo, qui ſuper faciem terræ*. Præſentia tua, quaſi nota, diſtinguemur ab aliis. Verum vocem נפלינו *niphlinu* Hieron. & Septuag. in ſignificatione glorificandi poſuerunt non inepte, cum poſſit deduci a פלא *pala*, quæ vox ſignificat *mirabilem eſſe*. Ita erit ſententia: Et mirabiles erimus ego & populus tuus præ omni populo. AB OMNIBUS POPULIS, id eſt *præ omnibus:* ſic Septuag.

V. 19. ET VOCABO IN NOMINE DOMINI CORAM TE. Sic Hebr. Sept. & Chald. itemque Biblia Sixtina. Gotthica, *Vocabor*, ſed vitioſe. Quid autem ſignificat *Vocabo in nomine meo*, aut *Domini?* Nempe, tibi virtutem nominis quadrilitteri oſtendam; aut dicam, Deus adeſt, ad excitandam attentionem. ET MISEREBOR CUI VOLUERO. Heb. *Miſerebor quem miſerebor*: ſic Sept. Sententia non diſcrepat.

V. 22. ET PROTEGAM DEXTERA MEA, DONEC TRANSEAM. Heb. *Operiam vola mea te*: nimirum foramini apponam manum, ne priora videas; ſed poſtquam tranſiero, poſteriora tantum oſtendam, ſublata manu. Ea manus aut nubes erat operiens os ſpeluncæ, ubi Moyſes erat; aut, ſi Deus in ſpecie humana apparuit, ipſa eius manus. *Facies* eſt Dei natura, *poſteriora* effectus eius.

MALVENDAE.

Verſ. 3. POPULUS DURAE CERVICIS ES. Notant eſſe metaphoram a iuvencis refractariis & indomitis, qui iugum reſpuunt. Vel ſignificat homines dura & obſtipa cervice, denſos, pertinaces, moroſos, difficiles, aſperos. Sic cap. XXXII. verſ. 9. & alibi ſæpe. Latini dicunt *cervicoſos*, id eſt indomabiles, contumaces, intractabiles:

V. 5. SEMEL. Heb. *Momento uno*. רגע *regah*, voce conſentiente, quidam reddunt *rigore uno*. Elegantiſſimus Hiſpaniſmus, *con un rigor*, id eſt ſeveritate, & implacabilitate continente: a qua locutione nec Latini abhorrent.

V. 6. DEPOSUERUNT ERGO FILII ISRAEL ORNATUM SUUM. Hebraice: *Et diripere fecerunt, diripuerunt, eripuerunt filii Iſrael ornamentum ſuum*. Latini etiam ſic loquuntur. Virgilius IV. AEneidos:

.... vaginaque eripit enſem
Fulmineum ....

Et Lib. X.

Vaginaque cava fulgentem diripit enſem.

Alii, *Detraxerunt*, *ſpoliaverunt*. A MONTE HOREB. Quidam intelligunt, procul a monte Horeb, quaſi publice profitentes, ſe præſentia Dei indignos eſſe in Horebo habitantis: alii, ad montem, prope montem Horeb, ubi tunc conſiſtebant.

V. 7. TOLLENS TABERNACULUM, TETENDIT EXTRA CASTRA PROCUL. Heb. *Accipiet tentorium, & extendet ei*, vel *eum*, vel *ſibi*, *extra caſtra*. Quidam: *Moſeh vero acceptum tentorium ſuum tetendit ſibi extra caſtra*. Notant, non hic loqui Moſen de illo tentorio ſeu tabernaculo ſacro cum ſancto ſanctorum, & toto illo eccleſiaſtico apparatu, quem Deus fieri iuſſerat: id enim nondum extructum erat, nec populo imperatum; ſed de proprio tentorio ipſius Moſis, quod ſeorſum ab aliis fixit, ut commodius verſaretur cum Deo, procul multitudine, quæ ſolet eſſe impedimento. Alii hoc feciſſe Moſen volunt, ut populi peccatum ante ocu-

oculos eius exaggeraret; & ne ſi in populo maneat, colloquio Dei privetur, & plenæ reconciliationis actio abrumpatur, quandoquidem ſe Deus a caſtris abduxerat, ſupra verſ. 3. denique ut cum ſuam ipſius, ut ſervi fidelis in tota domo Dei, tum Domini ſui indignationem eo ſeceſſu ac ſymbolo exprimeret: hoc tamen Moſis tentorium Deum ſua præſentia & gloria ornaſſe, ibi cum Moſe locutum, illuc antea populum conveniſſe ad doctrinam verbi Dei, ibique Moſen ius dixiſſe. Plerique tamen volunt hic de ſacro tabernaculo iuſſu Dei confecto eſſe ſermonem; ſed quæ hoc verſ. 7. uſque ad 12. excluſive ponuntur, per occupationem dicta fuiſſe: nam tabernaculum nondum erat factum, vel fortaſſe factum quidem fuiſſe, verum quomodo factum fuerit, Moſen nondum dixiſſe. At ſi Hebræa per futurum reddantur, ut ipſa quidem habent, & nos in noſtra Translatione ex verbo expreſſimus, omnia de vero Dei tabernaculo recte cohærent, quod poſtea conſtituendum erat; ſed iſta opportune Moſen hic inſeruiſſe, occaſione familiaritatis & conſortii divini, quo fretus divinam viſionem poſtulavit. *Extra caſtra procul*. Quidam coniectantur, forte ad milleſimum cubitum, aut eo amplius, ut credibile eſt, ex analogia Numer. xxxv. 5. VOCAVITQUE NOMEN EIUS, TABERNACULUM FOEDERIS. Alii: *Vocavitque illud, tentorium conventus*; id eſt, promulgavit, omnibus qui Deum conſulerent, eo eſſe conveniendum: unde nomen nactum fuit *tentorii conventus*. Vide cap. XXVII. verſ. 21.

V. 8. CUMQUE EGREDERETUR MOYSES AD TABERNACULUM. Hinc apparet, iſtud tabernaculum non fuiſſe ordinarium Moſis, aut privatis uſibus eius deputatum; ſed eccleſiaſticum, & quaſi ſacellum quoddam, ubi Deum conſuleret, antequam ſacrum illud tabernaculum cum toto apparatu conderetur.

V. 11. PUER. Hebr. *Excuſſus*, vel *famulus*: alioqui notant iam tum annos 53. natum fuiſſe. Pueri pro ſervis, aut famulis, Latinis etiam uſitatum. M. Varro in Eumenidibus apud Nonium cap. 11. num. 641. *Vix vulgus confluit, non furiarum, ſed puerorum, atque ancillarum*. Sic Gen. XXXVII. verſ. 2. & 41. NON RECEDEBAT DE TABERNACULO. Heb. *Non diſcedet de medio tentorii*. Quidam iſtud non referunt ad Ioſue, ſed ad Dominum, qui plane denuntiaverat, ſe non futurum in medio populi, ſupra verſ. 3. propterea ſe receperat in tentorium Moſis, a cuius medio non diſcedebat.

Verſ. 12. ET NON INDICAS MIHI QUEM MISURUS ES MECUM. Nonnulli hoc dictum volunt de columna ignis & nubis, qua hactenus deduxerat eos; aut de tabernaculo, ubi promiſerat habitaturam gloriam ſuam: nam abſtinens Deus a caſtris Hebræorum, verſ. 3. ſe ſubduxerat in tentorium Moſis, verſ. 11. Alii putant, Moſen his verbis recte & verecunde poſtulaſſe a Deo ipſius præſentiam, & ducatum; ac ſi diceret: Vis me deducere populum hunc, promittis ductorem viæ Angelum, verſ. 1. & 2. at de tua præſentia & ductu nihil memoras: optaviſſemus te ductorem. NOVI TE EX NOMINE. Aliqui exponunt, Approbo te, & habeo rationem tui: alii, præ ceteris te elegi. Melius, utor te familiariter & coniuncte: nam quos tantum de facie novimus, minus familiares habemus. Vide infra verſ. 17. & ſupra cap. XXXI. verſ. 2.

V. 13. FACIEM TUAM. Hebr. *Viam tuam*; id eſt, oſtende te fore ducem noſtrum, omiſſa illa interminatione verſ. 3. Alii: Id eſt, modum & rationem, qua poſſim te noſſe, & invenire gratiam in oculis tuis; vel qua poſſim tua gratia & præſidio inter tot diſcrimina ſervare hunc tuum populum.

V. 14. FACIES MEA PRAECEDET TE; id eſt, ego te præcedam præſentia mea aſpectabili; quaſi dicat: Vis ne ita fieri? Statui enim tibi gratificari. Sic verſ. ſequente.

Verſ. 18. OSTENDE MIHI. Quidam exponunt: Promiſſionem tuam confirma hoc ſigno aſpectabili. GLORIAM TUAM. Aliqui intelligunt, aſpectabilem & viſibilem maieſtatem externæ præſentiæ tuæ. Videbat ſæpius Moſes cum Deo loquens nubem, & ſplendorem; ſed perſonam viſibilem & externam ſecum loquentis de medio nubis non cernebat: hanc igitur videre poſtulabat. Alii, ipſiſſimam maieſtatem tuam ab imaginibus nudam ad maiorem mei confirmationem. Nonnulli putant, Moſen hoc voluiſſe, ac ſi diceret:

ret: Rogo, maieſtatem tuam ita revel·s, ut poſſim eam extrinſecus ſentire, videre, ac palpare, & populo viſibilem, ac palpabilem obtrudere: nam quod Iſrael paulo ante tam fœde a verbo tuo deſcecerit, hinc accidiſſe mihi videtur quod hactenus non viderunt ſubſtantiam tuam externa, & manifeſta maieſtate. Quare utiliſſimum fuerit ut nobis ob oculos ponas maieſtatem tuam, externo ſenſu comprehenſibilem, quo Iſraelitæ non audiant tantum verbum tuum, ſed etiam te ipſum ſenſibiliter videant, ac maieſtatem tuam manibus, ut ita dicam, palpent. Tametſi enim ſæpenumero inculcem eis quod ſit Deus, quod Deo curæ ſimus, quod præſto nobis adſit in omnibus afflictionibus, quod ſervaturus nos ſit in omnibus adverſis, quod ducturus ſit nos incolumes ad terram patribus promiſſam; atque adeo quod quæ verba tuo mandato loquor, Dei verba ſint, & affirmem hæc omnia confirmari, & certificari per ſtupenda tua miracula, quæ partim in AEgypto, & in mari rubro, partim in deſerto edidiſti; tamen tanta eſt cæcitas eorum ut quia te non videant, ac palpent externo ſenſu, quemadmodum ſubditus regem ſuum, aut filius parentem ſuum videt, exiſtiment vaniſſima eſſe quæ de te prædicantur. Aliqui exponunt: *Fac videre me nunc honorem tuum*, id eſt ſpeciem aliquam aſpectabilem tuæ perſonæ, ut eam honorare poſſim.

V. 19. EGO OSTENDAM OMNE BONUM TIBI. Hebr. *Ego tranſire faciam omnem bonitatem meam ſuper facies tuas*, id eſt omnem gloriam meam, e verſ. 18. & 22. Inſulſe quidam exponunt: Revelabo tibi omnem bonam meam voluntatem, qua erga homines afficior. Alii: Manifeſtabo tibi attributa mea, quæ ſunt omne bonum: quod ſequenti capite verſ. 5. & 6. præſtitit. ET VOCABO IN NOMINE DOMINI. Apte quidam exponunt, clamabo nominatim, IHUH; id eſt, dum præteribo, dicam alta voce, IHUH (ſubaudi, præterit) ut ſcias me eum eſſe qui ante te tranſibit. Vide cap. XXXIV. verſ. 5. 6. ET MISEREBOR CUI VOLUERO. Hebræa omnia iſta ferunt. I. *Et gratioſus ero cui gratioſus ero*. II. *Et gratificabor cui gratificabor*. III. *Et in gratiam recipiam quem in gratiam recipiam*. IV. *Et beneficus ero cui beneficus ero*. Explicantque, *gratioſus ero*, *gratificabor*, ſcilicet opere, & communicatione mei iis quibus æterno meo decreto ſtatui gratioſus eſſe, ſeu gratificari; & ſic ſequentia; quaſi dicat: Neque omnino, neque omnibus hoc tribuo, ſed quibus, quando, & quantum decretum a me eſt ab æterno: ſic Chriſtus reſpondet filiis Zebedæi Matthæi XX. verſ. 23. Particulam *&* pro adverſativa capiunt, *Sed gratioſus ero*, &c. quaſi dicat: Non omnibus ego ſpeciem meam utcumque viſendam exhibebo. ſed tibi, cui in hoc gratificari volo. Nonnulli putant, Paulum Romanor. IX. verſ. 15. hunc locum a ſingulari cauſa ad univerſalem optime accommodaſſe, atque hypotheſim hanc theſi confirmaſſe. Alii hæc verba Domini univerſalia quoque eſſe volunt; quaſi explicet Deus quid ſit tota eius bonitas, quam ſe Moſi oſtenſurum pollicitus fuit, nempe æterna eius gratia, benignitas, & miſericordia, pro mero beneplacito divinæ ſuæ voluntatis. ET CLEMENS ERO IN QUEM MIHI PLACUERIT. Verbum רחם *richam* aiunt proprie eſſe *inviſceravit aliquem*, *intra viſcera introcluſit*, *ſummo & intimo commiſerationis affectu aliquem proſecutus fuit*, *& amplexus*; quaſi deductum a nomine רחם *rechem*, *vulva*, *matrice*, quæ fetum tenerrimo affectu concipit, complectitur, fovet, alit, tuetur, conſervat: vel e contra, *eviſceravit*, ſeu viſcera in aliquem effudit; id eſt, intimo amoris, ſeu commiſerationis affectu aliquem proſecutus, & amplexus eſt. Sic Hiſpanice dicimus, *Se deſentranò*.

Verſ. 20. NON ENIM VIDEBIT ME HOMO ET VIVET. Bifariam exponunt. I. Homo vivens in hac vita mortali non videbit clare & perſpicue divinam illam eſſentiam, quæ a beatis in æterna vita videtur. Ioan. I. 18. *Deum nemo vidit umquam*. II. Tanta eſt maieſtas, gloria, ſplendor externæ & aſpectabilis meæ ſpeciei, ac formæ viſibilis aſſumptæ, ut eam mortalis homo ferre non queat, quin ſtatim moriatur. Celebre axioma ac pervulgagatum in veteri Teſtamento erat, quod quicumque Deum, aut Angelum vidiſſet, ſtatim ei moriendum eſſet, Gen. XVI. 13. cap. XXXII. 30. Iudicum XIII. 22.

Verſ. 23. VIDEBIS POSTERIORA MEA. Quidam intelligunt, aliquam gloriæ meæ imperfectam imaginem: quæ noti-

titia ſpecularis, vel ænigmatica cum ea comparatur qua quis hominem ex dorſo, non autem de facie agnoſcit. Vide I. Corinth. XIII. 9. ad finem uſque. Alii *poſteriora mea* exponunt manifeſta & viſibilia Dei opera, quam Logici vocant cognitionem a poſteriori, ſeu ab effectibus. Roman. I. verſ. 20. *Inviſibilia Dei*, &c. Plerique volunt, Moſen vidiſſe tantum poſteriora, ſeu terga illius viſibilis & externæ ſpeciei Dei, quæ tranſibat, faciem vero, & anteriora non vidiſſe; quaſi Deus humana, aut alia forma corporea, & aſpectabili coram Moſe tranſiret, cuius tantum terga, non faciem Moſes viderit.

MENOCHII.

Verſ. I. LOCUTUSQUE EST DOMINUS AD MOYSEN, qui iam aſcenderat ſecundo in montem.

V. 2. PRAECURSOREM TUI ANGELUM, qui te in columna nubis præcedit. Alloquitur Moſen tamquam populi internuntium, quare oratio ad populum dirigitur.

V. 3. NON ENIM ASCENDAM TECUM. Angelus qui te comitatur, iam non Dei, ut hactenus fecit, ſed ſuam perſonam repræſentabit; nec amplius illuſtria illa patrabit miracula, quæ Dei virtute, & poteſtate patravit, tamquam Dei nomen, & perſonam ſuſtinens, & repræſentans. Vel etiam ſenſus eſt: Volo a vobis ſeparari, & divertere, & tabernaculum illud meum quale quale ſit: quod habeo apud vos, alio transferre, quod factum hoc cap. num. 7. POPULUS DURAE CERVICIS ES, cervicoſus, inobediens, refractarius. NE FORTE DISPERDAM TE IN VIA. Loquitur humano more. Nolo coram intueri mores tuos, alius te ducat, ne forte commotus aliquo tuo ſcelere, gravi aliquo malo a me mulcteris.

V. 4. SERMONEM HUNC PESSIMUM, quo ſcilicet ſumma quædam calamitas prænuntiabatur. NULLUS EX MORE INDUTUS EST CULTU SUO. Veſtis mutatio, & ſqualor, luctus, pœnitentiæ, & calamitatis argumentum eſt. Cultum vero veſtium, ornamentorum, ac monilium, partim ſecum ex AEgypto detulerant, partim ex ſuperiore pugna cum Amalecitis collegerant.

V. 5. SEMEL ASCENDAM IN MEDIO TUI, ET DELEBO TE: vel conditionate, vel comminatorie dictum; hoc eſt, ſi pergas impius, & rebellis eſſe: vel dicitur prophetice, quod præunderet Deus eos non ſemel delicturos, & a ſe puniendos eſſe. Vel ſenſus eſt: Si ſemel in te irruam, omnino delebo te. DEPONE ORNATUM TUUM; quaſi dicat: Pergite ut cœpiſtis, eo cultu utimini qui pœnitentiam præſeferat: vel quod dictum eſt num. 4. *Nullus ex more* &c. dictum eſt per anticipationem. UT SCIAM QUID FACIAM TIBI: ut ſtatuam, an vobis parcere debeam. Ut decernam, gravemne an levem pœnam infligere debeam.

V. 6. DEPOSUERUNT ERGO FILII ISRAEL, &c. tum ex ſponraneo ſuo luctu, tum præcepto Domini incitati. A MONTE HOREB; pro, ad montem Horeb, conſiſtentes iuxta montem Horeb.

V. 7. TOLLENS TABERNACULUM: non illud quod iuſſit Dominus fieri cap. XXVI. & quod erectum narratur cap. XL. in quo arca, &c. hoc enim nondum fuerat excitatum; ſed fuit parvum quoddam tabernaculum, quo & Moſes, & ceteri orationis cauſa convenirent. Hoc ergo tabernaculum Moſes tranſtulit extra caſtra. TABERNACULUM FOEDERIS: quo poſtea nomine etiam appellatum eſt maius tabernaculum poſtea excitatum. Vocatur tabernaculum fœderis, quia in eo depoſitæ tabulæ legis.

V. 8. SURGEBAT UNIVERSA PLEBS, reverentiam exhibens Moyſi vices Dei gerenti, ſuoque capiti, & rectori.

V. 10. ADORABANT PER FORES TABERNACULORUM SUORUM. Adorabat quiſque Deum ſtans, vel potius procumbens in genua in oſtio tabernaculi ſui, convertendo ſe ad tabernaculum, quod extra caſtra Moſes extulerat, in quo Angelus vice Dei cum Moſe per columnam nubis loquebatur.

V. 11. FACIE AD FACIEM, apparente Angelo ſpecie corporea, & humana. Alloquebatur familiariſſimè. PUER, non ætate, iam enim præfuerat bello contra Amalec. Phraſis eſt Scripturæ, quæ diſcipulos & famulos pueros vocat, quia minores, & inferiores ſunt magiſtro, vel hero. Vel puer dicitur quia iuvenis: ſunt enim qui opinentur annum egiſſe 46. quæ ætas illo ævo intra iuventutis fines erat.

erat. Adde, diutius nomen pueri illis adhæſiſſe qui uxorem non duxiſſent, qualis Ioſue. NON RECEDEBAT DE TABERNACULO, ut ſacrum locum quaſi cuſtodiret abſente Moſe, utque ſervaret legis tabulas: ſimul interim vacabat orationi, & contemplationi.

V. 12. NON INDICAS MIHI QUEM MISSURUS ES. Dixerat Dominus: *Angelus meus præcedet te*; ſed certum aliquem non deſignaverat. Petit ergo Moſes ſibi ſignificari quiſnam ille ſit qui populum ducet, paulatimque eo progrediatur, ut omnes alios duces abnuat, ſolumque ipſum Deum ductorem velit, quod ſignificant verba illa num. ſequentis: OSTENDE MIHI FACIEM TUAM; quaſi dicat: Faciem tuam requirimus: hæc nos ducat, & in itinere præcedat. NOVI TE EX NOMINE. LXX. *Novi te præter omnes*; quaſi dicat: Præ omnibus te elegi, & diligo, mihique places. Quos amat Deus, phraſi Scripturæ noſſe dicitur, ignorare quos reiicit.

V. 13. OSTENDE MIHI FACIEM TUAM. Heb. *Oſtende mihi viam tuam*: ut ſcilicet tu teipſo, & facie tua viam nobis præeas, & oſtendas. UT SCIAM TE: ut cognoſcam te mihi, & populo placatum, propitium, & præſentem.

V. 14. FACIES MEA PRAECEDET TE; id eſt, ego ipſe præcedam. ET REQUIEM DABO TIBI, ut inter medios hoſtes mea nixus præſentia & ope, ſecurus quieſcas.

V. 15. SI NON TU IPSE PRAECEDAS, &c. Eius quod iam Dominus conceſſerat, Moſes confirmationem petit pluribus verbis, pro affectu erga populum.

V. 17. ET VERBUM ISTUD QUOD LOCUTUS ES, FACIAM. Expreſſius confirmo, quod expreſſius petendo, & repetendo poſtulaſti.

V. 18. OSTENDE MIHI GLORIAM TUAM. Loquebatur Dominus cum Moſe voce corporea, ſed ab eo ob caliginem non videbatur. Petit ergo ut diſcuſſa caligine, gloriam faciei ſuæ oſtendat.

V. 19. OSTENDAM OMNE BONUM TIBI. Heb. habent: *Tranſire faciam omne bonum meum ante faciem tuam*: oſtendam tibi me ipſum, qui ſum omne bonum; vel ut alii explicant, oſtendam tibi excellentiſſimum, pulcherrimum, perfectiſſimum quiddam. VOCABO IN NOMINE DOMINI. Cum tranſibo ante te in petra abſconditum, & tectum, inclamabo, ut ſcias Dominum tranſire, meque reſpicias. LXX. habent: *Vocabo, Dominus coram te*. Vel ſenſus eſt: Tranſiens ego Dominus coram te, *vocabo in nomine Domini*; hoc eſt, inclamabo epitheta nominis Dei, dicendo, ut dicitur capite XXXIV. 6. *Dominator, Deus miſericors, & clemens, patiens, & verax, &c.* idque ut doceam te modum invocandi me, illiſque epithetis compellandi. MISEREBOR CUI VOLUERO. Ego tranſiens ante te vocabo, & inclamabo nomen Domini, dicendo, *Dominator, Domine*, aliaque Dei epitheta, ſed maxime hoc, *Miſerebor cui voluero*, hoc eſt miſericors, clemens, &c.

V. 20. NON POTERIS VIDERE FACIEM MEAM. Loquitur de facie corporea, & aſſumpta, qua ſe aliquatenus maieſtas, & gloria Dei repræſentat, & videndam exhibet. NON VIDEBIT ME HOMO, ET VIVET. Fulgor maieſtatis faciei meæ tantus eſt, ut mortalis oculus illum ferre non poſſit.

V. 22. PROTEGAM TE DEXTERA MEA. Dextera mea nubem, vel aliud corpus opacum opponam cavernæ, in qua latebis, ne videas faciem meam, & vibrantibus faciei meæ radiis exanimeris.

V. 23. VIDEBIS POSTERIORA MEA. Cum facies mea tranſierit, amovebo nubem quæ tegit te in caverna, ut tergum meum intuearis, in quo nimirum temperata erit lux.

TIRINI.

Verſ. 11. MINISTER EIUS IOSUE .... NON RECEDEBAT DE TABERNACULO. Hinc patet primo, antequam iuſſu Dei conſtructum eſſet tabernaculum maius, quod Moyſi in monte Sinai a Deo propoſitum fuit, fuiſſe in caſtris aliud parvum quaſi publicum ſacrarium, quo & Moyſes, & ceteri, orationis, & Dei conſulendi cauſa convenirent: forſan etiam, ut vult Abulenſis, ibidem ſeniorum conventus & concilia cogebantur. Hæc enim apud antiquos olim fere in templis habebantur, ut apud Romanos in æde Iovis Capitolini, Iovis Statoris, Bellonæ, &c. Videtur autem hoc tabernaculum a Moyſe tum conſtructum, cum ſupra c. XXIV. fœdus Deum inter & populum publico ſacri-

crificio, & pactis utrimque conventis ſanciret: atque inde nomen indidiſſe *Tabernaculi fœderis*, quod deinde eamdem ob cauſam etiam alteri tabernaculo maiori perpetuum remanſit. Iam tabernaculum hoc prius, quaſi domicilium ſuum iubet Deus in pœnam idololatriæ e medio populi, adeoque & e caſtris efferri, & *procul* efferri, *ad bis mille cubitos*, ita habet Thalmud. Ut oſtenderet, ſeſe inter eos tam infami idololatria contaminatos nolle diutius habitare. Iuſſit etiam veroſimiliter, uti tabulæ lapideæ confractæ fuerant, etiam volumen legis quod Iſraelitis prælectum fuerat cap. XXIV. publice diſrumpi. Nam cap. XXXIV. iubet rurſus illud a Moyſe reſcribi, verſ. 27.

Patet ſecundo, Ioſue, cum noctes & dies tabernaculo huic adeſſet, nempe quamdiu Moyſes illic hæreret, functum illic officio non tam æditui, ne qua forte beſtia locum conſpurcaret, quam præfecti vigilum, ne qui ſeu fures, ſeu hoſtes quidquam damni loco ſacro, aut corpori Moyſis inferrent; quod erat officium magiſtri militiæ, quo Ioſue iam tum fungebatur. Vocatur autem hic *puer*, quinquagenario maior. Sed puer pro iuvene hic ponitur: iuventutem autem ad 45. annum producit Varro *a*, ad 46. Servius Tullius. Quod magis locum habebat eo Moyſis ſæculo, quo, cum hominum vita eſſet productior, etiam iuventus ad plures annos quam ævo poſteriore extendebatur. Niſi malis phraſi vulgari puerum hic Ioſue dici. quia cælibem, neque matrimonii vinculis umquam irretitum, ut fuſe probat Serarius. Et hoc ſignificat *bullema* Chaldæum, quo nomine hic Ioſue vocatur; ſicut *balma* puellam virginem deſignat.

V. 13. OSTENDE MIHI FACIEM TUAM. Et v. 14. FACIES MEA PRAECEDET TE.) Per faciem hic intelligitur perſona propria. Cum enim v. 3. dixiſſet Deus, *Non aſcendam tecum*, ſed *mittam præcurſorem tui Angelum*; noluit acquieſcere Moyſes, ſed tamdiu ſupplicavit Deo. donec promitteret ſe per ſemetipſum eis ducem affuturum. Sed huius voti iam compos factus, maiori audacia Moyſes ulterius poſtulat, verſ. 18. *Oſtende mihi gloriam tuam*: non eſſentiam divinam, ut S. Baſilio, Auguſtino, D. Thomæ, Lyrano, Ruperto, Lipomano, & aliis quibuſdam placet; ſed excellentiorem illam formam corpoream quam induerat exterius Angelus dum ageret cum Moyſe, neque umquam illi ſpectandam exhibuerat. Licet enim facie ad faciem v. 11. Deus, vel Angelus vice Dei loqueretur cum Moyſe; *neque hic per ænigmata & figuras Dominum videret, ſed ore ad os ei loqueretur*, Num. XII. id tamen non aliud arguit quam familiarem & amicam conſuetudinem, ut quoties libere Moyſi, etiam ſenſibili allocutione cum Deo ageret, ſed quaſi in tenebris & nube interpoſita; vel ut ſummum perfectiorem, diſtinctioremque de Deo, & rebus divinis cognitionem, quam aliis prophetis obtigiſſet, ſed tamen non niſi abſtractivam, & obſcuram in ſeipſa habuit. Et certe ex Ioannis 1. verſ. 17. & 18. ubi comparatio inſtituitur inter Moyſen & Chriſtum, expreſſe dicitur, neminem præter Chriſtum vidiſſe Deum, ac ne Moyſen quidem. Et hæc eſt ſententia S. Dionyſii, Evariſti, & omnium fere aliorum SS. Patrum, quos recenſet, & ſequitur Vaſquez, Molina, Suarez, & plerique alii. *b.*

Petes: Quid ergo ſibi vult verſ. 19. EGO OSTENDAM OMNE BONUM TIBI? Reſpondeo, non id intelligi poſſe de divina eſſentia: nam mox ſubdit verſ. 20. NON POTERIS VIDERE FACIEM MEAM, ſeu meipſum in gloria mea, quam videre appetis: NON ENIM VIDEBIT ME HOMO ET VIVET; quaſi dicat: Nemo mortalium, ſaltem de lege ordinaria, capax eſt viſionis mei prout in me ſum. Quare etiamſi antea petiiſſet Moyſes videre eſſentiam divinam, non tamen inde colligi poſſet, ipſum eam vidiſſe: quandoquidem quod hic petiit, diſerte illi negetur, etiam viſio gloriæ illius corporeæ excellentioris, qua fulgebat Angelus externa apparentia. Ergo per *Omne bonum*, quod hic promittit ſe oſtenſurum Moyſi, non intelligit niſi gloriam externam tantam, quantam mortalis oculus admitteret, & qua voto ac petitioni Moyſis abunde futurum eſſet ſatis. Hæc vero erat gloria & fulgor poſterioris partis, ſeu tergi Angelici, quam attemperabat imbecillitati corporei oculi Moyſis: nam anterior faciei pars radiantior fulgidiorque erat quam ut infirmitas illius humana ferre poſſet. Ita S. Dionyſius, aliique Patres Græci. Item Hieronymus, Gregrorius, & alii

Digitized by Google

alii multi Latini. Symbolice Moyſi & Apoſtolis non facies, id eſt deitas, ſed dorſum, id eſt humanitas Chriſti, videnda promittitur in monte Thabor, inquit Tertullianus *c*, Origenes, Nazianzenus, & Aug.

(*a*) Apud Cenſorinum de Die natali.
(*b*) Dionyſ. de Cæl. hier. cap. IV. de Myſt. Theolog. cap. I. Evariſt. Epiſt. I. Decret. Vaſq. in I. p. diſp. IV. cap. 11. Mol. Suarez in 3. p.
(*c*) Tertull. cap. IV. contra Marcionem cap. XXII.

GORDONI.

Verſ. 1. LOCUTUSQUE. Valde eſt probabile, ut mox dicam, eſſe aliquantulum mutatum ordinem verſuum; & aliqua huius capitis poni debere poſt narrationem de tabulis ſecundo datis, de quibus capite inſequente. Nec eſt culpanda hæc mutati ordinis aſſertio multorum; cum res ipſæ, & quæ hic dicuntur uſque ad verſ. 12. hoc ſatis oſtendant.

V. 2. MITTAM, &c. Hoc ſatis explicant quæ habentur cap. XXIII. verſ. 28. & dici videntur poſt ſecundo datas tabulas. Ceterum quod additur verſ. 3. *Non aſcendam*, comminatio eſt propter iniquitatem: nam promiſſa ſuperius Dei præſentia valde addebat animum populo ad aſcenſum in terram promiſſam.

V. 5. SEMEL ASCENDAM, &c. Comminatorie dictum: mutatione vocis *aſcendam*, in alium ſenſum, denotando caſtigationem ob tranſgreſſiones. Hoc ſignificant quæ inſequuntur, DEPONE ORNATUM, nempe more præparantium ſe ad ſuſtinendam caſtigationem: ut ſciam, & ſcire te faciam, quid ſim facturus. Hinc Sep. *καὶ δείξω*, *oſtendam*.

V. 6. DEPOSUERUNT, &c. Pleraque hoc capite, ut dicebam, inſeruntur non ſuo loco, ſed ſunt per anticipationem narrata: hoc notant ex profeſſo plerique interpretes. Et quæ ſunt a verſ. 7. ad 13. inſerenda ſunt poſt cap. XXXIV. Quod hic eſt, A MONTE HOREB, ſeu Sina, intellige ad montem Horeb, per enallagen, ſeu commutationem præpoſitionis, מהר *mehar*, a monte, *ἀπὸ τοῦ ὄρους*: ſenſus eſt, iuxta montem.

V. 7. TABERNACULUM. Hoc eſt peculiare tentorium Moſis, quod *fœderis* vocatur *Tabernaculum*, nondum adhuc extructo ſolemni tabernaculo. Moſes hic repoſuit ſecundas tabulas. Vide cap. XVI. verſ. 34.

V. 11. FACIE AD FACIEM. *ἐνώπιος*, *ἐνωπίῳ*, *præſens*, *præſenti*. Nihil hic de viſione eſſentiæ. Immo putatur hic Angelus ſpecie humana apparuiſſe. Ioſue puer vocatur, non ætate: nam iam præfuit bello contra Amalec; ſed quia ſervi vocabantur pueri: נער *nahhar*, *puer*: ſervus erat Moſis, & dux belli, ut ſup. cap. XVII.

V. 12. NOVI TE EX NOMINE; hoc eſt, non ſolum aſpectu, ſed familiarius ex nomine.

V. 13. OSTENDE MIHI FACIEM TUAM. Septuag. *Oſtende mihi teipſum manifeſte*: ſcilicet ſignis & prodigiis cognoſcamus te nobis Deum eſſe præſentem. Et hunc ſenſum clare colligere licet ex verſ. 14. 15. & 16.

V. 14. FACIES MEA, beneplacitum, auxilium.

V. 17. NOVI, ſcientia approbationis: ex Aug. q. CLII. in Exod.

V. 18. OSTENDE MIHI GLORIAM. Sane verſ. 13. faciem petiit, ubi in Hebræo eſt *viam tuam*, דרכך *derakeka*. At nunc gloriam petit. Aliqui eſſentiam Dei intelligunt; alii gloriam externam loquentis, ut hinc firmaretur populus: placet hic poſterior ſenſus.

V. 19. RESPONDIT. Moſes ex promiſſione verſ. 14. factus audacior, petiit videre gloriam Dei: per quam, ut dicebam, vel ipſam eſſentiam volebat oculis corporeis videre, vel Deum ſub excellentiſſima forma corporea (& ſic quidem non petiiſſet viſionem eſſentiæ.) Reſpondet vero Deus promittens omne bonum, hoc eſt ſeipſum, & fore ut antecederet. Porro, OSTENDAM TIBI OMNE BONUM, locus theol. oſtendens nullum eſſe bonum quod non ſit aliqua ratione in Deo. Sequitur: ET VOCABO, active, ex Heb. & Sept. non autem vocabor. Senſus eſt: Faciam te invocare nomen Domini, quando ero coram te, ſeu in te; & per te invocabo nomen meum: quod ſatis apparet ex cap. XXXIV. verſ. 5. Et quid ſi *vocabo*, hic ſit facere, & patrare magna; ſicut alibi dicitur: *Vocat ea quæ non ſunt, tamquam ea quæ ſunt*: ut ſit, operabor in nomine Domini coram te. Hoc certe promittit cap. XXXIV. verſ. 10. unde recte ſequitur: MISEREBOR CUI VOLUERO, &c. Quo lo-

Digitized by Google

loco utitur Paulus Rom. VIII. verſ. 15. oſtendens iuſtificationem, & præſertim ſingulares gratias, quibus prævenimur, non dari nobis, ex operibus legis, aut naturæ.

Verſ. 20. NON POTERIS VIDERE FACIEM; hoc eſt, nec eſſentiam in hac vita, lege ordinaria; nec ſpeciem gloriæ corpoream in maxima claritate: temperatæ tamen ſpecies claritatis exhibita eſt cap. XXXIV. Sermo hic eſt de hominibus in hac vita. Ex his tribus modis, ſub duobus prioribus non videt homo, & vivet. Verum autem eſt, ut alibi dixi, non colligi ex hoc loco Moſen vidiſſe eſſentiam Dei in hac vita, ut colligitur ex negatione viſionis hic poſita. Et hoc, vel quia eam non petiit; vel ſi eam petiit, fuit negata.

V. 21. EST LOCUS APUD ME, hoc eſt in monte, ubi ſolebat colloqui cum Deo. Et ſubdit: *In foramine petræ* eris, *& inde in tranſitu videbis poſteriora*: de quo cap. XXXIV.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 23. VIDEBIS POSTERIORA MEA. Cum ante te poſitum in caverna tranſibit facies mea, opponam cavernæ nubem, ne clare intuendo faciem pereas; poſt tranſitum vero auferam nubem, ut a tergo, & obſcure me videas. In tergo hoc lux temperata eſt, & non clara viſio.

CAPUT XXXIV.

Moyſes reparatis tabulis, probibitaque Gentium ſocietate & idololatria, datiſque præceptis de primogenitis, ſabbato, azymis, ceteriſque feſtis, poſt quadraginta dierum ieiunium cornutus de monte deſcendit, ac velata facie populo loquitur.

1 AC deinceps, (*a*) Præcide, ait, tibi duas tabulas lapideas in-
ſtar priorum, & ſcribam ſuper eas verba, quæ habuerunt
tabulæ quas fregiſti. 2. Eſto paratus mane, ut aſcendas ſta-
tim in montem Sinai, ſtabiſque mecum ſuper verticem mon-
tis. 3. Nullus aſcendat tecum, nec videatur quiſpiam per
totum montem: boves quoque & oves non paſcantur econ-
tra. 4 Excidit ergo duas tabulas lapideas, quales antea fue-
rant: & de nocte conſurgens aſcendit in montem Sinai, ſic-
ut præceperat ei Dominus, * portans ſecum tabulas. 5. Cumque deſcendiſſet
Dominus per nubem, ſtetit Moyſes cum eo, invocans nomen Domini. 6. Quo
tranſeunte coram eo, ait: Dominator Domine Deus, miſericors & clemens, pa-
tiens & multæ miſerationis, ac verax, 7. qui (*b*) cuſtodis miſericordiam in mil-
lia: qui aufers iniquitatem, & ſcelera, atque peccata, nulluſque apud te per ſe
innocens eſt. (*c*) Qui reddis iniquitatem patrum filiis ac nepotibus, in tertiam
& quartam progeniem. 8. Feſtinuſque Moyſes, curvatus eſt pronus in terram,
& adorans 9. ait: Si inveni gratiam in conſpectu tuo Domine, obſecro ut gra-
diaris nobiſcum (populus enim duræ cervicis eſt) & auferas iniquitates noſtras
atque peccata, noſque poſſideas. 10. Reſpondit Dominus: (*d*) Ego inibo pa-
ctum videntibus cunctis, ſigna faciam quæ numquam viſa ſunt ſuper terram,
nec in ullis gentibus: ut cernat populus iſte, in cuius es medio, opus Domi-
ni terribile quod facturus ſum. 11. Obſerva cuncta * quæ hodie mando tibi:
ego ipſe eiiciam ante faciem tuam Amorrhæum, & Chananæum, & Hethæum,
Pherezæum quoque, * & Hevæum, & Iebuſæum. 12. Cave ne umquam cum
ha-

Digitized by Google

habitatoribus terræ illius iungas amicitias, quæ ſint tibi in ruinam: 13. ſed aras eorum deſtrue, confringe ſtatuas, lucoſque ſuccide: 14. noli adorare Deum alienum. Dominus zelotes nomen eius, & Deus eſt æmulator. 15. (e) Ne ineas pactum cum hominibus illarum regionum: ne, cum fornicati fuerint cum diis ſuis, & adoraverint ſimulacra eorum, vocet te quiſpiam ut comedas de immolatis. 16. (f) Nec uxorem de filiabus eorum accipies filiis tuis: ne, poſtquam ipſæ fuerint fornicatæ, fornicari faciant & filios tuos in deos ſuos. 17. Deos conflatiles non facies tibi. 18. Solemnitatem azymorum cuſtodies. Septem diebus veſceris azymis, ſicut præcepi tibi, in tempore menſis novorum: menſe enim verni temporis egreſſus es de AEgypto. 19. (g) Omne quod aperit vulvam generis maſculini, meum erit: de cunctis animantibus, tam de bobus, quam de ovibus, meum erit. 20. Primogenitum aſini redimes ove: ſin autem nec pretium pro eo dederis, occidetur. Primogenitum filiorum tuorum redimes: nec apparebis in conſpectu meo vacuus. 21. Sex diebus operaberis, die ſeptimo ceſſabis arare & metere. 22. (h) Solemnitatem hebdomadarum facies tibi in primitiis frugum meſſis tuæ triticeæ, & ſolemnitatem, quando redeunte anni tempore cuncta conduntur. 23. Tribus temporibus anni apparebit omne maſculinum tuum in conſpectu omnipotentis Domini Dei Iſrael. 24. Cum enim tulero gentes a facie tua, & dilatavero terminos tuos, nullus inſidiabitur terræ tuæ, aſcendente te, & apparente in conſpectu Domini Dei tui ter in anno. 25. (i) Non immolabis ſuper fermento ſanguinem hoſtiæ meæ: neque reſidebit mane * de victima ſolemnitatis Phaſe. 26. Primitias frugum terræ tuæ offeres in domo Domini Dei tui. (k) Non coques hædum in lacte matris ſuæ. 27. Dixitque Dominus ad Moyſen: Scribe tibi verba hæc, quibus & tecum & cum Iſrael (l) pepigi fœdus. 28. Fuit ergo ibi cum Domino quadraginta dies & quadraginta noctes: panem non comedit, & aquam non bibit, & ſcripſit in tabulis (m) verba fœderis decem. 29. Cumque deſcenderet Moyſes de monte Sinai, tenebat duas tabulas teſtimonii, & ignorabat quod cornuta eſſet facies ſua ex conſortio ſermonis Domini. 30. Videntes autem Aaron & filii Iſrael cornutam Moyſi faciem, timuerunt prope accedere. 31. Vocatique ab eo, reverſi ſunt tam Aaron quam principes ſynagogæ. Et poſtquam locutus eſt ad eos, 32. venerunt ad eum etiam omnes filii Iſrael: quibus præcepit cuncta quæ audierat a Domino in monte Sinai. 33. Impletiſque ſermonibus, (n) poſuit velamen ſuper faciem ſuam. 34. * Quod ingreſſus ad Dominum, & loquens cum eo, auferebat donec exiret, & tunc loquebatur ad filios Iſrael omnia quæ ibi fuerant imperata. 35. Qui videbant faciem egredientis Moyſi eſſe cornutam, * ſed operiebat ille rurſus faciem ſuam, quando loquebatur ad eos.

(a) Deut. x. 1. (b) Pſal. cxlii. 2. (c) Ier. xxxii. 18. Deut. v. 9. (d) Deut. v. 2. Ier. xxxii. 40. (e) Deut. vii. 2. (f) III. Reg. xi. 2. (g) Sup. xiii. 2. 12. xxii. 29. (h) Sup. xxiii. 15. Deuteron. xvi. 16. Eccli. xxxv. 6. Sup. xxiii. 17. (i) Sup. xxiii. 18. 19. (k) Deut. xv. 21. (l) Eccli. xlv. 18. (m) Deut. ix. 9. 18. Deut. iv. 13. (n) II. Cor. iii. 13.

BRUGENSIS

Romanae Correctiones.

Verſ. 4. *Portans ſecum tabulas*. Non addas *duas*: reliquit enim Interpres e ſuperioribus intelligendum.

V. 11. *Quæ hodie mando tibi*. Non eſt ſubſti-

ſtituendum præteritum *mandavi* pro præſenti *mando*.

V. 11. *Et Hevæum*, *& Iebuſæum*. Non oportet addere *& Gergeſæum*.

V. 25. *De victima ſolemnitatis phaſe*. In locum numeri ſingularis *victima*, non eſt ſurrogandus pluralis *victimis*.

V. 34. *Quod ingreſſus*. Nonnulli libri habent *qui* maſculinum pro neutro *quod*.

V. 35. *Sed operiebat ille rurſus*. Sequitur in quibuſdam codicibus *velamine*; ſed facile intelligitur etiam non additum.

C O M M E N T A R I A

S A.

Verſ. 2. UT ASCENDAS STATIM. Hebr. *Et aſcendes mane*.

V. 3. ECONTRA, id eſt e regione, ſcilicet prope.

V. 4. DE NOCTE, ſcilicet *diluculo*, ut eſt Hebr.

V. 5. STETIT MOYSES, &c. Hebr. & Chald. indicatur ſtetiſſe Deum, & clamaſſe in nomine Domini, id eſt nomen ſuum: ſcilicet dicendo, Dominus eſt, id eſt adeſt, ut ſupra promiſerat. Vide Numer. XIV.

V. 6. AIT: DOMINATOR, &c. Heb. *Clamavit*: *Dominator Dominus Deus*, &c. ſcilicet ut ſint Dei verba, non Moyſis, iuxta dicta cap. ſuperiore. Chald. tamen indicat, eſſe Moyſis.

V. 7. IN MILLIA. Vide ſup. cap. XX. NULLUSQUE APUD TE PER SE INNOCENS EST. Hebr. *Non babebit pro innocente eum*, *qui nocens eſt*; quaſi dicat, puniet reos. REDDIS, id eſt punis. TERTIAM. Vide Num. XIV.

V. 9. POSSIDEAS, ſcilicet ut tuos, ſeu ut hereditatem.

V. 10. VIDENTIBUS CUNCTIS. Hebr. *Coram omni populo tuo*.

V. 11. ANTE FACIEM TUAM. Suſtinet hic Moyſes perſonam populi.

V. 14. AEMULATOR, id eſt zelotes: repetitio. Vide ſup. cap. XX. 5.

V. 15. FORNICATI, ſcilicet ſpiritualiter per idololatriam, ut ſtatim explicatur.

V. 18. NOVORUM, &c. Vide ſup. cap. XXIII. hæc fere omnia.

V. 19. MEUM ERIT; id eſt, mihi offeretur.

V. 20. ASINI, quia immundus: idemque intellige de ceteris animalibus immundis. PRETIUM, ſcilicet ovis. VACUUS. Vide ſupra cap. XXIII.

V. 21. ARARE, &c. quaſi dicat: Nolo ſabbatum violari arandi, aut metendi neceſſitate.

V. 22. HEBDOMADARUM, ſcilicet pentecoſtes. REDEUNTE, ſcilicet æquinoctio autumnali.

V. 23. OMNIPOTENTIS. Hebr. *Dominatoris*.

V. 25. MANE. Hebr. *Uſque mane*.

V. 28. PANEM .... ET AQUAM, id eſt cibum, & potum. Aug. in Exod. q. CLXV. SCRIPSIT, ſcilicet Deus.

V. 29. CORNUTA, id eſt radios emittens. Hebraice, *Radians*. LXX. *Glorificata*, id eſt ſplendida.

V. 33. IMPLETISQUE SERMONIBUS; id eſt, dum impleret, ſeu loqueretur, vel poſt illos ſermones, cum aliis locuturus; quaſi dicat: Etiam poſt illa verba, quoties loquendum ei cum hominibus, velabat faciem.

E S T I I.

Verſ. 1. PRAECIDE TIBI DUAS TABULAS LAPIDEAS INSTAR PRIORUM, ET SCRIBAM SUPER EAS, &c. Hæc verba omnino ſignificant ita poſterioribus tabulis inſcriptum fuiſſe decalogum digito Dei, ſicut prioribus. Cui tamen repugnare videtur quod poſtea v. 27. dicitur ad Moyſen: *Scribe tibi verba hæc*: & v. ſeq. *Et ſcripſit in tabulis verba fœderis decem*. Itaque Auguſt. in quæſt. rationem inquirit quare priores tabulæ a Deo ſcriptæ ſunt, poſteriores ab homine. Quidam dicunt, Dominum ſcripſiſſe auctoritate, & præcepto; Moyſen autem miniſterio. Sed cum non facile hic intelligatur miniſterium Moyſis, quomodo ſine inſtrumentis, lapidibus inſculpere potuerit; rectius reſpondetur, Deum inſcripſiſſe legem his tabulis, ſicut prioribus digito ſuo, id eſt per potentiam Spiritus ſancti; Moyſi autem præcepiſſe, ut ſcriberet poſtea in libro, ſicut & cetera omnia quæ ad legem

per-

pertinebant; illud autem quod verſ. 28. dicitur *& ſcripſit in tabulis*, non referendum eſſe ad Moyſem, quamvis id prima fronte videatur, ſed ad Deum: uam ſic etiam expreſſe legitur Deut. x. verſ. 4. de his duabus poſterioribus tabulis: *Scripſitque in tabulis iuxta id quod prius ſcripſerat*: utrumque ſcilicet de eodem Deo dicitur.

V. 7. NULLUSQUE APUD TE PER SE INNOCENS EST. Ideo ergo iuſte reddit Deus iniquitatem patrum filiis, & nepotibus, quia nullus apud eum per ſe innocens eſt, ſed omnes obnoxii. Eadem hæc verba Num. XIV. Hieronymus ſic vertit: *Nullumque innoxium derelinquens*. Utrobique in Hebræo eſt, *Et mundando non mundabit*: quod Septuaginta reddiderunt hoc loco, *Et reum non mundabit*; Numer. autem XIV. ſic: *Et mundatione non mundabit reum*. Itaque non eſt facienda vis in vocula *per ſe*, quaſi ſcilicet tamen innocens aliquis ſit ex Dei gratia; ſed ſenſus eſt: *Per ſe*; id eſt, ſi vita eius, & opera exacte examinentur, iuxta illud Pſal. CXXIX. *Si iniquitates obſervaveris Domine: Domine quis ſuſtinebit*? item Pſal. CXLII. *Non intres in iudicium cum ſervo tuo, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens*. Vide etiam ſupra cap. XX.

V. 29. IGNORABAT QUOD CORNUTA ESSET FACIES EIUS. Non cornuta, quomodo pictores pingunt, ſed radioſa, ita ut radii ſpargerentur inſtar cornuum. Sic Apoſtolus I. Cor. III. verſ. 7. *Ita ut non poſſent intendere filii Iſrael in faciem Moyſi propter gloriam vultus eius*. Septuaginta habent ἐδοξάσθη, id eſt *clarificata*. Putant nonnulli ab Interprete poſitum fuiſſe *coruſca*, & hinc imperitia librariorum factum *cornuta*. Sed non exiſtimo. Nam vox Hebræa etiam ſignificat *cornificare*, ſed intelligatur promicare emiſſis radiis velut cornibus, uti iam diximus. Pagninus vertit *Reſplendere*.

MARIANAE.

Verſ. 4. ET DE NOCTE CONSURGENS. Heb. *Diluculo ſurrexit*, ſcilicet Moyſes.

V. 5. INVOCANS NOMEN DOMINI. Sic Hieronymus: quomodo hæc verba ad Moyſen referuntur. Hebraica, *Et vocavit in nomine Domini*, poſſunt ad Moyſem referri, & ad Deum. Et videtur eſſe impletio eius, quod pollicitus erat ſuperiori cap. & inter alia, *Vocabo*, inquit, *in nomine Domini*. Ergo ſicut illa verba ad Deum referuntur, ita hæc.

V. 6. QUO TRANSEUNTE CORAM EO, AIT: DOMINATOR DOMINE. Iuxta Vulgatam hæc & ſequentia verba quaſi a Moyſe dicta accipiuntur. Hebraica ad utrumque referri poſſunt, quaſi a Moyſe dicta accipi. & quaſi a Deo: quod placet magis, ut his verbis oſtendat Deus omne bonum quod erat pollicitus ante. Hebraica ſic: *Et tranſivit Dominus coram eo. Et vocavit Dominus, Deus miſericors*; ſupple *adeſt*, quod eſt vocare, ſeu invocare in nomine Domini. Quod addit, MISERICORS ET CLEMENS, PATIENS, hæ ſunt Dei proprietates, & omne bonum.

V. 7. QUI CUSTODIS MISERICORDIAM IN MILLIA, id eſt *in mille generationes*: ſic vertit Chald. AUFERS, auferens, INIQUITATEM ET SCELERA, ATQUE PECCATA: NULLUSQUE APUD TE PER SE INNOCENS EST. לא ינקה נקה *nakeh lo ienakeh*; id eſt, *abſolvendo non abſolvit*, nempe nocentem; ac ſi diceret: Ita dimittit peccata, ut noxium impunitum non relinquat (de ſe Deus in tertia perſona loquitur) ſed potius viſitans iniquitatem patrum in filios: tanta ſeveritate ſum.

V. 19. OMNE QUOD APERIT VULVAM GENERIS MASCULINI, MEUM ERIT, &c. Hebr. *Omnis apertio vulvæ mihi*: *& omne pecus* תזכר *thizachar*. Quæ vox a quibuſdam redditur, *Memorabitur*, *recenſebitur pecus tuum*, nempe, ut primogenita offerantur: ab aliis, *Omne pecus tuum exmaſculabitur*, nempe, ut maſcula primogenita Deo dentur. Hanc poſteriorem vocis ſignificationem Hieron. Sept. & Chald. ſecuti ſunt.

V. 26. NON COQUES HAEDUM IN LACTE MATRIS SUAE. Chald. *Non Comedes carnem cum lacte*: ſic Hebræi hoc præceptum intelligunt: cap. XXIII. verſ. 19. idem dicitur.

V. 28. ET SCRIPSIT IN TABULIS VERBA FOEDERIS DECEM. Dixerat primo Deus verſu: *Et ſcribam ſuper eas verba*: nunc de Moyſe dicit, *Et ſcripſit*: nimirum quod miniſterio Moyſis eſt factum, Deus fecit. Ex hoc etiam loco colli-

ligitur, præcepta in duabus tabulis fuiſſe decem; ſed quæ illa decem præcepta fuerint, non ſatis explicatur: ſuperius enim plura quam decem præcepta ſunt poſita, capite ſcilicet xx.

V. 29. QUOD CORNUTA ESSET FACIES SUA. Hebr. *Quod ſplenderet facies eius*; ſed voces קרן *karan*, quæ ſignificat *ſplendere*, & קרן *keren*, quæ *cornu* ſignificat, affines ſunt, quod ex corpore lucido intuentibus radii in modum cornuum emicare videantur: ſic Hieronym. vertit *Cornuta*; Septuag. *Glorificata eſt*. Huc Paulus reſpexit II. ad Corinth. III. verſ. 7. *Quod ſi miniſtratio mortis litteris deformata in lapidibus, fuit in gloria.*

V. 35. OPERIEBAT ILLE RURSUS FACIEM SUAM, SI QUANDO LOQUEBATUR AD EOS. Hebr. *Reducebat Moyſes velamen ſuper faciem ſuam, donec veniret ad loquendum cum eo*, ſcilicet Deo. Ergo quamdiu cum populo erat, velamen geſtabat, removebat cum Deum alloquebatur.

MALVENDAE.

Verſ. 6. QUO TRANSEUNTE CORAM EO, AIT: DOMINATOR DOMINE, &c. Hebr. *Et tranſivit Dominus ante eum, & vocavit*, ſeu *clamavit*, IHUH, IHUH, &c. Noſter vult Moſen exclamaſſe, ac dixiſſe, IHUH, IHUH, &c. quod recte ſubſiſtere poteſt, nec renuunt Hebræa. Plerique tamen exiſtimant ipſum Dominum tranſeuntem corporea & aſpectabili forma ante Moſen, vocaſſe, ſeu inclamaſſe, IHUH, IHUH, &c. Subaudi, Qui tranſivit eſt ipſe IHUH, potentiſſimus, miſericors, &c. Qui, ſenſus congruit cum verſ. 4. & cum cap. XXXIII. verſ. 19. MISERICORS. רחום *rachum* ſine interpretatione reliquimus, quod ſit proprium attributum, ſeu epithetum Dei, nec aliis in Scriptura tribuatur: eſt proprie *Inviſcerator*, qui homines intra viſcera ſua complectitur, introcludit, fovet, ac intimo tenerrimoque commiſerationis & caritatis affectu proſequitur. Vel *Eviſcerator*, qui *viſcera miſericordiæ ſuæ*, ut Lucas loquitur, in homines effudit. Hiſpanice, *Se deſentranna por ellos*. Vide cap. XXXIII. 19. ET CLEMENS. חנון *channun* etiam interpretatum retinuimus, quod ſit proprium epithetum, ſeu attributum Dei, nec de ullo alio in Scriptura dicatur: proprie eſt *Gratioſus, gratificator, gratificus, beneficus, benignus, propenſus ad benefaciendum gratis*. PATIENS. Hebr. *Longus narium*, ſeu *irarium*, id eſt tardus ad iraſcendum, longanimis; tardus ad pœnam, & vindictam. ET MULTAE MISERATIONIS, AC VERAX. Hebr. *Et multus, magnus, beneficentia, benignitate, caritate, pietate, benevolentia, ſanctitate, bonitate, miſericordia*. Hæc omnia complectitur vox חסד *cheſed*, & *veritate, fide, certitudine, ſinceritate, ſimplicitate, conſtantia, firmitate*; quaſi dicat: Opera eius non ſunt falſa, fallacia, fucata, hypocritica, mendacia; ſed vera, fidelia, ſincera, ſimplicia, ſolida, conſtantia, ſtabilia, firma. Ea enim omnia ſubſunt voci אמת *emeth*.

V. 7. QUI CUSTODIS. נוצר *notzer*, *ſervans, aſſervans, conſervans, reſervans*. Quidam, *Tenax bonitatis in mille*. In participio *Notzer* Nun eſt magnum præter morem, & eſt quarta littera magna quæ in ſacris Bibliis Hebraicis occurrit: cuius cauſam ego divinare non poſſum, niſi forſan ut ſignificet immenſam & inexhauſtam vim & opulentiam theſaurorum divinæ & æternæ benignitatis, pietatis, caritatis, miſericordiæ, & beneficentiæ Dei. Vide Geneſ. I. verſ. 23. NULLUSQUE APUD TE PER SE INNOCENS EST. Heb. varie convertunt, ſenſu ſemper eodem. I. *Et innocentando non innocentabit*, vel *inſontando non inſontabit*; id eſt, innocentem, & inſontem iudicando, aut faciendo, non innocentem, & inſontem iudicabit, aut faciet. II. *Et mundando, purificando, non mundabit, purificabit*. III. *Et abſolvendo non abſolvet*: ſubaudi ſontem, vel non abſolvendum; quaſi dicat, Ita miſericors, ut maneat iuſtus. IV. *Et vacando nemo erit vacuus*, ſcilicet a peccatis. V. *Et vacando non ſinet vacare*, ſcilicet pœna; hoc eſt, non ſinet impunitum malum, non ſinet abire impune. Unde quidam vertunt, *ac impunita minime dimittens*. Verbum נקה *Nakah* proprie eſt *vacuum eſſe culpa, vel pœna, inculpatum, innocentem, impunem, inſontem eſſe, extra culpam, noxam, pœnam, vel aliam rem poſitum eſſe, immunem, purum, liberum*; quaſi dicat: Eum qui culpæ, aut pœnæ obnoxius eſt, pro

in-

Digitized by Google

inculpato; & impuni non habebit: nam eſt ſanctiſſimus, & iuſtiſſimus. Vide Exod. xx. 7.

V. 13. Destrue. Hebraice in hoc verſu ponuntur tria futura cum Nun paragogico, ad auxeſim, ut ſciant ſibi funditus ad ſolum uſque diruendas aras; in minutiſſimum pulverem confringendas ſtatuas, ac radicitus evellendos & extirpandos lucos. De lucis dicemus Deuteron. vi. 21.

V. 19. Generis masculini, &c. Hæc & ſequentia huius verſus diverſimode convertunt, & elucidant ex fonte. I. *Et omne pecus tuum, quod memorabitur inter primogenita boum, & ovium.* II. *Et omnis poſſeſſio tua memorata erit, apertio bovis, & agni.* III. *Et omne pecus tuum recenſebitur, primogenitum tam in armento quam in pecore*; id eſt, omnia primogenita tam boum quam ovium recenſebuntur, & mea erunt: vel *omne quod memorabitur inter primogenita boum, & ovium*, meum erit. IV. *Quare totius pecoris tui maſculum ſeparator, aperiens vulvam bovis, aut parvæ pecudis*. V. *omne pecus tuum, quod maſculabitur, apertio bovis, & ovis*. VI. *Et omne pecus tuum, quod maſculum parit* (melius quod maſculum natum fuerit) *primogenitum bovis, ac pecudis*. Verbum futurum תזכר *tizzechar*, hic quidam vertunt *recordabitur*, paſſive, *memorabitur*, *recenſebitur*: alii, *maſculabitur*, *maſculum erit*, a nomine זכר *zachar*, *maſculus*, qui ſic dictus videtur Hebraice, quod ſit recordatio & monumentum generis, quod eius in genealogiis, numerationibus, & hiſtoriis potiſſimum memoria fiat.

V. 21. Cessabis arare, et metere. Ac ſi dicat: Etiam opera utiliſſima, & maxime neceſſaria vitæ humanæ, quæ opportuniſſimis temporibus fieri neceſſe eſt, intermittes ob ſabbati obſervantiam.

V. 22. Solemnitatem hebdomadarum; id eſt Pentecoſten, ſupra cap. xxiii. 16. Levit. xxiii. 15. & cap. xxv. 8. Et solemnitatem, quando redeunte anni tempore, &c. hoc eſt feſtum Tabernaculorum, de quo ſupra cap. xxiii. 16. Levit. xxiii. 34. Deuteronom. xvi. verſ. 13. 16. Redeunte anni tempore cuncta conduntur. Hebr. *Et ſolemnitatem collectionis, revolutionem cuiuſque anni*; id eſt, annum civilem ineuntem reſpectu proventuum, Iubilai, remiſſionis terræ, civilium contractuum, uti diximus cap. xii. verſ. 2. & cap. xxiii. id eſt, quando circumvolvitur annus, & finito anno præcedenti, novus incipit.

V. 23. Hunc verſum habes ſupra cap. xxiii. verſ. 17. Vide Deut. xvi. verſ. 16.

V. 25. Hunc verſum expoſitum vide cap. xxiii. verſ. 18.

V. 26. Non coques, &c. Hanc partem explanavimus cap. xxiii. verſ. 19.

V. 29. Quod cornuta esset facies sua. Heb. ex verbo: *Quia cornuavit, cornutavit, pellis, cutis faciei eius*. Alii, *Quia radiavit, emiſit iubar*, ſeu *radios* (referunt enim radii formam cornuum) *cutis faciei ſuæ*. Hunc ſenſum ſecuti ſunt LXX. & Paulus II. Corinth. iii. 7. קרן *keren* enim & *cornu*, & *gloriam*, *iubar*, *radios* ſignificat, quod radii effigiem cornuum præſeferant. Aliqui vertunt: *Quod promicuiſſet*, vel *emicuiſſet cutis facierum ſuarum*. Alii vocum conſonantiam aucupantes: *Quod crinivit*, *crinitebat*, id eſt radiabat, *cutis*, &c. Unde dicuntur crinitæ ſtellæ, quæ radios inſtar crinum emittunt.

V. 33. Impletisque sermonibus, posuit velamem super faciem suam. Quidam exiſtimant, primum hoc colloquium cum Iſraelitis habitum a Moſe aperta & radiante facie propter maieſtatem, & venerationem legis; poſtea vero locutum ad populum, & principes adoperta facie, & obtecto ſplendore. Alii volunt etiam tunc in hoc primo colloquio inducto velamine locutum; Hebræaque in hunc ſenſum reddunt: *Donec vero abſolviſſet Moſeh loqui cum eis, impoſuit faciei ſuæ velamen*. Huius interpretationis auctorem Apoſtolum ſe habere putant II. Corinth. iii. 7. quam quoque ex ſequentium verborum fide, & quorumdam Hebræorum obſervatione confirmant. Quare illud Hebraice *Et dedit*, pro *dederat* capi poſſit.

MENOCHII.

Verſ. 3. Boves quoque et oves non pascantur econtra, e regione montis. Voluit hæc omnia

nia Deus, ut duro , & rudi populo ſui timorem, & reverentiam incuteret.

V. 5. STETIT MOSES CUM EO. Stetit Moſes in caverna conditus, & nube tectus , ut in fine ſuperioris capitis iuſſus fuerat.

V. 6. DOMINATOR DOMINE DEUS, MISERICORS, &c. Vel ita precabatur Moſes, vel ita clamabat Dominus, Moſen admonens ſe tranſire, & ad orationem excitans. Vide dicta cap. ſuperiori num 19.

Verſ. 7. QUI CUSTODIS MISERICORDIAM IN MILLIA; id eſt, qui benefacis ſine termino . PATIENS . Hebr. *Latis naribus* : qui enim ſunt huiuſmodi , faciliusferventem in præcordiis iræ ſpiritum efflant , & placantur . NULLUSQUE APUD TE PER SE EST INNOCENS: omnes enim egent Dei miſericordia . Poſſet verti ex Hebræo, *Nullumque innoxium derelinquens:* penes quem nullus vacat culpa, vel pœna, ſi fuerit meritus.

V. 9. NOSQUE POSSIDEAS: noſſimus populus tuus , & funiculus hereditatis tuæ.

V. 10. VIDENTIBUS CUNCTIS . Hebr. *Coram omni populo*.

V. 11. QUAE HODIE MANDAVI TIBI: tibi, o popule meus. Alloquitur enim hic Deus Moyſen tamquam internuntium populi, eiuſque perſonam ſuſtinentem.

V. 14. ZELOTES, æmulator honoris ſibi debiti , nec patitur ſuum populum ad idola, quaſi ad amaſios deflectere.

V. 15. FORNICATI FUERINT: idola coluerint . Frequenter in Scriptura idololatria fornicatio dicitur . Vide cap. II. & III. Ierem. & cap XVI. Ezech. COMEDAS DE IMMOLATIS: atque ita ad idololatriam alliciaris. Reliquæ leges hic ſummatim iterantur ex cap. XXIII. Vide ibi notata.

V. 21. DIE SEPTIMO CESSABIS ARARE, ET METERE; quaſi dicat: Etiamſi tempus arationis , aut meſſis ſit, quod præ aliis maxime operoſum eſſe ſolet , ſabbato tamen ceſſabis , nec in eo metes , vel arabis.

V. 22. SOLEMNITATEM HEBDOMADARUM, &c. quaſi dicat: Celebrabis feſtum pentecoſtes poſt hebdomadam hebdomadarum, id eſt poſt ſeptem hebdomadas, puta poſt 49. dies, quinquageſimo die a paſchate ; in eoque offeres primitias panum Deo. SOLEMNITATEM, QUANDO REDEUNTE ANNI TEMPORE CUNCTA CONDUNTUR, ſcilicet feſtum collectæ in menſe ſeptimo , feſtum tabernaculorum. Vide ſupra cap. XIII. num. 16.

V. 24. CUM DILATAVERO TERMINOS TUOS: cum latos , quos promiſi , terminos tibi dedero . NULLUS INSIDIABITUR TERRAE TUAE: ego enim conterminas gentes frenabo , & continebo, ne tibi in mei obſequium occupato nocere poſſint, aut audeant.

V. 25. NON IMMOLABIS SUPER FERMENTO , cum fermento . Vide ſupra cap. XXIII. 18. NEQUE RESIDEBIT MANE , &c. neque remanebit quidquam ex agno paſchali in craſtinum, ſive in mane ſequens; ſed eadem die totum abſumetis .

V. 27. SCRIBE VERBA HAEC, cæremonialia hæc præcepta , ne memoria illorum intercidat . Factum a Moſe cum Exodum ſcripſit.

V. 28. QUADRAGINTA DIES . Secunda manſio , ſeu ſtatio Moſis in monte Sina per 40. dies. PANEM NON COMEDIT, &c. omnino ieiunus permanſit. VERBA FOEDERIS, legem Decalogi.

V. 29. IGNORABAT QUOD CORNUTA ESSET FACIES EIUS: quod fulgor emicaret, & quaſi radii, ac cornua de capite eius erumperent. EX CONSORTIO SERMONIS DOMINI. Hi enim radii afflati ſunt Moſi ex conſortio Dei: maxime quando tranſivit gloria Dei ante foramen petræ, communicata eſt lux hæc Moſi faciei , ut maiorem haberet apud populum auctoritatem: & perpetuo illi manſiſſe docet D. Ambroſ. in Pſal. CXVIII. Abulens. & hanc ſententiam innuit Bellarm. Lib. II. de Reliq. Sanctorum cap. IV.

V. 30. TIMUERUNT PROPE ACCEDERE , &c. quia non valebant figere aciem oculorum in tam ſplendidam faciem ; & quia magis Moſen reverebantur.

V. 32. VENERUNT AD EUM , iam ex timore confirmati.

V. 33. POSUIT VELAMEN SUPER FACIEM SUAM . Primo locutus eſt facie non velata, ob maieſtatem , reverentiam , & teſtimonium legis ; deinde velo iniecto , ut quibuslibet liberioris ſermonis facultas daretur.

Digitized by Google

TIRINI.

Verſ. 15. **N**E INEAS PACTUM connubii CUM HOMINIBUS ILLARUM REGIONUM Chanaan. Neque tamen id peculiare erat Chananæis, licet de his ſolis hic præceptum loquatur, quod ab his propter viciniam plus periculi Iudæis immineret; ſed univerſim cum omnibus alienigenis vetita erant connubia Iudæis, propter idem prorſus idololatriæ periculum quod inde imminebat. Unde & Salomon a Scriptura *a* reprehenditur quaſi legis divinæ tranſgreſſor, quod Moabitidas, Ammonitidas, Idumæas uxores duxerit. Et Eſdras *b* eiuſmodi connubia vocat abominationes, tranſgreſſiones, prævaricationes, utique non alterius legis quam quæ hic, & Exodi XXIII. & Deuter. VII. lata fuit; quæ licet tantum nominet Chananæos, ad omnes tamen alienigenas tam ex intentione Dei, quam ex recepta apud Iudæos opinione, ut Philo & Ioſephus *c* teſtes ſunt, ſeſe extendebat. Hæc tamen intellige, ita fuiſſe vetita, ſi uxores in patria ſuperſtitione permanere vellent. Nam ſi ad Iudaicam religionem tranſire cuperent, licitum erat, tum alterius cuiuslibet gentis, tum etiam Chananæas ducere: ſic enim ceſſabat ratio legis. Et Deut. XXI. verſ. 11. permittitur expreſſe Hebræis, ut e captis in bello mulieribus unam ducant uxorem. Et exempla etiam proborum virorum id licuiſſe manifeſtum faciunt: nam Salmon tribus Iudæ princeps meretricem Chananæam Rahab *d* uxorem duxit; Booz Ruth *e* Moabitidem; rex David Maacham *f* filiam Tholmai regis Geſſur e genere Chananæorum.

Dices: Etiam Samſon cum Philiſtæa *g*, & Eſther cum Aſſuero *h* in infidelitate permanentibus matrimonium contraxerunt. Reſpondeo: Id peculiari Dei inſtinctu, & diſpenſatione factum, qui & periculum omne avertebat, & ingens inde bonum eliciebat.

V. 29. IGNORABAT QUOD CORNUTA ESSET FACIES. Non quod vera cornua Moyſes haberet in fronte, ut pictores illi affingunt; ſed quod facies eius ita luceret, ut etiam lucis radios, qui metaphorice *cornua* vocantur, e vultu vibraret. Unde Chaldæus vertit, *Splendor gloriæ vultus Moyſis multiplicatus erat*, & LXX. *Glorificatus erat aſpectus faciei eius*. Et ex his nunc eumdem locum ſic citat ſanctus Paulus II. ad Corinth. III. verſu 7. Hos radios Moyſi afflavit Deus in conſortio ſermonis; id eſt, cum ſermonem cum illo miſceret, & ex ingenti illa luce qua ante foramen petræ tranſiens, plus ſolito fulgebat, particulam aliquam vibrabat in faciem Moyſis. Et hæc etiam eſt ratio, cur potius Moyſes ſecunda hac vice ſplendidis cornibus irradians viſus fuerit, quam priore vice quando etiam cum Deo quadraginta diebus in monte fuerat: nam priore illa vice non tanto ſplendore radiarat Angelus quanto hac poſteriore. Abulenſis cenſet, hos radios tota vita Moyſi adhæſiſſe: ac proinde poſt primum hoc cum populo colloquium (quo, dum legem Dei aperta detectaque facie promulgat, primum animadverſum fuit faciem eius radiis coruſcare) ſemper exinceps quoties populo loqueretur, faciem velaſſe. Idem docent Ambroſius, Lipomanus & alii· qui & addunt, Deum hos radios Moyſi perpetuos affixiſſe: primo, amoris affectuſque ſui in Moyſen teſtandi gratia; ſecundo ut vim, & fructum orationis, ſeu colloquii cum Deo manifeſtum faceret; tertio ut Moyſi auctoritatem apud populum conciliaret; quarto, ut hoc quaſi charactere teſtatum palam faceret, Deum eſſe legislatorem; & licet a Moyſe promulgaretur, tamen a Deo promanaſſe: denique ut his cornibus terrorem Hebræis incuteret, ne legem iterum violare auderent. Allegoriam exponit ſanctus Paulus II. ad Corinth. III. de lege veteri, quam dicit ſemper habuiſſe velamen; neque hoc ſublatum niſi tempore Ioſue, id eſt IESU, in lege nova.

(*a*) III. Reg. XI. verſ. 1. &c.
(*b*) I. Eſd. IX. verſ. 1. &c. & cap. X. verſ. 2. 10.
(*c*) Philo Lib. de Specialibus legibus. Ioſephus lib. VIII. Antiq. cap. II. & lib. XI. cap. V. & Lib. XVIII. cap. XII.
(*d*) Matth. I. verſ. 5.
(*e*) Ruth IV.
(*f*) II. Reg. III. verſ. 3.
(*g*) Iudic. XVI. verſ. 1.
(*h*) Eſther II. cap. XVII.

GOR-

GORDONI.

Verſ. 2. **M**ANE. Hebr. *diluculo*.
Verſ. 3. ECONTRA, e regione.

V. 4. DE NOCTE. Nondum eluxerat. Heb. & Septuag. *Mane*.

V. 6. & 7. Sunt hic ſeptem nomina, ſeu Dei epitheta, per quæ invocari debet Deus; prolata, ut aliqui putant, a Deo, aut, quod aliis placet, a Moſe, ut ſignificat Latina editio. QUI AUFERS INIQUITATEM ... NULLUSQUE APUD TE, PER SE INNOCENS EST. Septuag. habent, *Et reum non purificabit*, καὶ τὸν ἔνοχον οὐ καθαριεῖ, Heb. נשא עון *nowe hhon*, ferens, ſeu auferens, iniquitatem: radix נשא, *tulit*, *abſtulit*. Hoc ſpectat ad veram remiſſionem peccati, invito Calvino. Sequitur ibidem, & purificando non purificabit, viſitans iniquitatem: nempe ut Deus eſt qui iuſtificat, ita ipſe eſt qui condemnat peccatorem. Ex quibus recte efficitur (quod habet Latina verſio) nullum hominem per ſe innocentem eſſe apud Deum. Heb. ſic habet, ונקה לא ינקה *venake lo ienake*, *abſolvendo*, ſeu *purificando non purificabis*, phraſi Hebraica; hoc eſt, damnabis, & punies: utrumque ergo præſtat Deus, qui & aufert iniquitatem, & punit peccatum, ut bene explicat Hebr. reddit vero iniquitatem nepotibus, ut ſupra cap. xx. verſ. 5.

V. 15. NE INEAS. Idolothyta comedere per ſe non prohibitum, & ex natura rei; tamen Iudæis erat prohibitum iure divino poſitivo. Prohibetur etiam ratione ſcandali I. Cor. VIII. Addit, PACTUM: locus eſt pro ſcientia conditionali in Deo.

V. 16. NEC UXOREM. Cum Chananæis univerſe vetita fuere connubia, Gen. XXXIV. Deuter. cap. VII. verſ. 3. Sed quid cum aliis gentibus? Certe viris prohibita, ſi uxores in patria religione volebant permanere. De femina, an licite nuberet gentili marito, vide Eſther cap. II.

V. 18. De ſolemnitate azymorum vide ſupra cap. XII. verſ. 15. Item de menſe novorum vide cap. 13. verſ. 4.

V. 19. MEUM ERIT, mihi offeretur.

V. 22. REDEUNTE. Deſignat æquinoctium autumni.

V. 23. TRIBUS TEMPORIBUS. De hoc vide cap. XXIII.

V. 26. PRIMITIAS FRUGUM, &c. Vide cap. XXIII. verſ. 19.

V. 27. SCRIBE, &c. Reſtringunt aliqui hæc quæ Moſes ſcribere iubetur, ad decalogum, quia in decalogo proprie ſunt verba fœderis: probabilius tamen eſt, extendi ad cæremonialia, & iudicialia, ut planius explicant Septuaginta, & textus Hebraicus.

V. 28. Hæc eſt ſecunda ſtatio Moſis in monte per alios quadraginta dies, quo toto tempore, manſit ieiunus; ubi tabulas ſcripſit, non quidem Moſes, ſed Deus, ex Deuter. cap. x. verſ. 1. 2. 3. 4. Et quidem duas tantum quadrageſimas peregit Moſes in monte.

V. 29. CORNUTA FACIES. Splendorem deſignat in vultu Moſis, a Deo communicatum: קרן *keren* eſt *cornu*. Nec Græca vox diſcordat: radix קרן *karan* ſignificat cornutum eſſe. Verſio ergo Latina eſt bona.

V. 35. Coram Domino auferebat velum; at agens cum populo faciem velabat.

EX EIUSDEM AUCTARIO

V. 5. STETIT MOYSES, in caverna abſconditus, nube tectus, ne tranſeuntis Domini faciem clare videat, ex fine cap. XXXIII. & Dominum precatur, ut hic videmus.

V. 19. & 20. OMNE QUOD APERIT, &c. Vide quæ dixi cap. XII. verſ. 12. & 15.

V. 22. SOLEMNITATEM, feſtum Pentecoſtes. CUNCTA CONDUNTUR. Feſtum eſt collectæ meſſis, & tabernaculorum, cap. XXIII. verſ. 10.

V. 23. Vide cap. XXIII. verſ. 15. & 16.

V. 28. Secunda manſio Moſis in monte, idque per quadraginta dies.

CA-

C A P U T XXXV.

Præcipitur ſabbatum, petuntur primitiæ & donaria ac artifices ad conſtruenda omnia quæ dicta ſunt, quibus deputati a Domino dicuntur Beſeleel & Ooliab.

1 IGitur congregata omni turba filiorum Iſrael, dixit ad eos: Hæc
ſunt quæ iuſſit Dominus fieri. 2. Sex diebus facietis opus:
ſeptimus dies erit vobis ſanctus, ſabbatum, & requies Domi-
ni: qui fecerit opus in eo, occidetur. 3. Non ſuccendetis
ignem in omnibus habitaculis veſtris per diem ſabbati. 4. Et
ait Moyſes ad omnem catervam filiorum Iſrael: Iſte eſt ſer-
mo quem præcepit Dominus, dicens: 5. Separate apud vos primitias Domi-
no. (a) Omnis voluntarius & prono animo offerat eas Domino: aurum & ar-
gentum, & æs, 6. hyacinthum, & purpuram, coccumque bis tinctum, & byſ-
ſum, pilos caprarum, 7. pelleſque arietum rubricatas, & ianthinas, ligna ſetim,
8. & oleum ad luminaria concinnanda, & ut conficiatur unguentum, & thy-
miama ſuaviſſimum, 9. lapides onychinos, & gemmas ad ornatum ſuperhume-
ralis & rationalis. 10. Quiſquis veſtrum ſapiens eſt, veniat, & faciat quod Do-
minus imperavit: 11. Tabernaculum ſcilicet, & tectum eius, atque operimen-
tum, annulos, & tabulata cum vectibus, paxillos & baſes: 12. Arcam & ve-
ctes, propitiatorium, & velum quod ante illud oppanditur: 13. Menſam cum
vectibus & vaſis, & propoſitionis panibus: 14. Candelabrum ad luminaria ſu-
ſtentanda, vaſa illius & lucernas, & oleum ad nutrimenta ignium: 15. Altare
thymiamatis, & vectes, & oleum unctionis & thymiama ex aromatibus: Ten-
torium ad oſtium tabernaculi: 16. Altare holocauſti, & craticulam eius æneam
cum vectibus & vaſis ſuis: * labrum, & baſim eius: 17. Cortinas atrii cum co-
lumnis & baſibus, tentorium in foribus veſtibuli, 18. paxillos tabernaculi &
atrii cum funiculis ſuis: 19. Veſtimenta, quorum uſus eſt in miniſterio ſan-
ctuarii, veſtes Aaron pontificis ac filiorum ejus, ut ſacerdotio fungantur mihi.
20. Egreſſaque omnis multitudo filiorum Iſrael de conſpectu Moyſi, 21. obtu-
lerunt mente promptiſſima atque devota primitias Domino, ad faciendum opus
tabernaculi teſtimonii. Quidquid ad cultum, & ad veſtes ſanctas neceſſarium erat,
22. viri cum mulieribus præbuerunt, armillas & inaures, annulos & dextralia: omne
vas aureum in donaria Domini ſeparatum eſt. 23. Si quis habebat hyacinthum,
& purpuram, coccumque bis tinctum, byſſum, & pilos caprarum, pelles arietum
rubricatas, & ianthinas, 24. * argenti æriſque metalla, obtulerunt Domino, li-
gnaque ſetim in varios uſus. 25. Sed & mulieres doctæ, quæ neverant, dederunt
hyacinthum, purpuram, & vermiculum, ac byſſum, 26. & pilos caprarum,
ſponte propria cuncta tribuentes. 27. Principes verò obtulerunt lapides onychi-
nos, & gemmas ad ſuperhumerale & rationale, 28. aromataque & oleum ad lu-
minaria concinnanda, & ad præparandum unguentum, ac thymiama odoris ſua-
viſſimi componendum. 29. Omnes viri & mulieres mente devota obtulerunt do-
na-

Digitized by Google

naria, ut fierent opera quæ iuſſerat Dominus per manum Moyſi. Cuncti filli Iſrael voluntaria Domino dedicaverunt. 30. Dixitque Moyſes ad filios Iſrael: (*b*) Ecce, vocavit Dominus ex nomine Beſeleel filium Uri filii Hur de tribu Iuda. 31. Implevitque eum ſpiritu Dei, ſapientia & intelligentia, & ſcientia & omni doctrina, 32. ad excogitandum, & faciendum opus in auro & argento, & ære, 33. ſculpendiſque lapidibus, & opere carpentario: quidquid fabre adinveniri poteſt, 34. * dedit in corde eius: Ooliab quoque filium Achiſamech de tribu Dan: 35. ambos erudivit ſapientia, ut faciant opera abietarii, polymitarii, ac plumarii, de hyacintho, ac purpura, coccoque bis tincto, & byſſo, & texant omnia, ac nova quæque reperiant.

(*a*) Sup. xxv. 2. (*b*) Sup. xxxi. 2.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 16. *Labrum, & baſim eius*. Retinendus eſt ſingularis numerus *baſim*, pro plurali *baſes*.

V. 24. *Argenti, æriſque metalla*. Merito deletum eſt quod quidam addunt *& auri*.

V. 34. *Dedit in corde eius*. Et hic merito omiſſa eſt vox *Dominus*.

COMMENTARIA

SA.

Verſ. 3. IGNEM, ſcilicet ad lucrum, in fornace aut furno, aut ad coquendos cibos: nam ad illuminandum, aut calefaciendum licebat.

V. 5. PRONO, id eſt prompto, ſeu liberali.

V. 11. PAXILLOS. Hebr. & Chald. *Columnas*.

V. 19. USUS, ſcilicet ad involvendas res tabernaculi in profectione.

Verſ. 21. PRIMITIAS. Hebr. *Oblationem*.

V. 22. DEXTRALIA, id eſt brachiorum ornamenta, ut indicat vox Hebr. VAS AUREUM. Apparet etiam, omnia vaſa aurea obtuliſſe, ut explicat Chald. & LXX.

V. 30. EX NOMINE, id eſt nominatim.

V. 35. ABIETARII, id eſt fabrilia. PLUMARII, id eſt phrygia. NOVA QUAEQUE, id eſt pulchra, & ingenioſa, ut indicant Hebr.

ESTII.

V. 3. NON SUCCENDETIS IGNEM.. PER DIEM SABBATI. Vatablus intelligit, tantum ne coquantur lateres, panes, aut alia ad vendendum, licitum autem fuiſſe coquere cibos. Verum cap. xvi. de die, quæ ſabbatum præcedit, clare dicitur: *Quodcumque operandum eſt, facite: & quæ coquenda ſunt, coquite: quidquid autem reliquum fuerit, reponite*. At contra iterum obiicitur, quia cap. xii. de prima & ſeptima die azymorum, quam utramque Dominus vult eſſe celeberrimam, tamen dicitur: *Nihil operis facietis in eis, exceptis his quæ ad veſcendum pertinent*. Ergo, ut videtur, multo magis id licuit in communibus ſabbatis. Reſpondent Hebræi, & quantum apparet, recte ſabbatum fuiſſe ſtrictioris obſervantiæ quam aliam quamcumque ſolemnitatem, forte propter myſterium quietis, quod in ſabbato longe expreſſius continetur: atque adeo ſi ſolemnitas Paſchæ, aut quæcumque alia incideret in diem ſabbati, tum etiam in ea non licuiſſe cibos coquere.

V. 4. & 5. ISTE EST SERMO QUEM PRAECEPIT DOMINUS, DICENS: SE-

Digitized by Google

Separate apud vos primitias Domino. Omnis voluntarius et prono animo offerat. Ex hoc loco diſcimus non repugnare ex præcepto aliquid facere, & tamen ſponte ac voluntarie: quod notandum eſt contra hæreticos docentes, Vota monaſtica adverſari libertati Chriſtianæ. Nam eadem ratione etiam omnia præcepta libertati adverſarentur.

V. 10. Quisquis vestrum sapiens est, veniat, &c. id eſt doctus, peritus. Sed quid opus fuit artifice ſapiente, cum omnia facere oportuit ex præſcripto Moyſi velut architecti? nam architecti proprium eſt in arte ſapientem eſſe. Reſpondeo. Opportuit etiam ipſos opifices eſſe ſapientes, atque intelligentes totius operis, quo facilius caperent a Moyſe præſcripta, aliiſque ſibi ſubordinatis opificibus traderent, & præciperent facienda.

MARIANAE.

Verſ. 5. Separate apud vos primitias Domino. Oblationem potius. תרומה *therumah*, *Domino ſeparate*.

V. 8. Et oleum ad luminaria concinnanda, et ut conficiatur unguentum. Heb. *Et oleum ad luminaria, & aromata in unguentum unctionis, & in thymiama aromatum*.

V. 11. Tabernaculum scilicet, et tectum eius. אהלו *abolo*, *tentorium eius*. Sed quomodo diſtinguit inter ea quæ ſunt idem? Hæc fuit cauſa Hieron. vertendi *tectum eius*. Vide proxmi cap. v. 8. & 14. Sane per tectum, ſeu tentorium, cortinas intelligit.

V. 21. Obtulerunt mente promptissima. Hebr. *Et venerunt quiſque, cuius incitaverat cor, & quem promptum feciſſet ſpiritus eius*.

V. 22. Armillas. חח *hah* Hebræi *fibulam* inſtar acus dicunt.

V. 24. Lignaque setim. Genus cedri eſt, ſpinæ albæ ſimilis, de quo Ioel. III. verſ. 18. Sed unde ea ligna in deſerto? Iudæi Iacob plantaſſe in Ægypto aiunt, Moyſen iuſſiſſe Iudæis ut ſecum deferrent, cum inde egrediebantur.

V. 33. Quidquid fabre adinveniri potest. Hebr. *Et ad docendum dedit in corde eius*. Non ſolum ipſe Beſeleel facere, ſed & docere alios poterit.

V. 34. Oliab quoque; ſupple, id præſtare poterit.

V. 35. Opera abietarii, polymitarii, ac plumarii, id eſt opera omne genus. *Abietarius* eſt faber lignarius. *Polymitarius*, qui veſtes varii coloris facit. De *plumario* iam diximus eſſe phrygionem, qui acu pingit. Ac nova quaeque reperiant. Heb. *Et cogitantes cogitationes*; hoc eſt, eximie perficientes opera.

MALVENDAE.

Verſ. 3. Non succendetis ignem; id eſt, neque ad coquendos cibos, & alia neceſſaria victus quæ die antecedente, nempe paraſceve, parari debent. Vide cap. XVI. verſ. 23.

V. 5. Separate apud vos, &c. Hunc verſum, & quatuor alios proxime ſequentes expoſitos habes cap. XXV. a verſ. 2. uſque ad 8. excluſive.

V. 22. Armillas. חח *chach* aiunt eſſe inſtrumentum, vel ornamentum inſtar ſpinæ fabrefactum, quo veſtis configitur: *uncinum*, *fibulam*, *ſpinam*, *hamum*, *acum*, vertunt. Quidam Hebræum volunt eſſe, quos vulgo *Caſcaveles* vocamus. Dextralia. כומז *cumaz* bis tantum invenitur. Noſter hic *dextralia*, Numer. XXXI. verſ. 50. *murenulas* dixit. Notant, eſſe ornamenti genus, quod alii *ſubligaculum*, alii *femorale*, alii *murenulam*, alii *brachiale* interpretati ſunt. Arbitrantur vocem eſſe peregrinam. Quidam aiunt, eſſe femorale auro gemmiſque redimitum: alii ornamentum pudendorum muliebrium, ſeu circa pudenda muliebria: nonnulli Hebræorum *typum* vel *formam loci vulvæ* exponunt. Sed non pudet verpos fœtentes tam turpia comminiſci? Nonnulli *cingulas pendulas*, ſeu *faſcias bullatas*, & *appendices earum*, quæ a mulieribus geſtari ſolent, ſuo tantum iudicio convertunt. Nec deſunt qui catenam ex auro, ornatum muliebrem.

V. 34. In corde eius: Ooliab quoque, &c. Hebr. addunt: *In corde eius, ipſum, & Aboliab*. Vocem *Ipſum* quidam referunt ad illud verſ. 30. *Vocavit Dominus ex nomine Beſeleel filium Uri, fi-*

lii Chur, *de tribu Iudæ*: *ipſum & Aboliab*, &c. ut cetera omnia interiecta intelligantur per parentheſim, a verſ. 31. uſque ad dimidium verſ. 34.

MENOCHII.

Verſ. 3. IN OMNIBUS, in nullis. In Paſchate, & in aliis feſtis licebat ignem accendere ad coquendos cibos, ut patet cap. XII. num. 16. non autem in ſabbato.

V. 5. PRIMITIAS DOMINO, primam veſtram oblationem, & dona pro fabrica tabernaculi. Dicuntur *primitiæ*, quia nullam adhuc publicam, & communem fecerant.

V. 8. UT CONFICIATUR UNGUENTUM, &c. Materiam cap. XXV. præſcriptam, aromata ſcilicet, &c. nam oleum ad lucernas tantum, non autem ad thymiama adhibebatur.

V. 10. QUISQUIS SAPIENS EST, peritus, & induſtrius artifex.

V. 11. TECTUM... ATQUE OPERIMENTUM, cortinas, & pelles, de quibus ſupra dictum eſt. TABULATA, latera tabernaculi ex lignis ſetim. PAXILLOS, columnas, ut eſt in Hebr. Vocantur *paxilli*, quia non ita magnæ, & quia in ima parte acuminatæ ut defigi poſſent in terra. Vel de aliis paxillis ſermo eſt in terra defixis ad continenda vela, ne flante vento agitarentur, ut ſupra diximus.

V. 17. TENTORIUM, id eſt velum.

V. 25. MULIERES DOCTAE, &c. nendi peritæ, & ſapientes artifices. HYACINTHUM, netum, ſeu filum hyacinthi, hoc eſt lanæ violaceæ. Sic de reliquis intellige, purpura, byſſo, &c.

V. 29. VOLUNTARIA, ultronea, & ſpontanea dona.

V. 33. OPERE CARPENTARIO, arte lignaria: ſic paulo poſt mentio fit operis abietarii, quæ ſunt opera fabrilia, quæ abiete, ſeu ligno quovis, tamquam materia conſtant.

V. 34. DEDIT IN CORDE EIUS artem, & cognitionem fabricandi, texendi, &c. & tam perfecte docuit eum ut & alios poſſet docere: itaque aliqui vertunt ex Hebræo: *Facilem, & propenſum eum fecit ad docendum alios*.

V. 35. ABIETARII. Vide num. 33. POLYMITARII, AC PLUMARII. Hic diſtinguit hæc duo, quæ ſuperius indifferenter uſurpavit, ut ſcilicet phrygio, vel plumarius ſit qui acu pingit; polymitarius vero qui textura ingenioſa varia intexit, & efformat, ut fit in tapetibus, & aulæis Atrebatenſibus, vulgo, *Panni d' Arras*, o *d' Arrazi*.

TIRINI.

Verſ. 3. NON SUCCENDETIS IGNEM PER DIEM SABBATI, nempe ad cibos parandos, aut coquendos: nam ad calefaciendum, aut lumen præbendum, non erat prohibitum ignem ſuccendere. Sic & alia omnia quæ ad quærendum, parandumque victum pertinebant, verbi gratia ligna colligere *a*, poma excutere vel decerpere *b*, herbas evellere *c*, emere, vendere *d*, coquere *e*, & ſimilia *f* vetita erant ſabbato. Quin & dare, & accipere *g*, ſi ad victum, vel quæſtum faciendum ſpectaret, & alicuius ponderis aut ſarcinæ rationem haberet, publice vetabatur. Item de loco in locum transferre *h*, baiulare *i*, iter facere *k* negotiorum cauſa, vel ad longius ſpatium, ſcilicet ultra bis mille cubitos *l*, quod erat iter ſabbati. Vetitum quoque morti quemquam publica ſententia, quamvis ſontem, addicere, vel afficere *m*; funera curare *n*; hoſtem in militia aggredi *o* ultro, aut alia bellica *p* citra neceſſitatem agere: denique quidquid aliquam ſpeciem haberet operum ſervilium, ut ſcribere, rationes ſubducere, & ſimilia, ſi quo modo differri poſſent. Nam quæcumque ex omnibus iam dictis neceſſaria erant, nec poterant differri ſine periculo ſui vel rerum ſuarum, nec anticipari potuerant, ut quia prævisa non fuiſſent, licita erant ſabbato. Unde & opera neceſſaria chirurgiæ, pharmacorum apparitio, ciborum & iuſculorum coctio neceſſaria pro ægrotis, vel aliis qui pridie cibos ſibi parare non potuerant: item pecorum adaquatio, pabuli ſubminiſtratio, eorumdem eductio, ſi in aquas, puteum vel foveam delabi contigiſſet, licita *q* erant: multoque magis hoſti reſiſtere *r*, vim vi repellere, oppugnantium machinationes præpedire, &c. Quamquam nonnulli in eiuſmodi neceſſariis plus æquo religioſi ſubinde

Digitized by Google

inde fuerint, etiam uſque ad ſuperſtitionem: ut exemplo Iudæi navarchi ſabbato clavum regere nolentis, docet Syneſius *ſ*; & alterius e cloaca educi recuſantis, Volaterranus; aliorum non audentium calceos clavis compactos geſtare, alvum levare, cereos emungere, litteras reſerare, produnt Origenes, Ioſephus, Serarius. Certe conſtat licuiſſe, quod quidam Iudæi I. Mach. 11. auſi non ſunt ſabbato adverſus hoſtes ſe defendere, vim vi repellere, loca occulta oppilare per quæ hoſti ad ipſos aditus dabatur.

Nota, non omnia quæ ſabbato prohibita erant, etiam feſtis, licet ſolemnioribus, prohibita fuiſſe. Nam quæcumque ad cibos ſeu coquendos, ſeu emendos ſpectabant, licita erant diebus feſtis, ut habetur Exodi XII. verſ. 16. Et primo ſummoque anni feſto, ſcilicet Paſchæ, Ioſephus mercatus eſt ſindonem, mulieres aromata; Chriſtus captus, damnatus, ſepultus eſt. Tobias *u* quoque die feſto Domini mortuos ſepeliebat.

Nota Secundo. Etſi ſola ceſſatio ab operibus ſervilibus lege præcepta fuerit Iudæis ſabbato, nulla vero religioſa actio poſitiva: tamen, quia divinus cultus erat finis præcepti de ceſſatione a ſervilibus, ſolebant Iudæi totum illum diem valde religioſe divino cultui tribuere, vacantes vel orationi in templo, aut proſeuchis ſeu ſynagogis ſuis, vel lectioni vel auditioni legis: & quidem tanta cura, ut plerique ſe totam legem memoriter tenerent, teſte Philone, Ioſepho *x*, & Rabbinis.

(*a*) Num. XV.
(*b*) Matth. XII. Marc. II. Luc. VI.
(*c*) Philo Lib II. de Vita Moyſis.
(*d*) Eſd. X. & XIII.
(*e*) Exodi XVI. verſ. 13. & Philo Lib. III. Vitæ Moyſis.
(*f*) Philo in Legat. ad Caium, & de Mundi opificio.
(*g*) Philo in Legat. ead.
(*h*) Ierem. XVII. verſ. 21, 22. 24. 27. & IV. Eſd. XIII. verſ. 15. 19.
(*i*) Ioan. V. verſ. 10.
(*k*) Exodi XVI. verſ. 29. & Ioſephus Lib. XIV. Antiq. cap. XVII.
(*l*) Rabbini a Bonf. citati in cap. XX. Exodi verſ. 8. §. 5.
(*m*) Philo Lib. III. Vitæ Moyſis.
(*n*) Ioan. XIX. verſ. 31.
(*o*) Ioſeph. XIV. Antiq. cap. XVII. & Lib. II. Belli cap. XVI.
(*p*) Ioſeph. ibid. & Lib. XVIII. Antiq. cap. XII. & in Vita ſua.
(*q*) Matth. XII. Marci II. Lucæ VI. XIII. & XIV.
(*r*) I. Mach. II. verſ. 41. & Ioſeph. XIV. Antiq. cap. VIII. & Lib. I. Belli cap. V.
(*ſ*) Syneſius ad Euptium in ſua navigatione.
(*t*) Orig. Lib. IV. Periarchon. Ioſeph. Lib. II. Belli cap. VII. Serarius Lib. I. Ioſue cap. IV. q. 12.
(*u*) Tobiæ II. verſ. 1. & 4.
(*x*) Philo locis omnibus ſupra citatis, & aliis, ab Euſeb. citat. Lib. VIII. de Præpar. Evang. cap. 11. & cap. IV. de Eſſæis. Ioſeph. ſup. & Lib. XVI. Antiq. cap. IV. & Lib. I. & II. contra Apionem ex Agatharchide.

GORDONI.

Verſ. 5. SEPARATE... PRONO ANIMO: offerte libenter.

V. 22. ARMILLAS. aliqui fibulam intelligunt. DEXTRALIA, brachiorum ornamenta.

V. 24. LIGNA SETIM. Putatur ab aliquibus genus cedri, non diſſimilis ſpinæ albæ.

V. 35. UT FACIANT OPERA, ad omne genus operis. Abietarius, faber eſt lignarius. Polymitarius, qui veſtes facit varii coloris. Plumarium opus, eſt acu pictum, & phrygium.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 3. Permiſſum erat in Paſchate & aliis feſtis accendere ignem ad cibum coquendum, ex cap. XII. verſ. 16. hoc tamen non licebat in ſabbato.

V. 10. QUISQUIS SAPIENS, peritus artifex.

V. 11. TABULATA, latera tabernaculi. PAXILLOS. Paxilli defixi in terram ad retinenda vela ne diffluerent.

V. 17. TENTORIUM, velum.

V. 25. MULIERES DOCTAE, nendi peritæ.

V. 33. OPERE CARPENTARIO, lignario.

CAPUT XXXVI.

Oblatis plus quam opus eſſet donariis, paratur tabernaculum iuxta omnes partes ſuas, nempe cortinas, ſaga, opertoria, tabulata, & vectes, velum, & tentorium.

1 FEcit (*a*) ergo Beſeleel, & Ooliab, & omnis vir ſapiens, quibus dedit Dominus ſapientiam & intellectum, ut ſcirent fabre operari quæ in uſus Sanctuarii neceſſaria ſunt, & quæ præcepit Dominus. 2. (*b*) Cumque vocaſſet eos Moyſes, & omnem eruditum virum, cui dederat Dominus ſapientiam, & qui ſponte ſua obtulerant ſe ad faciendum opus, 3. tradidit eis univerſa donaria filiorum Iſrael. Qui cum inſtarent operi, quotidie mane vota populus offerebat. 4. Unde artifices venire compulſi, 5. dixerunt Moyſi: Plus offert populus quam neceſſarium eſt. 6. Iuſſit ergo Moyſes præconis voce cantari: Nec vir, nec mulier quidquam offerat ultra in opere Sanctuarii. Sicque ceſſatum eſt a muneribus offerendis, 7. eo quod oblata ſufficerent & ſuperabundarent. 8. Feceruntque omnes corde ſapientes ad explendum opus tabernaculi, cortinas decem de byſſo retorta, & hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto, opere vario, & arte polymita: 9. quarum una habebat in longitudine viginti octo cubitos, & in latitudine quatuor: una menſura erat omnium cortinarum. 10. Coniunxitque cortinas quinque, alteram alteri, & alias quinque ſibi invicem copulavit. 11. Fecit & anſas hyacinthinas in ora cortinæ unius ex utroque latere, & in ora cortinæ alterius ſimiliter, 12. ut contra ſe invicem venirent anſæ, & mutuo iungerentur: 13. unde & quinquaginta fudit circulos aureos, qui morderent cortinarum anſas, & fieret unum tabernaculum. 14. Fecit & ſaga undecim de pilis caprarum ad operiendum tectum tabernaculi: 15. unum ſagum in longitudine habebat cubitos quatuor: unius menſuræ erant omnia ſaga: 16. quorum quinque iunxit ſeorſum, & ſex alia ſeparatim. 17. Fecitque anſas quinquaginta in ora ſagi unius, & quinquaginta in ora ſagi alterius, ut ſibi invicem iungerentur. 18. Et fibulas æneas quinquaginta, quibus necteretur tectum, ut unum pallium ex omnibus ſagis fieret. 19. Fecit & opertorium tabernaculi de pellibus arietum rubricatis: aliudque deſuper velamentum de pellibus ianthinis. 20. Fecit & tabulas tabernaculi de lignis ſetim ſtantes. 21. Decem cubitorum erat longitudo tabulæ unius: & unum ac ſemis cubitum latitudo retinebat. 22. Binæ incaſtraturæ erant per ſingulas tabulas, ut altera alteri iungeretur. Sic fecit in omnibus tabernaculi tabulis. 23. E quibus viginti ad plagam meridianam erant contra auſtrum, 24. cum quadraginta baſibus argenteis. Duæ baſes ſub una tabula ponebantur ex utraque parte angulorum, ubi incaſtraturæ laterum in angulis terminantur. 25. Ad plagam quoque tabernaculi, quæ reſpicit ad aquilonem, fecit viginti tabulas, 26. cum quadraginta baſibus argenteis, duas baſes per ſingulas tabulas. 27. Contra occidentem vero, id eſt ad eam partem tabernaculi, quæ mare reſpi-

ſpi-

Digitized by Google

ſpicit, fecit ſex tabulas, 28. & duas alias per ſingulos angulos tabernaculi retro: 29. quæ iunctæ erant a deorſum uſque ſurſum, † & in unam compaginem pariter ferebantur. Ita fecit ex utraque parte per angulos: 30. ut octo eſſent ſimul tabulæ, & haberent baſes argenteas ſedecim, binas ſcilicet baſes ſub ſingulis tabulis. 31. Fecit & vectes de lignis ſetim, quinque ad continendas tabulas unius lateris tabernaculi, 32. & quinque alios ad alterius lateris coaptandas tabulas: & extra hos, quinque alios vectes ad occidentalem plagam tabernaculi contra mare. 33. Fecit quoque vectem alium, qui per medias tabulas ab angulo uſque ad angulum perveniret. 34. Ipſa autem tabulata deauravit, † fuſis baſibus earum argenteis. Et circulos eorum fecit aureos, per quos vectes induci poſſent: quos & ipſos laminis aureis operuit. 35. Fecit & velum de hyacintho, & purpura, vermiculo, ac byſſo retorta, opere polymitario, varium atque diſtinctum: 36. & quatuor columnas de lignis ſetim, quas cum capitibus deauravit, fuſis baſibus earum argenteis. 37. Fecit & tentorium in introitu tabernaculi ex hyacintho, purpura, vermiculo, byſſoque retorta, opere plumarii: 38. & columnas quinque cum capitibus ſuis, quas operuit auro, baſeſque earum fudit æneas.

(a) Sup. xxvi. 1. (b) I. Paralip. xxi. 29.

B R U G E N S I S

LECTIONUM VARIETAS.

V. 29. *Et in unam compaginem*. Alii Latine ſcribunt *compagem*.

V. 34. *Fuſis baſibus earum argenteis*. Hæc pericope ut non legitur Hebraice, ita nec Latine, ab antiquis bonis libris manuſcriptis.

C O M M E N T A R I A

S A.

Vide Cap. xxvi. *& ſeq.*

Verſ. 3. VOTA, id eſt ſpontaneas oblationes, ut eſt Hebraice.

V. 4. VENIRE, ſcilicet ad Moyſen.

V. 6. CANTARI, pro evulgari.

V. 8. OPERE VARIO. Heb. *Cherubim*. Vide ſup. cap. xxvi. POLYMITA, ſcilicet phrygionica.

V. 13. CIRCULOS. Alii *fibulas*, ſeu *uncinos*. MORDERENT, id eſt prehenderent.

V. 20. STANTES, id eſt erectas.

V. 33. ALIUM. Heb. *medium*, ſcilicet qui intra tabulas induceretur; erat vero iſte unus e quinque, non ſextus. MEDIAS TABULAS: ſcilicet alii vectes exterius per annulos, ſeu armillas inducebantur; duo ex parte ſuperiori tabularum, duo ex inferiori; iſte vero per ipſas tabulas in medio.

V. 35. VELUM, ſcilicet ante Sancta ſanctorum. VARIUM ATQUE DISTINCTUM. Hebr. *Cherubim*. Chald. *Figuras Cherubim*.

V. 37. TENTORIUM, id eſt aliud velum exterius. PLUMARII. Hebr. רקם *roqem*; quaſi dicat, recamatoris.

V. 38. QUAS OPERUIT AURO. Id non eſt Hebr. Chald. nec apud LXX.

E S T I I.

Verſ. 1. FECIT ERGO BESELEEL, ET OOLIAB, ET OMNIS VIR SAPIENS, &c. Colligit hinc Aug. & recte, non ſolos eos habuiſſe divinitus munus illud faciendi opera tabernaculi, qui initio fuerant nominati, ſed etiam alios; quamquam fortaſſe illi primi præcipue, & excellentius habuerint. Non debet

bet aptem mirum videri, Scripturam vocare artem illam fabricandi, & texendi, ſapientiam, ipſoſque opifices ſapientes. Sapientia enim, etſi frequentiſſime ad res divinas, vel certe ſublimiores uſurpetur; tamen Sapiens quoque in unaquaque re dicitur, teſte D. Thoma parte I. quæſt. 1. qui conſiderat altiſſimam ſeu primam cuiuſque rei cauſam. Ita in genere ædificandi architectus vocatur ſapiens, quia formam domus conſiderans, omnia reliqua opera ad eam ordinat; unde & Apoſtolus: *Ut ſapiens architectus fundamentum poſui*. Ita & hoc loco qui præerant operibus ſapientes vocantur, quia ex conſideratione formæ totius operis quam a Moyſe diſcebant, præſcribebant ſingulis quid facere eos oporteret.

V. 5. Plus offert populus quam neceſſarium est. Hæc larga oblatio populi oſtendit, non ita fuiſſe populum ornamentis ſuis ſpoliatum, quando ea conferebat in vitulum aureum, quin adhuc multa ſibi retinerent. Deinde commendatur nobis voluntaria & ſpontanea iſta tam larga oblatio, ut merito pudere debeat multos Chriſtianos, qui in uſus ſacros ita frigide, & tenuiter conferunt. Ac tertio præter devotionem populi, commendat etiam Auguſt. artificum fidem, qui, populo pluſquam neceſſe eſſet offerente, nihil ex ea largitionum copia ſibi concupierunt.

MARIANAE.

Verſ. 3. Quotidie mane vota populus offerebat. Hebr. *Et ipſi afferebant ad eum adhuc ſpontaneum mane mane*, hoc eſt ſingulis diebus mane, ut dixit Hieronym. Aut fortaſſe *mane* ſumitur pro toto die artificiali, ut & Geneſ. 1. *Factum eſt mane & veſpere*. Quod ſi accipitur, ſententia erit, *mane & mane*; id eſt, diebus omnibus attuliſſe munera, nulla horæ deſignatione.

V. 6. Nec vir, nec mulier quidquam offerat. Hebr. *Vir, & mulier non faciat ultra opus ad oblationem ſanctuarii*. Nam viri texebant, mulieres nebant, ut opera cederent in uſum fabricæ inſtitutæ: quos ceſſare vult, quia ſatis erat oblatum.

V. 12. Ut contra ſe invicem venirent anſae. In Hebr. additur, quinquaginta anſas fuiſſe in una cortina, & quinquaginta in altera: quod omiſit Hieronymus, poſuerunt Sept. & Chald.

V. 14. Fecit et ſaga undecim. Hebr. *Fecit cortinas caprarum ad tentorium tabernaculi undecim*. Ex hoc loco collige משכן *miſchan*, id eſt *tabernaculum*, vocari cortinas ſericas, & varias, e byſſo & purpura: at אוהל *ohel*, id eſt *tentorium*, eſſe cortinas ſuperis e capris, id eſt pellibus caprinis.

V. 19. Aliud quoque deſuper velamentum de pellibus ianthinis. Hebr. *De pellibus taxorum*, ſive *melinis*: ſed neſcio quomodo non ſolum Hieronym. ſed & Sept. & Chald. *hyacinthinis* dixere. Illud vide, quatuor operimenta fuiſſe: primum fortaſſe planum, ideoque tabernaculum dicitur; alia in formam tecti, ideoque cortinæ duobus cubitis longiores primis erant, & propter eam formam tentorium vocantur. Verum hoc difficultate non caret quare ſuſtentaretur culmen ea forma factum.

V. 24. Ex utraque parte angulorum, ubi incaſtraturae laterum in angulis terminantur. Hebr. *Duæ baſes ſub tabula una ad duas manus* (incaſtraturas) *eius: & duæ baſes ſub tabula altera ad duas manus*. Ita baſes incaſtraturis reſpondebant.

V. 28. Et duas alias per ſingulos angulos tabernaculi retro. Hebr. *Et duas tabulas fecit ad angulos tabernaculi in utroque latere*.

V. 29. Quae iunctae erant. Hebr. *Quæ gemellæ erant*. Quomodo id eſſet, ſuperius diximus.

V. 33. Fecit quoque vectem alium, qui per medias tabulas, &c. Heb. *Et fecit vectem medium*. Cap. xxvi. verſ. 24. de his tabulis dictum eſt.

V. 34. Fuſis baſibus earum argenteis. Hoc neque in Hebræo eſt, neque in Sept. neque in Thargum.

V. 35. Varium atque diſtinctum. Hebr. *Fecit illud velum Cherubim* (de quo ſupra;) id eſt *cum figuris Cherubim*, ut Chald.

V. 36. Cum capitibus. וויהם *vavehem* alii *uncinos* malunt reddere; ſed Septuag. & Chald. cum Hieronym. *capi-*

pi-

pita interpretantur: quæ capita, & columnas deauravit.

V. 38. Et columnas quinque cum capitibus ſuis. Hebr. longe aliter: *Et columnas quinque, & uncinos* (ſeu capita) *earum: & operuit capita earum, & cingula auro, & baſes earum quinque æris*. Quod Hieronymus addit, *quas & operuit auro*, non eſt in Hebræo; verum id in Bibliis Lovanienſibus ſublatum eſt, in Gotthicis tamen legitur, & in Regiis. Tu lege cap. xxvi. verſ. ult.

MALVENDAE.

Verſ. 8. Ad explendum opus tabernaculi, cortinas decem, &c. Ab hoc verſu uſque ad finem capitis conferenda ſunt omnia cum cap. xxiv. integro, ubi habetur mandatum conſtruendi tabernaculi: ſunt enim eadem omnia: nam ibi ponitur mandatum, hic executio. Vide ibi Notas.

MENOCHII.

Verſ. 3. Vota, voluntaria munera. *V.* 6. Praeconis voce cantari. Hebr. *Tranſire fecit Moſes vocem per caſtra*; id eſt, præconis voce edixit.

V. 14. Ad operiendum tectum tabernaculi. Velum ex pilis caprarum contextum, quod polymito iniiciebatur, ut ſupra dictum eſt, tectum vocabatur. Sic rurſum appellatur hoc cap. num. 18. Multa hic repetuntur ex capitibus ſuperioribus, quæ ſuis locis explicata ſunt, nec eſt neceſſe hic repetere.

V. 33. Vectem alium, &c. Huius vectis nulla mentio fit in ſuperioribus capitibus, in quibus de tabernaculi ſtructura agitur. Videtur fuiſſe actus per ipſam tabularum craſſitiem ad eas ſimul continendas. Alii vectes extrinſecus ipſum tabernaculum ambiebant.

V. 34. Tabulata, quatuor latera tabernaculi.

V. 36. Cum capitibus deauravit: ita ut columnæ tantum obducerentur auro, ſive laminis aureis; capita vero eſſent aurea, ut Deus iuſſerat Moſi cap. xxvi. 32.

Verſ. 37. Tentorium, velum.

V. 38. Operuit auro, modo explicato num. 36.

TIRINI.

Verſ. 3. Quotidie mane vota populus offerebat, id eſt *oblationes ſpontaneas*, ut eſt in Hebræo. Ita enim præſcripſerat Deus Exod. xxxv. verſ. 5. & alibi: neque volebat quidquam ab invito extorqueri, aut exigi. Hæc ultronea donaria ex præſtantiori ſorte ſeu ſpecie cuiuſque materiæ fieri debebant. *Primitiæ* ſæpe *a* vocantur, quia ſolebant primitiæ eſſe eiuſmodi. Quamquam dici etiam poteſt, hæc donaria hic primitias vocari quod eſſent prima dona quæ Hebræi ex ſpoliis tum Ægyptiorum, tum Amalecitarum Deo obtulerunt in deſerto.

V. 18. Fibulas quibus necteretur tectum. Per tectum tabernaculi intelligit duo illa maiora ſaga cilicina *b*, quæ fibulis æneis 50. inter ſe connexa, & duobus aliis opertoriis pelliceis, uno rubricato, altero ianthino cooperta, vice tecti erant tabernaculo.

V. 38. Columnas cum capitibus ſuis *quæ* operuit auro. Ita habetur in Hebræo, Chaldæo & LXX. non vero, quas *operuit*, ut eſt in noſtra Vulgata Latina. Unde colligimus capitella plane cooperta fuiſſe laminis aureis, ita ut in illis nihil præter aurum exterius appareret; unde etiam *aurea* vocantur cap. xxvi. At columnæ auro quidem tectæ erant, non tamen per totum, ſed ſic tantummodo, ut zonis quibuſdam, ſpiris, & emblematis aureis circumcingerentur & ornarentur magis quam tegerentur: nam inter has zonulas lignum columnarum paſſim apparebat.

(*a*) Exodi xxxv. verſ. 5. & alibi.
(*b*) Exod. xxvi.

GORDONI.

Verſ. 3. Offerebant vota, id eſt ſpontaneas oblationes. Quotidie mane, quotidie. Heb. *mane, mane*.

V. 6. Ceſſare eos vult, quia ſatis oblatum eſt.

V. 13.

V. 13. Circulos, uncinos. Morderent, prehenderent.
V. 35. Fecit et velum, ante Sancta ſanctorum.
V. 37. Tentorium, aliud velum exterius.

Ex Eiusdem Auctario.

V. 14. Ad operiendum tectum. Velum deſignat ex pilis caprarum, quod imponebatur polymito.
V. 34. Tabulata, quatuor latera tabernaculi.
V. 38. Operuit auro, laminis aureis.

CAPUT XXXVII.

Formatur arca, propitiatorium, menſa, candelabrum, lucernæ, altare thymiamatis, ipſumque thymiama.

1 FEcit autem Beſeleel & arcam de lignis ſetim, habentem duos
ſemis cubitos in longitudine, & cubitum ac ſemiſſem in lati-
tudine; altitudo quoque unius cubiti fuit & dimidii: veſtivit-
que eam auro puriſſimo intus ac foris. 2. Et fecit illi coro-
nam auream per gyrum, 3. conflans quatuor annulos aureos
per quatuor angulos eius: duos annulos in latere uno, &
duos in altero. 4. Vectes quoque fecit de lignis ſetim, quos
veſtivit auro, 5. & quos miſit in annulos, qui erant in lateribus arcæ ad por-
tandum eam. 6. Fecit & propitiatorium, id eſt oraculum, de auro mundiſſi-
mo, duorum cubitorum & dimidii in longitudine, & cubiti ac ſemis in lati-
tudine. 7. Duos etiam Cherubim ex auro ductili, quos poſuit ex utraque par-
te propitiatorii: 8. Cherub unum in ſummitate unius partis, & Cherub alte-
rum in ſummitate partis alterius: duos Cherubim in ſingulis ſummitatibus pro-
pitiatorii, 9. extendentes alas, & tegentes propitiatorium, ſeque mutuo & il-
lud reſpicientes. 10. Fecit & menſam de lignis ſetim in longitudine duorum cu-
bitorum, & in latitudine unius cubiti, quæ habebat in altitudine cubitum ac
ſemiſſem: 11. circumdeditque eam auro mundiſſimo, & fecit illi labium aureum
per gyrum, 12. ipſique labio coronam auream interraſilem quatuor digitorum,
& ſuper eamdem, alteram coronam auream. 13. Fudit & quatuor circulos au-
reos, quos poſuit in quatuor angulis per ſingulos pedes menſæ 14. contra co-
ronam: miſitque in eos vectes, ut poſſit menſa portari. 15. Ipſos quoque vectes
fecit de lignis ſetim, & circumdedit eos auro. 16. Et vaſa ad diverſos uſus
menſæ, acetabula, phialas, & cyathos, & thuribula, ex auro puro, in qui-
bus offerenda ſunt libamina. 17. Fecit & candelabrum ductile de auro mundiſ-
ſimo. De cuius vecte calami, ſcyphi, ſphærulæque ac lilia procedebant: 18.
ſex in utroque latere, tres calami ex parte una, & tres ex altera: 19. tres ſcy-
phi in nucis modum per calamos ſingulos, ſphærulæque ſimul & lilia: & tres
ſcyphi inſtar nucis in calamo altero, ſphærulæque ſimul & lilia. AEquum e-
rat opus ſex calamorum, qui procedebant de ſtipite candelabri. 20. In ipſo
autem vecte erant quatuor ſcyphi in nucis modum, ſphærulæque per ſingulos

ſimul

ſimul & lilia: 21. & ſphærulæ ſub duobus calamis per loca tria, qui ſimul ſex fiunt calami procedentes de vecte uno: 22. & ſphærulæ igitur, & calami ex ipſo erant, univerſa ductilia ex auro puriſſimo. 23. Fecit & lucernas ſeptem cum emunctoriis ſuis, & vaſa ubi ea quæ emuncta ſunt extinguantur, de auro mundiſſimo. 24. Talentum auri appendebat candelabrum cum omnibus vaſis ſuis. 25. Fecit & altare thymiamatis de lignis ſetim, per quadrum ſingulos habens cubitos, & in altitudine duos: e cuius angulis procedebant cornua. 26. Veſtivitque illud auro puriſſimo, cum craticula ac parietibus & cornibus. 27. Fecitque ei coronam aureolam per gyrum, & duos annulos aureos ſub corona per ſingula latera, ut mittantur in eos vectes, & poſſit altare portari. 28. Ipſos autem vectes fecit de lignis ſetim, & operuit laminis aureis. 29. Compoſuit & oleum ad ſanctificationis unguentum, * & thymiama de aromatibus mundiſſimis, opere pigmentarii,

BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO.
V. 29. *Et thymiama*. Servandus eſt numerus ſingularis *thymiama*.

COMMENTARIA

SA.

Verſ. 1. DUOS SEMIS, pro duos & ſemis.

V. 8. SUMMITATE, id eſt extremitate.

V. 14. CONTRA, id eſt e regione, ſcilicet ſubtus.

V. 17. LILIA: ſic Chald. & LXX. Alii *Flores*.

V. 19. AEQUUM, id eſt æquale, vel ſimile.

V. 20. VECTE, id eſt ſtipite. Hebraica, Chaldaica, & LXX. *Candelabro*.

V. 26. CRATICULA. Sic LXX. at Hebraice & Chaldaice *Tecto*.

V. 29. AD SANCTIFICATIONIS UNGUENTUM. LXX. *Unctionis ſanctum*. Chald. *ſanctæ unctionis*: atque hæc magis indicant Hebr.

ESTII.

Verſ. 6. FECIT ET PROPITIATORIUM, ID EST ORACULUM. Hebraice tantum eſt: *Et fecit propitiatorium*; Interpretis autem eſt quod ſequitur, *Id eſt oraculum*: nam oraculum & propitiatorium rem eamdem hic ſignificat, Rurſum quod ſubiungitur, DE AURO MUNDISSIMO, in Hebræo ſemper tantum eſt poſitivus, *mundo*. Reliqua vide explicata partim cap. XXI. partim XXXI.

MARIANAE.

Verſ. 16. IN QUIBUS OFFERENDA SUNT LIBAMINA: ſcilicet vaſa fecit. יסך *iuſach* deducitur a נסך *naſach*, quod *tegere* ſignificat, & *libare*. Priorem ſignificationem ſequuntur Hebræi, intelligentes ea vaſa ad tegendum facta, nempe panes propoſitionis: poſteriorem ſequuntur Sept. eoque pertinet Hieronymi interpretatio, *offerendi libamina*.

V. 19. SPHAERULEAQUE SIMUL ET LILIA. Heb. *Sphærula & lilium*. Certe in ſingulis calamis erant prius tres ſcyphi, deinde ſequebantur in ſingulis pomum & flos, cui lucerna imponebatur: ſic in Heb. Singulare ſumatur pro Plurali.

MALVENDAE.

Verſ. 1. FECIT AUTEM BESELEEL, &c Ab hoc verſu uſque ad verſ. 25. excluſive confer omnia cum cap. XXV. a verſ. 10. uſque ad finem capitis:

tis: ſunt enim eadem omnia; nam ibi ponitur mandatum, hic vero executio mandati.

*V.*25. Fecit et altare thymiamatis, &c. Ab hoc verſu uſque ad verſ. 29. excluſive, confer cum cap. xxx. a verſ. 1. uſque ad verſ. 6. excluſive; ſunt enim omnia omnino eadem.

*V.*29. Composuit et oleum, &c. Hunc verſum confer cum c. xxx. v.23. & ſeq.

MENOCHII.

Verſ. 1. Duos semis cubitos, hoc eſt duos & ſemis.

V. 6. Oraculum, propitiatorium.

*V.*8. In summitate, lateris extremitate.

V. 14. Contra coronam, hoc eſt ſubter, ut habes ſupra cap. xxv. 27.

*V.*17. De cuius vecte. Vectis hic eſt ſtipes medius, e quo procedebant calami, quem ſupra cap. xxv. baſtile nominavit. Aequum erat opus, hoc eſt ſimile, pariumque membrorum, & artificii. Cetera huius capitis ſunt explicata ſupra cap. xxv. & cap. xxx.

TIRINI.

Verſ. 1. Arcam ... habentem duos semis cubitos, id eſt duos & ſemis cubitos, ut patet ex verſ. 6. hic, & cap. xxv. ſupra, ubi & reliqua huius capitis explicantur.

V. 13. Quatuor circulos posuit in quatuor angulis mensae contra coronam, id eſt ſubter coronam, ut habes in ſimili hic verſ. 27. & expreſſe dicitur cap. xxv. 27.

GORDONI.

Verſ. 1. Duos et semis; hoc eſt, habebat duos cubitos & ſemis.

V. 6. Oraculum in templo Salomonis vocatur alicubi Sanctum ſanctorum; in præſentia vero idem ac propitiatorium, ubi ſcilicet (ut nomina ſonant) Deus & exorari ſolet & propitiari.

V. 14. Contra coronam, hoc eſt ſubter eam. De hac corona vide cap. xxv. verſ. 27.

V. 17. De cuius vecte. Vectis eſt medius ille ſtipes unde procedebant calami, & cap. xxv. vocatur baſtile.

V. 19. Aequum erat opus sex calamorum, hoc eſt ſimilis artificii, & totidem, ſeu ſex habens manubria. Cetera quæ hic capite habentur de altari thymiamatis, habentur explicata cap. xxx. & quod præter hæc eſt, declaratur cap. xxv.

V. 29. Sanctificationis unguentum. Sept. *ſanctum unctionis*. Heb. *oleum unctionis*, *ſanctificationem*.

Ex eiusdem auctario.

V. 8. In summitate partis, lateris.

CAPUT XXXVIII.

Formatur altare holocauſti, cum labio æneo, & atrio, oblataque donaria recenſentur.

1 Fecit (*a*) & altare holocauſti de lignis ſetim, quinque cubitorum per quadrum, & trium in altitudine: 2. cuius cornua de angulis procedebant, operuitque illud laminis æneis. 3. Et in uſus eius paravit ex ære vaſa diverſa, lebetes, forcipes, fuſcinulas, uncinos, & ignium receptacula. 4. Craticulamque eius in modum retis fecit æneam, & ſubter eam in altaris medio arulam, 5. fuſis quatuor annulis per totidem retiaculi ſummitates, ad immittendos ve-

vectes ad portandum: 6. quos & ipſos fecit de lignis ſetim, & operuit laminis æneis: 7. induxitque in circulos, qui in lateribus altaris eminebant. Ipſum autem altare (*b*) non erat ſolidum, ſed cavum ex tabulis, & intus vacuum. 8. Fecit & labrum æneum cum baſi ſua de ſpeculis mulierum, quæ excubabant in oſtio tabernaculi. 9. Fecit & atrium, in cuius auſtrali plaga erant tentoria de byſſo retorta, cubitorum centum, 10. columnæ æneæ viginti cum baſibus ſuis, capita columnarum, & tota operis cælatura, argentea. 11. AEque ad ſeptemtrionalem plagam tentoria, columnæ, baſeſque & capita columnarum eiuſdem menſuræ, & operis, ac metalli erant. 12. In ea vero plaga, quæ ad Occidentem reſpicit, fuerunt tentoria cubitorum quinquaginta, columnæ decem cum baſibus ſuis æneæ, & capita columnarum, & tota operis cælatura, argentea. 13. Porro contra Orientem quinquaginta cubitorum paravit tentoria: 14. e quibus, quindecim cubitos columnarum trium, cum baſibus ſuis, * unum tenebat latus: 15. & in parte altera (quia inter utraque introitum tabernaculi fecit) quindecim æque cubitorum erant tentoria, columnæque tres, & baſes totidem. 16. Cuncta atrii tentoria byſſus retorta texuerat. 17. Baſes columnarum fuere æneæ, capita autem earum cum cunctis cælaturis ſuis argentea: ſed & ipſas columnas atrii veſtivit argento. 18. Et in introitu eius opere plumario fecit tentorium ex hyacintho, purpura, vermiculo, ac byſſo retorta, quod habebat viginti cubitos in longitudine, altitudo vero quinque cubitorum erat, iuxta menſuram, quam cuncta atrii tentoria habebant. 19. Columnæ autem in ingreſſu fuere quatuor cum baſibus æneis, capitaque earum & cælaturæ argenteæ. 20. Paxillos quoque tabernaculi & atrii per gyrum fecit æneos. 21. Hæc ſunt inſtrumenta tabernaculi teſtimonii, quæ enumerata ſunt iuxta præceptum Moyſi in cæremoniis levitarum per manum Ithamar filii Aaron ſacerdotis: 22. quæ Beſeleel filius Uri filii Hur de tribu Iuda, Domino per Moyſen iubente, compleverat, 23. iuncto ſibi ſocio Ooliab filio Achiſamech de tribu Dan: qui & ipſe artifex lignorum egregius fuit, & polymitarius atque plumarius ex hyacinto, purpura, vermiculo & & byſſo. 24 Omne aurum quod expenſum eſt in opere Sanctuarii, & quod oblatum eſt in donariis, viginti novem talentorum fuit, & ſeptingentorum triginta ſiclorum, ad menſuram Sanctuarii. 25. Oblatum eſt autem ab his qui tranſierunt ad numerum a viginti annis & ſupra, de ſexcentis tribus millibus, & quingentis quinquaginta armatorum. 26. Fuerunt præterea centum talenta argenti, e quibus conflatæ ſunt baſes Sanctuarii, & introitus ubi velum pendet. 27. Centum baſes factæ ſunt de talentis centum, ſingulis talentis per baſes ſingulas ſupputatis. 28. De mille autem ſeptingentis * & ſeptuaginta quinque, fecit capita columnarum, quas & ipſas veſtivit argento. 29. AEris quoque oblata ſunt talenta ſeptuaginta duo millia, & quadringenti ſupra ſicli, 30. ex quibus fuſæ ſunt baſes in introitu tabernaculi teſtimonii, & altare æneum cum craticula ſua, omniaque vaſa quæ ad uſum eius pertinent, 31. & baſes atrii tam in circuitu quam in ingreſſu eius, & paxilli tabernaculi atque atrii per gyrum.

(*a*) II. Paralip. i. 5. (*b*) Sup. xxvii. 8.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 14. *Unum tenebat latus*. Et hic ſervandus eſt numerus ſingularis *tenebat*: nam alii legunt pluralem *tenebant*.

V. 15. *Quia inter utraque introitum tabernaculi fecit*. Non omittas præpoſitionem *inter*, nec mutes præteritum *fecit* in præſens *facit*.

V. 28. *Et ſeptuaginta quinque*. Non addas *Sitlis*, quod ſubditur in quibuſdam exemplaribus.

COMMENTARIA

SA.

Verſ. 1. QUADRUM: ſcilicet par erat longitudo & latitudo.

V. 4. ET SUBTEREAM IN ALTARIS MEDIO ARULA. Hebr & Chald. *Subter ambitum eius*, ſcilicet altaris, *ab infra uſque ad medium*.

Verſ. 5. SUMMITATES, id eſt extremitates.

V. 8. LABRUM, id eſt concham. SPECULIS, ſcilicet æreis. EXCUBABANT, ſcilicet vigilantes in oratione, relicta vanitate & ornatu.

V. 21. CAEREMONIAS, id eſt miniſterium, ut eſt Hebr. Chald. & apud LXX. ipſi enim tranſportabant, & ſervabant. PER MANUM, id eſt opera.

V. 23. PLUMARIUS. Hebr. *Roqem*, id eſt *recamator*, ut ita dicam, ſeu *acupictor*.

V. 25. ARMATORUM, id eſt aptorum ad arma ferenda, ſeu ad bellum.

V. 27. CENTUM TALENTIS. Hebr. *Centum talenta, & mille & ſeptingenti, & ſeptuaginta & quinque ſicli*. Nota, quod talentum vulgare, libræ 60. ſacrum vero, 120. Libra ſicli, 25. ſiclus vulgaris, drachmæ 2. ſacer vero, ſeu Sanctuarii, 4. Vide tamen ſup. cap. XXV.

V. 29. DUO MILLIA, &c. Id quidam coniungunt cum *ſicli*. leguntque, *duo millia quadringenti ſicli*: quam lectionem Chald. ſequi videtur. Poteſt etiam legi, *Talenta duo millia, & ſeptingenta, & ſicli quadringentis*. LXX. legunt, *Talenta trecenta ſeptuaginta, & duo mille, & quadringenti ſicli*.

ESTII.

Verſ. 8. FECIT ET LABRUM AENEUM CUM BASI SUA DE SPECULIS MULIERUM &c. Tradunt Hebræi, morem fuiſſe Iſraeliticarum feminarum acurate ſe ornare, & tiaram aptare ad ſpeculum æneum; fuiſſe autem quaſdam earum, quæ, ſpreta mundi vanitate, ſoli Deo placere ſtudentes, ſpecula ſua ænea Domino obtuliſſent, eaſque ita fuiſſe religioſas, ut per ſingulos dies venirent ad fores tabernaculi orationis cauſa; & ex horum ſpeculorum materia labrum hoc fuiſſe conflatum. Neque incredibile eſt talia tunc fuiſſe ſpecula: nam & hodie ex chalybe ſpecula componuntur. Interim quia pro eo quod habemus, *De ſpeculis*, Heb. eſt *in ſpeculis*. Alii dicunt, labrum non ex ſpeculis factum fuiſſe, ſed poſitum in ſpeculis, ſeu in medio ſpeculorum fuiſſe; ita ut ipſi labro fuerint circumpoſita, in eum uſum ut ſacerdotes in iis vultum contemplati, maculas in ipſo labro abluerent.

V. 25. & 26. OBLATUM EST AUTEM AB HIS QUI TRANSIERUNT AD NUMERUM ... DE SEXCENTIS TRIBUS MILLIBUS, ET QUINGENTIS QUINQUAGINTA ARMATORUM. FUERUNT PRAETEREA CENTUM TALENTA ARGENTI. Nota, quod hæc oblatio facta per cenſum capitum non eſt referenda ad aurum prædictum, ſed ad argentum, de quo ſubiungitur. Prima ratio eſt, quia in Hebræo expreſſe dicitur, *Argentum autem numerationis populi fuit*, &c. Secunda ratio, quia nuſquam lex præcipit ut qui capitatim cenſentur, aurum offerant, ſed argenti quiſque di-

dimidium ſiclum Exod. xxx. Tertia ratio, quia numerus argenti hoc loco expreſſus, exacte reſultat ex oblationibus virorum ſexcentorum millium, &c. ſi a quolibet capite dimidium argenti ſiclum ſolutum intelligamus.

MARIANAE.

Verſ. 4. ET SUBTER EAM IN ALTARIS MEDIO ARULAM. Longe aliter in Hebræo hoc & duobus proximis verſibus; ſed ſententia non diſcrepat.

V. 8. DE SPECULIS MULIERUM, QUAE EXCUBABANT. Hebr. *Quæ congregabantur, conveniebant*. Vel loquitur de omnibus mulieribus, quæ catervatim convenerunt, in fabricam tabernaculi etiam ſpecula, quæ ſolent eſſe cariſſima propter ornatum, offerentes; vel de religioſis, quæ argumento abdicati ornatus illa obtulerunt: id ſecutus Chald. dixit, *Quæ veniebant ut orarent in oſtio tabernaculi*.

V. 17. SED ET IPSAS COLUMNAS ATRII VESTIVIT ARGENTO. Hebr. *Et ipſa cinctoria*, ſeu *cælaturæ argenti omnium columnarum atrii*. Chald. *Columnæ atrii cælatæ erant argento*.

V. 24. SEPTINGENTORUM TRIGINTA SICLORUM, AD MENSURAM SANCTUARII. Hebr. *In ſiclo ſanctuarii*, aut *iuxta ſiclum ſanctuarii*: de quo cap. xxx. verſ. 13. Deeſt hic verſus in editione Vulgata, quod numeri verſuum indicant in Regiis, & Lovan. nam poſt num. 24. continuo ſequitur 26. ponendus tamen, quoniam cum eo verſus proximus connectitur. Ergo ſic Hebraice habet: *Et argentum numeratorum*, ſeu cenſuum, *Synagogæ centum talenta, & mille & ſeptingenti & ſeptuaginta quinque ſicli iuxta ſiclum ſanctuarii*. Ex hoc vides occaſionem datam diſtinguendi inter ſanctuarii pondera & popularia.

V. 25. OBLATUM EST AUTEM AB HIS QUI TRANSIERUNT. Explicat quomodo ea ſumma argenti ſit redacta. In Hebræo & Sept. ponitur, ſingula capita obtuliſſe dimidium ſiclum; quod Hieronym. reliquit. ſic ex viris 603550. quot obtulerunt redacta eſſe centum argenti talenta, & ſiclos 1775. Hinc aperte colligitur, ſubducta ratione, & numeris, tum deeſſe verſum 25. in hoc capite, tum Hebraicum talentum Moyſis tempore duodecim millia drachmas continuiſſe. Memento etiam cap. xxx. verſ. 12. præceptum, ut quoties populus numeraretur, offerrent per capita dimidium ſiclum. Ita argenti oblatio non videtur ſpontanea; ſed exactio lege conſtituta. Quod vero additur, ARMATORUM, vox illa non eſt in Hebræo, neque in Græco; ſed Hieronym. videns Hebraicas litteras pro ratione vocalium legi poſſe & *hamiſſim*, quod ſignificat *quinquaginta*, & *hamuſſim*, quod *armator*, utrumque voluit explicare.

V. 29. AERIS QUOQUE OBLATA SUNT TALENTA SEPTUAGINTA DUO MILLIA. Hebr. *AEris oblatio ſeptuaginta talenta, & duo millia & quadringenti ſicli*: ſic Septuag. & Chald. ſed Hieronymo mirum fortaſſe viſum eſt plus argenti quam æris oblatum; ideo vertit illis verbis locum: & fortaſſis eam Hebraice lectionem invenit; aut, quod magis arbitror, Hebr. puncta vitioſe ſunt poſita. Itaque poſt *ſeptuaginta* pone comma, ut *duo millia* referatur ad *ſiclos*: ſic noſtra lectio cum fontibus conciliatur.

MALVENDAE.

Verſ. 1. FECIT ET ALTARE HOLOCAUSTI, &c. Ab hoc verſu uſque ad 8. excluſive, omnia explanata habes ſupra cap. XXVII. a verſ. 1. ad 7. nam ſunt omnino eadem: ibi enim ponitur mandatum; hic vero executio mandati deſcribitur.

V. 8. FECIT ET LABRUM AENEUM, &c. de quo vide ſupra cap. xxx. 18. DE SPECULIS MULIERUM. Hebr. *In ſpeculis militantium*. Hebræi notant, pias & religioſas matronas Hebræas mundi vanitatibus renuntiantes, ſpecula ſua, præcipua ſui cultus & comptus inſtrumenta, Domino conſecrare ſolitas, atque ea ad labrum ſeu concham æneam tabernaculi ſuſpendere conſueviſſe; ut nunc Chriſtianæ matronæ pretioſa monilia ſua templis dedicant. Plerique volunt, Hebræas devotione & pietate obtuliſſe ænea ſua ſpecula, ex quibus fuſa, & conflata fuerit concha illa ænea tabernaculi. Specula ex ære etiam fabricari ſolita, auctor eſt Plinius Lib. XXXIII. cap. IX. *Optima apud maio-*

res

res fuerant Brunduſina, *ſtanno & ære mixtis*. Speculis cavis æneis ab Archimede hoſtium naves præuſtas, auctor eſt Galenus Lib. III. de Conſtitutionibus. Et de ſpeculis æneis uſtoriis meminit Zonaras Annal. III. in Anaſtaſio imperatore; & nos in Antichriſto Lib. VIII. cap. XXVII. Quidam exponunt, *In ſpeculis*, ſeu *viſionibus*, *mulierum*; id eſt, fecit labrum æneum tam terſum & politum, ut in eo faciem ſuam tamquam in ſpeculis videre poſſent mulieres, quæ ad oſtium tabernaculi conveniebant. Alii, *In aſpectibus*, ſeu *aſpectu militantium*; hoc eſt, fecit labrum æneum in aſpectu, vel quod in aſpectu convenientium ad oſtium tabernaculi, quaſi in proſpectu omnium poſitum. Nec deſunt, qui exponant, *in viſionibus*, id eſt in feneſtris, *militantium*; ac ſi labrum poſitum eſſet ante feneſtras ſeu foramina, per quæ mulieres inſpiciebant intus tabernaculum. MULIERUM, QUAE EXCUBABANT IN OSTIO TABERNACULI. Vox *mulierum* non eſt Hebraice, ſed facile intelligitur, nam eſt participium femineum צבאות *tzobeoth*, *excubantium*, ſeu *excubatricum*. Locum diverſimode convertunt. I. *in ſpeculis convenientium*, *quæ convenerunt ad portam tentorii adunationis*. II. *de ſpeculis congregantium ſe*, *quæ congregabant ſe inſtar exercitus ad oſtium tabernaculi*. III. *in ſpeculis agminatim*, *turmatim convenientium*, *quæ agminatim*, *turmatim convenerunt ad portam tentorii conventus*. IV. *de ſpeculis militantium*, *quæ militabant ad oſtium tabernaculi conſtitutionis*. V. *de ſpeculis congregatarum*, *quæ adunatæ fuerant ad oſtium tabernaculi*, ſcilicet miniſtrandi cultui divino gratia. VI. *in*, *cum*, *ſpeculis* mulierum *miniſtrantium*, ſive *turmatim convenientium*, *quæ turmatim congregabant ſe ad oſtium tabernaculi*. VII. *in ſpeculis excubantium*, *quæ excubabant ad oſtium tabernaculi*. VIII. *in ſpeculis exercentium*, *quæ exercebant oſtium tabernaculi*. Verbum צבא *tzeba*, cuius hic participium femineum, & præteritum ponuntur, notant proprie eſſe; *ſtare in ordine*, *miniſtrare ordine & tempore conſtituto*; *ſtare*; *ſtationem habere in militia*; *militare*: & metaphorice transferri ad ſignificandum miniſterium eccleſiaſticum; quaſi ſit militare in Eccleſia; ſtationem habere in miniſterio eccleſiaſtico, ubi omnia certo ordine, vicibus, & conſtituto tempore peraguntur. Ergo hic *tzobeoth*, quidam intelligunt ſimpliciter mulieres, quæ turmatim, vel agminatim in modum exercitus conveniebant ad oſtium tabernaculi ſtudio pietatis ad orandum, vel ad offerendum Deo, moxque in domos ſuas ſeu loca ſe recipiebant. Nec deſunt qui exiſtiment fuiſſe mulieres quæ Iudaico ritu & cultu, choros, ſeu choreas circum tabernaculum ducerent, & ſaltationes celebrarent, quarum ſæpe in Scriptura mentio; atque eo verbo *tzeba*, hic *chororum ordinationem*, *& ſeparationem in varias turmas*, *ſeu catervas* innui: unde hic verbum iſtud *tzeba* quoſdam per *circumexercituare* convertere. Sed multo verius eſt, quod ab aliis eſt annotatum, loqui hic Moſen de honeſtis matronis ac viduis, quæ ex devotione, & religionis ſtudio ad tabernaculum ieiuniis, precationibus, atque aliis pietatis officiis Deo militabant, quaſi in ſtatione, die noctuque ibi in cellulis ſeu domunculis manentes, quarum quoque I. Samuelis II. 22. eſt mentio: cuiuſmodi etiam Anna prophetiſſa fuit Lucæ II. 87. *Quæ non diſcedebat de templo*, *ieiuniis*, *ac deprecationibus ſerviens nocte*, *& die*. Et Paulum I. Timoth. v. 5. putant ad veterem illam conſuetudinem matronarum alluſiſſe, cum viduas deſolatas hortatur, *ut in Deum ſperantes*, *inſtent obſecrationibus & orationibus nocte ac die*. Caſaubonus Exercitatione I. ad Apparatum Annalium Baronii, Diatriba XXIII. ut omne exemplum pontificiarum ſanctimonialium ex Scripturis ſubmoveat, hanc interpretationem convellere nititur, aitque: *Vox* excubabant, *minus commode uſurpata Latino Interpreti*, *falſæ opinioni videtur occaſionem præbuiſſe*. *Inde enim natus Baronii*, *& aliorum error exiſtimantium*, *ſacras intelligi feminas*, *quæ de templo non recederent*. Egregie ſuam inſcitiam prodit. Omitto orthodoxorum conſenſum. Ex ipſiſmet proteſtantibus Forſterus, Mercerus, Robertus, locum hunc de matronis excubantibus, militantibus, & ſtationes habentibus ad tabernaculum, uti dudum dicebamus, intellexerunt. Et quis pudor, vocem *excubandi* minus commode uſurpatam Latino Interpreti? cum non ſit dubium verbum *tzeba* & *militare*, & *excubare*, & *in militia ſtationem habere*, ſignificare. Nam verbum *excubandi* militare eſſe, nemo neſcit.

Et

Digitized by Google

Et ex ipſis Proteſtantibus Leo Iudas, & Ioannes Avenarius, tanto ipſo Caſaubono Hebraice doctiores, hic verbum *tzeba*, *excubare* reddiderunt.

V. 9. FECIT ET ATRIUM, &c. Ab hoc verſu uſque ad verſ. 21. excluſive, vide ſupra cap. XXVII. a verſ. 9. uſque ad verſ. 20. excluſive: nam ſunt eadem; ibi enim proponitur mandatum, hic vero executio mandati narratur.

V. 21. HAEC SUNT INSTRUMENTA TABERNACULI. Hebr. *Iſta viſitata*, *recenſita*, *numerata*, *habitaculi*: nempe quæ incipit recenſere verſ. 23. hoc eſt, hæ ſunt partes, inſtrumenta, materiæ, opera neceſſaria ad conficiendum tabernaculum, & res ad ipſum pertinentes, quæ recenſita & numerata ſunt, & numero tradita ac commiſſa levitis. Hiſpanice dicimus, *Inventariata*.

V. 24. VIGINTI NOVEM TALENTORUM FUIT. Talentum Hebraicum quidam appendiſſe volunt tria millia ſiclorum; alii ſex millia. Ergo viginti novem talenta auri erunt iuxta priores, 348000. ſcuta auri Hiſpanica; iuxta poſteriores, 696000. nempe tantumdem alterum: quæ ſumma eſt ingens, ac plane magnifica, opulentiæ tabernaculi congruens. Vide cap. XXV. 39.

V. 25. ET ARGENTUM VISITATORUM CONVENTUS, &c. Totum hunc verſum, qui Hebraice habetur, Noſter omiſit, quod iam is idem ſupra cap. XXX. 13. deſcriptus extaret. Quidam hic *viſitatos*, intelligunt *præfectos*, *cenſores*, qui numerum ſeu ſummam filiorum Iſrael capiebant: uti etiam ſupra cap. XXX. verſ. 13. Sed cum ſit Hebraice ibi, & hic participium paſſivum, ſimplicius erit utrobique accipere numeratos, recenſitos eos, qui in cenſum, & numerum veniebant. CENTUM, ſeu *centenarium*, ORBIS ſeu *talenti*, ET MILLE ET SEPTEM CENTI, ET QUINQUE ET SEPTUAGINTA SICLUS IN SICLO SANCTITATIS. Summa hæc argenti talentorum & ſiclorum ita concipienda eſt. Si talentum Hebraicum continebat 3000. ſiclorum, ſuperabat hæc ſumma pretium unius millionis & ducentorum millium, & ſeptem millium, & centum regalium Caſtellanorum. Si vero talentum Hebraicum erat 6000. ſiclorum, ſuperabat pretium duorum millionum & quadringentorum millium, & ſeptem millium, & centum regalium Caſtellanorum, quod eſt magnificentius. Iam ſæpius admonuimus ſiclum habuiſſe ſemunciam & amplius, nempe quatuor regalia Caſtellana, paulo plus. Ceterum Hebraicum talentum non niſi tria millia ſiclorum continuiſſe, inde plerique ſtatuunt, quod cum hic & verſ. ſequenti 26. diſerte aſſeratur hanc argenti ſummam centum talentorum, & mille ſeptingentorum ſeptuaginta quinque ſiclorum redactam ex cenſu capitationis numeratorum; & cenſus ille numeratorum fuerit dimidii ſicli penſus per ſingula capita a ſexcentis tribus millibus quingentis quinquaginta hominum, ut cap. XXX. 13. & hic verſ. 26. aperte dicitur: ſatis conſtat, totum eum cenſum capitationis præciſe hanc ſummam centum talentorum, & 1775. ſiclorum efficere, ſi talento tria millia ſiclorum tribuamus, & non aliter. Adito explanatores: nam non iuvat in tetricis iſtis, ac moroſis numerorum, & ponderum extricationibus immorari. Vide ſupra cap. XXV. 39.

* *V*. 26. BEKAGH, de hac voce pluribus diſſeruimus Geneſ. XXIV. 22. Conſentiunt omnes eſſe dimidium ſicli, ſeu didrachma, quod ſatis hoc verſu exprimitur; nam quod *bekagh* dicit, ſtatim exponit, *meditas*, ſeu *dimidium ſicli*; & quod ſupra cap. XXX. verſ. 13. & 15. dicitur dimidium ſicli, hic dicitur *bekagh*.

V. 28. DE MILLE AUTEM SEPTINGENTIS, ET SEPTUAGINTA QUINQUE: ſubaudi ſiclis, de quibus verſ. 24. QUAS ET IPSAS VESTIVIT ARGENTO. Vox *argento*, non eſt Hebraice: ſed tantum, *& cinxit eas*; quidam exponunt, Subaudi, cælaturis quibuſdam eo argento factis. Alii, *Et fecit cincturas earum*: nonnulli. *Et amplexus*, *circumplexus eſt eas*. Nec deſunt qui, *Redimivitque eas faſciis*. Poſſis reddere, *Et ambivit*, *faſciavit*, *eas*; vel *& complicavit eas*.

* Totus hic Verſus, qui quidem in Hebr. non autem in vulgata Editione extat, in huius Auctoris Verſione ſic legitur: *Bekagh cranio, medietas ſicli in ſiclo ſanctitatis, omni transeunti ſuper viſitatos, de filio viginti anni, & de ſupra, ſexcentis mille & tribus millium & quinque centis & quinquaginta*. Vide Commen. in Gen. cap. XXIV. verſ. 22.

MENOCHII.

Verſ. 8. DE SPECULIS. LXX. *Ex ſpeculis*, ἐκ κατόπτρων. Ita & Chaldæus. Olim ex Plinio Lib. XXXIII. cap. IX. & Lib. XXIV. cap. XVII. fiebant ex ære, & ſtanno diligentiſſime terſo.

V. 9. QUAE EXCUBABANT. Heb. *Quæ militabant*. LXX. *Quæ ieiunabant*. Chald.

Quæ

Quæ orabant. Mulieribus hiſce piis, quæ frequenter veniebant ad templum Deum oraturæ, poſtea ædificato templo certa ſedes iuxta illud attributa fuit, & inter has vixiſſe videtur Anna propheti ſſa Luc. II. & virgines illæ, quæ concluſæ dicuntur II. Mach. III. 19. & in his educata B. Virgo. TENTORIA, vela atrii.

V. 17. BASES COLUMNARUM, &c. Ex Hebræo aliqui ita vertunt: *Baſes columnarum ex ære, uncini columnarum, & fila eas cingentia ex argento, tecta fuerunt capita earum argento*. Pro voce *Uncini*, in Hebræo eſt ווים *vavim*, pro voce *Capita*, eſt ראשים *raſchim*: quomodo diſtinguantur duæ hæ voces, inter auctores varietas eſt. Placet Bonfrerii noſtri opinio, qui cenſet voce illa ראשום *raſchum*, quæ propriè caput ſignificat, indicari ſupremam capitelli partem, quam *abacum* dicunt; voce autem illa ווים *vavim*, quæ aliquid hamatum, & inflexum ſignificat, deſignari eam capitelli partem, quam *volutam* ſeu *limacem* appellant in artificio Ionico, cuius ordinis fortaſſe hæ columnæ fuerunt. LXX. & Chald. verterunt, *uncinos*.

V. 21. IN CAEREMONIIS, &c. id eſt, in miniſterium levitarum, quorum erat diſſolvere, transferre, & iterum componere tabernaculum. His præerat Ithamar Aaron filius, cui proinde ſingulorum tabernaculi inſtrumentorum annumerandus erat computus.

V. 24. OMNE AURUM. Aurum hoc quod ſponte oblatum fuit a populo, ſummam explevit viginti novem talentorum, & ſeptingentorum triginta ſiclorum. Talentum aliud erat aureum, aliud argenteum, aliud æreum. Omnia hæc æqualis erant ponderis, ſed diſparis pretii. Talentum unum continebat tria millia ſiclorum, auri, ſi talentum eſſet aureum; argenti, ſi argenteum: quia vero ſiclus eſt ponderis quatuor drachmarum, talentum unum aureum continebat duodecim millia drachmarum aurearum, quæ æquivalent duodecim millibus aureis noſtratibus.

V. 25. AB HIS QUI TRANSIERUNT AD NUMERUM, qui cenſi ſunt.

V. 27. CENTUM BASES: erant enim 40. ad auſtrum. 40. ad aquilonem. 16. ad partem occidentalem, 4. ſub quatuor columnis dividentibus Sanctum a Sancto ſanctorum, uti præceptum erat cap. XVI. num. 19. & 36.

V. 28. DE MILLE AUTEM SEPTINGENTIS, &c. quæ ſupra centum talenta argenti ex cenſu collecta ſupererant, non quod hæc ſumma ad capita illa columnarum facienda, & auro veſtienda ſufficeret, ſed quod in hoc opus fuerit contributa.

V. 30. BASES IN INTROITU TABERNACULI. Columnarum ſcilicet, quæ in introitu erant, ſupra cap. XXVII. num. ult. ALTARE AENEUM. Vide ſupra cap. XXVII. initio.

V. 31 BASES ATRII. Columnarum atrii. Vide ſupra cap. XXVII. num. 10. & 17. De paxillis, ibid. num. 19. Cetera, quæ hic explicata ſunt, vide eodem c. XXVII.

T I R I N I.

Verſ. 8. FECIT LABRUM AENEUM. Græce λουτῆρα, id eſt *lavatorium*. Erat vas ingens æneum aqua plenum; ex quo per fiſtulas defluente aqua, lavabant ſacerdotes victimas, & etiam manus, ac pedes ſuos: nam reverentiæ cauſa nudis pedibus in tabernaculo miniſtrabant. Ita Caietanus, Lipomanus, & Ribera. Conflatum autem erat hoc labrum EX SPECULIS MULIERUM. Petit Oleaſter, Abulenſis, Lyranus, Caietanus, Lipomanus, quomodo labrum æneum ex ſpeculis vitreis confici potuerit? Reſpondeo, ſpecula illa non vitrea, ſed ænea fuiſſe, teſte Philone *a*, cuius hæc ſunt verba: *Extra veſtibulum* tabernaculi *in primo aditu labrum erat æneum non ex rudi materia, ut fere fit, fabrefactum ab opifice, ſed ex vaſis iam ante expolitis, in uſum tamen alium, quæ mulieres mira animi alacritate certatim contulerant: ſpecula enim, ad quæ formam curare ſolita fuerant, ſponte, nemine iubente, Deo dicaverant: hæc ad ſe delata opifex in unam maſſam confudit*. Et Rabbi Abraham diſerte affirmat, morem fuiſſe Iudæarum mulierum aptare tiaram mane ad ſpecula ænea. Idemque etiam aliis gentibus in more fuiſſe, teſtes ſunt Vitruvius, Plinius *b*, & Zonaras, qui addit, Archimedem e muris Syracuſanis, & dein eius exemplo Proclum ex mœnibus Byzantinis, cum prælium navale inſtaret, eiuſmodi æneis ſpeculis uſtoriis e regione navium hoſtilium ſuſpenſis, cum in

in ea radii ſolares incidiſſent, reflecterenturque in naves, has omnes igne correptas exuſſiſſe. Quin & hoc tempore videmus, e polito chalybe, non puro eo quidem, ſed certa aliarum rerum mixtione temperato, terſiſſima confici ſpecula: ut mirum videri non debeat, ſi & olim apud AEgyptios, unde Hebræis obvenerant, e metallis illa conflarentur.

Hæc ergo ſua ſpecula piæ mulieres, quæ ante illis utebantur ad crines concinnandos, inquit Aben-Eſra, iam ſpreta hac vanitate, divino cultui conſecrarunt. Mulieres, inquam, QUAE IN OSTIO, ſeu circa oſtium, TABERNACULI EXCUBABANT. Chaldaice, *orabant*; Græce, *ieiunabant*; Hebraice, *excubabant* & *militabant*. Erant enim devotæ mulieres divini cultus ſtudioſiores, quæ certatim ac turmatim, fere ad modum cohortium militarium, ex ſingulis tribubus per vices ad tabernaculum confluere quotidie ſolebant, partim orandi, & ieiunia celebrandi, aliaque pia opera exercendi cauſa, partim legis audiendæ & exequendæ gratia: vel etiam ut manuali opere, nendo, texendo, acupingendo, lavando, verrendo iuvarent opifices, & miniſtros tabernaculi. Nam *militare*, Hebræis ſignificat omne genus famulatus, ſeu miniſterii. Hinc Epiſt. I. ad Tim. I. verſ. 18. & alibi, levitæ, Angeli, cæli, ſidera, omniſque creatura vocantur milites vel militia Dei. Non ergo perpetuo manebant hæ mulieres circa tabernaculum, ſaltem non eædem, ſed aliæ atque aliæ per vices. Licet poſterioribus temporibus, cum fixo loco hæreret tabernaculum, verbi gratia in Silo, non negarim, conſtructa fuiſſe vicina quædam tabernaculo ædificia, quibus eiuſmodi mulieres neceſſario loci illius ſervitio deputatæ excipiebantur, quarum mentio fit I. Reg. II. verſ. 22. & II. Mach. III. verſ. 19. mentio fit virginum illic concluſarum. Et talibus vero ſimiliter præerat Anna Prophetiſſa Lucæ II. & inter tales enutrita fuiſſe dicitur B. Virgo uſque dum matrimonio iungeretur Ioſepho. Ita de virginibus iſtic ac viduis ſentiunt S. Ambroſius, Gregorius Nyſſenus, Evodius, Damaſcenus, Baronius, Eſpencæus, Caniſius, Suarez, Serarius *c*; immo & Calvinus, ac Beza *d*: licet hic ad ſolas viduas malit reſtringere; iſte virginibus etiam ad nuptias tranſitum licuiſſe contendat.

(*a*) Philo Lib. III. De Vita Moyſis.
(*b*) Vitr. Lib. VII. cap. III. Plin. Lib. XXXIII. cap. IX. & Lib. XXXIV. cap. XVII.
(*c*) Ambr. Lib. II. de Virg. Nyſſen. orat. de Chriſti Nativit. Evod. apud Nicephorum Lib. II. cap. III. Damaſc. Lib. III. cap. XIII. Baron. in Apparatu Annal. Eſpencæus Lib. III. de Continentia cap. VII. Caniſ. Lib. I. de B. Virg. cap. XII. Suar. in III. p. Serar. in II. Mach. III.
(*d*) Calvin. hic, & Beza in Lucæ II.

GORDONI.

Verſ. I. QUADRUM: æqua longitudo, & latitudo.

V. 8. Nempe labrum fecit tam politum, & terſum, ut eſſet ſpeculum quo ſe poſſent intueri mulieres במראת *bemarot*, *in viſionibus*. Septuag. *ἐκ κατόπτρων*. Lavatorium ergo ex ſpeculis ære polito, ex quo olim facta ſpecula ſcribit Plinius Libro XXXIV. cap. XVII. Mulieres excubabant, vel ad orandum ibi manebant. Septuag. vertunt *ieiunabant*. Hebr. צבאת *tſobeoth*, *militabant*.

V. 17. Vide de his columnis cap. XXVII. verſ. 10. & verſ. 17. Conſtant quidem capitella columnarum partibus variis; ſicut etiam fiebant vario artificio, Dorico, Ionico, & Corinthiaco. Moſaicis columnis non male accommodatur Ionicum artificium, ubi capitellum habebat duas præſertim partes, quæ vocantur abacus, & limax: & quidem limax (pars hæc dicta a convolutione) abaco ſubiicitur. Hebraice duæ iſtæ partes vocantur ראשים *raſim*, *capita*: Latine, *capitellum*. Habent etiam Hebræi, ווים *vavim*, eiuſdem ſignificatus; licet aliqui hæc duo nomina ad partes ſpeciatim denotandas applicent.

V. 18. De obſcurioribus hic & reliquo capite vocibus, vide ſupra cap. XXVI. ubi de Tabernaculo; & cap. XXVII. ubi de altari. De paxillis, vide cap. XXVII. verſ. 19.

V. 23. PLUMARIUS acupictor eſt, ex forma plumarius.

V. 24. Hic de oblatis ad tabernaculum fabricatum: de talento, numero, & ſiclorum valore, multa ſuperius. Vide Vilalpandum in apparatu urbis. & templi. p. II. Lib. II. diſp. IV. cap. XXXIII. fol. 409. Ceterum Sept. mendoſe habent viginti, pro triginta.

Digitized by Google

V. 25. Numerantur hic (ut etiam Num. cap. 1.) armatorum 603550. Quod dicitur *de ſexcentis*, hoc eſt a ſexcentis, vide cap. xxx. verſ. 13. ubi quilibet iubetur dare dimidium ſicli, unde reſultat numerus ſiclorum 301775. Verum cum inter duos hos cenſus interceſſerit tempus, ex Num. cap. 1. quomodo utrobique idem numerus? Certe quia modicum tempus interceſſit inter duos cenſus; & uterque contigit poſt cædem, & erectum vitulum. At, excurrente illo brevi tempore, aliqui mortui ſunt, alii attigerunt vigeſimum annum. Hic laborat Abulenſis. Dico tamen ad ſecuritatem numeri repetitum eſſe cenſum, & facile contingere potuiſſe, ut qui attigerunt eo tempore annum vigeſimum, æquarent numerum defunctorum.

V. 26. FUERUNT, &c. Colligit hic, non quidem quot fuerint talenta, ſed ex talentis collectis quot fuerint in hoc opere, & quot in alio inſumpta: & ad hunc diverſum ſenſum diſcrepantem a priori verſiculo iudicandum valet particula *præterea*, quam aliqui ſine cauſa queruntur eſſe ſuperfluam. Septuag. hic baſes vocant *κεφαλίδας*, niſi ſit errore mutatum nomen: nam verſ. 30. vocant *βάσεις*.

Putant aliqui, aut ſuſpicantur in noſtro textu deeſſe aliquid, quod eſſe deberet inter textum 25. & 26. per quod explicetur valor talenti Hebraici. Sane id habet ſatis aperte textus Hebraicus; nec multum ab Hebraico abſunt Septuaginta.

V. 27. CENTUM TALENTIS. Talentum vulgare libras habet 60. ſacrum libras 120. libra habet ſiclos 25. Diſtinguunt porro aliqui ſiclum ſacrum, & vulgarem, de quo alibi.

V. 28. & 29. Noſter textus verſu 28, habet VESTIVIT ARGENTO, ac proinde minus recte auro, apud Septuaginta *κατεχρύσωσε*; ſicut etiam verſu 29. male numerant talenta æris: recte Noſter, & Hebræus.

V. 30. & 31. Baſes iſtæ ſunt columnarum, quæ erant in introitu: vide cap. xxvi. verſ. ult. Porro de hoc altari, & vaſis, vide cap. xxvii. verſ. 1. & verſ. 19. Denique quod eſt hic verſ. 31. BASES ATRII, intelligit baſes columnarum, ut ſupra cap. xxvii. verſ. 10. & 17. & de paxillis, ibidem.

Ex Eiusdem Auctario

V. 1. ENUMERATA SUNT. Ad levitas pertinebat tabernaculum ferre, diſſolvere, componere & numerare inſtrumenta tabernaculi coram Ithamaro filio Aaron, qui his præerat. De aliis vide ſup. cap. xxxvii.

CAPUT XXXIX.

Pontificalia ſacerdotaliaque conficiuntur ornamenta, totumque iniunctum opus perficitur.

1 DE haycintho (*a*) vero & purpura, vermiculo, ac byſſo, fe-
cit veſtes, quibus induerentur Aaron quando miniſtrabat in
ſanctis, ſicut præcepit Dominus Moyſi. 2. Fecit igitur ſu-
perhumerale de auro, hyacintho, & purpura, coccoque
bis tincto, & byſſo retorta, 3. opere polymitario; incidit-
que bracteas aureas, & extenuavit in fila, ut poſſent torque-
ri cum priorum colorum ſubtegmine, 4. duaſque oras ſibi in-
vicem copulatas in utroque latere ſummitatum, 5. & balteum ex eiſdem colori-
bus, ſicut præceperat Dominus Moyſi. 6. Paravit & duos lapides onychinos, a-
ſtrictos & incluſos auro, & ſculptos arte gemmaria * nominibus filiorum Iſrael:
7. poſuitque eos in lateribus ſuperhumeralis, in monimentum filiorum Iſrael,

ſicut

ſicut præceperat Dominus Moyſi. 8. Fecit & rationale opere polymito iuxta opus ſuperhumeralis, ex auro, hyacintho, purpura, coccoque bis tincto, & byſſo retorta: 9. quadrangulum, duplex, menſuræ palmi. 10. Et poſuitin eo gemmarum ordines quatuor. In primo verſu erat ſardius, topazius, ſmaragdus. 11. In ſecundo, carbunculus, ſapphirus, & iaſpis. 12. In tertio, ligurius, achates, & amethyſtus. 13. In quarto, chryſolithus, onychinus, & beryllus, circumdati & incluſi auro per ordines ſuos. 14. Ipſique lapides duodecim, ſculpti erant nominibus duodecim tribuum Iſrael, ſinguli per nomina ſingulorum. 15. Fecerunt in rationali & catenulas ſibi invicem cohærentes, de auro puriſſimo: 16. & duos uncinos, totidemque annulos aureos. Porro annulos poſuerunt in utroque latere rationalis, 17. e quibus penderent duæ catenæ aureæ, quas inſeruerunt uncinis, qui in ſuperhumeralis angulis eminebant. 18. Hæc & ante & retro ita conveniebant ſibi, ut ſuperhumerale & rationale mutuo necterentur, 19. ſtricta ad balteum, & annulis fortius copulata, quos iungebat vitta hyacinthina, ne laxa fluerent, & a ſe invicem moverentur, ſicut præcepit Dominus Moyſi. 20. Fecerunt quoque tunicam ſuperhumeralis totam hyacinthinam, 21. & capitium in ſuperiori parte contra medium, oramque per gyrum capitii textilem 22. deorſum autem ad pedes mala punica ex hyacintho, purpura, vermiculo, ac byſſo retorta: 23. & tintinnabula de auro puriſſimo, quæ poſuerunt inter malogranata in extrema parte tunicæ per gyrum: 24. tintinnabulum autem aureum, & malum punicum, quibus ornatus incedebat pontifex quando miniſterio fungebatur, ſicut præceperat Dominus Moyſi. 25. Fecerunt & tunicas byſſinas opere textili Aaron, & filiis eius: 26. & mitras cum coronulis ſuis ex byſſo: 27. feminalia quoque linea, byſſina: 28. cingulum vero de byſſo retorta, hyacintho, purpura, * ac vermiculo bis tincto arte plumaria, ſicut præceperat Dominus Moyſi. 29. Fecerunt & laminam ſacræ venerationis de auro puriſſimo, ſcripſeruntque in ea opere gemmario, Sanctum Domini: 30. & ſtrinxerunt eam cum mitra vitta hyacinthina, ſicut præceperat Dominus Moyſi. 31. Perfectum eſt igitur omne opus tabernaculi & tecti teſtimonii: feceruntque filii Iſrael cuncta quæ præceperat Dominus Moyſi. 32. Et obtulerunt tabernaculum & tectum & univerſam ſupellectilem, annulos, tabulas, vectes, columnas ac baſes, 33. opertorium de pellibus arietum rubricatis, & aliud operimentum de ianthinis pellibus, 34. velum, arcam, vectes, propitiatorium, 35. menſam cum vaſis ſuis & propoſitionis panibus: 36. candelabrum, lucernas, & utenſilia earum cum oleo: 37. altare aureum, & unguentum, & thymiama ex aromatibus: 38. & tentorium in introitu tabernaculi: 39. altare æneum, retiaculum, vectes, & vaſa eius omnia: labrum cum baſibus ſuis: 40. tentorium in introitu atrii, funiculoſque illius & paxillos. Nihil ex vaſis defuit, quæ in miniſterium tabernaculi, & in tectum fœderis iuſſa ſunt fieri. 41. Vectes quoque, quibus ſacerdotes utuntur in Sanctuario, Aaron ſcilicet & filii eius, 42. obtulerunt filii Iſrael, ſicut præceperat Dominus. 43. Quæ poſtquam Moyſes cuncta vidit completa, benedixit eis.

(*) Sup. xxviii. 8.

BRUGENSIS

Romanae Correctiones.

V. 6. *Nominibus filiorum Iſrael*. Sequitur in quibuſdam manuſcriptis: *Sex nomina in lapide uno, & ſex in altero, iuxta ordinem nativitatis eorum*: ſed non eſt huius loci, verum capitis XXVIII, ſuperioris verſ. 10.

V. 28. *Ac vermiculo bis tincto, arte plumaria*. Inſignis locus, quo pro una voce *diſtinctum*, quæ a pleriſque legitur, & refertur ad cingulum, prudenter ſubſtitutæ ſunt duæ *bis tincto*, iungendæ cum vermiculo, Hebræo ſuffragante.

COMMENTARIA

S A.

Verſ. 1. Sanctis, id eſt Sanctuario. *Verſ.* 3. Torqueri, ſubaudi & texi. Colorum, id eſt filorum dicti coloris.

V. 4. Summitatum, id eſt extremitatum.

V. 9. Quadrangulum, id eſt quadratum. Duplex, id eſt duplicatum.

V. 10. Versu, id eſt ordine.

V. 15. Cohaerentes, id eſt complicatas.

V. 16. Utroque latere. Hebr. *duabus extremitatibus*.

V. 18. Ante et retro, id eſt in principio & fine; vel a rationali, quod in pectore, ad ſuperhumerale, quod velut retro erat. Vide ſup. XXXVIII.

V. 21. Contra medium. Hebr. *in medio*.

V. 26. Coronulis, id eſt ornamento circum, ſeu byſſinæ vittæ gyris quibuſdam, ut ait Ioſephus.

V. 29. Sacrae venerationis. Hebr. *coronæ ſanctæ*, ſeu *coronam ſanctitatis*, ut vertit Chald.

V. 32. Et tectum; pro, id eſt rectum, ſcilicet tentorium.

V. 37. Unguentum, id eſt oleum unctionis.

V. 38. Tentorium, id eſt velum.

V. 40. Tectum, id eſt tentorium.

V. 42. Obtulerunt. Hebr. *Attulerunt ad Moyſen*.

E S T I I.

Verſ. 29. Fecerunt et laminam sacrae venerationis... scripseruntque in ea opere gemmario, Sanctum Domini. Similia habentur cap. XXVIII. Significant autem hæc verba, non ſolum nomen Domini tetragrammaton fuiſſe inſcriptum laminæ pontificiæ, ut quidam putant, dicentes quatuor tantum litteras quibus illud nomen conſtat, ibi poſitas fuiſſe; ſed totum iſtud, ut eſt in Hebræo, *Domino Sanctum*, quod apud Hebræos habet novem litteras. Poteſt autem illud duobus modis intelligi. Vel hoc modo: Sanctitas decet Dominum, ſancte, pure, & caſte colendus eſt: procul abſiſtat omnis profanus, & immundus. Cum hoc ſenſu quadrat illud toties repetitum in Levit. *Sancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum*. Vel iſto modo: *Sanctitas eſt Domino*; id eſt, Dominus ſanctiſſimus eſt, & fons, atque origo omnis ſanctitatis in creaturis. Ad quam ſanctitatis perfectionem ſignificandam in Apoc. & in Iſaia ter repetitur *Sanctus*. Numerus enim ternarius ſummam ac divinam quamdam perfectionem oſtendit. Sed & hic ſenſus admonet ſacros miniſtros, ut ſancti & impolluti eſſe ſtudeant, qui Sancto ſanctorum aſſiſtunt.

V. 43. Quae postquam Moyses cuncta vidit completa, benedixit eis. Hæc verba prima facie ſignificare videntur Moyſen benedixiſſe tabernaculo, ceteriſque operibus. Sed non ita eſt. Nam ſequenti capite deſcribitur omnium illorum operum conſecratio, quæ facta eſt, partim unctione olei ſancti, partim præſentia Domini, cuius gloria in nube apparens implebat tabernaculum. Benedixit ergo Moyſes, non rebus iis quæ offerebantur a populo, ſed ipſi populo offerenti: eſt enim maſculinum genus, tam in Hebræo quam apud Septuaginta. Vertunt

Digitized by Google

tunt quidam hoc modo: *Et laudavit eos Moyſes*. Septuaginta habent: *Et benedixit eos Moyſes*. Senſus eſt, Moyſes colluſtrato toto opere, videnſque perſectum, collaudavit diligentiam, & pietatem eorum, & bene eis precatus eſt.

MARIANAE.

Verſ. I. FECIT VESTES, QUIBUS INDUERETUR AARON. Hebr. *Fecerunt veſtes miniſterij ad miniſtrandum in Sanctuario: & fecerunt veſtes ſanctas Aaroni, ſicut præcepit Dominus Moyſi*. Ex his verbis duplices fuiſſe veſtes quidam colligunt. Hieronymus putavit eaſdem fuiſſe, & poſtrema verba priorum explicationem eſſe, nempe veſtes miniſterii eas eſſe, quæ Aaroni ſunt factæ; ideo illa verba, *veſtes miniſtern*, omiſit: ſed de hac re cap. XXXI. verſ. 10.

V. 3. OPERE POLYMITARIO: non eſt in Hebræo, neque in Septuag. neque Thargum, ſed ex verſu proximo eſt translatum huc. INCIDITQUE BRACTEAS. Hebr. *Extenderunt bracteas auri, & ſcidit fila ad faciendum in medio hyacinthi, & in medio purpuræ, & in medio coccini, & in medio byſſi opus cogitantis*, hoc eſt phrygionicum. Significat autem, in ea veſte, ſcilicet ſuperhumerali, acu pictas res varias, itaque præter variam texturam additas alias elegantias.

V. 29. SANCTUM DOMINI, ſcripſerunt in lamina. Ex hoc loco, & ex cap. XXIX. verſ. 37. videtur in lamina, quæ erat in fronte Pontificis, non fuiſſe ſcriptum nudum Dei nomen, ſed totum hoc, SANCTUM ADONAI, id eſt *Sanctum Domini*, vel *Sanctitas Domini*, ut eſt in Hebræo.

V. 31. PERFECTUM EST IGITUR OMNE OPUS: ſic vertunt Sept. & Chaldæus. Hebraice eſt, *perfecit*; ſed litteræ ותכל *Vathechel* & active legi poſſunt, ut puncta appoſita modo indicant legendum; & paſſive *Vathucal*, ut olim arbitror lectum, & magis ea lectio quam activa conſentanea videtur. Quando quis opus perfecerit, non explicatur.

MALVENDAE.

CONferendum omnino hoc caput cum capite XXVIII, ſupra.

Verſ. 3. BRACTEAS. פחים *pachim* plerique *laqueos* reddunt; intelligunt autem retia habentia foveas, ſeu aperturas, vel foramina. Putant eſſe, quæ Hiſpanice *deshilados* vocant. Alii *laminas*, ſeu *bracteas*: ſic enim vox capitur Num. XVI. 38. Totum hunc verſum quidam dilucidius ita convertunt: *Extenuaveruntque bracteas aureas, unde abſcidit fila, quæ texebantur cum hyacintho, purpura, cocco, & lino, opere phrygionis*. Aliqui: *Et deduxerunt bracteas aureas, ut abſcinderentur faſciæ quæ texebantur inter hyacinthum, purpuram, & coccum bis tinctum, & byſſum, opere ſcilicet polymito*. Alii: *Ductis enim bracteis illius auri, ſciderat artifex filamenta, ad inſerendum inter hyacinthina ipſa, & inter purpura, & inter coccina dibapha, & inter illud xylinum, opere artificioſiſſimo*.

V. 22. AC BYSSO RETORTA. Vox *byſſi* non eſt Hebraice, ſed tantum משזר *maſchezar*, de quo egimus cap. XXVI. v. 1. Et quidem hic Noſter & plerique alii *byſſum* ſubaudiunt; at in mandato conficiendorum malorum Punicorum ſupra c. XXVIII. verſ. 33. nulla eſt mentio byſſi. Unde hic ſimpliciter quidam intelligunt, *complicatum, internexum*, nimirum opus: quod ſcilicet malogranata eſſent ex hyacinthina, purpurea, & coccinea dibapha materia confecta & contexta, opere complicato, intorto, internexo. Hinc aliqui exponunt, *filis internexis*.

V. 26. CUM CORONULIS SUIS. Hebr. *Et decora, ornatus, ornamenta pileorum, galeorum, mitrarum, tiararum*. Quidam obſervant, ex hoc loco liquere, ornamenta quædam fuiſſe applicata tiaris ſeu pileis ſacerdotum. Alii volunt eſſe hypallagem, *ornamenta tiararum*, pro tiaras ornamentorum, id eſt tiaras ornatas, pulchras, elegantes. Vide cap. XXVIII verſ. 40.

V. 36. CANDELABRUM. Hebr. additur, *candelabrum mundum, purum, nitidum*. Vide cap. XXXI. verſ. 8.

V. 41. VESTES QUOQUE, QUIBUS SACERDOTES, &c. vide cap. XXXI. verſ. 10.

V. 43. BENEDIXIT EIS; id eſt, collaudavit, commendavit eos, qui obtulerunt, & qui ex rebus oblatis ea, quæ mandaverat Deus, perfecerant: atque omnia fauſta, felicia, fortunata precatus eſt eis,

MENOCHII.

Pleraque huius capitis habes ſupra cap. XXVIII.

V. 1. In sanctis, in ſanctuario.

V. 3. Torqueri: ſubintellige, & texi.

V. 4. Duasque oras, ſcilicet fecit. De his oris vide cap. XXVIII. 10.

V. 10. Primo versu, primo ordine.

V. 29. Opere gemmario, ut gemmarii inſculpere ſolent in ſigillis.

V. 31. Tecti, tegumenti e ſaccis cilicinis.

V. 43. Benedixit: bene precatus eſt, vel laudavit.

TIRINI.

Verſ. 24. Tintinnabulum aureum, et malum punicum: ſubaudi, ſibi mutuo per vices, & alterna iungebantur: ſcilicet, nunc tintinnabulum unum, dein malum punicum unum; mox tintinnabulum alterum, & alterum malum punicum: & ſic conſequenter, ut expreſſe iubetur cap. XXVIII. ubi etiam reliqua huius capitis omnia explicata habes. Notat Clemens Alexandrinus *a*, per *366.* tintinnabula, quæ pendebant ex veſte talari pontificis, deſignari annum biſſextilem (qui *366.* diebus conſtat) quo Chriſtus cœpit prædicare in mundo, & reſonare verbum Dei. Nam 15. annus imperii Tiberii, quo cœpit Chriſtus prædicare, biſſextilis erat, ut patet ex iis quæ dixi in Chronico cap. XLIX.

(*a*) Clem. Alex. lib. I. ſtromat.

GORDONI.

Verſ. 1. Quae in hoc capite egent explicatione, ſunt declarata ſupra cap. XXVIII. ubi de Pontificis & ſacerdotum veſtibus; de hyacintho, byſſo retorta, lapidibus: ibi imperata omnia, hic facta.

Verſ. 3. Inciditque. *Extenderunt bracteas auri*, ex Hebr. Deſignat in hac veſte ſuperhumerali fuiſſe varias res acupictas, præter picturam variam.

V. 9. Duplex, duplicatum.

V. 10. Versu, ordine.

V. 21. Contra medium, in medio.

V. 24. Hoc explicatur ex cap. XXVIII. verſ. 33. & 34. De mixtis tintinnabulis, & malis punicis, ex eodem capite XXVIII. pendet omnino huius trigeſimi noni capitis ſenſus.

V. 29. Sacrae venerationis. Hebr. *coronæ ſanctæ*.

Verſ. 37. Unguentum, oleum unctionis, ut ſupra.

Ex Eiusdem Auctario.

V. 3. Ut poſſent innecti, et texi cum ſubtegmine ſeu licio textoris.

V. 4. De oris ſupra cap. XXVIII. v. 10.

V. 29. Gemmario; ſicut gemmarii ſolent ſua inſculpere.

CAPUT XL.

Primo menſe tabernaculum erigendum & conſecrandum præcipitur; quo facto, maieſtate Dei repletur, nube tabernaculum continue operiente, niſi dum eſſet proficiſcendum.

1 LOcutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens: 2. Menſe pri-
mo, prima die menſis, eriges tabernaculum teſtimonii, 3.
& pones in eo arcam, * demitteſque ante illam velum: 4.
& illata menſa, pones ſuper eam quæ rite præcepta ſunt.
Candelabrum ſtabit cum lucernis ſuis, 5. & altare aureum
in quo adoletur incenſum, coram arca teſtimonii. * Ten-
torium in introitu tabernaculi pones, 6. & ante illud altare
holocauſti: 7. labrum inter altare & tabernaculum, quod
implebis aqua. 8. Circumdabiſque atrium tentoriis, & ingreſſum eius. 9. Et aſ-
ſumpto unctionis oleo unges tabernaculum cum vaſis ſuis, ut ſanctificentur 10.
altare holocauſti & omnia vaſa eius: 11. labrum cum baſi ſua: omnia unctio-
nis oleo conſecrabis, ut ſint Sancta ſanctorum. 12. Applicabiſque Aaron & filios
eius ad fores tabernaculi teſtimonii, & lotos aqua 13. indues ſanctis veſtibus,
ut miniſtrent mihi, & unctio eorum in ſacerdotium ſempiternum proficiat. 14.
Fecitque Moyſes omnia quæ præceperat Dominus. 15. Igitur menſe primo anni
ſecundi, prima die menſis, collocatum eſt tabernaculum. 16. (*a*) Erexitque
Moyſes illud, & poſuit tabulas ac baſes & vectes, ſtatuitque columnas, 17.
& expandit tectum ſuper tabernaculum, impoſito deſuper operimento, ſicut Do-
minus imperaverat. 18. Poſuit & teſtimonium in arca, ſubditis infra vectibus,
& oraculum deſuper. 19. Cumque intuliſſet arcam in tabernaculum, appendit an-
te eam velum, ut expleret Domini iuſſionem. 20. Poſuit & menſam in taberna-
culo teſtimonii ad plagam ſeptemtrionalem extra velum, 21. ordinatis coram
propoſitionis panibus, ſicut præceperat Dominus Moyſi. 22. Poſuit & candela-
brum in tabernaculo teſtimonii e regione menſæ in parte auſtrali, 23. locatis
per ordinem lucernis, iuxta præceptum Domini. 24. Poſuit & altare aureum ſub
tecto teſtimonii contra velum, 25. & adolevit ſuper eo incenſum aromatum,
ſicut iuſſerat Dominus Moyſi. 26. Poſuit & tentorium in introitu tabernaculi
teſtimonii, 27. & altare holocauſti in veſtibulo teſtimonii, offerens in eo holocau-
ſtum, & ſacrificia, ut Dominus imperaverat. 28. Labrum quoque ſtatuit inter
tabernaculum teſtimonii & altare, implens illud aqua. 29. Laveruntque Moyſes
& Aaron ac filii manus ſuas & pedes, 30. cum ingrederentur tectum fœderis,
& accederent ad altare, ſicut præceperat Dominus Moyſi. 31. Erexit & atrium
per gyrum tabernaculi & altaris, ducto in introitu eius tentorio. Poſtquam o-
mnia perfecta ſunt, (*b*) operuit nubes tabernaculum teſtimonii, 32. & gloria
Domini implevit illud. 33. Nec poterat Moyſes ingredi tectum fœderis, nube
operiente omnia, & maieſtate Domini coruſcante, quia cuncta nubes operue-
rat. 34. Si quando nubes tabernaculum deſerebat, proficiſcebantur filii Iſrael per
tur-

Digitized by Google

turmas ſuas: 35. ſi pendebat deſuper; manebant in eodem loco. 36. Nubes quippe Domini incubabat per diem tabernaculo, & ignis in nocte, videntibus cunctis populis Iſrael per cunctas manſiones ſuas.

(*a*) Num. VII. 1. (*b*) Num. IX. 15. III. Reg. VIII. 10.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 3. *Demitteſque ante eam velum*. In Romana anni 1593. editione eſt *dimittes*, quod eſt relinques, pro *demittes*, quod eſt expandes; ſed lapſus eſt Typographus Romanus, dans illud pro hoc, vocalem tertiam pro ſecunda.

V. 5. *Tentorium in introitu tabernaculi pones*. Non eſt hic addenda vox *teſtimonii* voci *tabernaculi*, ut nec infra verſ. 19.

COMMENTARIA

SA.

Verſ. 2. PRIMO, ſcilicet anni ſecundi ab egreſſu ex AEgypto.

V. 4. PONES SUPER EAM QUAE RITE PRAECEPTA SUNT. Hebr. *Ordinabis ordinationem eius*; quaſi dicat: Diſpones eam, ut ego diſponi iuſſi.

V. 11. UT SINT. Heb. Chald. & LXX. *Et erit altare*, ſcilicet quod ſequitur. SANCTA SANCTORUM. Hebr. *Sanctitas ſanctitatum*, id eſt ſanctiſſimum.

V. 12. LOTOS AQUA. De hoc dictum eſt ſupra per anticipationem.

V. 13. PROFICIAT. Hebr. *ſit*. Not. hic ab Interprete dictum breviſſime, & conciſe, quod Hebr. fuſe, & diſtincte: ſcilicet lavandos, induendos, & ungendos Aaron, & filios, &c.

V. 20. TESTIMONII, id eſt Decalogi tabulas.

V. 32. GLORIA, ſcilicet nubes, ut ſtatim dicitur, vel claritas ſeu ſplendor.

V. 33. TECTUM, id eſt tentorium, ſeu tabernaculum: ſic ſup. verſ. 26. MAIESTATE DOMINI CORUSCANTE. Hebr. *Gloria Domini tabernaculum implente*.

V. 36. MANSIONES. Hebr. *profectiones*; id eſt, quoties proficiſcebantur.

ESTII.

Verſ. 11. OMNIA UNCTIONIS OLEO CONSECRABIS, UT SINT SANCTA SANCTORUM. Hoc in Hebræo dicitur peculiariter de altari: *Et erit altare ſanctitas ſanctitatum*; id eſt, haberi debet inſigniter ſanctum.

V. 13. ET UNCTIO EORUM IN SACERDOTIUM SEMPITERNUM PROFICIAT. In Hebræo habetur: *Et erit ut ſit eis unctio eorum in ſacerdotium ſæculi in generationes eorum*. Et ſenſus idem eſt cum eo quem diximus cap. XXIX. ad illud: *Eruntque ſacerdotes mihi religione perpetua*. Vide ibi annotata verſ. 9.

Verſ. 33. NEC POTERAT MOYSES INGREDI TECTUM FOEDERIS, NUBE OPERIENTE OMNIA. *Tectum fœderis* idem eſt cum eo quod paulo ante vocaverat *Tabernaculum teſtimonii*: quod Hebr. eſt, *Tabernaculum conventus ſive eccleſiæ*. Apparet autem nubem fuiſſe craſſam & caliginoſam, propter quam Moyſes illuc ingredi non potuerit. Tale quid etiam accidit ſacerdotibus in dedicatione templi a Salomone constructi, nebula templum implente III. Reg. VIII. Ex quo apparet, eamdem nebulæ, ſeu nubis utrobique fuiſſe conſtitutionem, licet nonnulli ſolicite diſtinguere videantur. Significat autem nebula ſive caligo iſta ſtatum veteris teſtamenti, & velum quo operiebatur facies Moyſi, & quod oppanſum erat ante Sancta ſanctorum. Nam lex umbra erat futurorum, & priuſquam veniret fides, ſub lege cuſtodiebamur concluſi, in eam fidem quæ revelanda erat.

MARIANAE.

Verſ. 9. ET ASSUMPTO UNCTIONIS OLEO UNGES TABERNACULUM. Ungi tabernaculum, & omnia quæ inſunt, præcipit, ut cuncta redoleant pietatem.

V. 15. IGITUR MENSE PRIMO ANNI SECUNDI. Menſis primus fuit Niſan, cuius die primo erectum eſt tabernaculum. Quod vero ait *anni ſecundi*, ex

quo

quo egreſſi ſunt de AEgypto, & poteſt intelligi, ut annus ſit completus, aut ut ſit inchoatus, quod magis cum littera conſentire videtur.

Verſ. 17. ET EXPANDIT TECTUM SUPER TABERNACULUM. Pro *tecto* & אהל *obel* Sept. poſuerunt *cortinas*: ſane ex hoc loco אהל a משכן, id eſt *tentorium* a *tabernaculo*, diſtingui ſatis colligitur. De quo cap. XXXVI. verſ. 14.

V. 18. POSUIT ET TESTIMONIUM IN ARCA, nempe tabulas legis.

Tabernaculi forma.

QUæ de Moyſis tabernaculo dicuntur, facilius percipientur, ſi eius formam, & partes ob oculos brevi expoſuero. Ac primum: Tabernaculi eius ianua, ſecus quam noſtra templa, orientem ſolem ſpectabat. Eius atrium cubitos centum in longitudinem patebat, in latitudinem quinquaginta, in ſublime quinque non amplius, ex omni parte detectum, ſoliſque, & imbrium iniuriis ſemper obnoxium. Atrium ſic componebatur: Sexaginta valli, ſeu poſtes, paribus intervallis quinque cubitos inter ſe diſtantes, in terra figebantur, pluribus inſtructi annulis, ut inſertis funibus & clavis in terra compactis contra vim ventorum firmarentur. Inter vallos byſſina cortina tendebatur paris altitudinis, quæ totum ſpatium & aream circulo parietis inſtar ambiebat, demptis in latere fronteque orientali viginti cubitis: quod ſpatium non ſimplici cortina, ſed variis coloribus picta, in ipſo atrii adytu tegebatur. A quinquageſimo intra atrium cubito verſus occaſum tabernaculum ſurgebat longum triginta cubitos, latum altumque decem. Tribus ex lateribus octo & quadraginta tabulis ſeu aſſeribus tabernaculum cingebatur, quæ in terra cuſpidibus argenteis defixæ, atque per annulos vecteſque immiſſos incaſtratæ inter ſe, fortiterque connexæ, quaſi parietem efficiebant, & contra vim ventorum tabernaculum muniebant. Aſſeres ſeſquicubitales erant, longi cubitos decem, quanta fabricæ altitudo. Hæc tria latera cum ſuperiori parte tecti inſtar, cortina tegebat longa quadraginta cubitos, lata octo & viginti, uſque ad terram minus uno cubito. Serico multicolore hæc cortina contexta erat, acuque depicta, atque e decem minoribus cortinis confecta, quæ ſingulæ longæ viginti octo cubitos erant, quanta maioris cortinæ latitudo; latæ cubitos quatuor. Porro ex iis duæ maiores cortinæ efficiebantur: quæ inter ſe anſulis quibuſdam & annulis aureis connexæ, maiorem illam cortinam conſtituebant, qua tria latera & tabernaculi pars ſuperior & quaſi cælum tegebantur. Hanc cortinam tegebat altera e caprarum pilis contexta, aliquanto latior longiorque priori, quippe lata cubitos triginta, longa quadraginta quatuor, ex undecim minoribus cortinis confecta, ſingulis longitudine cubitorum triginta, latitudine quatuor. Ea tria latera ad terram tegebantur & tectum. Quatuor cubiti qui ſupererant, a fronte tabernaculi & verſus orientem reducebantur, aut vero pendebant quaſi in lecto ſubgrundia. Supra hanc cortinam pelles rubricatæ prius, deinde aliæ cæruleæ cæli imaginem repræſentantes pari menſura adhibebantur, tabernaculumque tegebant, dempta tantum orientali fronte. Totum tabernaculum ſecundum longitudinem dividebatur in duas partes. Altera quoquoverſus decem cubitorum erat, adytumque efficiebat, Sanctum ſanctorum dictum, id eſt eximium & præcipuum inter loca ſancta. Quod ſpatium quatuor columnis, veloque acu picto longo latoque decem cubitos, a reliquo tabernaculo ſeiunctum erat, quod Sanctuarium vocabatur; & in fronte quinque columnas habebat pari inter ſe intervallo, velumque priori ſimile & par: ſed velo altero e lino contextum annulis e funiculo pendens, ut feſtis præſertim diebus reduceretur, & interioris velaminis pulchritudo appareret, viderique a populo poſſet. Porro hæc vela in adyti & ſanctuarii fronte poſita, ex primæ cortinæ acu pictæ utroque ſecundum longitudinem latere præciſa credam, ne in utroque angulo ſinuaret verſus occaſum, quod fore alioqui neceſſum erat. In adyto totius fabricæ interiori parte arca tantum fœderis erat, & in ea duæ legis tabulæ; tum ſupra arcam propitiatorium, id eſt tabula aurea arcæ longitudini & latitudini par, quam Cherubini fulciebant. Sic totum opus regii throni imaginem referebat, cuius ſedes propitiatorium, arca ſcabellum pedum eſſe videbatur, ſpondæ Cherubini

ipſi. Et quidem ſedis throni, & ſcabelli nomine ſæpe arca cum adiunctis in divinis libris vocatur. Porro arca longa erat duos cubitos & ſemiſſem; quinque maiores palmos; lata altaque cubitum & ſemiſſem, palmos tres. In exteriori tabernaculi parte, quod Sanctuarium dicimus, erat altare thymiamatum, cubitum longum & latum, duploque altius, poſitum iuxta velum adyti; pauloque inferius ad auſtrum, candelabrum ſeptem calamis, & totidem lucernis diſtinctum; ad ſeptemtrionem menſa propoſitionis cum panibus, & reliquo apparatu. In atrii ingreſſu ad latus ingredientium ſiniſtrum & ad auſtrum, erat altare ſacrificiorum, quinque cubitos longum & latum, altum tres, in quo ſacrificia offerebantur, & comburebantur holocauſta. Præter altare, erat vas quoddam æreum amplum & patulum, in quod ex ſuperiori phiala aqua influebat fontis in modum ad abluendos ſacerdotes; ſuperius ſpecula a piis mulieribus oblata, ut qui ſacris operabantur, an in veſtibus quid eſſet indecorum, contemplabantur. In atrium, quo ad loci ferrent anguſtiæ, promiſcue populus admittebatur, ſed præſertim qui ſacrificia offerebant; in Sanctuarium exteriorem tabernaculi partem ſacerdotes, ut per noctem lucernas accenderent, & reliqua miniſteria ſuis temporibus exhiberent: nam in adytum, quod Sanctum ſanctorum, *Dabir* etiam vocabant, ſummus Sacerdos tantum, nec promiſcue, ſed ſtato ex lege tempore ad expiandum populum ingrediebatur.

Veſtes ſacerdotales.

Sacerdos quicumque ſacris operaturus ante omnia feminalia linea arcte circum lumbos conſtricta induebat: deinde adiiciebat tunicam item lineam ad talos uſque demiſſam, quæ ſtricta ad corpus non ſinuabat, & baltheo tamen quatuor lato digitos variis diſtincto coloribus circum ilia eam cingebant: capiti denique tiaram byſſinam, ſeu pileum imponebant. Nec plura erant ſacerdotum ornamenta, ſeu veſtes. Ad hæc tamen quatuor Pontifex alia adiiciebat. Supra lineam tunicam, veſtem aliam talarem colore hyacinthino; in cuius limbo malogranata & tintinnabula ordine erant collocata: ſuper hanc rurſus erat ſuperhumerale, ſeu ephod ante & retro uſque ad ilia demiſſum, textura & acu venuſtum, cum lacuna in medio pectore, ubi rationale inſerebant. In huius veſtis utroque humero duo lapides onychini erant auro incluſi, in quibus duodecim tribuum inciſa nomina erant, ſex in dextro, in ſiniſtro totidem. Veſtis hyacinthina, & ſuperhumerale baltheo altero, ſed pulchriori, conſtringebantur. In pectoris lacuna logium, oraculum, ſeu rationale erat inſertum in amuleti modum, ex utroque humero duabus aureis catenulis pendens, quatuorque annulis aureis ephodi connexum: quo in rationali duodecim nomina filiorum Iſrael in totidem gemmis inciſa. Erant & Urim & Thumim in rationali, de quibus Exod. XXVIII. verſ. 30. quod ſatis eſt diximus. Ad pileum quo alii ſacerdotes utebantur, Pontifex addebat mitram hyacinthinam triplici corona aurea diſtinctam, & in fronte laminam auream, inſcripto in ea Dei ineffabili nomine. Sic ſimplex ſacerdos quatuor ſeu veſtes ſeu ornamenta geſtabat, Pontifex decem.

MALVENDAE.

Verſ. 3. VELUM, illud intimum quod diſpeſcebat ſacratiſſimum Sacrarium a ſacroſancto, ſupra cap. XXVI. 33.

V. 4. PONES SUPER EAM QUAE RITE PRAECEPTA SUNT. Hebr. *Et ordinabis*, *diſpones*, *aptabis*, *ordinationem*, *diſpoſitionem eius*. Quidam: *Et ordinabis eam iuxta diſpoſitionem ſuam*. Alii, *Et ordinabis quæ ordinari oportet in ea*. Nonnulli intelligunt, diſpones ordine, ac rite panes ſuper illam, infra verſ. 23. Alii, diſpones res illas omnes, id eſt vaſa, ſeu inſtrumenta ex mandato Dei diſponenda, ſupra cap. XXV. 29.

V. 5. TENTORIUM. Hebr. *Velum*, *tegumentum*, *opertmentum*. Hoc eſt velum medium, quo definiebatur ſanctum, & ab atrio ſeparabatur, quod Hebræor. IX. 3. dicitur *ſecundum velum*. De quo ſupra cap. XXVI. verſ. 36.

V. 8. ATRIUM TENTORII. Hebr. *Et dabis velum*, *tegumentum*, *operimentum*, *portæ atrii*. Iſtud eſt tertium velum omnium extimum, quo terminabatur & claudebatur atrium, extima pars, ac velut ſepes tabernaculi, quæ ſine tecto erat: de quo velo vide ſupra cap. XXVII. verſ. 16. &

Digitized by Google

16. & cap. XXXVIII. verſ. 18. & infra hoc cap. XL. verſ. 33. De his tribus velis plenius egimus ſupra cap. XXVI. verſ. 36.

Verſ. 13. ET UNCTIO EORUM IN SACERDOTIUM SEMPITERNUM PROFICIAT. Hic Noſter tres verſ. Heb. 13. 14. & 15. in unum 13. contraxit illæſo ſenſu. Quidam unctionem hanc in ſacerdotium ſempiternum ita accipiunt, videlicet ut non eſſet opus unctionem repetere ad conſecrandum eorum poſteros in ſacerdotes: ungebantur enim poſtea ſummi ſacerdotes tantum: quamobrem ii ſoli dicuntur uncti, Levit. IV. 3. Vide ſupra cap. XXIX. verſ. 29. & cap. XXX. verſ. 30. & Levit. XXI. verſ. 10. Atque hoc ſenſu dictum fuiſſe volunt Ariſtobulum de genere ſacerdotum unctorum, II. Mach. I. verſ. 10.

V. 15. ANNI SECUNDI, ſcilicet egreſſionis filiorum Iſrael ex AEgypto: itaque erectum eſt tabernaculum integro anno poſt exitum ex AEgyto, 13. minus diebus.

V. 17. ET EXPANDIT TECTUM SUPER TABERNACULUM, &c. De hoc verſu vide ſupra cap. XXVI. verſ. 7. & 14. & cap. XXXVI. verſ. 14. & 19.

V. 29. LAVERUNTQUE MOYSES ET AARON, &c. Quidam notant, laviſſe Moſen cum grederetur ſacerdotis munus obiturus, uſque dum Aaronem, & filios eius plene conſecraviſſet, & omnia ſibi imperata in tabernaculo effeciſſet. ET AARON, AC FILII EIUS. Hos autem laviſſe quoties illis ſacerdotio fungendum erat.

V. 32. NUBES, illa de qua ſupra cap. XIII. verſ. 21. & 22.

V. 33. MAIESTATE DOMINI CORUSCANTE. Hebr. *Et gloria Domini implevit illud.* Putant ſingulari quadam ratione & aſpectabili ſymbolo quamprimum eo Dominus quaſi deſcenderet, coruſcaſſe gloriam illam.

V. 34. PROFICISCEBANTUR FILII ISRAEL PER TURMAS SUAS, Hebr. *In cunctis perfectionibus ſuis.* Id eſt, ubicumque eſſent, hoc ſigno intelligebant ſibi proficiſcendum eſſe: nimirum cum nubes ſuſtollebatur e tabernaculo. Vide Numeror. IX. verſ. 17. & ſequentibus.

V. 36. NUBES QUIPPE DOMINI, illa nempe de qua ſupra cap. XIII. verſ. 21. 22. & alibi ſæpe.

Valentiæ, 20. Ianuarii, anno ſalutis MDCXXII. ætatis vero meæ LVI. cum tamen opus quindecim dierum intervallo intermiſſum fuerit.

MENOCHII.

Verſ. 2. MENSE PRIMO, ſecundi anni egreſſus ex AEgypto, ut patet num. 15.

V. 4. CANDELABRUM STABIT. Heb. *Aſcendere facies*, Chald. *Accendes.*

Verſ. 5. TENTORIUM, velum ante Sanctum.

V. 13. IN SACERDOTIUM AETERNUM PROFICIAT; quaſi dicat: Iſta unctio faciat illos ſacerdotes quamdiu vixerint.

V. 17. TECTUM, ſive aulæum picturatum, ſive aulæum caprinum.

V. 18. TESTIMONIUM, tabulas legis. ORACULUM, propitiatorium.

V. 24. SUB TECTO TESTIMONII, ſub tecto communi ſancto & Sancto ſanctorum. CONTRA VELUM, e regione veli quod diſtinguit ſanctum a Sancto ſanctorum, extra tamen Sancta ſanctorum.

V. 31. GLORIA DOMINI, anguſta nubes, lucida, & coruſcans.

V. 33. NEC POTERAT MOYSES INGREDI, &c. tum ob reverentiam maieſtatis Domini; tum quia nubes ita omnia impleverat, ut Moyſes videre non poſſet.

V. 34. PER TURMAS SUAS, ordine diſpoſiti. SI QUANDO NUBES, &c. Columna nubis præeunte, ſequebantur ipſi.

TIRINI.

Verſ. 2. MENSE PRIMO, PRIMA DIE MENSIS, ſcilicet anni ſecundi ab egreſſu ex AEgypto, ut dicitur infra verſ. 15. Ergo lapſus iam erat pene integer annus, demptis nempe 14. diebus, antequam erectum eſt tabernaculum. Si rationem temporis poſtulas, en tibi ante oculos. A quintadecima die menſis primi qua egreſſi ſunt ex AEgypto, uſque ad legis promulgationem per Angelum in monte Sinai, fluxerunt dies 50. Inde Moyſes ſex diebus in monte fuit, non tamen ieiunus, neque intra nubem; ſed mox 40. diebus (Exod. XXIV.) ieiunus, & intra nubem in qua Deus erat. His exactis ad vitulum conflatilem deſcendit, & 36. dies impendit partim tabernaculo e caſtris efferendo, partim populo caſtigando, ſæpiuſque inſtruendo, partim ad montem

aliquoties adeundo (Exo. xxxIII.) redeundoque, & tabulas novas lapideas dolando, & aliis eiuſmodi. Denique alteram quadragenam dierum cum Deo ieiunus in monte tranſegit, ſcilicet uſque ad decimam diem menſis ſeptimi, quo cum poſterioribus tabulis Moyſes de monte deſcendit, populumque certum ac ſecurum reddidit de peccato idololatriæ illorum iam plene expiato: quare in memoriam tanti beneficii diem illum quotannis feſtum, & quidem titulo Expiationis perpetuo egerunt. Tertiæ Moyſis Quadrageſimæ, quam Hebræi fingunt, & Caietanus, Lyranus, ac Salianus *a* probare videntur, nullum hoc temporis intervallo reperire ſpatium poſſumus. Iam vero a die Expiationis iam dicto uſque ad primum diem primi menſis anni proxime ſequentis, nempe totis quinque menſibus cum dimidio, occupati fuerunt Hebræi in conſtructione tabernaculi, & utenſilium illius, quæ hoc & præcedentibus capitibus ordine recenſentur. Omnibus vero perfectis, & ſuo quibuſque loco erectis

Verſ. 32. OPERUIT NUBES TABERNACULUM TESTIMONII, ET GLORIA DOMINI IMPLEVIT ILLUD. Nempe columna nubis, quæ antea ſuper parvo tabernaculo extra caſtra conſtiterat, iam novo prodigio ad illud poſterius tranſmigravit; & quæ minus ante lucida erat, ſaltem per diem, iam tota ſplendens apparuit: & ob id *gloria Domini* vocatur, quiaglorioſa luce ſua ſignificabat, divinam maieſtatem illic præſentem adeſſe, inquit S. Auguſtinus *b*. Ideoque

V. 33. NEC POTERAT MOYSES INGREDI TECTUM FOEDERIS, ideſt tabernaculum teſtimonii: idque tum ob reverentiam maieſtatis divinæ iſtic præſentis, inquit Caietanus; tum quia nubes ſpiſſitudine ſua & fulgore oculos perſtringebat, & omnium aliarum rerum conſpectum eripiebat.

Allegorice. Nubes legalium cæremoniarum, licet illis veletur Chriſtus, & veritas evangelica, impedit tamen Iudæos quo minus illa videant, credant, & amplectantur. Ita S. Auguſtinus & alii.

(*a*) Caiet. in Deuter. x. Lyranus in Deut. ix. Salianus in Annalibus.
(*b*) Aug. q. cxxxvii.

GORDONI.

Verſ. 2. MENSE PRIMO, PRIMA DIE *ſecundi anni* egreſſus ex AEgypto erigitur tabernaculum, ut hic habetur verſ. 15. Ex quo habemus ſex, vel ſeptem menſes conſumptos fuiſſe in fabrica tabernaculi: unde tandem efficio (quod in opere chronologico firmavi) exodum incidiſſe in annum mundi 2483. & erectionem tabernaculi incidiſſe in annum mundi 2484. qui fuit annus Moſis 81.

V. 13. UNCTIO EORUM .... PROFICIAT; hoc eſt, ſit in lavandos, induendos, & ungendos miniſtros Dei.

V. 17. Varia erant operimenta tabernaculi, ex quibus infimum erat aulæum pretioſum, maxime tabernaculo vicinum; & poteſt hic per tectum intelligi, ſic enim vocatur cap. xxvi. verſ. 7. porro hic nomine operimenti accipio ſagum cilicinum. Et quidem omnia hæc operimenta vicem tecti habebant: & cur non etiam aliquando nomen?

V. 18. Hic per TESTIMONIUM intelligit legis tabulas; ſicut per oraculum intelligit propitiatorium, ut cap. xxxvii. verſ. 6.

V. 30. TECTUM FOEDERIS, hic eſt tabernaculum teſtimonii; altare vero, thymiamatis eſt.

V. 31. DUCTO TENTORIO: eſt expanſo velo in atrii ingreſſu.

V. 32. & 33. NUBES. Hæc eſt nubes per quam Deus oſtendit & ſibi placere opus, & gloriam ſuam ibi eſſe præſentem. Hinc non POTERAT MOYSES INGREDI; hoc eſt, non audebat præ horrore ingredi.

V. 36. MANSIONES, profectiones.

Hactenus Moyſes de tabernaculo, eiuſque partibus, & erectione: obſcure ſatis, niſi habeas ob oculos typum expreſſum typographi arte bene delineatum. Interim formam tabernaculi, quantum verbis explicari poteſt, non male expreſſit Mariana ad finem Exodi. Sed tabulæ typis æneis expreſſæ, & huic operi inſertæ opera hæc Moſaica, & totam hiſtoriam abunde explicant.

Digitized by Google

LIBER LEVITICI, HEBRAICE VAICRA.

QUæ ad Leviticum ordinem ſpectant, Sacrificia Sacerdotum, & Levitarum Officia, dies itidem feſti hoc Libro continentur. Auguſtinus, Lib. X. de Civit. Dei, negare videtur in ſtatu innocentiæ ſacrificia extitiſſe, ac ſubinde docet primos homines in Paradiſo puros & integros ab omni labe peccati ſeipſos Deo ut mundiſſimas hoſtias immolaſſe. Quæ poſtea, Deo iubente, ab hominibus ſunt in ſacrificium oblatæ victimæ, agni immaculati ſacrificium adumbrant: de his potiſſimum in hoc loco agitur.

Hunc Librum genuinum eſſe, & Moſem habere auctorem, iiſdem argumentis demonſtratur, quibus uſi ſumus, cum de Geneſi & Exodo, immo & de Pentateucho generatim ageremus. Et quidem in Deuteronomio, cum nihil fere de ſacrificiorum variis generibus, de tabernaculo, de ornamentis & muneribus Sacerdotum, atque de aliis multis, quæ ad cultum Dei pertinent, deſcriptum habeamus; dubitare non poſſumus, quin hæc pene omnia hoc in Libro a Moſe fuerint litteris tradita.

CA-

Digitized by Google

CAPUT I.

Varius ritus ac modus holocauſtorum armentorum, pecudum, & avium offerendorum.

1 VOcavit autem Moyſen, & locutus eſt ei Dominus de ta-
bernaculo teſtimonii, dicens: 2. Loquere filiis Iſrael, &
dices ad eos: Homo, qui obtulerit ex vobis hôſtiam Do-
mino de pecoribus, id eſt, de bobus & ovibus offerens vi-
ctimas, 3. (*a*) ſi holocauſtum fuerit eius oblatio, ac de
armento; maſculum immaculatum offeret ad oſtium taber-
naculi teſtimonii, ad placandum ſibi Dominum: 4. * po-
netque manum ſuper caput hoſtiæ, & acceptabilis erit, atque in expiationem e-
ius proficiens: 5. immolabitque vitulum coram Domino, * & offerent filii Aa-
ron ſacerdotes ſanguinem eius, fundentes per altaris circuitum, quod eſt ante o
ſtium tabernaculi: 6. detractaque pelle hoſtiæ, artus in fruſta concident, 7. &
ſubiicient in altari ignem, ſtrue lignorum ante compoſita: 8. & membra quæ
ſunt cæſa, deſuper ordinantes, caput videlicet, & cuncta quæ adhærent iecori,
9. inteſtinis & pedibus lotis aqua: adolebitque ea ſacerdos ſuper altare in holo-
cauſtum & ſuavem odorem Domino. 10. Quod ſi de pecoribus oblatio eſt, de
ovibus ſive de capris holocauſtum, * maſculum abſque macula offeret: 11. im-
molabitque ad latus altaris, quod reſpicit ad Aquilonem, coram Domino: ſan-
guinem vero illius fundent ſuper altare filii Aaron per circuitum: 12. divident-
que membra, caput, & omnia quæ adhærent iecori: & ponent ſuper ligna, qui-
bus ſubiiciendus eſt ignis: 13. inteſtina vero & pedes lavabunt aqua. Et oblata
omnia adolebit ſacerdos ſuper altare, in holocauſtum & odorem ſuaviſſimum
Domino. 14. Si autem de avibus, holocauſti oblatio fuerit Domino, de tur-
turibus, * aut pullis columbæ, 15. offeret eam ſacerdos ad altare: & retorto
ad collum capite, ac rupto vulneris loco, decurrere faciet ſanguinem ſuper cre-
pidinem altaris: 16. veſiculam vero gutturis, & plumas proiiciet prope altare
ad orientalem plagam, in loco in quo cineres effundi ſolent, 17. confringetque
aſcellas eius, & non ſecabit, neque ferro dividet eam, & adolebit ſuper altare,
lignis igne ſuppoſito. Holocauſtum eſt & oblatio ſuaviſſimi odoris Domino.

(*a*) Exod. xxix. 10.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 4. *Ponetque manum ſuper caput hoſtia*. Non ſcribas plurale *manus* pro ſingulari *manum*. Idem infra iv. verſ. 29.

V. 5. *Et offerent filii Aaron ſacerdotes*. Nominativus pluralis *ſacerdotes* non eſt commutandus cum genitivo ſingulari *ſacerdotis*.

V. 10. *Maſculum abſque macula offeret*. Loco unius vocis *maſculum*, alii legunt tres *agnum anniculum &*, male.

V. 14. *Aut pullis columba*. Non mutes disiunctivam *aut* cum copulativa *&*.

COM-

COMMENTARIA

S A.

Verſ. 2. PECORIBUS Hebr. *animalibus*. OVIBUS. Hebræa vox etiam *capras* ſignificat; itaque quidam verterunt, *pecore*, ſeu *pecudibus*, ut inſ. vertit Interpres noſter.

V. 3. HOLOCAUSTUM totum comburebatur, quod nomen ipſum indicat: quaſi ὅλον καυςόν. ARMENTO. Hebr. *bobus*. IMMACULATUM, id eſt ſine ullo vitio, ſcilicet perfectum. TABERNACULI, id eſt tentorii, ſeu atrii: ſic Numer. IV.

V. 4. MANUM. Sic ſignificans ſe ſponte offerre, vel pœnam ſuis peccatis debitam velut illi imponens. Vide inſ. c. XVI.

V. 5. IMMOLABITQUE, ſcilicet opera ſacerdotis, vel levitæ mactabit. DOMINO, id eſt Domini altari; vel quaſi dicat, ante tabernaculum Domini.

V. 6. CONCIDENT, ſcilicet ſacerdotes, vel levitæ.

V. 7. IGNEM. Conſervabatur is perpetuo in medio altaris: erat enim id cavum. Vide inſ. cap. VI.

V. 9. PEDIBUS, id eſt *cruribus*, ut eſt Hebr. HOLOCAUSTUM, ET SUAVEM ODOREM. Chald. *Holocauſtum gratiſſimum*: ſic infra.

V. 10. OBLATIO, ſcilicet in holocauſtum.

V. 11. IMMOLABITQUE, id eſt mactabit, ſcilicet ſacerdos, aut levita.

V. 13. ADOLEBIT, id eſt incendet.

V. 14. AVIBUS: erat id pauperum. Vide infr. cap. XII. PULLIS. In columbis, pulli meliores ad cibum; in turturibus, grandiores. Sunt autem Deo meliora offerenda.

V. 15. EAM, ſcilicet oblationem. RUPTO, ſcilicet ungue, ut ex Hebr. patet. CREPIDINEM, id eſt extremitatem, ſcilicet circa parietem, ut eſt Hebr. & Chald. ita ſcilicet ut ad baſim perveniat, ut eſt apud LXX.

V. 16. VESICULAM, id eſt ſinum illum in quem aves cibos prius immittunt, quam in ſtomachum; ſoletque habere frumenti grana, quæ Chald. vocat ſtercora: ait enim proiiciendam cum ſtercoribus. LXX. πρόλοβον vocant. SOLENT. Poſtea extra caſtra efferendi, ut dicitur inſ. cap. VI.

V. 17. ASCELLAS, pro axillas, id eſt alas.

E S T I I.

Verſ. 2. DE PECORIBUS, ID EST DE BOBUS ET OVIBUS, &c. Notandum, quod ſacrificia non ex aliis fiebant quadrupedibus, quam de bobus, ovibus, & capris. Cuius alii alias adferunt rationes. Potiſſima eius quod nunc quærimus, ratio hæc videtur, quia cum ſacrificia offerantur in agnitionem ſummi dominii, ea maxime offerenda ſunt, quæ maximos præſtant uſus humano generi; huiuſmodi autem ſunt inter quadrupedia boves, oves, capræ, præſertim ad victum, & ſuſtentationem humanam. Itaque, ut ea cuncta nos accepiſſe fateamur a Deo, tamquam omnium Domino, eadem ipſi rurſum grato animo offerimus, iuxta illud Davidis, I. Paralip. XXIX. *Tua ſunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi*. Hanc rationem inter alias etiam adfert D. Thomas I. II. quæſt. CII. art. III. ad II. Nam quod videtur dicere in reliquis animalibus idololatras conſtituiſſe ſuorum deorum cultum, & non in bobus, & ovibus atque ideo de his Deum iuſſiſſe ſibi fieri ſacrificia; etſi verum concedatur de AEgyptiis, tamen alios idololatras etiam ſuis diis immolaſſe boves & oves ex hiſtoriis Ethnicorum notiſſimum eſt. Ceterum ſub ovibus etiam capras in Scriptura fere accipi, quod in eodem grege paſcantur, liquet etiam ex hoc capite infra verſu decimo.

V. 3. SI HOLOCAUSTUM FUERIT EIUS OBLATIO. Sacrificium quod Interpres Græco vocabulo vocat holocauſtum, Hebr. *Ola* dicitur ab aſcendendo, eo quod totum in fumum abiret, atque aſcenderet. Id Septuaginta Interpretes aptiſſimo vocabulo vocarunt *Holocauſtum*, & aliquoties *Holocauſtoma*, quaſi totum combuſtum: eo quod hoc ſacrificium totum

tum igne abſumeretur, ita ut de eo in cibum ſuum neque ſacerdos, neque is pro quo offerebatur, quidquam ſibi uſurparet. Et quia totum ad honorem Dei igne abſumebatur, hinc inter omnia legis ſacrificia fuit perfectiſſimum, ſicut & cauſa offerendi perfectiſſima erat: neque enim pro peccatis offerebatur, neque pro impetrando beneficio, vel gratiarum actione, ſed ex mera devotione offerentis. Significabat autem hoc ſacrificium, hominem ſe debere totum ſecundum corpus & animam, & omnes vires, Deo exhibere hoſtiam viventem, ſanctam, & beneplacentem. MASCULUM IMMACULATUM. Nota, quoties victimam immaculatam Scriptura nominat, non ſignificari armentum aut pecus eſſe debere unius coloris, ſed quod debeat eſſe integrum & perfectum, omnis vitii expers, non macilentum, non claudum, non languidum, non monſtroſum. Unde & quidam ex Hebræo vertunt *integrum*, Septuaginta habent ἄμωμον, id eſt *irreprehenſibile*, quæ vox omnem defectum, & omne vitium excludit. Et ratio præcepti manifeſta eſt, quia præſtantiſſima ex unoquoque genere debent Deo offerri. Unde & Abel de primogenitis & adipibus eorum obtulit Domino, Gen. IV.

V. 14. DE TURTURIBUS, AUT PULLIS COLUMBAE. Quæritur quare non etiam de gallinis, gallis gallinaceis, caponibus, perdicibus, cum ſint optimi ſaporis, & nutrimenti? Reſpondetur, quia galli & gallinæ habent immundum nutrimentum, ſicut & porcus. Vide Thomam dicto loco I. II. quæſt. CII. art. III. Et capo inſuper eſt animal imperfectum, utpote exectum; perdix autem animal ſilveſtre, nec communiter hominum uſui deputatum.

MARIANAE.

Verſ. 1. LOCUTUS EST EI DOMINUS DE TABERNACULO. De domo ſua loquitur Deus in templo, religione. TESTIMONII, id eſt legis. Ubi eſt lex Dei, ibi voces eius audiuntur.

V. 3. AD PLACANDUM SIBI DOMINUM, ſcilicet offeret holocauſtum. Plerique vertunt, *Ad voluntatem ſuam*, vel *beneplacitum ſuum*, nempe offerentis, ut offerat quod voluerit; ſed Hieronymo favent Septuag. & Chaldæus. Ratio diſcriminis in pronomine *eius* vel *ſuam*, quod recentiores ad offerentem referunt, antiqui ad Deum hac ſententia, Offerat eum ad beneplacitum eius, id eſt Dei, coram Deo. Vides Deum perfectam & maſculam victimam velle.

V. 4. PONETQUE MANUM SUPER CAPUT OSTIAE: argumento, pro ſe vicariam offerre victimam, offerentem reum mortis eſſe.

V. 5. PER ALTARIS CIRCUITUM fundent ſanguinem. Altare Chriſtus eſt: circum Chriſtum ſanguinem fundimus, eius mortis nos reos eſſe fatentes.

V. 8. CUNCTA QUAE ADHAERENT IECORI. Hebr. *Adipem*, ſeu *reticulum*, *quod eſt ſuper iecur*: ſic Sept. & Chald. *Adipem* pro פדר *peder* verterunt, nulla iecoris mentione.

V. 14. DE TURTURIBUS. תור *tur* etiam vocatur ea avis Hebraice a meditando.

V. 15. AC RUPTO VULNERIS LOCO. Hebr. *Adolebit ad altare*, vel *ſuper altare*: ſic vertit Chaldæus. SUPER CREPIDINEM ALTARIS. Heb. *ſuper murum*. Sept. *ſuper baſim*.

V. 17. CONFRINGETQUE ASCELLAS EIUS, id eſt alas. Hebr. *Et dividet eam cum alis ſuis*; id eſt, alas dividet turturis aut columbæ, non corpus. Verum Septuag. etiam in ſignificatione frangendi reddidere verbum Hebr. שסע *ſiſah*. pro quo alii, *dividet*. ET NON SECABIT: ſic Abraham aves non diviſit in ſuo ſacrificio Geneſ. XV. verſ. 10. Cæleſtes animæ non dividuntur in partes, & curas.

MALVENDAE.

Verſ. 1. VOCAVIT. Quidam reddunt, *Et inclamavit*; exponuntque, nempe foris manentem, quia præ gloria Dei implente tabernaculum, non potuit Moſes ingredi tentorium, ut dicitur Exodi XL. verſ. 34. inclamavit autem, ut vocem ſuam e tabernaculo ſonantem, & leges ferentem de ſacrificiis, attente audiret; quaſi clara & extenta voce leges de ſacrificiis, & cultu divino promulgarit.

V. 2. HOSTIAM. קרבן *korban*, aiunt ſigni-

ſignificare generaliter omne donum, ſeu munus, quod Deo offertur, tam de pecoribus, quam de frugibus, aliiſque rebus, quare *oblationis* vocabulo commodiſſime reddendum putant. Alii *oblationem voluntariam* exponunt, quam quis Deo appropinquare facit, & ſponte offert; quaſi dicas, *appropinquationem*. Obſervant inſuper in Novo Teſtamento nomine *korban* vocari donaria in ſacrum templi theſaurum illata & repoſita, Marci VII. verſ. 11. ubi vox ipſa retinetur, & exponitur nomine *doni*, cum dicitur: *Si dixerit homo patri, vel matri, Korban (quod eſt donum)* &c. Et Lucæ XXI. verſ. 4. *Miſerunt in munera Dei*. Item ipſum ærarium, ſeu arcam, aut locum, ubi ſacra donaria reponebantur & aſſervabantur, ut Matthæi XXVII. 6. *Non licet eos inicere in corbonam*, &c. quod gazophylacium appellatur Marci XII. 40. & 41. Ioſephus Lib. II. Belli, cap. VIII. *Eſt apud Iudæos ſacer theſaurus, quem corban dicunt*. Qui etiam IV. Antiquit. cap. IV. *corban*, *donum* interpretatur. Nos in noſtra translatione vocem ipſam retinuimus, ſecuti exemplum Novi Teſtamenti. DE PECORIBUS. בהמה *behemah*, quando abſolute ponitur, nec cum nomine חית *chaiath* iungitur, ut hic, generale nomen eſſe volunt ad feras & animalia, quæ aut non volant, neque repant ſuper terram, neque vivunt in aquis: unde ſerpentes, & piſces excludit. Vide Gen. I. verſ. 24. DE BOBUS. בקר *bakar*, collectivum eſt ad omnia animalia paſcualia maiora, ut ſunt boves, vaccæ, vituli, iuvenci: vide Geneſ. XVIII. 7. *Armentum*, vel *armenta* reddere ſolent. ET OVIBUS. צאן *tzon* etiam collectivum eſt, comprehendens oves, & capras, nempe hanc utramque ſpeciem, ovium ſcilicet, & caprarum, ſeu minorum animalium paſcualium. Vide Geneſ. IV. verſ. 2. Notant, inter animalia terreſtria, has tres ſolas ſpecies ſacrificiis aptas fuiſſe, boves, oves, & capras.

V. 3. SI HOLOCAUSTUM FUERIT. עולה *gholah*, id eſt *aſcenſio*. Notant, in lege appellari hoc nomine peculiare genus ſacrificii, quod aſcenderet, & elevaretur ſuper altare, & tota ipſa oblatio ſolida ſuper altare aſcenderet, ibi ſcilicet tota cremanda, totaque in fumum aſcenderet, & abiret, odorque eius in altum aſcenderet in conſpectum Dei. Græci *holocauſtum*, & *holocautoma* reddiderunt, id eſt totum incenſum, combuſtum, ſeu crematum. Feſtus: *Prodiguæ hoſtiæ vocantur, ut ait Veranius, quæ conſumuntur*. Erat autem typus veri & unici holocauſti Chriſti, quod is debebat exaltari in cruce, & caritatis igne conſummari pro peccatis generis humani. IMMACULATUM. Hebr. *Integrum*, *conſummatum*. Vide Exodi XXIX. verſ. 1. AD PLACANDUM SIBI DOMINUM. Hebr. *Pro bona voluntate ſua coram Domino*; id eſt ultro, ſponte, non coactus, cum bona voluntate offerentis adduci debet. Alii, *Ad acceptationem ſuam coram Domino*; id eſt, ut acceptus, gratus, beneplacitus ſit ipſe Domino; ut Dominus in eum exhibeat beneplacitum ſuum bonam voluntatem, gratiam, favorem, benevolentiam, animum propenſum: omnia enim hæc ſubſunt voci רצון *ratzon*.

V. 4. ET ACCEPTABILIS ERIT, ATQUE IN EXPIATIONEM EIUS PROFICIENS. Hebræa ſic reddunt. I. *Et accepta, acceptabilis, erit illi ad expiandum ipſum*. II. *Et acceptum erit pro eo, ut expiatio pro eo fiat*. III. *Ut ſit acceptum pro ipſo ad expiandum ipſum*; id eſt, ut offerenti acceptum feratur a Deo, atque imputetur tamquam legitimum & gratum ſacrificium. Vide infra cap. VII. ver. 8. IV. *Et placitum erit, placebit ei, ſcilicet* Deo, *ad expiandum ipſum*, offerentem. V. *Et acceptum fiet ei*, id eſt pro eo, *ad expiandum eum*; id eſt, acceptabitur, grata erit Deo victima, beneplacita erit ei, ad expiandum offerentem, ut Deus reddatur illi propitius & placatus, ac reconcilietur ei.

V. 5. IMMOLABITQUE, videlicet ſacerdos, non autem is, qui offert, ut in ſequentibus ſacrificiis omnibus accipiendum eſſe docet mandatum Dei, Exodi XXIX. 10. & ſeq. & Moſis ipſius exemplum infra cap. VIII. 15. hinc enim principium ducunt ſacerdotis partes. Vide cap. III. verſ. 11. & cap. IX. verſ. 12. Ita plerique annotant. VITULUM. Hebr. *Filium bovis*. Quidam intelligunt iuvencum ſubrumum, lactentem. Vide Exod. XXIX. 1.

V. 6. DETRACTAQUE PELLE. Heb. *Et expoliabit, excoriabit, nudabit pelle*: nempe ſacerdos, ut apparet ex II. Paralip. XXIX. verſ. 34. nam de miniſterio ſacerdo-

dotum loqui iam cœpit Moſes verſu præcedenti. IN FRUSTA CONCIDENT, videlicet caput, adipem, inteſtina, & crura, uti diſtribuuntur verſ. 8. & ſeq. Quidam reddunt: *Et dimembrabit eam in membra ſua*.

V. 8. ET CUNCTA QUAE ADHAERENT IECORI. Pro quatuor his dictionibus, Hebr. eſt tantum unica vox פדר *peder*, quam varie interpretantur. Quidam *adipem*: alii *arteriam*, *cor*, *pulmonem*, & *iecur* ac *lienem*: omnia hæc coniunctim hoc nomine ſignificari putant, quod Noſter intellexiſſe videtur. Nonnulli, *inteſtina*, ſeu *exta*. Plerique eſſe volunt corpus animalis, dempto capite, inteſtinis, & cruribus, quod *Truncum* Latini vocant. Ter tantum invenitur, hic, & verſ. 12. & cap. VIII. verſ. 20. Nos libentius *truncum* repoſuimus, quod alioqui præcipue eius non erat prætermittenda mentio.

V. 15. ET RETORTO AD COLLUM CAPITE, AC RUPTO VULNERIS LOCO. Paraphraſi reddidit Hebræa: quæ varie ab aliis exprimuntur. I. *Et rumpet*, ſeu *vellicabit tenuiter*, *ungue*; vel *ungue ſecabit*, *diſcerpet*, *caput eius*. II. *Et contorquebit caput eius*. III. *Et incidet caput eius*. IV. *Et evellet caput eius*. V. *Et emulgebit*, id eſt torquebit, *caput eius*. Quidam notant verbum מלק *malak*, quod bis tantum extat in Scriptura, hic, & infra cap. V. verſ. 8. proprie eſſe *emulgere ſanguinem*, *ungue ſecando cervicem volucris*, ut fit in iugulandis avibus iuxta legem Moſis: nimirum diſſecare digitis emulgendo, & extrahendo ſanguinem. Conferunt cum Hebraico בלק *balak*, *evulſit flores*, & cum Græco ἀμέλγω, & Latino *emulgeo*. Aptius alii cum פרק *parak*, *rupit*, *abrūpit*. Nonnulli intelligunt, ita penitus abrumpendum aut diſſecandum caput avis, ut caput per ſe ſeorſim, & corpus avis per ſe ſeorſim ſepararentur: quia hic non additur, *& non ſeparabitur*, ſive *& non penitus abrumpetur*, ut quando offerebatur avis in ſacrificio pro peccato, infra cap. V. verſ. 8. nam huius holocauſti avis, & illius hoſtiæ avis pro peccato diverſus videtur fuiſſe ritus. Alii volunt hunc locum per illum exponendum, & quod hic tacetur, ibi exprimi; atque hunc ex illo ſupplendum, ut accipiamus, ita contorquendum in holocauſto caput avis, & ita ungue, vel alio inſtrumento ſecandum, ut non penitus a corpore abrumpatur, ſed inciſo vulnere ſanguis exprimatur: quo ſenſus Noſtri videtur accedere,

V. 16. VESICULAM VERO GUTTURIS. מראה *murah* omnes *ventriculum*, *veſicam gutturis in avibus*, *ingluviem*, quæ & cibi, & ſordium receptaculum eſt, interpretantur. Quidam a ראה *raah*, *vidit*, deducunt, quod proſtet ad conſpectum, ſeu quod appareat, & promineat; vel per antiphraſim, quod non ſit videnda. Alii a ריאי *roi*, *ſordibus*, quod ſit ſordium receptaculum, a quarum conſpectu omnes abhorrent. Aliqui vertunt *apparentiam*; ſive *id quod apparet*, & *eminet*, nempe *roſtrum*, ET PLUMAS. נוצה *notzah*, *pluma*, *penna*. Inepte nonnulli hic exponunt, *cum cibo eius*; vel *cum viſceribus eius*, ſive *ſordibus* in ingluvie, ac viſceribus contentis. AD ORIENTALEM PLAGAM. Exponunt, ad partem illam quæ procul diſtabat a Sancto ſanctorum, hoc eſt longiſſime a ſacrario ſacratiſſimo, ob reverentiam maieſtatis Dei. Nam ingrediebantur tabernaculum ab oriente, in cuius extrema occidentali plaga erat Sanctum ſanctorum. IN LOCO IN QUO CINERES EFFUNDI SOLENT; id eſt, in eum locum, in quo is qui purgabat altare, cineres primum reponebat, ut poſtea inde efferrentur extra caſtra: infra cap. IV. verſ. 12.

V. 17. CONFRINGENTQUE. שסע *ſchaſagh* aiunt ſignificare *diffindere*, ſeu *diſcerpere* in duas partes, ita tamen ut non omnino ac penitus ſeparentur, ſed a poſteriori parte cohæreant: & in hoc differre a verbo בדל *badal*, quod omnino dividere & ſeparare ſignificat, ut res diviſæ nuſpiam cohæreant. Hebræi exponunt, quod manu diffindebat avem a dorſo ſuo inter medias alas, nec tamen eam dividebat, aut ſeparabat in duo fragmenta prorſus. Et quod additur Hebr. *in alis ſuis*, ſive *in pennis ſuis*, ſenſum eſſe volunt, cum illis, quia non neceſſe habebat eas depilare, aut deplumare; ſed uti erat cum ſuis pennis eam diſcindebat, & ſuffiebat. Sed id pugnat cum verſ. 16. ubi iubentur pulmæ proicii. Rectius alii, *cum alis ſuis*, id eſt remanentibus ei alis; quaſi dicat: Alæ eius ne reſecantor.

Die 20. Ianuarii an. 1612.

Digitized by Google

MENOCHII.

Verſ. 1. DE TABERNACULO TESTIMONII. Vide Exodi XXVII. 20.

V. 2. HOMO QUI OBTULERIT, ſponte ſcilicet: erant enim aliæ oblationes præceptæ, & neceſſariæ, qualis oblatio primogenitorum, de qua Exod. XXII. 29. & aliæ. HOSTIAM. Heb. קרבן *corban*, quæ vox ſignificat quodvis munus vel oblationem factam Deo, ſive de pecoribus, ſive de terræ frugibus. Retinet hanc vocem S. Marcus in Evangel. cap. VII. OVIBUS. Sub ovibus & capras intellige, his enim communis eſt vox Hebræa צאן *tzon*. Selegit ſibi Dominus in ſacrificium ex animalibus terreſtribus bovem, ovem, & capram; ex volucribus columbam, & turturem.

V. 3. SI HOLOCAUSTUM FUERIT. Holocauſtum Græca vox eſt, quaſi dicas ὅλον καυςὸν, id eſt *totum incenſum*, quod in eo tota victima combureretur, præter pellem. DE ARMENTO, bos ſcilicet, vel vitulus, nam hi tantum ex maioribus animalibus immolabantur. MASCULUM. In holocauſtum tantum maſculus offerri poterat, in ſacrificio pacifico offerri poterat & femina. IMMACULATUM. Non eſt ſermo de maculis coloris, ſed de deformitatibus, aut vitiis: neque enim eſſe debebat animal cæcum, claudum, cicatricem habens, ſcabiem, aut impetiginem, &c. Vide Levit. XXII. 22. AD OSTIUM TABERNACULI TESTIMONII, ad oſtium tentorii ſeu atrii: nec enim ad altare, vel atrium ſacerdotum laici ingredi poterant. AD PLACANDUM SIBI DOMINUM. Finis holocauſti erat colere, & honorare Deum, non autem eum placare; hoc tamen ex illo ſequebatur.

V. 4. PONET MANUM SUPER CAPUT HOSTIAE: ſic ſignificans ſe victimam e ſua manu, & poteſtate in Dei ius transferre; vel ſe ſponte offerre, & pœnam ſuis peccatis debitam quodammodo imponere ipſi victimæ. ACCEPTABILIS ERIT. Hebr. *Accepta erit ei*, vel *pro eo*. IN EXPIATIONEM... PROFICIENS, ad expiationem ſcilicet pœnæ temporalis, & ad punitionem huius vitæ, quam Deus alias illi irrogaſſet. II. quia tollebat immunditiam legalem. III. quia auferebat culpam, & pœnam æternam, ex opere tamen operantis offerentis ex caritate, & contritione peccatorum.

V. 5. IMMOLABIT, &c. non per ſe, ſed per ſacerdotes, qui ſoli poterant ſacrificare, ut etiam thymiama adolere, ut patet cap. X. 1. VITULUM, numero 3. appellaverat bovem, iuvenem ſcilicet, quia tenerior, & delicatior eſt; & Deo optima ſunt offerenda. CORAM DOMINO, coram tabernaculo, iuxta altare: nam num. 11. dicitur: *Immolabitque ad latus altaris*. SANGUINEM EIUS FUNDENTES. Nam, ut ait Apoſtolus Hebr. IX. 22. *ſine ſanguinis effuſione non fit remiſſio*; holocauſtum autem ſecundario ad remiſſionem peccatorum referebatur: offerebant ergo ſanguinem victimæ, quaſi petentes a Deo ut illum loco ſanguinis eius qui offerebat, acciperet.

V. 6. DETRACTAQUE PELLE HOSTIAE. Pellis detrahebatur, tum ob munditiam ſacrificii, tum quia ſacrificium erat quaſi cibus Dei, pellis autem comedi non ſolet. ARTUS IN FRUSTA CONCIDENT. LXX. *membratim*. Hebr. *iuxta inciſiones*, vel *partes ſuas*.

V. 7. SUBIICIENT IN ALTARI IGNEM. In primo ſacrificio ſubiicient, eumque poſtea iugiter fovebunt, ut dicetur infra cap. VI. num. 13.

Verſ. 8. CAPUT VIDELICET, ET CUNCTA QUAE ADHAERENT IECORI. Recenſet partes de quibus poterat eſſe dubitatio: nam de reliqua carne manifeſtum eſt eam omnem in holocauſto comburi debuiſſe.

V. 9. SUAVEM ODOREM DOMINO. Loquitur humano more, quaſi Deus aſſatæ carnis nidore delectaretur.

V. 10. DE PECORIBUS, ovibus, aut capris. Vide ſupra num. 2. Hæc eſt ſecunda ſpecies holocauſti.

V. 11. SUPER ALTARE, ſuper latera altaris, vel ſuper parietes altaris circumcirca.

V. 12. PONENT SUPER LIGNA, vel immediate, vel mediante craticula. Vide Exod. XXVII. 4.

V. 14. SI AUTEM DE AVIBUS, &c. Hæc eſt tertia ſpecies holocauſti, quod erat pauperum, ut patet Levit. XII. 8. quare Numeror. VII. ubi principum vi-

ctimæ numerantur, nullæ memorantur aves.

V. 15. Retorto ad collum capite, ac rupto vulneris loco: non ferro, aut cultro, ſed ungue rumpebatur, ut indicat textus Hebræus ex quorumdam ſententia. Super crepidinem altaris, id eſt ſuper ſummitatem parietum, ita ut inde ad terram decurrat. Unde Hebræum eſt, *ſuper parietem altaris*.

V. 16. Vesiculam vero gutturis, folliculum, qui primus cibum a gutture comeſtum excipit. LXX. πρόλοβον appellant. Ad orientalem plagam. Verſus atrium, non autem verſus tabernaculum, reverentiæ maioris, & decentiæ gratia. Altare autem erat ad orientem ipſi tabernaculo, verſus ſcilicet portam quæ in plaga erat orientali. Vide Exod. XXVII. 13.

V. 17. Confringentque ascellas eius. Hebr. *Et ſcindat*, vel *findat illam in alis ſuis*, *& non ſeparabit*; quaſi dicat: Alas eius ita findat, ſeu confringat, ut tamen eas non reſecet, aut abrumpat. Id fiebat ad congruam victimæ compoſitionem, ſic enim altilium alæ componuntur, cum aſſandæ ſunt. Holocaustum est, et oblatio. Hebr. *& ignitio*, ignita ſcilicet oblatio, quæ ſcilicet tota igni abſumitur.

TIRINI.

Verſ. 2. De bobus, et ovibus: verſ. 10. addit, *ſive de capris holocauſtum*. Hic determinat Deus materiam ſacrificiorum ex animalibus quadrupedibus, ſicut infra verſ. 14. ex *avibus*, quarum duas tantum ſpecies deligit, columbam, & turturem. Cur vero hasquinque animantium ſpecies potius ad uſum ſacrificiorum adlegerit Deus, quam alias complures, etiam mundas, rationem aſſert Philo *a*; quod hæc animalia in communiore ſint hominum uſu, ſint manſuetiora, minore difficultate haberi poſſint; denique maxime apta ſint, Chriſto, eiuſque vero ſacrificio tum cruento, tum incruento ad vivum repræſentando. Significat enim allegorice bos fortitudinem & labores Chriſti; ovis innocentiam; caper peccata noſtra; columba manſuetudinem; turtur contemplationem. Ita Theodoretus, Cyrillus, Procopius, Beda.

Tropologiam horum ſacrificiorum, immo & totius Levitici vide fuſe apud Origenem, Heſychium, & Radulphum Flaviacenſem, qui omnium aptiſſime expoſuit.

Nota primo, ſacrificia quamdam analogiam habuiſſe cum conviviis: nam in iis Deo quaſi convivium apparabatur, quod vice Dei ignis quaſi a Deo immiſſus devorabat. Unde Malachiæ 1. ver. 5. 7. & alibi altare ſacrificiorum *menſa Domini* appellatur: hinc ad ſacrificia non adhibebantur niſi quæ in menſas hominum inſerri ſolerent. Quæ ab hominibus edi non conſueverunt, debebant etiam a victimis ſeparari, ut pellis, plumæ, ilia, veſica fellis, & urinæ, *veſicula gutturis* hic verſ. 16. quam Latini *Ingluviem* vocant, Græci πρόλοβοι; eſtque ſaccus ſeu veſica iuxta guttur avium, in quam primum cibus recipitur, antequam in ſtomachum tranſmittatur, ubi & grana molleſiunt, macerantur, ac corrumpuntur. Hæc enim omnia cum ab hominibus comedi non ſoleant, etiam a menſa Domini ſemoveri iubentur. Quia vero nullæ hominum menſæ ſine pane, potu, ſale, & aliquo condimento, raræ etiam ſine re aliqua odorifera; hinc in omni ſacrificio iuſſa adhiberi panis vel ſimila, vinum, ſal, oleum, & thus *b*. Morale vide apud Riberam Lib. IV. cap. 111. &c.

Nota ſecundo, apud Hebræos plura fuiſſe ſacrificiorum genera. Primum erat *holocauſtum*, quod totum in Dei honorem igne cremabatur. Secundum *pacificum*, & hoc vel ad aliquid a Deo impetrandum, vel ad gratias Deo agendas; unde & *eucharisticum* vocabatur. Tertium erat *pro peccato*, ſeu in expiationem alicuius peccati. In his vero tam pacificis quam pro peccato, non niſi pars una victimæ cremabatur; reliquum vel ad ſacerdotes, vel ad offerentes redibat.

Nota tertio maximam differentiam inter ſacrificia illa antiqua, & noſtrum ſacrificium Euchariſticum, quod omnem vim in ſe uno complectitur, quam illa vetera diviſim habebant, eamque longe excellentiori modo. Nam ex opere operato, & per ſe, ratione victimæ oblatæ, vim habet infinitam Deum honorandi; eſtque proinde holocauſtum perfectiſſimum. Nihil

hil etiam illo efficacius vel ad impetrandum, vel ad gratias agendas, vel ad expianda peccata, vel ad ſatisfaciendum: cum hæc omnia in priſcis illis Iudæorum hoſtiis omni ex parte eſſent valde acciſa & tenuia; neque ab ipſis hoſtiis, ſed ex opere operantis, ſeu offerentium devotione vim ſuam deſumerent. Ita ſanctus Thomas & alii Doctores paſſim.

(a) Philo Lib. de Victimis.
(b) Levit. 11. verſ. 2. 13. & ult. Num. xv.

GORDONI.

Verſ. 1. DE TABERNACULO TESTIMONII. Angelus loquitur Deum referens, idque eodem ſecundi anni menſe primo quo erectum eſt tabernaculum.

V. 2. מנחה *mincha* oblatio eſt Deo facta, ſed ex frugibus, vel animalibus: quæ vox eſt hoc loco, tum talem oblationem, tum donaria oblata Deo ſignificans. Et gazophylacium, ſeu arca, in qua reponebantur hæc donaria, vocabatur *Korban*. Hinc Matth. cap. XXVII. dicitur *Corbona*. Quod ſequitur verſ. 3. de immaculato, intellige ſine vitio corporis, & ægritudine.

V. 3. HOLOCAUSTUM. Græca vox eſt, *ὁλοκαυστόν*, *totum exuſtum*: tota victima præter pellem cremabatur, Heb. עלה *bholah*, *aſcenſio*, ubi tota hoſtia per ignem, & fumum aſcendit, *ὁλοκαύτωμα*, *holocauſtoma*. Aliæ ſpecies ſacrificii ſunt pacifica, & pro peccato, ut infra.

V. 4. INEXPIATIONEM EIUS PROFICIENS. Reprehendendus eſt hic Calvinus manifeſte errans, & inferens ex hoc loco, æque ad iuſtificationem valuiſſe ſacramenta veteris, ac novæ legis; neutra enim vult conferre gratiam ex opere ipſo, (operatum vocant;) ſed utrobique per fidem, quæ eſt opus operantis, hominem iuſtificari. Errat ſemper hic Novator ex Gal. IV. verſ. 9. *Quomodo convertimini iterum ad infirma & egena elementa?* Item Heb. x. verſ. 4. *Impoſſibile eſt ſanguine taurorum, aut hircorum auferri peccata*. Et damnatur hic error a Trid. ſeſſ. VII. can. 2. Sane Novator (ut olim Meſſaliani) ſic æquans utraque ſacramenta, iudaizat. Valebat quidem hoſtia Moſaica ad expiationem ex opere operantis, per contritionem, & caritatem; item ad avertendam punitionem, & tollendum legales immunditias. At longe maior eſt excellentia in noſtris ſacramentis, ex citatis Scripturæ locis & aliis paſſim; ex Conciliis Milev. cap. 11. Arauſ. can. xxv. Trid. citato; & antiquorum Patrum magno conſenſu. Immo nec Chriſtianum ſacrificium, ut ſacrificium eſt, dat iuſtificationem immediate ex opere operato. Eſt hoc privilegium noſtrorum ſacramentorum. Vide Vaſ. III. P. Tom. III. diſput. CCXXVIII. cap. 11. & 111. Plura hic infra de ſacrificio veteris legis, cap. VI. verſ. 7.

V. 5. IMMOLABIT, per ſacerdotem; vel levitam, fundentes ſanguinem.

V. 7. ET SUBIICIENT. Ignis perpetuo conſervabitur in medio altaris, quod cavum erat.

V. 13, ADOLEBIT, incendet.

V. 14. DE AVIBUS. Pauperum ſacrificium eſt: turtur Hebraice etiam eſt תור *tur*.

V. 15. Retorto capite fit vulneri locus; ſanguis vero decurrit ſuper crepidinem, ſeu parietem altaris uſque ad baſim. Per crepidinem, intellige oram ſuperiorem altaris huius Moſaici, quicquid ſit de Salomonico.

V. 16. VESICULA, locus, & receptaculum cibi in avibus, quo prius immittunt cibum, quam tranſmittatur in ſtomachum. AD ORINTALEM PLAGAM. Orientalis iſta plaga erat remotiſſima a tabernaculo. Atque hæc quidem ſic ordinata ſunt; quomodo tamen non fuerint peracta iſta ſacrificia in deſerto, dicendum eſt cap. XVI. verſ. 1. & cap. XI.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 3, OVIBUS. Intellige & capras. עזים *'tſoan*, vox eſt utriſque communis.

V. 3. In holocauſtum tantum maſculus offerebatur.

V. 4. MANUM SUPER CAPUT, in ſignum rem transferri ad Deum. Opus porro ex contritione & caritate valebat ad iuſtificationem.

Verſ. 5. IMMOLABITQUE VITULUM per ſacerdotem, non per ſe.

V. 10. SI DE PECORIBUS, &c.

Hæc

Hæc eſt holocauſti ſecunda ſpecies.

V. 14. SI AUTEM DE AVIBUS. Eſt holocauſti tertia ſpecies.

V. 17. CONFRINGET, findat, frangatque, ſed non abrumpat. Sic avium alæ componi ſolent cum aſſantur.

CAPUT II.

Ritus oblationis ſacrificiorum ſimila oleo conſperſæ, thuris, panum, laganorum, atque primitiarum, addito in omnibus ſale, nuſquam autem fermento, nec melle.

1 ANima cum obtulerit oblationem ſacrificii Domino, ſimila erit
eius oblatio, fundetque ſuper eam oleum, & ponet thus,
2. * ac deferet ad filios Aaron ſacerdotes: quorum unus tollet
pugillum plenum ſimilæ & olei, ac totum thus, & ponet
memoriale ſuper altare in odorem ſuaviſſimum Domino: 3.
(*a*) quod autem reliquum fuerit de ſacrificio, erit Aaron &
filiorum eius, Sanctum ſanctorum de oblationibus Domini.
4. Cum autem obtuleris ſacrificium coctum in clibano: de
ſimila, panes ſcilicet abſque fermento, conſperſos oleo, & lagana azyma oleo
lita. 5. Si oblatio tua fuerit de ſartagine, ſimilæ conſperſæ oleo & abſque fermento,
6. divides eam minutatim, & fundes ſuper eam oleum. 7. Sin autem
de craticula fuerit ſacrificium, æque ſimila oleo conſpergetur: 8. quam offerens
Domino, trades manibus ſacerdotis. 9. Qui cum obtulerit eam, tollet memoriale
de ſacrificio, & adolebit ſuper altare in odorem ſuavitatis Domino: 10.
quidquid autem reliquum eſt, erit Aaron & filiorum eius, Sanctum ſanctorum
de oblationibus Domini. 11. Omnis oblatio, quæ offertur Domino, abſque fermento
fiet, * nec quidquam fermenti ac mellis adolebitur in ſacrificio Domino.
12. Primitias tantum eorum offeretis ac munera; ſuper altare vero non imponentur
in odorem ſuavitatis. 13. (*b*) Quidquid obtuleris ſacrificii, ſale condies,
nec auferes ſal fœderis Dei tui de ſacrificio tuo. * In omni oblatione tua
offeres ſal. 14. * Si autem obtuleris munus primarum frugum tuarum Domino
de ſpicis adhuc virentibus, torrebis igni, & confringes in morem farris, & ſic
offeres primitias tuas Domino, 15. * fundens ſupra oleum, & thus imponens,
quia oblatio Domini eſt: 16. de qua adolebit ſacerdos in memoriam muneris,
partem farris fracti, & olei, ac totum thus.

(*a*) Eccli. vii. 34. (*b*) Mar. ix. 48.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 2. *Ac deferes ad filios Aaron ſacerdotes.* Idem iudicium quod ſupra 1. verſ. 5.

V. 11. *Nec quidquam fermenti, ac mellis adolebitur in ſacrificio Domino.* Non eſt mutandus tertius caſus *Domino*, ſecundo *Domini*.

V. 13 *In omni oblatione tua offeres ſal.* Non omittas pronomen *tua*.

V. 14. *Si autem obtuleris munus primarum fru-*

frugum tuarum. Plerique, pro nomine adjectivo *primarum*, ſcribunt ſubſtantivum *primitiarum*.

V. 15. *Fundens ſupra oleum*. Non ſunt ſcribendæ dictiunculæ duæ *ſuper ea*, loco unius *ſupra*.

COMMENTARIA

S A.

Verſ. 1. ANIMA, id eſt homo. SACRIFICII, ſcilicet cibarii. Fiebat id ex rebus inanimatis, ut pane, thure, farina, oleo, &c. Hebr. מנחה *minchah*, id eſt *munus*.

V. 2. PUGILLUM, id eſt quantum pugillus capere poſſet. SUPER ALTARE, ſcilicet incendendum.

V. 3. SANCTUM SANCTORUM, id eſt ſacroſanctum, adeoque a ſolis ſacerdotibus comedendum.

V. 4. PANES: alii, *placentas*. CONSPERSOS: alii, *commixtos*, vel *tinctos*, ſcilicet adhibebatur oleum paſtæ, vel ante coctionem ſeu frixionem, vel in ipſa, vel poſt ipſam.

V. 9. MEMORIALE, ſcilicet partem quæ velut Deo reducat in mentem ipſum offerentem.

V. 10. SANCTUM SANCTORUM, id eſt ſacroſanctum; quaſi dicat, Deo dicatum, & oblatum.

V. 11. OFFERTUR, ſcilicet adolenda, ut ſtatim dicitur. ABSQUE FERMENTO: ſcilicet ſinceritatem Deus requirit. MELLIS: ſcilicet Deo non placent corporales deliciæ.

V. 12. AC MUNERA. Hebr. Chald. & LXX. *Domino*. IMPONENTUR, ſcilicet ut incendantur, cedebant enim in uſum ſacerdotis. Vide inf. cap. VII. & XXIII. de oblatione fermentati.

V. 13. SACRIFICII, ſcilicet cibarii, ut Hebr. indicatur; a Chald. & LXX. ad omne ſacrificium extendunt. Id quod conformius Marc. IX. verſ. 48. ubi dicitur, *Omnis victima ſale ſalietur*.

V. 14. VIRENTIBUS; quaſi dicat, recentibus & teneris. CONFRINGENS, ſcilicet tundendo.

V. 15. QUIA OBLATIO DOMINI EST. Quaſi dicat: Sic enim ſibi Dominus offerri vult.

V. 16. IN MEMORIAM, pro memoriale; quaſi dicat, Eam partem oblationis quæ Deo offertur, ut offerentis meminerit. Vide ſup.

ESTII.

Verſ. 11. OMNIS OBLATIO ...... ABSQUE FERMENTO FIET, NEC QUIDQUAM FERMENTI AC MELLIS ADOLEBITUR ..... DOMINO. Non hinc eſt conſequens, tempore novæ legis offerendum eſſe in azymo, quia lex vetus nunc non obligat. Et alioqui non recte permiſiſſet Florentina Synodus Græcis ſacrificare in fermentato. Nam iſta ſunt Synodi verba: *Definimus item, in azymo ſive fermentato pane triticeo corpus Chriſti veraciter confici: ſacerdoteſque in altero ipſum Domini corpus conficere debere, unumquemque ſcilicet iuxta ſuæ Eccleſiæ, ſive Occidentalis, ſive Orientalis conſuetudinem*. Tum etiam non prohibetur omnis oblatio panum fermentatorum (nam tales etiam aliquando offerri licitum erat, ut patet cap. VII. verſ. 13.) ſed tantum (ut verba textus hoc loco clare habent) ne aliquid fermenti, aut mellis adoleatur in ſacrificio. Etenim fermentum corruptionem ſignificabat ſinceritati contrariam, & mel dulcedinem ſeu voluptatem carnis, de quo eleganter Hieronym. epiſt. XII. ad Gaudentium. Atque ideo etiam cera contempta, quia mellis hoſpitium eſt, Dominus ſibi accendi iuſſit oleum, quod de amaritudine exprimitur olivarum. Cur autem ratio illa de melle non offerendo non valeat quæ a quibuſdam adfertur, ne Iudæi in hoc viderentur Gentilibus idololatris ſimiles, partim diximus capite præcedenti verſu 2. partim hoc ipſo capite etiam dicemus ad verſ. 13.

V. 13. QUIDQUID OBTULERIS SACRIFICII, SALE CONDIES. Non ſolum vero Deo Iudæos ſacrificia ſua ſale condiiſſe, ſed etiam Gentiles ſuis idolis, docet illud tritum, *Salſa mola litare*. Sed nihil mirum. Nam, ut eſt I. Mach. III. ſcru-

ſcrutabantur Gentiles de libris ſacræ legis Iudaicæ ſimilitudinem ſimulacrorum ſuorum. Non mirum ergo ſi dæmon etiam ritibus quibuſdam iiſdem cultus eſt, quibus Deus: Neque propterea quidquam honori divino decedit. Ceterum ratio myſterii, cur in omni ſacrificio Deus ſalem adhiberi voluerit, duplex eſt. Una, quia ſal a corruptione præſervat: oportet autem corruptionem omnem ſpiritualem a ſacrificiis ſpiritualibus longiſſime abeſſe. Altera, quia ſal prudentiam & diſcretionem ſignificat, iuxta illud Apoſtoli ad Coloſſ. IV. *Omnis ſermo veſter in gratia ſemper ſale ſit conditus*; id eſt, omnis ſermo veſter ex prudenti iudicio procedat. Hinc & Dominus Marc. IX. ad hunc locum reſpiciens dicit: *Omnis victima ſale ſalietur*: nempe quia prudentia virtus eſt, cuius actus in omni opere eſt neceſſarius, utpote quod ordinet media ad finem, qui eſt caritas omnia rectificans. NEC AUFERES SAL FOEDERIS DEI TUI DE SACRIFICIO TUO. Ecce pro tertia cauſa vocatur etiam ſal fœderis Domini, ſcilicet quia ſal ſignificat firmitatem, æternitatem, incorruptionem. Hinc & alia quædam pacta inviolabilia vocata ſunt *pacta ſalis*, ut Num. XVIII. ubi cum primitias filiorum Iſrael Dominus attribuiſſet Aaroni eiuſque filiis iure perpetuo, ſubiunxit: *Pactum ſalis eſt ſempiternum coram Domino tibi, ac filiis tuis*. Et II. Paral. cap. XIII. ſic loquitur Abia rex Iuda ad Ieroboam regem Iſrael, & exercitum eius: *Num ignoratis quod Dominus Deus Iſrael dederit regnum David ſuper Iſrael in ſempiternum, ipſi & filiis eius in pactum ſalis?*

MARIANAE.

Verſ. I. ANIMA. Chald. *Homo*. OBLATIONEM SACRIFICII. Vox Hebr. מנחה *minhah*, *munus*, verius & *donum* eſt quam *ſacrificium*; neque in hoc capite aliquid de ſacrificiis, ſed de donariis potius agitur, quæ ſacrificia etiam dici poſſunt, ut & Sept. ponunt. SIMILA flos farinæ eſt. Vides Deum ex omnibus optima ſibi velle.

V. 2. MEMORIALE, tam hominis erga Deum, quam Dei erga offerentem, ut ei beneficia conferat.

V. 5. DE SARTAGINE. Vox Hebr. מחבה *mahabah*, *vas non profundum* ſignificat, in quo lagana dura fiunt, *boiuelas*.

V. 7. SIN AUTEM DE CRATICULA. Vox מרחשת *marheſeth*, Hebræis eſt *vas profundum*, in quo natant lagana quæ coquuntur (*bunnuelos*) & tenera prodeunt. Hieronym. & Pagn. *craticulam* vertunt. Sept. ἐσχάρας, quæ vox non minus obſcura eſt quam Hebraica.

V. 11. NEC QUIDQUAM FERMENTI AC MELLIS ADOLEBITUR. Ad ſobrietatem antiquam revocat Dominus, neque fermenti condimentum admittit, neque nimiam mellis dulcedinem. Adverte, vetera ſacrificia eſſe veluti quædam convivia à quibus eas delicias arcet.

V. 13. NEC AUFERES SAL. Cibos oblatos Deo non vult curioſe condiri, ſed neque eſſe inſipidos: ſed & ſal, quoniam ſervat corpora, indicat fœderis cum Deo per oblationem initi perpetuitatem, id eſt pactum ſalis. Num. XVIII. verſ. 10.

V. SI AUTEM OBTULERIS; pro, quando obtuleris: neque enim ea oblatio voluntaria erat, ſed lege præcepta. CONFRINGES IN MOREM FARRIS, non eſt Hebraice, ſed ab Hieronymo additum ad maiorem explicationem. Id tantum ſignificat, quando obtulerint primitias de ſpicis virentibus, debere ſiccari igne, deinde contundi eas ſpicas virides, id eſt כרמל *charmel* Hebraice, licet iam virides non erant. Quidam ait eam vocem & *Abib* quæ præceſſit, ſignificare *omne maturum*, non *ſpicas*, & pertinere ad omne frugum genus, non ad frumentum, quod ſolum habet ſpicas. In Sept nulla mentio de ſpicis. Chaldæus tamen cum Hieronymo conſentit.

V. 16. PARTEM FARRIS FRACTI, Hebr. non eſt, neque in Septuag. ſed Hieronymus addidit, ut verſ. 14. illud, *Confringes in morem farris*.

MALVENDAE.

Verſ. I. SACRIFICII. מנחה *minchah*. Vim & notionem huius vocis elucidavimus Geneſ. IV. verſ. 3. Hic autem in lege Moſis dicitur de farreo, ſeu adoreo dumtaxat ſacrificio, cuius hoc capite variæ ſpecies deſcribuntur. Quidam vertunt, *munus*, alii, *ſacrificium cibarium*, ſeu *farinaceum*. Notant, hic agi de minchah

Digitized by Google

chah voluntaria & ſpontanea ex pietate & devotione oblata.

V. 3. Sanctum sanctorum; id eſt, res ſanctiſſima erit, ac proinde non poterit cedere in uſum alicuius profani, ſed tantum ſacrorum ſacerdotum, quia eſt de ſacrificiis igne abſumptis in honorem Dei.

V. 5. De sartagine. מחבת *machabath* ab abſconſione nomen habet: volunt eſſe inſtrumentum ferreum in quo abditur res torrenda. *Forcipem* quidam reddunt. Forſan eſt illud inſtrumentum, quod Hiſpanice *Hoſtiero* dicimus. Alii *craticulam*, ſuper quam torrentur farinacea: nonnulli, *frixorium* aliqui *cacabum* reddunt.

V. 7. Craticula. מרחשת *marcheſchet* aiunt eſſe *patinam*, ſeu *patellam*, in qua ebulliuntur farinacea oleo. Quidam *ahenum*, *cacabum* interpretantur; alii *ſartaginem*; nonnulli *frixorium*. Notant eſſe vas profundum, in quo coquuntur res oleo, vel alio liquore merſæ; id eſt, in quo proprie ebulliuntur, & non friguntur. Cum hæc vox hic tantum, & cap. vii. verſ. 9. reperiatur, utrobique Noſter *craticulam* vertit.

V. 8. Quam offerens Domino, &c. Heb. *Et adduces minchah, quæ confecta erit de iſtis, Domino.* Illud *de iſtis*, exponunt, de toſtis, frixis, aut elixatis.

V. 9. Tollet memoriale de sacrificio. Heb. *Et tollet de minchah memoriale eius:* Vocem אזכרה *azcarah* quidam exponunt *odorem eius*, *incenſum eius*. Alii, *ſuffitum memoriale eius*. Ita quidem nonnulli Hebræorum, quod ſuffitus ſeu odor hoſtiæ memorare facit eam. Sed in Hebraica voce nullum veſtigium odoris; aut ſuffitus: Proprie ſignificat *recordationem*, *memoriam*, *memoriale*, *monumentum*. Elucidantque, *memoriale eius*; id eſt, id quod reduceret Deo in memoriam ipſum offerentem; vel quod faceret ut Deus recordaretur illius ſacrificii minchah. Significat autem partem illam quam pugillo de ſacrificio accipi a ſacerdote iuſſit, ut igne Deo abſumeretur, ſupra verſ. 2. Vide cap. v. verſ. 12.

V. 11. Absque fermento fiet. Id intelligi volunt de minchah voluntaria & ſpontanea, de qua hoc capite: nam in euchariſticis ſacrificiis collyræ fermentatæ adhibentur, infra cap. vii. verſ. 13. & in primitiarum oblatione duo panes fermentati afferebantur, infra cap. xxiii. verſ. 17. & ſequ. & huius cap. verſ. 12. Ac mellis. Hebræorum quidam annotant, mel fermentandi quoque vim habere; & ideo arceri a ſacrificiis. Alii nomine *mellis* intelligunt metaphorice fructus dulces; ſeu dactylos palmarum, ob dulcedinem: quos nolebat ſibi Deus offerri, quod Gentiles eos Idææ matri dicarent. Plinius Lib. XIII. cap. iv. de Dactylis: *Nam quos ex his honori deorum dicamus, Chydæos appellavit Iudæa, gens contumelia numinum inſignis.* Vide Notas in II. Paralip. xxxi. verſ. 5.

V. 12. Primitias tantum eorum offeretis ac munera, &c. Quidam intelligunt, fermentata & mel non eſſe quidem in ſacrificio minchah offerenda, & igne abſumenda; ſed tantum eorum primitias ſimplici oblatione & dono offerendas in uſum ſacerdotum: quo tendit ſenſus Noſtri. Hebr. *Oblationem, donum, munus, primitiarum offeretis ea, ſeu illa:* nempe primitias, generalemque ritum deſcribi volunt offerendi primitias novarum quarumcumque frugum, ut ſcilicet ſimpliciter offerantur, ſed non comburantur Deo ſuper altare. Sed prior ſenſus præſtat.

V. 13. Sale condies. Quidam annotant, mandatum eſſe univerſale, ex quo admonet Chriſtus Marc. ix. 49. ut ad æternam & incorruptam fœderis obſervationem, ſanctitatemque comparemur, oblationum exemplo, quæ ſine ſale ingratæ erant. Et apud Gentiles, Plinius Lib. XXXI. cap. vii. *Maxima tamen in ſacris intelligitur auctoritas ſalis, quando nulla conficiuntur ſine mola, ſalſa.* Alii obſervant, hoc ritu depingi Chriſtum unicum ſacrificium, qui verus ac cæleſtis ſal eſt, quo tam homines quam opera eorum redduntur Deo tamquam ſapidus cibus grati, ac iucundi: etenim homines propter peccatum facti ſunt Deo inſulſi & inſipidi; qui Chriſto tamquam ſale condiuntur, ut ſint cibus gratus Deo, ipſi & opera eorum. Item Chriſto ſaliuntur, ne putreſcant, ſed reſurgant ad æternam vitam. Ioan. iii. 16. *Ut omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Sal foederis. Exponunt: Id eſt, quem iuſſerat Deus adhiberi in omnibus

bus oblationibus quas populo ſuo ordinaverat tamquam fœdus, & ſtatutum aliquod, vel quem velut fœdere aſtringebantur adhibere in omnibus oblationibus quas Deo offerebant. Vide Ezech. XLIII. verſ. 24. Alii ita elucidant: Id eſt, in te ipſo habeto ſemper fœdus meum, quo veluti ſale conditus ſis: oblationes enim hominum alienorum a fœdere meo, abominationi ſunt mihi. Metaphora a ſenſibus ad animum. Nonnulli *ſalem fœderis* dictum volunt, quod eſſet ſymbolum, & iugis profeſſio æterni & incorruptilis, atque inviolabilis fœderis inter Deum & populum initi: unde Numeror. XVIII. verſ. 19. dicitur pactum ſeu fœdus ſalis, id eſt incorruptibile & perpetuum, quod ſal arceat corruptionem, & res conſervet.

V. 14. ET CONFRINGES IN MOREM FARRIS. גרש כרמל *gheres carmel*, varie reddunt. I. *triticum contuſum ſpicæ plenæ*. II. *contuſionem ſpicæ virentis*, id eſt ex ſpicis virentibus grana torrefacta & tuſa. III. *expulſionem frumenti*, id eſt frumentum excuſſum e folliculis. IV. *excuſſione tenui*. V. *profuſionem agri fertiliſſimi*, ſive *quas profudit fertiliſſimus ager*. VI. *groſſum*, ſeu *craſſum carmel*. *Gheres*, cum Scin ſiniſtro, hic tantum, & infra verſ. 16. reperitur: voluntque idem eſſe cum *Gheres* cum Samech; atque ſignificare *confractionem*, *contritionem*, *contuſionem*, *excuſſionem*, ut cum grana excutiuntur e folliculis, & contunduntur. *Carmel* vero certum eſt eſſe nomen montis notiſſimi in Scriptura, feraciſſimi ac fertiliſſimi, aut qui adiunctam vallem habeat eximiæ quondam feracitatis: hinc ſæpe appellative poni pro qualibet terra ſeu valle frugibus & arboribus, ac vineis conſita, ut Iſaiæ XXXII. verſ. 15. 16. & ſtrictius pro ſegete ſeu frugibus aut frumento recenti ſeu pingui, quale primum in Carmelo matureſcit, uſurpari, ut hic, & infra cap. XXIII. 14. & II. Regum IV. verſ. 42. Nonnulli notant, *Carmel* hic ſignificare ſpicam plenam, viridem, tenuem, teneram. Noſter infra cap. XXIII. verſ. 14. *pultes* vertit; hic *far*, & II. Reg. IV. verſ. 42. *frumentum novum*.

MENOCHII.

Verſ. 1. ANIMA, id eſt homo: pars pro toto per ſynecdochen. OBLATIONEM SACRIFICII. Hebr. eſt, *oblationem* מנחה *mincha*, quod eſt ſacrificium rerum inanimatarum. Aquila vertit, *Donum de frumento*: Vatablus vertit, *ſacrificium cibarium*. Quia vero alia ſacrificia ſua peculiaria habent nomina, idcirco noſter Interpres ſacrificium hoc ex ſimila, ſive mincha, abſolute ſacrificium appellat. Inſtitutum eſt hoc ſacrificium, I. pro pauperibus, ne illos offerendi facultas deficeret. II. ut ſacerdotibus de pane, & annona provideretur, magna enim eius pars ſacerdotibus cedebat. III. ut non ſolum animalibus, ſed etiam terræ frugibus Deus coleretur. IV. quia ſacrificium erat quaſi convivium Deo inſtructum, ergo præter carnes, panis, vel eius materia, vinum & ſal adhiberi debuerunt. Iuſſit autem Deus in omni ſacrificio animalis offerri ſimilam, & vinum, ut patet Num. XV. num. 4. 7. & 10. item ſal, ut patet hoc cap. num. 13. ut ſcilicet plenum, & perfectum eſſet convivium. SIMILA ERIT EIUS OBLATIO; quaſi dicat: Similam puram ſine furfuribus offeret qui ſacrificium, quod *Mincha* dicitur, offerre voluerit. Simila quid ſit ſupra diximus Gen. XVIII. 6. FUNDETQUE SUPER EAM OLEUM, quaſi quoddam condimentum: oleatus enim panis ſapidior: ſapidiſſimus autem, & lectiſſimus cibus Deo offerendus eſt. ET PONET THUS, ut non tantum gratus ſapor, ſed etiam ſuavis odor adſit. Deinde quia ex communi ſenſu thus Deo, eique pene ſoli adoleri ſolet.

V. 2. SIMILAE, ET OLEI, ſimilæ oleo conſperſæ. ET PONET MEMORIALE, &c. Heb. *incendet*, ut ſcilicet ſit memoriale quaſi renovans Deo memoriam offerentis, impetretque quod petitur. Vel ſenſus eſt, partem illam ſimilæ crematam memoriale fore, ut perinde ac ſi totum fuiſſet crematum, Deus offerentis recordaretur, & ei placaretur. SANCTUM SANCTORUM, ſacroſanctum, nec ab aliis quam a ſacerdotibus comedendum. Vide Levit. XXII. num. 10. & 11.

V. 4. SACRIFICIUM COCTUM. Nunc

Nunc agit Moſes de altera ſpecie Mincha, hoc eſt de ſacrificio ex ſimila cocta; quod tripliciter fiebat, vel coquendo illam clibano, vel ſartagine, vel craticula. CONSPERSOS OLEO, oleo ſubactos. LAGANA ſunt liba non craſſa, ſed tenuia, & extenſa. LITA OLEO, non mixta oleo, ſed deſuper inuncta, & delibuta.

V. 6. DIVIDES EAM MINUTATIM: ut ſcilicet partes ita diviſæ, oleum eis ſuperinfuſum imbibant, utque partes illius aliquæ Deo ſacrificentur.

V. 9. CUM OBTULERIT EAM. Heb. *Adducet eam ad altare*, ipſe ſcilicet offerens, ut patet ex Hebræo, & ex LXX. TOLLET, ſacerdos ſcilicet. MEMORIALE. Vide dicta num. 2.

V. 11. ABSQUE FERMENTO: azymus enim panis eſt purior. Adde quod per azymos panes revocabatur in memoriam Hebræis liberatio ex AEgypto, quando ob feſtinationem azymis uſi ſunt Exodi XII. 34. NEC QUIDQUAM MELLIS, &c. Eadem ratio prohibendi mellis, quæ fermenti, ut ſcilicet purior ſit panis, & quia Gentiles adhibebant in ſuis ſacrificiis. quorum ritus Hebræos imitari noluit Dominus; vel quod mel deliciarum ſymbolum ſit, quodque mellitis panibus pueri potius & mulieres delectentur quam graves viri, ideoque ordinarie mel illis non admiſceretur.

V. 12. PRIMITIAS TANTUM, &c. quaſi dicat: Licet fermentum & mel altari inferri non debeant, nec in ſacrificiis adhiberi; non tamen propterea eorum primitiæ ſacerdotibus non debentur. Non ſolum enim ex frugibus collectis, ſed ex panibus etiam recenter coctis aliquid ſacerdotibus in eorum uſum conferebatur, Num. XV. 19.

V. 13. SALE CONDIES. Cum ſacrificium ſit quoddam quaſi convivium Deo exhibitum, ſal, quo cibi ſapidi redduntur, deeſſe non debuit. SAL FOEDERIS. Vocatur *ſal fęderis*, id eſt ſal legis huius, qua ſal in ſacrificio adhiberi præcipit Dominus: ſæpe enim lex fœdus dicitur in ſcripturis.

V. 14. DE SPICIS VIRENTIBUS. Tertia ſpecies Mincha, ſive ſacrificii farrei. CONFRINGES IN MODUM FARRIS: confringes ſcilicet grana ex ſpicis illis excuſſa, contundes ad modum farris, piſtrino, aut mola grana illa comminuens.

V. 16. IN MEMORIAM MUNERIS, &c. ut pars Deo cremata memoriale ſit, & ſignum, totum hoc munus, id eſt ſacrificium, oblatum eſſe Deo, ut dixi n. 2.

TIRINI.

Verſ. 8. ANIMA, id eſt homo quiſpiam, CUM OBTULERIT OBLATIONEM SACRIFICII; id eſt, cum offerre voluerit oblationem Deo de rebus inanimatis. SIMILA ERIT EIUS OBLATIO. *Id eſt, poterit offerre ſimilam, ſeu florem farinæ puriſſimum*, inquit Iſidorus *a*. Inferius etiam panes coctos, & ſpicas virentes offerri permittit: nempe ne deeſſet etiam pauperrimis quod Deo in ſacrificium offerre poſſent. Et hæc oblatio rei inanimatæ, quia ſimpliciſſima, Hebraice מנחה *mincha*: Latine hic *Sacrificium* generali nomine vocatur.

Petes: Cuius ſortis erat hoc ſacrificium? Reſpondeo: In Hebræo vocatur hic verſ. 2. & ult. אשה *iſſche*, id eſt *holocauſtum* nempe ſecundum quid, ſeu pro parte una: non enim totum in altari adurebatur, ut fiebat in holocauſto: pugillus ex eo, ſeu quantum manu capi poterat, in honorem Dei cremabatur, in memoriale ſeu memoriam totius muneris, quia nempe monumentum ſeu ſignum erat, reliquam totam vel ſimilæ, vel panum, vel frugum maſſam Deo conſecrari. Unde & *Sanctum ſanctorum* hic vocatur, id eſt ſacroſanctum, ſeu tota ſacra oblatio, quæ a nullo alio quam a ſacerdotibus comedi poterat, nec niſi in loco ſancto atrii tabernaculi *b*: ita ſcilicet, ut nihil ex eo domum ſuam, nihil extra atrium efferre, aut uxoribus, aut liberis ſuis communicare poſſent. Hoc enim proprium erat iis ſacrificiis quæ Sancta Sanctorum, ſeu ſacroſancta vocabantur, ut ſolis ſacerdotibus cederent, nec niſi in atrio ſancto abſumi poſſent. Ex aliis vero communibus ſacrificiis veſci etiam domi ſuæ poterant uxores, liberi & alii domeſtici ſacerdotum.

Nota. Hæc oblatio ſimilæ duplex eſſe poterat, una ſimilæ incoctæ & cruæ: altera coctæ, cuius tres iterum ſpecies hic facit. Primam panum coctorum in clibano *c*; ſecundam in ſartagine *d*; tertiam in craticula *e*. Omnibus admiſcendum erat oleum, thus, & ſal, quod verſ.

 13. *Sal*

13. *Sal fœderis Dei* vocatur, id eſt ſymbolum fœderis æterni cum Deo initi. Sal enim, quia præſervat a putrefactione, ſymbolum eſt perpetuitatis:& ideo ad perpetuum incorruptumque fœdus deſignandum etiam in ipſo fœderis ſacrificio iuſſum fuit adhiberi. Et Numeror. XVIII. verſ. 19. pro deſignando pacto æterno ponit *Pactum ſalis*. Ita Philo, Oleaſter & Caietanus. Olim etiam ſal amicitiæ, & prudentiæ ſeu ſapientiæ ſymbolum habebatur: unde & hoſpitibus primum apponi ſolitum; & profana ea menſa, etiam apud Ethnicos, teſte Arnobio, cenſebatur quæ ſalinum non haberet. Vide Iuſtum Lipſium *f*. Certe in ſacrilegis nocturnarum lamiarum ac veneficarum orgiis ſal ſemper deeſſe dicitur.

Nota ſecundo, vetari hic verſ. 11. ne umquam fermentum, aut mel in ſacrificiis admiſceatur, nempe ob rationem contrariam: quia fermentum cum ex corruptione fiat, ſymbolum eſt corruptionis, & ideo ſignificat tropologice peccatum, I. ad Corinth. V. verſ. 8. Deus autem non niſi ſincera, integra, atque incorrupta ſibi offeri volebat. Mel vero ideo a ſacrificiis reiiciebatur, quod apud viros cordatos non eſſet uſus illius in conviviis, ſoloſque pueros, aut mulieres deceret: & quia ſymbolum erat voluptatis ac deliciarum, quas Deus abominatur, maxime in ſacrificiis. Deinde quia mel coctum contrahit acorem, panem cui miſcetur fermentat, ventrem inflat, combuſtum fœtet: quæ ut ſymbola ſunt variorum vitiorum, debent a ſacrificio, & ſacrificante quam longiſſime abeſſe. Ita Procopius, Rupertus, Radulphus, Oleaſter.

(a) Iſidor. Lib. XX. Originum cap. 11.
(b) Levit. VI. verſ. 16.
(c) Levit. II. verſ. 4.
(d) Ibid. verſ. 5.
(e) Ibid. verſ. 7.
(f) Lipſius Lib. I. Satur. cap. IV.

GORDONI.

Verſ. 1. מנחה *mincha* in Hebr. eſt ſacrificium ex ſimila. Propter pauperes inſtitutum eſt: non enim poterant omnes emere animalia. Ceterum paſſim in hoc libro, cum abſolute dicitur ſacrificium, intelligitur *mincha*. Typus eſt ſacrificii Euchariſtici, & certe verum ſacrificium: nam Septuaginta conſtanter vertunt θυσίαν, hoc eſt ſacrificium.

V. 2. Actum eſt cap. 1. de holocauſtorum victimis, & materia: hic de mincha, eiuſque materia; ubi ſimila accipi ſolet pro puriſſimo farinæ flore: & idem apud aliquos eſt ac pollen; alii tamen a polline diſtinguunt. TOLLET, inquit, PUGILLUM; hoc eſt, quantum manus poteſt pugillo complecti: & hoc ut coniiciatur in ignem, in memoriale animæ offerentis. Eſt verſ. 16. *In memoriam muneris*.

V. 3. SANCTUM SANCTORUM. Hæc vox hoc loco ſignificat ſacroſanctum, ubi denotatur hoc reliquum non eſſe dandum laicis, aut ab illis tangendum: ac proinde eſt inter ſacra edulia, quæ in templo, ſeu atrio comedi debebant a ſolis ſacerdotibus, ita ut ne quidem ab eorum domeſticis.

V. 4. Altera minchæ ſpecies, ſcilicet mincha ex panibus. Fuit prior ſpecies ex ſimila pura, & incocta: hæc ſecunda ex ſimila oleo ſubacta, & cocta. De lagano vide Exod. XXIX. verſ. 2. Additur verſ. 13. *Sal fœderis*, hoc eſt ſal lege fœderis ponendum. Hinc Matth. IX. *Omnis victima ſale ſalietur*. Sal conſervat res: ſic in ſacrificiis ſignum eſt perpetui fœderis cum Deo, & non inſipidi.

V. 5. DE SARTAGINE. Senſus eſt, de panibus coctis in ſartagine. Septuag. ἀπὸ τηγάνου, vas frixorium eſt: panes, aut placentas ibi frixas, vel coctas, vocant cruſtulas, vel collyridas.

V. 9. Quid ſit memoriale, dixi verſ. 2.

V. 12. Vult ut primitiæ mellis, & panum fermentatorum offerantur ſacerdotibus.

V. 13. SAL FOEDERIS. Num. XVIII. verſ. 10. etiam morale hoc eſt, Cibum inſipidum non placere Deo.

V. 14. Oblatio eſt ſpicarum, in meſſe hordeacea ex primitiis, quando erigebatur manipulus die ſecundo azymorum. Heb. אביב *abib*, ſpica recens, & vix dum exſiccata: τὸ *In morem farris*, additum eſt a Hieronymo, ad maiorem explicationem.

V. 16. IN MEMORIAM. ſeu memoriale; ut Deus meminerit offerentis.

Ex

Ex Eiusdem Auctario.

V. 1. Hactenus de holocauſtis, prima ſpecie ſacrificii. Nunc de ſecunda ſpecie, quæ eſt *Mincha*, & ſacrificium rerum inanimatarum.

V. 4. Lagana. Laganum eſt libum (*un gaſteau*) non craſſum, ſed extenſum. Oleo, non mixtum, ſed deſuper illitum.

CAPUT III.

Quo pacto auferantur hoſtiæ pacificorum, nempe de bobus, ovibus, agnis, & capris.

1 Quod ſi hoſtia pacificorum fuerit eius oblatio, & de bobus voluerit offerre marem, ſive feminam, immaculata offeret coram Domino. 2. Ponetque manum ſuper caput victimæ ſuæ, quæ immolabitur in introitu tabernaculi teſtimonii, fundentque filii Aaron ſacerdotes ſanguinem per altaris circuitum. 3. Et offerent de hoſtia pacificorum in oblationem Domino, (*a*) adipem qui operit vitalia, & quidquid pinguedinis eſt intrinſecus: 4. duos renes cum adipe quo teguntur ilia, & reticulum iecoris cum renunculis: 5. adolebuntque ea ſuper altare in holocauſtum, lignis igne ſuppoſito, in oblationem ſuaviſſimi odoris Domino. 6. Si vero de ovibus fuerit eius oblatio & pacificorum hoſtia, ſive maſculum obtulerit, ſive feminam, immaculata erunt. 7. Si agnum obtulerit coram Domino, 8. ponet manum ſuam ſuper caput victimæ ſuæ, quæ immolabitur in veſtibulo tabernaculi teſtimonii: fundentque filii Aaron ſanguinem eius per circuitum altaris. 9. Et offerent de pacificorum hoſtia ſacrificium Domino: adipem & caudam totam 10. cum renibus, & pinguedinem quæ operit ventrem atque univerſa vitalia, & utrumque renunculum cum adipe qui eſt iuxta ilia, reticulumque iecoris cum renunculis: 11. & adolebit ea ſacerdos ſuper altare in pabulum ignis & oblationis Domini. 12. Si capra fuerit eius oblatio, & obtulerit eam Domino, 13. ponet manum ſuam ſuper caput eius: immolabitque eam in introitu tabernaculi teſtimonii. Et fundent filii Aaron ſanguinem eius per altaris circuitum. 14. Tollentque ex ea in paſtum ignis Dominici, adipem qui operit ventrem, & qui tegit univerſa vitalia: 15. duos renunculos cum reticulo quod eſt ſuper eos iuxta ilia, & arvinam iecoris cum renunculis: 16. adolebitque ea ſuper altare ſacerdos, in alimoniam ignis, & ſuaviſſimi odoris. Omnis adeps, Domini erit 17. iure perpetuo in generationibus, & cunctis habitaculis veſtris: nec ſanguinem, nec adipem omnino comedetis.

(*a*) Exod. xxix. 13.

BRU-

ROMANA CORRECTIO.

V. 2. *Fundentque filii Aaron ſacerdotes*. Nominativus *Sacerdotes* conſtanter ſervatur: exploſo genitivo *Sacerdotis*, ut ſupra cap. 1. verſ. 5. & cap. 11. verſ. 2.

COMMENTARIA

S A.

Verſ. 1. PACIFICORUM, ſcilicet pro pace, id eſt proſperitate aliqua impetrata a Deo, vel impetranda. Vide inf. cap. VII.

V. 2. TABERNACULI, ſcilicet atrii ſacerdotum.

V. 3. INTRINSECUS, ſcilicet intra vitalia, ſeu inteſtina.

V. 4. ILIA. Hebr. *Quo teguntur ipſi, qui eſt iuxta ilia*. Vide inf. RENUNCULIS, id eſt renibus.

V. 8. TABERNACULI, id eſt atrii. Vide inf. cap. IV. ubi intelligitur id intra atrium, ubi altare.

V. 16. OMNIS ADEPS, &c. quaſi dicat: Omnis ſacrificii adeps incendetur ad honorem Domini.

V. 17. ADIPEM, ſcilicet ſacrificii. Quidam tamen ad omnem referunt, ſicut & ſanguinem. Vide inf. cap. VII.

E S T I I.

Verſ. 1. QUOD SI HOSTIA PACIFICORUM FUERIT EIUS OBLATIO. Hæc hoſtia Heb. dicitur *hoſtia pacificorum*, ſeu *pacium*, ſi ita loqui liceat. Septuaginta vocant *hoſtiam ſalutaris*; & recte: nam nomine pacis apud Hebræos fere omne bonum, & quicquid ad ſalutem pertinet comprehenditur. Offerebatur itaque hoc ſacrificii genus, aut pro beneficio a Deo accepto, aut pro liberatione a malo, ut a captivitate, ab hoſtibus, a morbo, vel alio ſimili. Et hac ratione vocatur interdum ſacrificium ευχαριςίας, id eſt, gratiarum actionis. Aut denique offerebatur pro beneficio, vel ſalute conſequenda. Qua ratione erat ſacrificium poſtulationis. Dividebatur autem pacifica hoſtia in tres partes, quarum una incendebatur ad honorem Dei, altera cedebat in uſum ſacerdotum, tertia in uſum offerentium. Per quod ſignificabatur ſalutem hominis procedere a Deo, dirigentibus Dei miniſtris, & cooperantibus nihilominus ipſis hominibus, qui beneficium ſalutis accipiunt. Sic D. Thom. I. II. quæſt. CII. art. 3.

V. 16. OMNIS ADEPS DOMINI ERIT IURE PERPETUO. Et ſubditur verſ. 17. NEC SANGUINEM, NEC ADIPEM OMNINO COMEDETIS. Nota. Non eodem tamen prorſus modo prohibetur eſus adipis, & ſanguinis: nam ſanguinis eſus abſolute prohibitus erat illi populo etiam ante legem, ſtatim poſt diluvium, Geneſ. IX. eſus autem adipis tantum prohibetur ex iis animalibus quæ immolabantur; de aliis autem animalibus, licebat eis adipem comedere, ſicut & hoc tempore Iudæi a ſanguine abſtinentes, adipem tamen comedunt. Itaque rationes utriuſque prohibitionis hæ erant. Una, ut Iudæi quam longiſſime abeſſent a ritu idololatriæ: nam idolorum cultores bibebant de ſanguine victimarum, & adipes comedebant, iuxta illud Deuteron. XXXII. *De quorum victimis comedebant adipes, & bibebant vinum libaminum*. Secunda ratio ad mores pertinebat: nempe eſus ſanguinis prohibebatur, ut eo magis horrerent effuſionem humani ſanguinis; eſus autem adipis ad vitandam laſciviam. Tertia poſtremo ratio pertinebat ad reverentiam divinæ maieſtatis: ſanguis enim ad vitam neceſſarius eſt, unde & anima dicitur eſſe in ſanguine; adeps autem abundantiam nutrimenti demonſtrat. Itaque ad proteſtandum a Deo nobis eſſe & vitam, & omnis boni ſufficientiam, ad honorem Dei fundebatur ſanguis ad crepidinem altaris; adeps autem incendebatur. Quarum rationum prima, etſi non omnino convincit, nam (ut diximus cap. præc. verſ. 13.) etiam commune erat Iudæis & Gentilibus in

in ſacrificiis uti ſale; nec certum eſt utrum Gentiles omni vino libationis aliquid ſanguinis miſcerent: tamen congrua eſt; ac deinde rationes aliæ duæ ſufficiunt.

MARIANAE.

Verſ. 1. HOSTIA PACIFICORUM. Sic vocabatur hoc ſacrificium, quoniam pro pace & ſalute offerentis. Sic Sept. *θυσία σωτηρίου* dixere, ſive *pro ſanctificatione*, ut poſuit Chal. immolabatur. Hebræi *pacificorum ſacrificium* dictum putant, quod pars Deo, pars ſacerdoti obveniret, pars immolanti.

V. 2. IN INTROITU TABERNACULI, id eſt ad oſtium. Hebraice, *coram oculis*: nam Deus erat in tabernaculo.

V. 3. ADIPEM QUI OPERIT VITALIA, id eſt viſcera, inteſtina. Sept. *Adipem operientem ventrem, & omnem adipem qui ſuper ventrem*: ſic Heb. ſed perinde eſt,

V. 4. DUOS RENES CUM ADIPE QUO TEGUNTUR ILIA ET RETICULUM IECORIS CUM RENUCULIS. Hebr. *Et duos renes, & adipem qui eſt ſuper ipſos, quod ſuper ilia* (pro *& quod*) *& reticulum ſuper iecur cum renibus auferat illud. Renes*, Hebr. כליות *chilioth*, a deſiderando: quoniam in iis putant eſſe concupiſcentiam.

V. 6. SI VERO DE OVIBUS, aut *de pecoribus*: צאן *Zon* enim & *oves*, & *capras* complectitur certe hoc loco, quando de ovibus & capris quaſi partibus deinde diſputat, quod hic in genere dixit.

V. 7. SI AGNUM כשב *cheſeb*, *agnum* ſignificat, ſed anniculum.

V. 9. & 10. ADIPEM ET CAUDAM TOTAM CUM RENIBUS. Hebr. *Adipem eius, caudam totam, e regione dorſi auferet eam, & adipem operientem ventrem, qui ſuper ventrem.*

V. 11. IN PABULUM IGNIS. Heb. *Panem* (pro *pabulum*) *ignitæ oblationis Domino*: ſed panis pro cibo ſumitur, pro alimento, pro pabulo. *Caro oblationis ignitæ* dixit Pagn. eodem reſpiciens.

V. 12. SI CAPRA FUERIT EIUS OBLATIO. Septuag. & Chald. *ſi de capris*: nempe ſingulare Hebraicum ſumunt pro plurali, ſupplentque præpoſitionem *de*, *ſi de capris*.

V. 14. PASTUM IGNIS DOMINICI, id eſt pabulum. Hebr. *Oblationem eius ignitam Domino*, ſcilicet offeret ſacerdos.

V. 15. DUOS RENUNCULOS, &c. Quod verſ. 4. de oblatione boum dixit, hic de capris totidem verbis repetit.

V. 17. NEC SANGUINEM, NEC ADIPEM OMNINO COMEDETIS. Peſſimi nutrimenti cibos vetat, eoſque ſibi offerri mandat: ſic vult Deus iis quæ nocent abſtineri, eaque ipſi offerri, hoc eſt propter eum id fieri, eam abſtinentiam illi dari.

MALVENDAE.

Verſ. 1. HOSTIA PACIFICORUM. זבח שלמים *zebach ſchelamim*. De hoc genere ſacrificii libet annotare, quæ ii qui Hebraicas litteras profeſſi ſunt, obſervarunt. Forſterus: *Pluraliter Schelamim ſemper eſt in uſu, vel ſic ſimpliciter, vel coniunctum cum nomine Zebach, atque Interpres tam Hebræi quam Latini varie tranſtulerunt. Chaldæus reddidit, Sacrificium ſanctorum, eo quod ſancti tantum & mundi permittebantur ex eo edere. Græci reddiderunt, Hoſtiam ſalutis. Ioſephus Sacrificium pro gratiarum actione, ſeu hoſtias gratificas. Rabbi Salomon, Hoſtiam pacificam, eo quod pacem faceret, reddendo unicuique quod ſuum eſt; ſcilicet Deo, & homini cuius erat ſacrificium, & ſacerdoti offerenti. Lyra dicit eſſe hoſtias quæ offerebantur pro aliquo beneficio Dei obtento, vel obtinendo; quarum una pars incendebatur, altera erat ſacerdotis, & tertia offerentium, ut comederent coram Domino. Iudæi communiter ſentiunt hoc ſacrificii genus ſic vocatum, quod per ipſum pax mundo obtineretur, & offerens reconciliaretur Deo; ideo munda ſolum animalia in utroque ſexu oblata eſſe. Alii ſacrificia perfectionum interpretantur. Paulus Ritius hoſtiam pacificorum, quæ nullius delicti, ſed ſodalitii cauſa inter Deum, ſacerdotem, & ipſum qui offerebat, miniſtrata ſit. Munſterus ſecutus vulgarem verſionem, reddidit hoſtias pacificas, quæ pro pace, & incolumitate offerebantur. Ego ſecutus propriam vocis etymologiam; deinde generalem ſacrificiorum partitionem in holocauſta ſeu ſacrificia propitiatoria, & in euchariſtica; tertio conſideratis quoque diligenter Scripturæ locis & circumſtantiis: ſentio Schelamim ſignificare retri-*

tributiones, ſive compenſationes pro acceptis a Deo beneficiis. Deinde ſive ſeorſum, ſive cum nomine Zebach coniunctum, ſignificare, & vertendum eſſe ſacrificium retributionum, quod illi, qui pro accepto aliquo ſingulari beneficio, ad declarandam animi gratitudinem Deo retribuebant; unde recte dixeris, ſacrificium retributionum, vel ſacrificium euchariſticum, gratitudinis, ſeu gratiarum actionis. Erant autem de illis tribus animalium ſpeciebus, bobus, ovibus, & capris; nec tantum maſculini, ut holocauſta, ſed utriuſque generis, integris tamen: neque etiam totaliter cremabantur, ut holocauſta; ſed dividebantur in tres partes: una pars cremabatur, videlicet totus adeps interior inteſtinorum & ilium, duo renes, tota cauda, & retiaculum; altera pars cedebat ſacerdoti ſacrificanti; reliquum totum erat offerentis. Huc uſque Forſterus. Mercerus: *Schelem, præſtat in neutro genere dicere pacificum, genus ſacrificii ſic dictum, iuxta Hebræos ex libro Siphra, quod pacem faceret inter offerentes, Deum, & ſacerdotem. In eo enim ſuum cuique tribuebatur, ſanguis, & adeps altari; pectus & armus ſacerdotibus; reliqua caro & cutis ei cuius erat oblatio: unde etiam vocabatur* מלאים *milluim, quod aries ille milluim voluntatem omnium expleret: omnibus de eo comedentibus. In aliis autem ſacrificiis aliter. Holocauſtum totum concremabatur, & eius pellis cedebat ſacerdoti. In ſacrificio pro peccato, & pro delicto, ſanguis & adeps erant altaris, pectuſculum & armus dexteri ſacerdotum, itemque reliqua caro & cutis. Alii, quod per ipſum pax mundo obtineretur, & offerens Deo reconciliaretur, ideo munda tantum animalia utriuſque ſexus in eo oblata fuiſſe. Alii ſacrificium perfectionum exponunt: Alii, quod omnium maxime probarim, hoſtias pacificas fuiſſe putant, quæ pro pace, & incolumitate, ſeu ſalute offerrentur, & pro aliquo beneficio obtento, vel obtinendo a Domino, non delicti aut peccati cauſa. Adde, & quod his homo cum Deo pacatus eſſet, ſicut & Græci reddiderunt ſacrificia ſalutis, & Ioſephus euchariſteria quaſi hoſtias gratificas, vel pro gratiarum actione: etſi hoc magis erat Todah, ſpecies pacifici ſacrificii, ut ex Levitici* VII. *apparet. Chaldæus, ſacrificium ſanctitatum, quod a ſanctis tantum & mundis offerretur. Quidam denique recentiorum malunt, ſacrificium retributionum, ſeu compenſationum vertere: quod pro ſingulari aliquo beneficio, vel beneficiis acceptis Deo offerretur, teſtandi grati animi cauſa, ex bobus, ovibus, & capris utriuſque ſexus: cum holocauſtum eſſet ex maſculis tantum. Sæpe iungitur cum Zebach, victima, vel ſacrificio.* Hactenus Mercerus. Ergo *Zebach Schelamim*, ex recentioribus *ſacrificium pacificorum* reddunt Reuchlinus, Caietanus, Sanctes Mercerus, Munſterus. *Sacrificium pacium*, Vatablus. *Sacrificium gratiarum actionis*, Leo Iudas, & Avenarius. *Sacrificium retributionum*, ſeu *compenſationum*, Forſterus, & Schindlerus: *Sacrificium integritatum*, ſeu *perfectionum*, Oleaſtrius. *Sacrificium euchariſtiarum*, ſeu *euchariſteriorum*, aut *euchariſticum*, Tremellius, Iunius, & Buxtorfius. Nonnulli apud Robertum Stephanum, *Sacrificium teleticum*, ſive *expiatorium*. Vox hæc omnia complectitur, *Sacrificium pacium, pacificorum, integritatum, incolumitatum, perfectionum, ſalutum, felicitatum, fortunatorum.*

V. 3. Adipem qui operit vitalia, et quidquid pinguedinis est intrinsecus. Hebr. *Adipem operientem vitalia*, intranea, inteſtina, *& omnem adipem, qui ſuper vitalia.* Diſtinguunt duplicem adipem; alterum ſcilicet pinguedinem ſeparatam a carne, quam *exundiam* vulgo vocant; alterum adhærentem & concretum inteſtinis: & de utroque hic agi. Quidam ita reddunt Hebræa: *Adipem, qui operit ventrem, & omnem pinguedinem, quæ eſt circa ventrem.* Alii *Adipem operientem inteſtina, & adipem, qui eſt inter inteſtina.* Nonnulli: *Adipem illum, qui operit exta, & totum illum adipem qui adhæret extis.* Quod Noſter dixit *vitalia*, Heb. eſt קרב *kereb*: ſignificat autem, *quidquid in homine, ſeu pecude eſt propinquiſſimum, & intimum*, ut ſunt cor, pulmo, iecur, & cetera viſcera: communiter reddunt, *ventrem, intima, intranea, inteſtina, viſcera, exta, vitalia*.

V. 4. Ilia. כסלים *ceſalim* plerique *ilia* reddunt; pauci, *ſpondylos, vertrebas*, a mutatione & verſione; alii, *coxendices*; item *lumbos obliquos & tortuoſos*.

V. 5. In holocaustum. Hebræa, *ſuper holocauſtum*. Quidam exponunt, *una cum holocauſto*, ſubaudi præcedente, quia

ſit ſ

ſine illo non fiebant alia ſacrificia ; vel *poſt holocauſtum*, nempe iuge illud quod quotidie offerebatur : ut innuat holocauſtum illud iuge omnia alia ſacrificia antecedere debere. Alii, *ſecundum holocauſtum*, id eſt pro ratione holocauſti. Nonnulli, *ultra, præter holocauſtum*, illud iuge, & quotidianum.

V. 9. CAUDAM TOTAM. Quidam hic *offam penitam* exponunt. Recte. Nam Feſtus : *Penitam offam Nævius appellat abſegmen carnis cum coda. Antiqui autem offam vocabant abſciſſum globi forma, ut manu glomeratam pultem*. Et paulo ante idem Feſtus: *Penem antiqui codam vocabant, a qua antiquitate etiamnum offa porcina cum cauda in cœnis puris offa penita vocatur : & peniculi, queis calceamenta tergentur, quod e codis extremis faciebant antiqui, qui tergerent ea*. At offa porcina, vel cauda porcina nihil ad ſacrificia Hebræorum. Signate iubet Deus caudam pecudis offerri, quod Syriæ, & Arabiæ ovibus ingentes eſſent caudæ. Ariſtoteles Lib. VII. Hiſtoriæ animalium cap. XXVIII. alias XXXIII. *In Syria ovibus caudæ ſunt cubiti latitudine*. Plinius Lib. VIII. cap. XLVIII. *Syriæ cubitales ovium caudæ, plurimumque in ea parte lanificii*. Et Ludovicus Romanus in ſuis peregrinationibus auctor eſt ſe in Arabia vidiſſe verveces, quorum caudæ eſſent quadraginta quatuor librarum; & plerumque undecim librarum. Sed & Herodotus de Arabiæ ovibus Lib. III. cap. CXIII. hæc ſcribit : *Sunt in Arabia ovium duo genera admiratione digna, quæ nuſquam alibi viſuntur. Quorum unum caudas habet tam longas, ut non ſint tribus breviores cubitis : quas ſi permittantur trahere, ulcera contracturæ ſunt dum illæ ad terram atteruntur ; verum unuſquiſque paſtorum hactenus eſt edoctus arte fabrili, ut ploſtella faciant, quæ ſingularum ovium caudis ſubligent, ſuperque ploſtella caudas ipſas alligent. Alterum genus ad cubitalem latitudinem caudas gerit*. Eadem citato Herodoto exſcripſit AElianus X. de Animalibus, cap. IV.

V. 11. IN PABULUM IGNIS. Heb. לחם *lechem, ignitionis*. Quidam, *cibus*, vel *caro ſacrificii igniti*. Vide Levitici XXI. verſ. 6. & VIII. 17. 22.

V. 16 OMNIS ADEPS, DOMINI ERIT. Notant, hoc mandatum generale eſſe, ut in omnibus victimarum generibus adeps nec afferenti, nec offerenti cedat, ſed Deo ſit ſacer. Eſt autem adeps non quodvis pingue, ſed muſculorum extremitatibus, aut membranis hærens, qui frigore concretus, durus, & fragilis eſt.

V. 17. ET CUNCTIS HABITACULIS VESTRIS. Quidam exponunt: Hoc eſt, cum animalia mactatis, ſive in publico ad ſacrificia, ſive in veſtris habitationibus ad privatos veſtros, & communes uſus, hac lege vobis in univerſum eſu ſanguinis interdico, e quibuſcumque ſit animalibus, aptis, vel ineptis ad ſacrificia. Vide I. Samuel. XIV. 33. Adipis vero uſum prohiberi ex iis tantum generibus animalium, quæ homo legitime offerre poteſt, ut oſtenditur infra cap. VII. verſ. 23. & ſequentibus. Iudæi nunc, ſeu quod legem hanc univerſe intelligant, ſeu ex devotione ad maiorem legis obſervationem, generaliter omni adipe abſtinent.

MENOCHII.

Verſ. 1. HOSTIA PACIFICORUM, quæ ſcilicet offertur pro pace, id eſt ſalute, incolumitate, & proſperitate, (hoc eſt enim Hebræis pax) ſive iam obtenta, ſive obtinenda. LXX. appellant *Hoſtiam ſalutarem*. IMMACULATA, integra, perfecta. Vide cap. I. num. 3. CORAM DOMINO, coram altari.

V. 2. SUPER CAPUT VICTIMAE. Vide ſupra cap. 1. num. 4. IN INTROITU TABERNACULI, apud altare holocauſtorum.

V. 3. VITALIA, cor, & præcordia, quæ maxime faciunt ad vitam tuendam, & quibus læſis vitam amittimus.

V. 4. RETICULUM IECORIS, pinguedinem, quæ inſtar retis hepar circumdat. Verſu 15. vocatur *Arvina iecoris*. CUM RENUNCULIS, cum renibus.

V. 8. IN VESTIBULO, in introitu tabernaculi, ut dictum eſt num. 2.

V. 9. ET CAUDAM TOTAM, &c. Hebr. ſic habent: *Caudam integram ad appoſitum ſpinæ dorſi auferent*; id eſt, ita auferent caudam, & eo uſque, ut ſimul renes oppoſitos ſpinæ dorſi auferant : nam ſpina dorſi ea parte qua caudæ coniungitur, renes ſuſtinet. In hoſtia ergo pacifica ovis, agni, & arietis, ut patet Le-

vit. IX. 19. peculiare erat quod cauda adolebatur Domino: hoc enim non fiebat ſi hoſtia pacifica eſſet bos, aut capra.

V. 17. IN GENERATIONIBUS, ET CUNCTIS HABITACULIS VESTRIS: ita ſcilicet ut nulla generatio, nullaque domus ab hac lege ſeſe poſſit excipere. NEC SANGUINEM. Iudæis vetitus fuit omnis ſanguis, non tantum immolatitius victimarum, de quo proprie hic agitur, ſed etiam quivis alius. Vide Geneſ. IX. 4. NEC ADIPEM: non eum qui carni adhæret, & ei immixtus eſt, ſed qui ſeorſim in inteſtinis conſertus, & condenſatus eſt; idque tantum ſervandum in carnibus immolatis: nam ſi domi ad eſum mactabatur animal, nihil vetabat quo minus ut carnes, ita adipem omnem, ſi voluiſſent, abſumerent. Ratio legis eſſe videtur, quia adeps aptus admodum eſt ad concipiendum ignem, & ad comburendum in altari.

TIRINI.

Verſ. I. MAREM, SIVE FEMINAM. Hæc eſt prima differentia inter holocauſtum, & hoſtiam pacificam, quod in holocauſtis tantum victimæ maſculæ, in pacificis etiam femellæ immolari poſſent. Et ratio erat, quia holocauſta primario Dei honorem ſpectabant: Deus autem ſibi optima ex quocumque genere & merito volebat. Pacifica vero primaria intentione ſpectabant utilitatem offerentium: quare etiam arbitrio offerentium relinquebatur ut vel optimas, vel mediocres victimas, id eſt vel maſculas, vel femineas, offerrent. Secunda inter hæc differentia, etiam quo ad materiam, erat, quod in holocauſtis præter boves, oves, & capras, etiam columbæ & turtures ſacrificari poſſent, ut dicitur capite I. in pacificis vero tantum boves, oves, & capræ. Cum enim hoſtiæ pacificæ in tres partes dividerentur; (& hæc eſt tertia differentia) nam una Deo, altera ſacerdori, tertia offerentibus in epulum cedebat, ut cap. VII. dicetur; facta hac triplici diviſione in exiguis volucribus, præter moleſtiam, ieiuna admodum fuiſſet ex iis epulatio. In holocauſtis vero cum igni omnia abſumerentur, ceſſabat hæc & omnis alia moleſtia. Quarta differentia erat quo ad locum immolationis. Nam cum omnia holocauſta *a*, & etiam victimæ pro peccato *b* ad latus atrii dexterum, ſeu reſpiciens ad aquilonem immolarentur; ſoli hoſtiæ pacificæ peculiare erat ut in introitu tabernaculi, id eſt ad partem orientalem atrii, offerretur. Cuius ratio (& ſimul quinta inter hæc differentia) erat, quia pars una hoſtiæ pacificæ, puta adeps, & pectuſculum, debebat imponi manibus illius qui venerat oblaturus hoſtiam pacificam, & ipſe illa Deo offerre debebat, dein *ex ipſius manibus ea deſumebat ſacerdos*, ut dicitur infra cap. VII. verſ. 30. Atqui non licebat laicis intrare atrium ſacerdotum: ergo ad ingreſſum atrii, quo accedere licitum eis erat, immolatio iſta fieri debebat.

V. 16. & 17. OMNIS ADEPS DOMINI ERIT IURE PERPETUO .... NEC SANGUINEM, NEC ADIPEM OMNINO COMEDETIS. An ergo omnis adipis eſu Hebræis interdictus? & an omnis Deo conſecrandus? Reſpondeo. Certum eſt, Deo conſecrari non debuiſſe, ſed nec potuiſſe, adipem animalium immundorum; uti nec mundorum quæ ad ſacrificia aſſumi non poterant, verbi gratia cervorum, bubalorum, &c. Certum item eſt edi potuiſſe adipem illum qui carni mundorum animalium paſſim permiſcetur: quia ſolum vetabatur eſus adipis qui operit vitalia, id eſt qui ambit, & contegit partes illas vitales interiores, cor, hepar, pulmonem, renes, ilia tractu continuo, qui proinde facile a reliqua carne ſeparari poteſt. Hic vero adeps ita vetabatur Iudæis, ut nullo caſu comedi ab eis poſſet, ne quidem ſi domi ſuæ animalia mactaſſent: quia non minus adeps quam ſanguis hic & illis abſolute vetatur iure perpetuo, non ſolum in templo immolatorum, ſed & in habitaculis. Hoc tamen intelligo de ſolo adipe *caprino*, *ovino*, *&* *bovino*, ut inquit Ioſephus; hoc eſt, de adipe illorum animalium quæ alias potuiſſent Deo offerri: nam de adipe cervino, bubalino, aut aliorum animalium mundorum venatione captorum, ſed quæ Deo immolari non poterant, puto comedi potuiſſe: quia nuſquam id vetat Scriptura, quæ præceptum hoc ubique reſtringit ad adipem qui offerri poteſt Domino, vel qui *offerri debet in incenſum Domini d*. Atqui talium

adeps,

Digitized by Google

adeps nec debebat, nec poterat Deo offerri: ergo comedi poterat. Eorum vero quæ poterant Deo offerri, comedi non poterat, & quidem ſub pœna mortis, *e*. non tamen debebat Deo conſecrari, quia id nuſquam præcipitur; ſed ſicut ſanguis in terram effundi debebat ita adeps ille profano igne cremandus erat, niſi forte licuerit adhibere ad candelas ſebaceas inde formandas, aut ad alios profanos, ſed honeſtos uſus: ut in re pene ſimili conceditur cap. 7. verſ. 24.

Allegorice, quæ hoc & ſequentibus capitibus præſcribuntur, aptari omnia poſſunt ſacrificio Chriſti tum cruento, tum incruento. Moraliter virtuti religionis, quæ hominem immolat Deo. Vide Gregorium, Radulphum & alios. Rationem cur eius adipis vetaretur, afferam in fine cap. XI. Cur vero & ſanguinis, capite XVII. verſ. 11. & Geneſ. IX. verſ. 4.

(*a*) Levit, 1. verſ. 11.
(*b*) Lev. VI. verſ. 25. & cap. VII. v. 2. & c. XIV. v. 13.
(*c*) Levit. III. verſ. 16. & ult. Ioſ. Lib. III. Antiq. cap. X.
(*d*) Levit. VII. verſ. 25.
(*e*) Ibid.

GORDONI.

Verſ. 1. HOSTIA PACIFICORUM, ſcilicet animalium quæ offeruntur pro pace, ſeu pro incolumitate & ſalute obtinenda, vel obtenta; in gratiarum actionem. Hebr. זבח שלמים, *zebach ſchelamim*. Septuag. θυσία σωτηρίου.

V. 2. IN INTROITU TABERNACULI. Pacificorum immolatio fiebat in introitu iſto, hoc eſt ad partem orientalem atrii, de qua dixi cap. 1. verſ. 16.

V. 3. Hic & ſubinde oſtendit, in ſacrificiis iſtis pacificis, quæ partes debeant offerri Deo, & cremari in altari.

V. 14. PASTUM IGNIS DOMINICI, pabulum. Heb. *oblationem ignitam Domino*. Ad mores hoc referri poteſt.

V. 15. RENUNCULOS, renes: & verſ. 4. boum; hic de capris.

Verſ. 16. & 17. OMNIS ADEPS ſacrificii, DOMINI ERIT: eſt prohibitio, ne comedant adipem. Ex his colligi videtur, prohibitum fuiſſe Iudæis ullum adipem comedere. Certe non omnis adeps erat illis prohibitus, præſertim in animalibus venatione captis, & non ſacrificatis. Immo in victimis edi poterat, ut multi putant, adeps ita carni permixtus ut ſeparari non poſſet; non tamen ſi facile ſeparari poterat. Non ergo idem de adipe ut de ſanguine.

V. 17. NEC SANGUINEM, NEC ADIPEM, &c. Sanguinem, & adipem comedi vetat, ut cibum malum.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 1. Iam de hoſtia pacificorum, ex quo, & qualis eſſe debeat, oſtendit.

V. 4. RETICULUM, velut rete ambit hepar. Eſt arvina iecoris. RENUNCULIS, renibus.

V. 17. NEC ADIPEM OMNINO COMEDETIS. Non prohibebatur veſci adipe illo qui adhærebat carni, & illi immixtus erat, ſed qui ſolet in inteſtinis condenſari: idque tantum in immolato.

CAPUT IV.

Modus offerendi hoſtias ſacerdotis, principis, & multitudinis per ignorantiam peccantis.

1 LOcutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens: 2. Loquere filiis Iſrael: * Anima quæ peccaverit per ignorantiam, & de
univerſis mandatis Domini, quæ præcepit ut non fierent,
quidpiam fecerit: 3. ſi ſacerdos, qui unctus eſt, peccaverit,
delinquere faciens populum, offeret pro peccato ſuo vitulum
immaculatum Domino: 4. & adducet illum ad oſtium tabernaculi teſtimonii coram Domino, ponetque manum ſuper
caput eius, & immolabit eum Domino. 5. Hauriet quoque
de ſanguine vituli, inferens illum in tabernaculum teſtimonii. 6. * Cumque intinxerit digitum in ſanguine, aſperget eo ſepties coram Domino contra velum
ſanctuarii: 7. ponetque de eodem ſanguine ſuper cornua altaris thymiamatis gratiſſimi Domino, quod eſt in tabernaculo teſtimonii: omnem autem reliquum
ſanguinem fundet in baſim altaris holocauſti in introitu tabernaculi. 8. * Et adipem vituli auferet pro peccato, tam eum qui vitalia operit, quam omnia quæ
intrinſecus ſunt: 9. duos renunculos, & reticulum quod eſt ſuper eos iuxta ilia, & adipem iecoris cum renunculis, 10. * ſicut auſertur de vitulo hoſtiæ pacificorum: & adolebit ea ſuper altare holocauſti. 11. Pellem vero & omnes carnes, cum capite & pedibus & inteſtinis & fimo, 12. & reliquo corpore efferet
extra caſtra in locum mundum, ubi cineres effundi ſolent: incendetque ea ſuper
lignorum ſtruem, quæ in loco effuſorum cinerum cremabuntur. 13. * Quod ſi
omnis turba Iſrael ignoraverit, & per imperitiam fecerit quod contra mandatum Domini eſt, 14. & poſtea intellexerit peccatum ſuum, offeret pro peccato ſuo vitulum, adducetque eum ad oſtium tabernaculi. 15. Et ponent ſeniores
populi manus ſuper caput eius coram Domino. Immolatoque vitulo in conſpectu
Domini, 16. inferet ſacerdos, qui unctus eſt, de ſanguine eius in tabernaculum
teſtimonii, 17. tincto digito aſpergens ſepties contra velum: 18. ponetque de
eodem ſanguine in cornibus altaris, quod eſt coram Domino in tabernaculo teſtimonii: reliquum autem ſanguinem fundet iuxta baſim altaris holocauſtorum,
quod eſt in oſtio tabernaculi teſtimonii. 19. Omnemque eius adipem tollet, &
adolebit ſuper altare: 20. ſic faciens & de hoc vitulo quo modo fecit & prius:
& rogante pro eis ſacerdote, propitius erit eis Dominus. 21. Ipſum autem vitulum efferet extra caſtra, atque comburet ſicut & priorem vitulum: quia eſt
pro peccato multitudinis. 22. Si peccaverit princeps, & fecerit unum e pluribus per ignorantiam, quod Domini lege prohibetur, 23. & poſtea intellexerit
peccatum ſuum, offeret hoſtiam Domino, hircum de capris immaculatum. 24.
Ponetque manum ſuam ſuper caput eius: cumque immolaverit eum in loco ubi
ſolet mactari holocauſtum coram Domino, quia pro peccato eſt, 25. tinget ſacerdos digitum in ſanguine hoſtiæ pro peccato, tangens cornua altaris holocau-

Digitized by Google

cauſti, * & reliquum fundens ad baſim eius. 26. * Adipem verò adolebit ſupra, ſicut in victimis pacificorum fieri ſolet: rogabitque pro eo ſacerdos, & pro peccato eius, & dimittetur ei. 27. Quod ſi peccaverit anima per ignorantiam, de populo terræ, ut faciat quidquam de his quæ Domini lege prohibentur, atque delinquat, 28. & cognoverit peccatum ſuum, offeret capram immaculatam. 29. Ponetque manum ſuper caput hoſtiæ quæ pro peccato eſt, & immolabit eam in loco holocauſti. 30. Tolletque ſacerdos de ſanguine in digito ſuo: & tangens cornua altaris holocauſti, reliquum fundet ad baſim eius. 31. Omnem autem adipem auferens, ſicut auferri ſolet de victimis pacificorum, adolebit ſuper altare in odorem ſuavitatis Domino: rogabitque pro eo, & dimittetur ei. 32. Sin autem de pecoribus obtulerit victimam pro peccato, ovem ſcilicet immaculatam; 33. ponet manum ſuper caput eius, & immolabit eam in loco ubi ſolent cædi holocauſtorum hoſtiæ. 34. Sumetque ſacerdos de ſanguine eius digito ſuo, & tangens cornua altaris holocauſti, reliquum fundet ad baſim eius. 35. Omnem quoque adipem auferens, ſicut auferri ſolet adeps arietis, qui immolatur pro pacificis; cremabit ſuper altare * in incenſum Domini: rogabitque pro eo, & pro peccato eius, & dimittetur ei.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 2. *Anima quæ peccaverit*. Pro *quæ* in aliis eſt *cum*.

V. 6. *Cumque intinxerit digitum in ſanguine, aſperget eo ſepties*. Alii pro vocabulis ablativi caſus, *ſanguine* & *eo*, ſcribunt vocabula accuſativi caſus *ſanguinem* & *eum*: nam plurale *eos* ſpurium eſt prorſus.

V. 8. *Et adipem vituli auferet*. Cave mutes *auferet*, quod eſt tollet, cum *offeret*, quod eſt ſacrificabit, ut plerique faciunt.

V. 10. *Sicut auſertur de vitulo*. Idem hic eſt cavendum, videlicet ne pro *aufertur* ſubſtituatur *offertur*.

V. 13. *Quod ſi omnis turba Iſrael ignoraverit*. Non addas *filiorum*.

V. 25. *Et reliquum fundens ad baſim eius*. Non opus eſt addere *ſanguinem*, tametſi legatur Hebraice: facile enim intelligitur.

V. 26. *Adipem vero adolebit ſupra*. Similiter nec hic opus eſt addere *altare*, quod ſubditur a quibuſdam manuſcriptis, Hebræo conformiter.

V. 35. *In incenſum Domini*. Non eſt omittenda præpoſitio *in*.

COMMENTARIA

S A.

Verſ. 2. IGNORANTIAM, id eſt errorem, ſeu incogitantiam. FECERIT, ſcilicet committendo, vel omittendo.

V. 3. SACERDOS, ſcilicet *ſummus*, ut explicat Chald. & LXX. QUI UNCTUS EST; quaſi dicat, poſtquam unctus eſt. DELINQUERE FACIENS POPULUM, ſcilicet ſuo exemplo. Hebr. *ad delictum populi*; id eſt, ut quidam interpretantur, peccato quo populus peccare ſolet.

V. 4. TABERNACULI, id eſt atrii. IMMOLABIT; id eſt, mactabit ipſe.

V. 6. SANCTUARII, ſcilicet quod dicitur Sancta ſanctorum.

V. 7. GRATISSIMI. Heb. & Chald. *aromatum*. LXX. *compoſitionis*. DOMINO. Hebr. Chald. & LXX. *coram Domino*. IN INTROITU; pro, *quod eſt in introitu*, ut eſt Hebraice, & Chaldaice.

V. 8. VITALIA, id eſt præcordia. OMNIA; pro, qui operit omnia. INTRINSECUS, ſcilicet viſceribus incluſus, vel viſcera tegens.

V. 20. ROGANTE. Hebr. *expiante*. Chal. & LXX. *propitiante*. PROPITIUS ERIT EIS DOMINUS. Hebr. & Chald.

Di-

Digitized by Google

Dimittetur eis, ſcilicet *peccatum*, ut explicant LXX.

V. 22. PRINCEPS, ſcilicet prælatus quis, vel dignitare eminens. UNUM E PLURIBUS, pro aliquid.

V. 24. IMMOLAVERIT, ſcilicet ſacerdos.

V. 25. TANGENS. ſcilicet ſanguine.

V. 26. ROGABITQUE PRO EO. Heb. *Expiabit eum*. Chald. & LXX. *Propitiabit pro eo*.

V. 27. DE POPULO TERRAE; quaſi dicat, Aliquis e plebe.

V. 35. ARIETIS. Hebr. *agni*, ſeu *ovis*. ROGABITQUE, &c. Hebr. *Expiabit eum ſacerdos peccato*, ſeu *propitiabit pro peccato*, ut vertunt Chald. & LXX. ſic & cap. ſeq.

ESTII.

Verſ. 2. ANIMA QUAE PECCAVERIT PER IGNORANTIAM. Peccare per ignorantiam duobus modis intelligi poteſt. Uno modo, peccare ex iudicio practico ignorante, hoc eſt dictante hoc, & nunc faciendum. quod alioqui ſcit non eſſe faciendum. Et hoc modo omne peccatum fit per ignorantiam, & omnis peccans errat, nempe in particulari. Alio modo, peccare ex eo quod quis ignorat, id quod facit, eſſe peccatum; ut quoties quis laborat ignorantia iuris, vel etiam facti, cum ſcire teneatur (nempe ignorantia invincibilis ſemper excuſat.) Et quæritur utro modo quis hic dicatur peccare per ignorantiam? Reſpondeo, poſteriori modo. Nam cap. ſeq. verſ. 15. idem peccatum dicitur per errorem committi. Ac deinde diſtinctio ponitur cap. VI. verſ. 2. inter aliud quoddam peccatum, quod contempto Domino factum ſit, pro quo nihilominus ſacrificium offerri permittitur, nec morte punitur. Qui poſterior locus, quomodo non repugnet cum eo quod Numer. XV. dicitur, *Quod anima quæ per ſuperbiam aliquid commiſerit, peribit de populo ſuo*, explicabimus latius dictis locis.

V. 11. PELLEM VERO ET OMNES CARNES, &c. Hæc hoſtia pro peccato iubetur extra caſtra tota conſumi igne. Cuius ratio eſt, quia de hoſtia pro peccato nemo participabat niſi ſacerdos. Hic autem præſcribitur hoſtia pro peccato ipſius ſacerdotis. Quare nec ipſe ſacerdos de ea participare debebat: erat ergo tota conſumenda igne. Et ſimiliter præcipitur de hoſtia pro peccato totius Iſraelis ſequentibus verbis: *Quod ſi omnis turba Iſrael &c.* & ratio eſt, quod in omni turba ſeu multitudine filiorum Iſrael etiam ſacerdotes comprehendebantur. Sed quæres: Cur ergo huiuſmodi hoſtia non fuerit holocauſtum? Reſpondeo. quia non incendebatur tota ſuper altare ſicut holocauſtum, ſed dividebatur tota ſuper altare ſicut hoſtia pro peccato, & partes efferebantur extra caſtra, & ibi comburebantur.

V. 35. ROGABITQUE PRO EO SACERDOS, ET PRO PECCATO EIUS, ET DIMITTETUR EI. Videtur intelligi tantum remiſſio legalis, qua nimirum fiebat, ut qui præſcriptam ſacrificii cæremoniam obſervaret, non puniretur temporaliter. Unde hic nulla fit mentio contritionis, & veræ pœnitentiæ, quia etiam ſine illa fiebat hæc remiſſio. Immo etiam ad infideles aliquando tales remiſſiones extenduntur: unde I. Reg. V. ſacerdotes Dagon aiunt ad Principes Philiſtum, conſulentes de arca Domini remittenda: *Nolite dimittere eam vacuam, ſed quod debetis reddite ei pro peccato, & tunc curabimini*. Et Principes ad eos: *Quid eſt quod pro delicto reddere debemus?* Et illi rurſum: *Si forte relevet manum ſuam a vobis*. Notandum autem in Hebræo ſic legi hoc loco: *Et expiabit eum ſacerdos a peccato eius, & dimittetur ei*. Quæ expiato, ſive in oratione ſacerdotis intelligatur, ſive in alio ritu quopiam externo, ſemper ad litteram intelligenda videtur non alia expiatio, quam expiatio legalis.

MARIANAE.

Verſ. 1. SI SACERDOS, QUI UNCTUS EST. Chald. & Septuag. de principe ſacerdotum explicant. Sed ungebantur etiam alii ſacerdotes. Verum pro quovis ſacerdote vitulum offerre grave videtur, cum pro principe hircus verſ. 23. DELINQUERE FACIENS POPULUM. Hebr. *ad delictum populi*: cum doctrina, ſive exemplo impulerit populum ad peccatum. Nota, pec-

Digitized by Google

peccatum ex ignorantia expiari: nam commiſſum ex malitia Deo plectendum relinquitur. VITULUM. Vox פר *par*, *taurum* etiam ſignificat; ſed quoniam Hebraice additur *filium bovis*, indicatur de vitulo agi, ut & Sept. reddiderunt.

V. 6. SEPTIES CORAM DOMINO aſperget ſanguinem, quia noxæ multiplicis reus is ſacerdos.

V. 15. ET PONENT SENIORES POPULI. Semper ſeniores populi totius vicem gerunt, tamquam capita: ii ponentes manum ſuper caput vituli ſe reos confitentur.

V. 22. SI PECCAVERIT PRINCEPS. אשר *aſer* Hebraicum hoc loco ſumitur pro אם *im*, id eſt *ſi*, ut dicit Hebræus, ut Hieron. ſumpſit. Chaldæus vertit, *Cum peccaverit*: alii, *quod peccaverit*. In ſententia conſentiunt omnes.

V. 23. ET POSTEA INTELLEXERIT. אוהודע *obodab*. Pagn. *Vel notificatum fuerit*. Verum או aliquando ſumitur pro *ſi*, vel pro *&*, ut vertunt Hieron. & Sept. ſic etiam verſ. 28.

V. 25. HOSTIAE PRO PECCATO. Hebr. abſolute dicitur: *Sumet ſacerdos ex ſanguine peccati*. Sed bene Interpretes vertunt, *hoſtiæ pro peccato*.

V. 28. OFFERET CAPRAM. Pro privati peccato accipit capram aut ovem, quoniam minoris pretii eſt; pro principis, hircum.

V. 32. OVEM SCILICET IMMACULATAM. כשב *cheſeb*. potius *agnum* ſive *agnam* anniculos ſignificat; hoc loco *agnam* propter adiectivum *immaculatam*, & articulum offeret *eam*. Sed video Sept. etiam *ovem* vertiſſe, πρόβατον.

MALVENDAE.

Verſ. 2. PER IGNORANTIAM. שגגה *ſchegagah* aiunt ſignificare *errorem*, *inconſiderationem*, *incogitantiam*, *ignorantiam*, *imprudentiam*.

V. 3. SI SACERDOS, QUI UNCTUS EST, id eſt ſummus ſacerdos, nam is ſolus poſtea ungebatur. Vide Exod. XL. 15. DELINQUERE FACIENS POPULUM. Hebr. *In*, vel *ad afflationem populi*; id eſt, ut populus ſimiliter afflabilis fiat culpa, & abominandus. Alii, *in reatum populi*; id eſt, populum inducens in reatum, ſive doctrina, ſive exemplo materiam ei præbens peccandi. Similis locutio eſt I. Paralip. XXI. 3. PRO PECCATO. Heb. *in peccatum*, in hoſtiam, ſeu ſacrificium pro peccato. Metonymia. Sic in ſequentibus. Vide Exodi XXIX. 14. & infra cap. XXVI. verſ. 25.

Verſ. 7. OMNEM AUTEM RELIQUUM SANGUINEM. Vox *reliquum* non eſt Hebraice; ſed ſubaudiendam eſſe liquet ex oratione integra, quæ habetur infra cap. V. verſ. 9. Sic verſ. 18. 25. 30. 34. huius capitis.

V. 14. PECCATUM SUUM. Hebr. addunt, *quod peccaverunt ſuper ipſum*, id eſt contra ipſum præceptum, vel quod peccaverunt ipſum peccatum. Sic verſ. 23.

V. 23. HIRCUM DE CAPRIS. Exponunt, ſubrumum, lactentem, ſeu adhuc iuvenem, & nondum adultum, quaſi ſub cura matris adhuc exiſtentem, ut Geneſ. XXVII. 31.

V. 24. UBI SOLET MACTARI HOLOCAUSTUM. Intelligunt ipſum iuge holocauſtum, de quo Exod. XXIX. verſ. 38. quod per excellentiam ſimpliciter holocauſtum paſſim vocatur, ut infra verſ. 33.

V. 28. CAPRAM. Hebr. *hircam caprarum*: alii *capellam caprarum*: quidam, *capram lactentem*. Vide verſ. 34.

V. 35. INCENSUM DOMINI. Hebr. *ſuper ignitiones Domini*. Quidam *in oblationem ignitam Domini*. Alii *ſecundum igni conſumendas Iehovæ*; id eſt, prout igne conſumenda adolentur Iehovæ; id eſt, ut ſint holocauſta. Nam ſacrificiis pro peccato ſemper adiungebantur holocauſta, ſive partes eiuſdem ſacrificii ad holocauſtum adhiberentur exceptæ; ſive aliud quid in holocauſtum offerretur. Sic ſupra cap. III. verſ. 5. & infra cap. V. verſ. 12. & paſſim. Alii, *ſuper incenſa Domini*, id eſt ultra, præter holocauſta, quæ appellantur ignitiones, ignita, quod tota cremarentur.

MENOCHII.

Verſ. 2. PER IGNORANTIAM, ſive legis & iuris, ſive facti; eamque craſſam, & culpabilem. DE UNIVERSIS MANDATIS, naturalibus cæremonialibus, iudicialibus, affirmativis, negativis.

V. 3.

V. 3. SACERDOS, Pontifex. Chald. habet, *Sacerdos magnus*. LXX. ἀρχιερεὺς, *Princeps ſacerdotum*. QUI UNCTUS EST, poſtquam conſecratus eſt: nam ſi deſignatus pontifex peccaſſet antequam conſecraretur, tunc victima plebei, aut principis expiabat ſe. DELINQUERE FACIENS POPULUM, ut ſcilicet ſuo peccato ſcandalizet, & peccare faciat populum. Verti etiam poteſt ex Hebr. *Si peccet ſecundum peccatum populi*; id eſt, ſicut populus peccare ſolet.

V. 4. IMMOLABIT, ipſemet pontifex qui peccavit.

V. 6. ASPERGET, ſanguine vituli a ſe, & pro ſe immolati. VELUM SANCTUARII, velum dividens ſanctum ſanctorum a ſancto. Sermonem eſſe de hoc velo, non de eo quod erat in introitu tabernaculi, patet ex voce Hebræa פרכת *parochet*, quo nomine paſſim ubique hoc velum appellatur Exod. XXVI. 36. 40. Levit. XVI. cum aliud quod erat in aditu tabernaculi *maſach* dicatur.

V. 7. IN BASIM, iuxta baſim, ut patet ex verſu 18.

V. 8. QUAM OMNIA QUAE INTRINSECUS SUNT. Auferet, & offeret adipem omnem, tam eum qui operit vitalia, cor ſcilicet, & præcordia, quam eum qui eſt intra ipſa vitalia, & viſcera.

V. 12. EFFERET EXTRA CASTRA. Hæc cæremonia tacita erat oratio, qua pontifex rogabat Deum ut peccata pontificis, vel totius populi, id eſt peccatis debitæ pœnæ ipſum populum non afficerent, ſed cum ipſa victima extra caſtra efferrentur, cremarentur, & abolerentur. IN LOCUM MUNDUM, quia reliquiæ erant ſacrificii. UBI CINERES EFFUNDI SOLENT. Nam cineres victimarum primo in atrio iuxta altare holocauſtorum effundebantur, indeque ad locum aliquem mundum extra caſtra exportabantur.

V. 13. OMNIS TURBA ISRAEL, totus populus, aut maxima eius pars. Nota, eamdem præſcriptam fuiſſe hoſtiam in peccato pontificis, & in peccato populi, vitulum ſcilicet; eumdemque fuiſſe ritum utriuſque immolandi, niſi quod in peccato populi non pontifex, ſed ſeniores populi pro toto populo manus hoſtiæ imponebant.

V. 16. SACERDOS, QUI UNCTUS EST, ſummus ſacerdos, pontifex.

V. 18. ALTARI, QUOD EST CORAM DOMINO, altaris thymiamatis. IN OSTIO TABERNACULI, iuxta oſtium.

V. 20. ROGANTE PRO EIS SACERDOTE, Pontifice. PROPITIUS ERIT DOMINUS; quaſi dicat: Dominus placatus hoc ſacrificio non inferet populo pœnam in hac vita, quam alioqui inflixiſſet. Nam quoad culpam, & pœnam alterius vitæ, hæc non tollebatur ſacrificio, aut prece ſacerdotis, ſed contritione eorum qui peccaverant, cuius contritionis ſignum, & proteſtatio erat hoc ſacrificium, quod pro peccato ſuo offerebant.

V. 22. SI PECCAVERIT PRINCEPS. Princeps hic vocatur qui eſt dux, caput, & primus in familia, aut tribu, aut exercitu: hunc enim ſignificat Hebr. נשיא *naſi*, id eſt elevatus, qui dignitate inter ſuos eminet, ut patet Numer. I. verſ. 4. & cap. VII. 2.

V. 23. HIRCUM CAPRARUM, hircum novellum adhuc matrem ſequentem.

V. 24. CUMQUE IMMOLAVERIT, ſacerdos nimirum.

V. 27. DE POPULO TERRAE, homo plebeius, vulgaris, gregarius.

V. 32. DE PECORIBUS, de ovibus, nam de capris iam dictum eſt.

V. 33. IMMOLABIT EAM, per ſacerdotem. IN LOCO HOLOCAUSTORUM, iuxta altare, ubi immolari ſolent holocauſta.

V. 35. INCENSUM DOMINI, ut ſcilicet fit incenſa, & cremata ſuper altare Domini.

TIRINI.

Verſ. 3. SACERDOS QUI UNCTUS EST, nempe ſolemni illa unctione, de qua Exodi XXIX. verſ. 7. Ergo ſolus pontifex, ſeu ſummus ſacerdos hic intelligitur, uti etiam verterunt LXX. & Chaldæus; & explicant Abulenſis, Lyranus, Vatablus, Caietanus, Ribera, & Sa.

Nota, in hoc differentiam fuiſſe inter hoſtiam pacificam, & hoſtiam pro peccato: quod ex pacificis tertia pars rediret ad offerentes; ex hoſtiis vero pro peccato nihil ad offerentes redibat, ſed, adipe cum.

cum renibus & ſanguine litatis Deo, vel exuſtis, cetera omnia cedebant ſacerdoti: erant enim ſancta ſanctorum, id eſt Deo tota ſacra; unde nec ex ſancto loco efferri, nec ab aliis quam a ſanctis ſacerdotibus, nec alibi quam in atrio ſancto comedi poterant, ut dicitur cap. VI. verſ. 26. unde & ſacerdotes dicebantur *comedere peccata populi*, Oſee. IV. verſ. 8. Sed hoc ſolum fiebat victimis quæ pro peccato privatorum hominum, vel principum politicorum offerebantur: nam quæ pro peccato ſummi pontificis, vel totius populi immolabantur, totæ debebant extra caſtra comburi, præter ſanguinem, & adipem, quæ prius in ſancto atrio libabantur & adolebantur Deo ad maiorem maioris peccati horrorem ac deteſtationem. Rurſus differebant, quod hoſtia pro peccato deberet abſumi eodem die quo oblata fuetat; pacifica vero poterat ſubinde in craſtinum ſeponi, ut dicitur cap. VII. Item hoſtiis pro peccato, ut patet ex cap. V. verſ. II: non poterat admiſceri oleum, aut thus, ut ordinarie fiebat in pacificis: & ratio erat, quia oleum; & thus ad delicias, & iucunditatem faciunt, quæ procul abeſſe debent a peccatore pœnitente. Denique ſacrificiis pro peccato proprium erat, quod ſanguine hoſtiæ illinerentur cornua altaris; ſed hac differentia, quod in victimis pro peccato pontificis vel totius populi, quarum ſanguis inferebatur in Sanctuarium, tingerentur cornua altaris incenſi; in aliis, cornua altaris holocauſti *a*.

Nota ſecundo, paſſim hic & ſeqq. capp. diſtingui hoſtiam pro peccato ab hoſtia pro delicto. Ubi per peccatum, Hebraice *chattath*, Græce ἁμαρτίαν, videtur deſignari quod ex genere ſuo, vel ex circumſtantia aliqua minus malum eſt, verbi gratia, ex ignorantia, minore advertentia, vel ſola omiſſione *b* contractum, maxime contra proximum; per delictum vero, Hebraice *aſcham*, Græce πλημμέλειαν, id quod ex ſe, vel circumſtantiis gravius eſt, verbi gratia quod contra Deum, vel res divinas, etſi ex ignorantia *c* commiſſum; vel quod contra proximum, ſed ex malitia, ut periurium, rapina, fraudatio *d* depoſiti, &c. Unde & delicta, utpote graviora, ad ſui expiationem requirebant etiam in privatis perſonis victimam nobiliorem, videlicet arietem maſculum; cum ea quæ peccata dicebantur, capella vel agnella expiarentur. Ita fere Philo, Ioſephus *e* & Bonfrerius. Allegoriam, & tropologiam horum capitum explicat Apoſtolus ad Hebræos XIII. verſ. 12. & 13.

(*a*) Levit. IV. verſ. 7. & 25.
(*b*) Ibid. toto cap. IV.
(*c*) Ibid. cap. V. verſ. 2. 5. & ſeq.
(*d*) Ibid. VI. verſ. 2. & ſeq.
(*e*) Philo Lib. de Victimis. Ioſephus Lib. III. Antiquit. cap. X.

GORDONI.

Verſ. I. HAEc hoſtia eſt pro peccato.

V. 2. PER IGNORANTIAM, intelligo culpabilem. Hebr. שגגה *ſcegaga*, radix שגג, erravit ignoranter. Quæ hoc capite dicuntur, clara ſunt ex his quæ dixi ad cap. II. & III.

V. 3. SACERDOS. Hic ſummus eſt, ex Septuag.

V. 6. Quod eſt hic de velo ſanctuarii, intellige de velo Sancti ſanctorum, ſeu quod dividebat Sanctum ſanctorum a Sancto. Heb. eſt פרכת *parochet*.

V. 8. ADIPEM VITULI *offeret*. Lege AUFERET: ita Latina editio Romana. Græca περιελεῖ τὸ ϛέαρ. Hebr. ירים *iarim*, *levabit*. *Adipem*, intellige tam qui vitalia (præcordia) operit, quam qui operit viſcera.

V. 20. FECIT ET PRIUS; hoc eſt, quemadmodum eſt præſcriptum fieri de priori. ROGANTE. Sept. *propitiante*. Heb. *expiante*.

V. 22. PRINCEPS. Eſt quivis in aliqua dignitate conſtitutus, & excellentia, ſupra popularem ſtatum; aut qui præfecturam habet. Hebr. נשיא *naſi*, *exaltatus*, a rad. נשא, *elevavit*.

V. 24. HIRCUM DE CAPRIS. Intellige hædum tenerum, & mactandum in atrio tabernaculi ad partem ſeptemtrionalem.

V. 30. TANGENS ALTARE: ſic nempe in ſacrificiis pro peccatis ſolebant illini cornua altaris alicuius ſanguine hoſtiæ. Cetera huius capitis ſupra ſunt explicata.

Digitized by Google

Ex Eiusdem Auctario.

V. 1. Quarta ſpecies ſacrificii tractatur.
V. 8. Quam omnia, quam omnem adipem.

V. 27. De populo terrae, homo aliquis de plebe.
V. 33. Immolabit, per ſacerdotem.
V. 35. In incensum. Ut ſit incenſum, & crematum ſuper altare.

CAPUT V.

De hoſtiis pro peccatis ex ſilentio veritatis, immunditia, errore, iuramento, ſacrorum abuſu atque ignorantia.

1 SI peccaverit anima, & audierit vocem iurantis, teſtiſque fue-
rit quod aut ipſe vidit, aut conſcius eſt: niſi indicaverit, por-
tabit iniquitatem ſuam. 2. Anima, quæ tetigerit aliquid im-
mundum, ſive quod occiſum a beſtia eſt, aut per ſe mor-
tuum, aut quodlibet aliud reptile: & oblita fuerit immundi-
tiæ ſuæ, rea eſt, & deliquit: 3. & ſi tetigerit quid-
quam de immunditia hominis, iuxta omnem impuritatem qua
pollui ſolet, oblitaque cognoverit poſtea, ſubiacebit deli-
cto. 4. Anima, quæ iuraverit, & protulerit labiis ſuis ut vel male quid fa-
ceret, vel bene, & idipſum iuramento & ſermone firmaverit, oblitaque poſtea
intellexerit delictum ſuum, 5. agat pœnitentiam pro peccato, & 6. offerat de
gregibus agnam, ſive capram, orabitque pro ea ſacerdos, & pro peccato eius: 7.
ſin autem non potuerit offerre pecus, offerat (a) duos turtures, vel duos pullos
columbarum, Domino, unum pro peccato, & alterum in holocauſtum, 8. da-
bitque eos ſacerdoti: qui primum offerens pro peccato, retorquebit caput eius ad
pennulas, ita ut collo hæreat, & non penitus abrumpatur. 9. Et aſperget de ſan-
guine eius parietem altaris: quidquid autem reliquum fuerit, faciet diſtillare ad
fundamentum eius, quia pro peccato eſt. 10. Alterum vero adolebit in holo-
cauſtum, ut fieri ſolet: rogabitque pro eo ſacerdos & pro peccato eius, & di-
mittetur ei. 11. Quod ſi non quiverit manus eius duos offerre turtures, aut duos
pullos columbarum, offeret pro peccato ſuo ſimilæ partem ephi decimam: non
mittet in eam oleum, nec thuris aliquid imponet, quia pro peccato eſt. 12. Tra-
detque eam ſacerdoti, qui plenum ex ea pugillum hauriens, cremabit ſuper al-
tare, in monimentum eius qui obtulerit, 13. rogans pro illo & expians, re-
liquam vero partem ipſe habebit in munere. 14. Locutuſque eſt Dominus ad
Moyſen, dicens: 15. Anima ſi prævaricans cæremonias, per errorem, in his quæ
Domino ſunt ſanctificata, peccaverit, offeret pro delicto ſuo arietem immaculatum
de gregibus, qui emi poteſt duobus ſiclis, iuxta pondus Sanctuarii: 16. ipſumque
quod intulit damni reſtituet, & quintam partem ponet ſupra, tradens ſacerdoti,
qui rogabit pro eo offerens arietem, & dimittetur ei. 17. Anima ſi peccaverit per
ignorantiam, feceritque unum ex his quæ Domini lege prohibentur, & peccati
rea intellexerit iniquitatem ſuam, 18. offeret arietem immaculatum de gregibus
ſacerdoti, iuxta menſuram æſtimationemque peccati: qui orabit pro eo, quia
neſciens fecerit: & dimittetur ei, 19. * quia per errorem deliquit in Dominum.

(a) Infr. xii. 8. Luc. ii. 24.

ERU-

BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO.

V. 19. *Quia per errorem deliquit in Dominum*. Retinendus eſt accuſativus *Dominum*, reiecto ablativo.

COMMENTARIA

SA.

Verſ. 1. ANIMA, id eſt homo: ſic infra. ET AUDIERIT; id eſt, cum audierit; vel quaſi dicat: Si quis peccet, & alter audierit. IURANTIS, ſcilicet iudicis, ut dicat veritatem. TESTISQUE, ſcilicet vocatus ut rem prodat. PORTABIT INIQUITATEM; id eſt, a Deo punietur.

V. 2. REPTILE, ſcilicet immundum, ſeu mortuum. Nota, quod Hebr. multo aliter; ſcilicet: *Anima quæ tetigerit aliquid immundum, vel cadaver beſtiæ immundæ, aut iumenti immundi, aut reptilis immundi*. OBLITA. Hebr. *ignara*: ſic & infra.

V. 3. DE IMMUNDITIA HOMINIS, pro hominis immundi. SOLET, ſcilicet homo; quaſi dicat: Quomodocumque immundus ſit ille qui tactus eſt. SUBIACEBIT, ſcilicet ut rea, niſi ſe purget.

V. 4. ET PROTULERIT; pro, nempe protulerit. MALE, ſcilicet ſe affligere ieiunio, aut alia re; vel male ſe quid facturam: vel eſt Hebraiſmus, pro quidquam, ſeu quid magnum, aut parvum. Vide ſimilem phraſim Geneſ. XXXI. verſ. 26. ubi enim legimus quidquam durius. Hebr. *bonum*, vel *malum*; quaſi dicat, aliquid. OBLITAQUE, ſcilicet contra iuramentum ſecerit. Hebr. *ignara*, ſeu *inſcia*.

V. 5. AGAT POENITENTIAM PRO PECCATO. Hebr. & Chald. *Confitebitur peccatum*.

V. 8. AD PENNULAS, ſcilicet colli. Hebr. *contra cervicem*.

V. 11. OLEUM, ſcilicet id lætitiam ſignificat; pro peccato autem dolendum. THURIS: ſcilicet peccatoris oratio, dum in peccato eſt, non eſt Deo grata.

V. 12. MONIMENTUM, id eſt memoriam; quaſi dicat: Ut Deus recordetur eius.

V. 13. IN MUNERE; id eſt, ut ſolet in ſacrificio cibario, quod munus vocatur.

V. 15. CAEREMONIAS. Id additum ab Interprete. PER ERROREM, v. g. neſciens rem eſſe conſecratam, PECCAVERIT, ſcilicet non debite tractando; vel ſurando aliquid de conſecratis Deo; vel non dando primitias, aut decimas.

V. 17. PER IGNORANTIAM. De hoc dictum etiam cap. IV.

V. 18. IUXTA MENSURAM, &c. id eſt, eo meliorem arietem, quo gravius fuerit peccatum.

V. 19. IN DOMINUM. Heb. *Domino*.

ESTII.

Verſ. 1. SI PECCAVERIT ANIMA, ET AUDIERIT VOCEM IURANTIS, TESTISQUE FUERIT, QUOD AUT IPSE VIDIT, AUT CONSCIUS EST: NISI INDICAVERIT PORTABIT INIQUITATEM SUAM. Hæc ſententia a nonnullis ſic accipitur, ut ſignificetur ille peccare, & expiatione indigere, quicumque audierit aliquem falſum iurare, & ſciat falſum eſſe quod iuratur, nec tamen indicat. Hanc expoſitionem ſequens Auguſtinus quærit, Utrum qui peierat, prodendus ſit, etiam cum periculo vitæ ipſius? atque hanc quæſtionem eſſe dicit difficillimam: hoc tamen reſolvit, quod non eſt expreſſum, cui ſit indicandum periurium, an iudici, an ſacerdoti, an alicui alteri; & ſatisfieri legi, ſi indicetur talibus qui magis poſſunt prodeſſe, quam obeſſe periurio, ſive ad corrigendum eum, ſive ad Deum pro ipſo placandum. Probabilius tamen eſt non loqui Scripturam de periurio quod quis audiverit, ſed de iudicis adiuratione, quæ & Hebr. *Execratio* vocatur, quia fere fieri

ſolet adiuratio cum execratione. Et quædam etiam mss. exemplaria habent pro *iurantis*, *adiurantis*. Senſus ergo eſt: Si quis audierit vocem iudicis adiurantis ipſum ut id quod res eſt dicat, ſi teſtis eſſe poſſit, nec tamen indicaverit, portabit iniquitatem ſuam. Per hoc autem quod a iudice adiuratur, ſignificatur peccatum non eſſe penitus occultum.

V. 4. ANIMA QUAE IURAVERIT .... UT VEL MALE QUID FACERET, VEL BENE ..... OBLITAQUE POSTEA INTELLEXERIT DELICTUM SUUM, AGAT POENITENTIAM. Illud quod dicitur, *ut vel male quid faceret, vel bene*, non ſignificat implendum eſſe iuramentum quo quis iuravit ſe alicui nociturum, aut Deum offenſurum, &, ſi per oblivionem non impleat, ſacrificio purgandum eſſe; ſed in eo quod dicitur, *ut male quid faceret*, malum pœnæ ſeu afflictionis intelligitur; ut ſit ſenſus: Si quis iuraverit ſe afflicturum carnem ſuam ieiunio, aut cuiuſcumque rei abſtinentia, & per oblivionem non præſtiterit, cognito delicto, tam agat is pœnitentiam, & offerat pro peccato, quam ſi alicui beneficium aliquod promiſiſſet, & non præſtitiſſet. Sic Pſal. XIV. ſecundum Hebræa: *Qui iuravit in malum, & non mutat*.

V. 5. AGAT POENITENTIAM PRO PECCATO. Hinc videri poſſet legem Moſaicam cæremonialem non tantum ſpectaſſe externa, verum etiam exegiſſe cordis munditiem, & veram animi contritionem, qua ad veram peccatorum coram Deo remiſſionem conſequendam homo diſponeretur; & proinde quod hic paſſim dicitur, *Orabit pro eo ſacerdos, & remittetur ei*, non de ſola legali remiſſione & ſatisfactione accipiendum, ſed de culpæ deletione in iudicio Dei. Verum reſpondendum videtur, hic quoque pœnitentiam legalem intelligi, quæ nimirum ſita ſit in exteriori declaratione peccati, qua qui deliquit, exponit peccatum ſacerdoti, ut pro eo ſacrificium offeratur. Itaque lex tantum pædagogus erat ad Chriſtum. Et hoc velle videtur Hebræus textus qui ſic habet: *Et abſconditum fuerit ab eo, & ipſe ſcivit, & deliquit ex uno ex iſtis. Et erit cum deliquerit ex uno ex iſtis, & confeſſa fuerit, quod peccavit ſuper eo*. Similiter Chaldæus: *Confitebitur peccatum in quo peccavit*. Septuaginta vero ſic, ἐξαγορεύσει τὴν ἁμαρτίαν, id eſt prodet, deteget, revelabit peccatum.

MARIANAE.

Verſ. I. ET AUDIERIT VOCEM IURANTIS. Nempe quidam אלה *alah* ſumunt pro blaſphemia, quam audiens indicare debet. Aut qui audierit *vocem iurantis*, id eſt ſub iuramento aliquid promittentis, reus erit qui ſciens non indicaverit.

V. 4. MALE QUID FACERET, certe ſe affligendo, vel perſequendo iniquos: ſi ſe id facturum iurarit, nec impleverit, reus erit.

V. 5. AGAT POENITENTIAM PRO PECCATO. Hebr. *Et erit cum peccaverit aliquid ex his, confitebitur quod peccavit*.

V. 8. RETORQUEBIT CAPUT EIUS AD PENNULAS. Hebr. *Retorquebit caput eius*, ſcilicet turturis, *ex adverſum colli*.

V. 11. NON MITTET IN EAM OLEUM. Hebr. *in eam ſimilam*. Oleum lætificat homines, thus Deum. Omnem lætitiam abeſſe vult, cum pro peccato ſacrificatur.

V. 13. RELIQUAM VERO PARTEM IPSE HABEBIT IN MUNERE, ſcilicet ſacerdos. Hebr. *Et erit ſacerdoti ſicut mincha*, quod Septuag. dixerunt *erit ut ſacrificium*, ſimilæ nimirum, de quo cap. II.

V. 15. OFFERET .... ARIETEM .... QUI EMI POTEST DUOBUS SICLIS. Hebr. *Offeret arietem in ordinatione tua argenti ſiclorum in ſiclo Sanctuarii*. Sic Septuag. & Chald. *ſiclos* dixere abſolute, non *duos ſiclos*. Sept. *pretii argenti ſiclorum*. Chald. *æſtimatione ſiclorum argenti*. Nam quod in Latina interpretatione Chaldaici dicitur *duorum*, addititium eſt. Et puto, cum dicat *arietem* debere eſſe *ſiclorum* in plurali, recte ſubintelligi, minimum debere eſſe duorum ſiclorum: ſic Vatablus. Et videtur agere de ſacrilegio, rei ſacræ furto, quoniam initio agit de peccato in iis quæ ſunt ſanctificata, & verſu proximo *quintam partem* (ſupple pretii) addi mandat eius quod ſurripuit.

V. 17. INTELLEXERIT INIQUITATEM SUAM. Hebr. *Portavit*, pro portabit, *iniquitatem ſuam*, ſcilicet luet pœnas.

Sed

Sed verbum נשא multa ſignificat, inter alia *capere*, quod Hieron. pro *intelligere* accepit; *cepit iniquitatem*, pro intellexit, ſeu intellexerit.

V. 19. QUIA PER ERROREM DELIQUIT IN DOMINUM. Legunt *in Dominum* Rom. & correctiores codices, etiam Gotthici; ſed Hebraice eſt: *Peccatum eſt* (hoc eſt hoſtia pro peccato) *peccando peccavit contra Dominum*: ſupple, quia peccando peccavit. Hieronymus, quia verſ. 18. dictum erat, peccatum de quo agitur, eſſe peccatum per ignorantiam, hic id ipſum repetiit, ſententiam reſpiciens, nec numerans verba. Aut verius vox אשם *Aſam*, quæ hic eſt, ſignificat *peccatum* non quodcumque, ſed *ex ignorantia*, aut *errore*, de quo cap. VII. verſ. 7.

MALVENDAE.

Verſ. 1. IURANTIS. אלה *alah*, aiunt eſſe *iurationem*, id eſt iuramentum, quo quis cum imprecatione mali aſtringitur ad ſervandum pactum, iuramentum cum alterius partis, quæ iuramentum violat, devotione, ſeu imprecatione. Hic quidam vertunt, *vocem imprecationis*, *execrationis*, *maledictionis*, *blaſphemiæ*. Quidam hanc legem de eo capiunt, qui aliquem iuramento aliquid promittentem, vel affirmantem, aut contractum aliquem ineuntem, audierit, & teſtis citatus veritatem dicere recuſaverit. Plerique omnes de eo hanc legem accipiunt, qui teſtimonium a ſe in iudicio ſub iuſiurandi religione poſtulatum, ex veritate non præſtat: unde illud, *vocem adiurantis*, exponunt *vocem iudicis adiurantis*. Nonnulli, quia adiunctæ leges omnes de peccante per ignorantiam, & de privatis peccatis loquuntur, communiſque omnibus imperatur oblatio; præterea quia falſitatis iuramenti cum in iudicio, tum extra iudicium pronuntiatæ ſpecialis lex ponitur infra cap. VI. verſ. 1. & ſequentibus; potius de eo intelligunt qui non corrigit proximum blaſphemantem, ſed de induſtria, vel imprudentia peccatum eius diſſimulat: voluntque hic legem conſtitui de correctione proximi, ut infra cap. XIX. 17. Hebræi legem iſtam interpretantur de eo qui audit aliquem peierantem, execrantem, maledicentem, & abutentem nomine Dei, & non indicat magiſtratui, ut is puniatur, illum reum fieri. AUT CONSCIUS EST. Hebr. *aut ſcivit*. Quidam ſubaudiunt *auditione*; ſed melius, alia quavis certa & explorata ratione cognovit. NISI INDICAVERIT. Plerique ſubaudiunt, magiſtratui: alii, ei qui peccavit, fraterne eum admonendo. PORTABIT INIQUITATEM SUAM. Non pauci explicant, dabit pœnas pro iniquitate illa apud Deum, etiam ſi lateat perpetuo homines. Alii, culpæ, & pœnæ reus erit.

V. 2. IMMUNDUM. טמא *tame*, etiamſi verbum *tamino* non ſit in uſu Latinis niſi in compoſitione, ut *contamino*; at ut Hebraico *tame* conſimile Latinum redderemus, verbo *taminandi* hic opportune uſi ſumus in Translatione noſtra. Vide Geneſ. XXXIV. 5. OCCISUM. נבלה *nebelah* aiunt eſſe corpus ſcilicet *fatuum*, *futile & inſipiens*, id eſt exanime, extinctum, deſtitutum anima, & vitæ muniis. Alii, *corpus marcidum*, flavum, exangue. Quidam quaſi *caducum*, *deſiduum*: ut נבל *nabel* cognationem habeat cum נפל *naphal*, *cadere*. Unde multi *cadaver* vertunt, a cadendo: alii, *morticinium*. Notant, tam de animalium brutorum, quam hominum corporibus mortuis dici. Deinde, ſi de animalium mundorum, & lege ad veſcendum conceſſorum dicatur, quæ tamen lex vetat ut tangantur, aut edantur; de illis corporibus intelligi debere quæ vel morbo, vel alia læſione extincta ſunt, quæ propriè appellantur morticina; & non de his quæ vel Deo offerenda erant, vel alioqui edebantur. ET OBLITA FUERIT. Hebr. *Et abſconditum fuerit ab ea*; id eſt, etiam ignorans, & imprudens contactu horum pollujtur.

V. 3. IUXTA OMNEM IMPURITATEM, QUA POLLUI SOLET. Cuius impuritatis & immunditiæ genera late explicantur infra cap. XI. XII. XIII. XV. & XVII.

Verſ. 4. ET PROTULERIT. Verbum בטא *bitte*, aiunt eſſe, *inconſiderate pronuntiavit*, *temere effutivit*, *inaniter blatteravit*, *deblatteravit*; ſed id ego ex lexicis non eruo. Noſter Pſal. CV. 34. *diſtinxit* expoſuit: quod huic loco apprime congruit: *adaperte*, *diſtincte*, *diſerte*, *pronuntiare in*

labiis

Digitized by Google

labiis ſuis. Quidam exponunt, *effutiendo labiis ſuis*, id eſt temere proferendo ac perturbato animo; quale fuit iuramentum Davidis contra Nabalem, I. Samuel. XXV. 22. OBLITAQUE. Hebr. *Et abſconditum erit ab ea*, nimirum, primum, ex animi perturbatione, & præcipitantia.

V. 5. AGAT POENITENTIAM PRO PECCATO. Hebr. *Et confitebitur quod erravit ſuper eo*. Dilucidius ſic vertunt: *Confiteatur, quod ea in re peccavit*, vel *id confiteatur, in quo peccavit:* nempe confiteatur coram ſacerdote, vel coram Domino in loco ſacro. Coniugatio Hithpahel ſignificatum auget, *confiteri ſe faciet*; id eſt, ſerio ex animo, cum vero dolore & contritione cordis confitebitur peccatum ſuum.

V. 6. ET OFFERAT. Hebr. *Et adducet* אשם *aſcham*, proprie *delictum*, *oblationem pro delicto*, *piaculum*, *reatum*. Notant nomen *Aſcham* in ritu ſacrificiorum accipi pro hoſtia ſeu victima, quæ pro expiando delicto immolatur, quam etiam Latini *piaculum* vocant. Virgilius VI. AEneidos:

Duc nigras pecudes, ea prima piacula ſunto.

Horatius:

Teque piacula nulla reſolvent.

Quidam *afflandam* reddunt; id eſt, hoſtiam ſeu victimam pro afflanda, ſeu afflatu, vel afflatione; id eſt, pro reatu culpæ, aut pœnæ, quo quis afflabilis, vel afflatus eſt; id eſt, dignus ut afflatu quodam & exibilatione ſit abominationi & horrori. Putant Paulum Romanor. VIII. verſ. 3. & II. Corinth. V. 21. Græca voce vertiſſe ἁμαρτίαν, id eſt *peccatum*. Vide Gen. XXVII. verſ. 10. Nonnulli *culpatorium* interpretantur.

V. 7. SI AUTEM NON POTUERIT OFFERRE PECUS. Hebr. quidam reddunt: *Et ſi non attingere faciet manum ſuam ſufficientiam pecudis*; ſed verbum תגיע *taggiah* eſt femineum, unde non poteſt referri ad offerentem. Alii intranſitive exponunt: *Et ſi non pertigerit, pervenerit, manus eius*, (id eſt, eo uſque ſit dives) *ut ſatis eſſe poſſit ad habendam ovem*. Quidam: *Et ſi non attingere fecerit manus eius*; ipſum ſcilicet, *ſufficientiam ovis*. Nonnulli: *Quod ſi non attingat, adipiſcatur, aſſequatur, manus eius ſufficientiam agni*: id eſt, quod ſi non adipiſcatur manus eius, hoc eſt facultas eius, quod ſatis fuerit pro parva pecude comparanda.

V. 8. ET NON PENITUS ABRUMPATUR, aut *dividatur*, ſeu *ſeparetur* a reliquo corpore. Vide cap. I. verſ. 17.

V. 10. UT FIERI SOLET. Heb. *ſicut iudicium*, id eſt iuxta morem, ritum ſolitum, de quo cap. I. verſ. 14.

V. 11. NON MITTET IN EAM OLEUM, NEC THURIS ALIQUID IMPONET. Obſervant, oblationem pro peccato, condimento, & odoramento, id eſt oleo, & thure, caruiſſe. Cauſas late conferunt Explanatores: breviter, quod peccatum res ſit inſulſa, & fatua, omni lucis, & nitoris condimento carens; item quod peſſime oleat, & audiat.

V. 13. RELIQUAM VERO PARTEM, IPSE HABEBIT IN MUNERE. Hebr. *Et erit ſacerdoti ſecundum minchah*; id eſt, oblationis pro peccato reliquum erit ſacerdotis; ſicut oblationis minchah reliquum, ſupra cap. II. verſ. 3.

V. 15. ANIMA, SI PRAEVARICANS CAEREMONIAS, &c. Verbum מעל *maghal* conferunt cum עלה *ghalah*, *aſcendit*; exponuntque, *præaſcendit*, *tranſcendit*, *tranſgreſſus eſt*, contemptu, & contumacia; oppoſuit ſe illi, cui debebat eſſe obediens ac inferior. Quidam a מעיל *meghil*, *pallio*, ſignificationem derivant, quod pallium interdum divaricet, nec compoſite & decenter tegat indutum, ſed tranſgrediatur metas ſuas. Nec deſunt qui per *maleficium admittere* explicent. Aliqui reddunt hic: *Cum quiſpiam feſellerit falſitate aliqua, & peccaverit per errorem*, minuens *e rebus ſacris Iehovæ*: elucidantque, feſellerit, imprudens videlicet, atque deceptus, quaſi obducto pallio, quod verbi etymo oſtenditur: ſic verſ. 21. & alibi. Vide infra cap. XXII. verſ. 14. Alii intelligunt, Si abtulerit quidpiam ex conſecratis Domino, & neſcierit fuiſſe conſecratum. Notant legem hanc intelligi de eo qui per imprudentiam, ſeu errorem uſurpat, aut accipit aliquid de rebus Deo ſacris & dedicatis, neſciens eſſe ea ſacra. DE GRECIBUS. Quidam intelligunt, tenerum, novellum, lactentem, qui adhuc egeat cura gregali. Heb. ad verbum, *de ove*; id eſt, qui adhuc ſit ſub cura matris; vel de grege, aut pecore. QUI EMI POTEST DUOBUS SICLIS. Hebr. *in æſtimatione tua*,

ae-

Digitized by Google

argenti ſiclorum, *in ſiclo ſanctuarii*. Quidam vertunt, *cum æſtimatione tua*, *ſiclis argentiis*, *prout eſt ſiclus ſacer*; id eſt, cum tanta pecunia, quanta tu ſacerdos æſtimaveris damnum ſacris ab eo illatum, ut explicatur verſ. 16. 18. & cap. VI. verſ. 6. Vide plura de hac lege infra cap. XXII. verſ. 14. Vide etiam cap. XXVII. verſ. 2, & 3. Ex verbo Hebr. *in ordine tuo* (id eſt, ſecundum quod tu ordinaveris, & diſpoſueris) *argentum ſiclorum*: plerique cum Noſtro, *duorum* intelligunt, quod numerus pluralis minor eſſe non poſſit, *in ſiclo ſanctitatis*. Vide Exodi XXX. verſ. 13.

V. 17. ANIMA SI PECCAVERIT PER IGNORANTIAM, &c. Nonnulli hanc legem interpretantur de eo qui per imprudentiam adverſus res ſacras & Deo dicatas delinquit: non quidem eas minuendo, auferendo, uſurpando, ut in ſuperiori lege verſ. 15. ſed alia ratione, committendo, aut omittendo, in rem aliquam ſacram peccavit: ut ſit hæc lex diverſa a ſuperiori.

Verſ. 19. QUIA PER ERROREM DELIQUIT. Interpres noſter omiſit, *delictum*, *piaculum*, *reatus*, *afflanda eſt*, id eſt ſacrificium pro delicto, piaculo, reatu, afflatu, ut verſ. 6. *Afflando afflabilis fuit*, vel *delinquendo deliquit*, aut *piacularis exiſtendo*, *piacularis fuit*, ſeu *reum ſe faciendo reum ſe fecit*, *Iehovæ*.

MENOCHII.

HOc capite, & initio ſequentis agitur de quibuſdam caſibus circa peccata aliena, ne quis putet propria dumtaxat ſacrificio eſſe expianda.

Verſ. 1. SI PECCAVERIT ANIMA, eo modo qui ſequitur. Caſus, & leges huius capitis, & ſequentis ad omnes etiam pontifices pertinere videntur, nulla enim hic fit diſtinctio perſonarum. AUDIERIT VOCEM IURANTIS. Senſus huius verſiculi eſt: Si quis audiverit aliquem iuramento aliquid confirmantem, aut promittentem, citatuſque in iudicio ut dicat id quod vidit, aut cognovit, ſi non aperuerit, portabit iniquitatem ſuam, hoc eſt pœnam iniquitatis, quam illi Deus infliget. Poterit tamen hoc crimen expiari ſacrificio, quod præſcribitur num. 6. ſanctio enim quæ habetur illo num. 6. ad omnes caſus præcedentes referenda eſt. Deo enim per hoc ſacrificium ſatisfiebat; proximo tamen, ſi is læſus eſſet, nihilominus damnum omne ſarciendum erat.

V. 2. QUODLIBET REPTILE: omnia enim reptilia ex lege Levit. XI. 42. erant immunda. ET OBLITUS FUERIT IMMUNDITIAE SUAE, ac conſequenter neglexerit eam tollere per ſacrificium a lege ſtatutum. REA EST, immunda, & polluta, quia contra legem Levit. cap. XI. 43. quæ vetat tangi immundum, fecit. ET DELIQUIT, quia immunditiam per ſacrificium, ſive luſtrationem lege præſcriptam non expiavit.

V. 3. DE IMMUNDITIA HOMINIS, &c. id eſt, de omnibus illis in quibus homines ex lege Moſis pollui ſolent. SUBIACEBIT DELICTO: ut culpæ rea eſt, ita & pœnæ; ac proinde ad ſacrificium num. 6. præſcriptum tenebitur.

V. 4. UT MALE QUID FACIAT: malum aliquod pœnæ irroget, ut parentes aliquando faciunt, qui ſe filios caſtigaturos iurant. OBLITAQUE, ita ut non impleverit iuramentum.

V. 5. AGAT POENITENTIAM PRO PECCATO. Illud agnoſcat, & conteratur; alioqui ſacrificium parum illi proderit. Hoc autem in aliis ſacrificiis pro peccato intelligendum eſt, etiamſi non exprimatur.

V. 7. UNUM PRO PECCATO. Carnes turturis immolati pro peccato, cedebant totæ ſacerdoti, nihil Deo, uti fiebat in aliis ſacrificiis pro peccato, ut patet Levit. VI. 26.

V. 11. PARTEM EPHI DECIMAM, unum gomor. Vide ſupra Exod. XVI. 16. NON MITTET IN EA OLEUM. Ratio legis eſt Domini ita iubentis voluntas, & myſterium, ut ſcilicet ſignificetur peccatorem expertem eſſe lætitiæ, & lucis. NEC THURIS, quia peccatum Deo peſſime olet, & eſt ei abominabile.

V. 12. IN MONIMENTUM. Vide dicta c. 11. n. 2.

V. 13. ROGANS, ET EXPIANS, rogans ut remittatur ei. RELIQUAM VERO PARTEM, ex ſimila oblata pro peccato. IPSE, ſacerdos offerens. HABEBIT IN MUNERE, habebit quaſi munus, quo ſcilicet Deus vult remunerari pro labore, & miniſterio tabernaculi.

V. 15. PER ERROREM, non ſi ſcienter,

ter, morte luet, ut patet Numer. xv. 3. In his quae Domino sunt sanctificata, v. g. ſi laicus comedat de carnibus Deo immolatis, ut dicitur cap. xxii. 14. Qui emi potest duobus siclis, cuius pretium minimum ſit duorum ſiclorum. Iuxta pondus sanctuarii. Vide Exod. xxx. 13.

V. 16. Et quintam partem ponet supra, ut hæc quinta pars ſuperaddita ſit in compenſationem iniuriæ, quam præter damnum irrogavit Domino, eiuſque ſacris. Hæc autem reſtitutio fiebat in pecunia, & ſacerdotibus cedebat.

V. 17. Feceritque unum ex his, &c. omittendo in ſacris cæremoniam aliquam nulli damnoſam.

V. 18. Iuxta mensuram, aestimationemque peccati; quaſi dicat: Pro maiori peccato meliorem, & pretioſiorem offeret arietem; pro minori vero minorem; & vilioris pretii. Orabit pro eo, quia nesciens fecerit; quaſi dicat: Orabit pro eo, dicens: Parce Domine huic, qui deliquit in adhibendis cæremoniis a te præſcriptis, quia neſciens id fecit.

TIRINI.

Verſ. 1. Si audierit vocem iurantis, pro adiurantis, ſcilicet iudicis. Senſus eſt: Si quis flagitium aliquod patraverit, & alius quiſpiam evocatus a iudice ſub adiuratione in teſtem ut id quod vel viſu, vel aliter de flagitio cognovit, teſtetur; ſi talis ſeu metu, ſeu amore eius de cuius crimine inquiritur, ſive alia ex cauſa teſtimonium ferre ſubterfugerit, non erit immunis a crimine. Ita Lyranus, Abulenſis, Oleaſter, Vatablus, Arias Montanus, & Sa.

V. 5. Agat poenitentiam pro peccato. Hebr. & Chal. *Confiteatur peccatum quod peccavit*: ſic Numer. v. verſ. 7. expreſſe dicitur: *Confitebuntur peccatum ſuum*, ſcilicet ſacerdoti, cuius muneris erat diiudicare non ſolum inter lepram & lepram, ſed etiam inter peccata & delicta, ſeu inter leviora & graviora crimina, de quibus cap. præced. & ut iuxta menſuram, æſtimationemque delicti *a* maior, vel melior victima præſcribetur. Non enim hoc cuiuſque privati hominis arbitrio decernendum relinquebatur: ſic enim facile accidiſſet ut una victima pro altera ſupponeretur. Iam vero non poterat hoc diſcernere ſacerdos, niſi prius alter crimen ſuum, eiuſque circumſtantias ipſi detegeret. Hanc confeſſionem tradunt Hebræi ſic inſtitui iuſſam: Tale peccatum ſic vel ſic feci: pudet me & pœnitet: numquam ad rem iſtam revertar. Et addit Philo *b*, rationem cur ſacerdotes quod reliquum erat victimæ pro peccato, ſoli comedere iuſſi ſint, idque intra atrium, ne admiſſis quidem domeſticis, hanc fuiſſe, ne forſan hac via innoteſcerent, aut evulgarentur offerentium peccata quæ ſacerdoti clam aperuerant. Ita ex pluribus Rabbinis Galatinus, & Thomas Vualdenſis *c*, qui addit, Hebræos etiamnum huius confeſſionis morem retinere; & per illam adumbratam fuiſſe noſtram novæ legis confeſſionem ſacramentalem.

(*a*) Levit. v. verſ. 18. & cap. vi. verſ. 6.
(*b*) Philo Lib. de Victimis.
(*c*) Gal. Lib. X. cap. iii. Vvaldenſis Tom. II. de Sacramentis cap. cxxxvii.

GORDONI.

Verſ. 1. Vocem iurantis, aut iudicis ſub iuramento interrogantis teſtem, ut ſit adiurantis. Lex iſta tota eſt de teſte qui occultat veritatem.

V. 2. 3. 4. 5. & 6. Pendet horum verſiculorum ſenſus uſque ad ſextum verſum. Senſus eſt, Qui hæc egerit, offeret hoſtiam pro peccato, in expiationem: & inter alios, ille qui ex verſ. 1. ſubterfugit ferre teſtimonium a iudice delatum; & ſic ibi eſt iurantis, pro adiurante iudice, ut dicat veritatem: hoc enim ſuggeſſit vox אלה *ala*, utrumque ſignificans. Modus porro loquendi toto hoc capite planus erit legenti caput ii. & iii. ubi ſimiles mndi ſunt explicati. Ut mali quid faceret. Malum pœnæ intelligo, ſcilicet vel ſe affligendo, vel iuſte caſtigando delinquentes.

V. 7. & 8. Pecus, hic eſt agnus, vel capra. Retorquebit caput ut ſupra cap. i. verſ. 15. Ad pennulas colli, ſeu contra cervicem.

V. 11. & 12. Ephi decima eſt gomor. In

In monimentum, ſane in memoriam, ut cap. 11. verſ. 2.

V. 13. In munere. Habebit ſacerdos & in munere, ut ſit in ſacrificio cibario, & mincha: ex Hebr.

V. 15. Hic oſtendit delicto ſubiacere eum qui comederit pacificorum carnes, quæ obvenerunt ſacerdoti, quamvis per ignorantiam id actum ſit.

V. 17. Anima quae peccaverit, &c. Videtur hoc idem eſſe cum verſ. 27. cap. IV. ſed tamen diſcrimen eſt: nam ibi de legibus moralibus erga proximum; hic de cæremonialibus circa ſacrificia, & res ad Deum pertinentes.

V. 18. Iuxta mensuram, ſcilicet ut eo melior ſit aries, quo fuerit gravius peccatum.

Ex Eiusdem Auctario.

V. 1. Senſus ſic eſſe poteſt: Si quis peccet, audita voce adiurantis iudicis, & non revelaverit quod ſcit, ut teſtis portabit pœnam a Deo. Tam hoc crimen, quam quæ ſequuntur, expiari poſſunt per ſacrificium verſiculi 6. ſi quod tamen damnum proximum illatum eſt, debet reſarciri. Ceterum ad veram remiſſionem peccati contra Deum, debet conteri: nulla enim vetera ſacrificia iuſtificant ex opere operato.

V. 15. Qui emi potest, cuius pretium ſit duorum ſiclorum.

V. 17. Unum ex his, omittendo in ſacris cæremoniam aliquam nulli damnoſam.

CAPUT VI.

Oblatio pro peccato ex certa ſcientia commiſſo: leges holocauſti, ignis perpetui, ſingulorum ſacrificiorum, & oblationum ſacerdotis in die unctionis ſuæ; & in genere de hoſtia pro peccato: quive, & quando his veſci poſſint.

1 Locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens: 2. Anima quæ pec-
caverit, & contempto Domino, negaverit proximo ſuo de-
poſitum quod fidei eius creditum fuerat, vel vi aliquid ex-
torſerit, aut calumniam fecerit, 3. (*a*) ſive rem perditam
invenerit, & inficians inſuper peieraverit, & quodlibet aliud
ex pluribus fecerit, in quibus ſolent peccare homines, 4.
convicta delicti, reddet 5. omnia quæ per fraudem voluit
obtinere, integra, & quintam inſuper partem domino cui
damnum intulerat. 6. Pro peccato autem ſuo offeret arietem immaculatum de
grege, & dabit eum ſacerdoti, iuxta æſtimationem, menſuramque delicti: 7. qui
rogabit pro eo coram Domino, & dimittetur illi pro ſingulis quæ faciendo pec-
cavit. 8. Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens: 9. Præcipe Aaron & fi-
liis eius: Hæc eſt lex holocauſti: Cremabitur in altari tota nocte uſque mane:
* ignis ex eodem altari erit. 10. Veſtietur tunica ſacerdos & feminalibus lineis:
tolletque cineres, quos vorans ignis exuſſit, & ponens iuxta altare, 11. ſpolia-
bitur prioribus veſtimentis, indutuſque aliis, efferet eos extra caſtra, & in loco
mundiſſimo uſque ad favillam conſumi faciet. 12. Ignis autem in altari ſemper
ardebit, quem nutriet ſacerdos ſubiiciens ligna mane per ſingulos dies, & impo-
ſito holocauſto, deſuper adolebit adipes pacificorum. 13. Ignis eſt iſte perpetuus,
qui numquam deficiet in altari. 14. Hæc eſt lex ſacrificii & libamentorum, quæ

offerent filii Aaron coram Domino, & coram altari. 15. Tollet ſacerdos pugil-
lum ſimilæ, quæ conſperſa eſt oleo, & totum thus, quod ſuper ſimilam poſi-
tum eſt: adolebitque illud in altari, in monimentum odoris ſuaviſſimi Domino:
16. reliquam autem partem ſimilæ comedet Aaron cum filiis ſuis, abſque fermento:
* & comedet in loco ſancto atrii tabernaculi. 17. Ideo autem non fermentabitur,
quia pars eius in Domini offertur incenſum. Sanctum ſanctorum erit, ſicut pro
peccato, atque delicto. 18. Mares tantum ſtirpis Aaron comedent illud. Legiti-
mum ac ſempiternum erit in generationibus veſtris de ſacrificiis Domini: omnis
qui tetigerit illa, ſanctificabitur. 19. Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, di-
cens: 20. Hæc eſt oblatio Aaron, & filiorum eius, quam offerre debent Domi-
no in die unctionis ſuæ. Decimam partem ephi offerent ſimilæ in ſacrificio ſem-
piterno, medium eius mane, & medium eius veſpere: 21. quæ in ſartagine oleo
conſperſa frigetur. Offeret autem eam calidam, in odorem ſuaviſſimum Domi-
no 22. ſacerdos qui iure patri ſucceſſerit, & tota cremabitur in altari. 23. O-
mne enim ſacrificium ſacerdotum igne conſumetur, nec quiſquam comedet ex
eo. 24. Locutus eſt autem Dominus ad Moyſen, dicens. 25. Loquere Aaron &
filiis eius: Iſta eſt lex hoſtiæ pro peccato: In loco ubi offertur holocauſtum,
immolabitur coram Domino. Sanctum ſanctorum eſt. 26. Sacerdos qui offert,
comedet eam in loco ſancto, in atrio tabernaculi. 27. Quidquid tetigerit carnes
eius, ſanctificabitur. Si de ſanguine illius veſtis fuerit aſperſa, lavabitur in loco
ſancto. 28. Vas autem fictile, in quo cocta eſt, confringetur: quod ſi vas æneum
fuerit, defricabitur & lavabitur aqua. 29. Omnis maſculus de genere ſacerdotali
veſcetur de carnibus eius, quia Sanctum ſanctorum eſt. 30. Hoſtia enim quæ
cæditur pro peccato, (*b*) cuius ſanguis infertur in tabernaculum teſtimonii ad
expiandum in Sanctuario, non comedetur, ſed comburetur igni.

(*a*) Num. v. 6. (*b*) Sup. iv. 5. Heb. xiii. 11.

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

V. 9. *Ignis ex eodem altari erit*. Plerique legunt *in* pro *ex*.

V. 16. *Et comedet in loco ſancto atrii tabernaculi*. Pro duabus vocibus quas habent Sixtina Biblia, quam optime, *Sancto atrii*; ſeu tribus, quas alia quædam, *Sancto in atrio*; vulgaria legunt unam, *Sanctuarii*, male.

C O M M E N T A R I A

S A.

Verſ. 2. Contempto Domino. LXX. *contemptis Domini præceptis*. Hebr. *prævaricata in Dominum*.

V. 3. Peccare, ſcilicet auferendo aliena.

V. 4. Convicta; quaſi dicat: Ubi iudicio ſacerdotis, cui deteget, conſtiterit fuiſſe peccatum.

V. 6. Iuxta aestimationem. Vide ſup. cap. v.

V. 7. Pro singulis, id eſt unumquodque eorum.

V. 11. Prioribus; id eſt, quibus erat indutus.

V. 13. Iste, ſcilicet qui divinitus accenſus fuit.

V. 14. Sacrificii et libamentorum. Hebr. *Sacrificii*, *quod dicitur* mu-

munus. Nota, quod libamen fiebat ex farina, oleo, & vino, & cum ſacrificio comburebatur.

V. 17. INCENSUM, id eſt incendendo.

V. 18. LEGITIMUM. Hebr. *ſtatutum*: atque ita intellige infr. in ſimilibus, ne ſit opus ſæpe repetere. OMNIS. Alii, *quidquid*. SANCTIFICABITUR, ſcilicet ita ut comedi niſi a ſacerdotibus non poſſit: quod ſi legas *omnis*, intellige neminem illa tangere debere, niſi prius ſanctificatum, ſeu conſecratum.

V. 20. SEMPITERNO, ſcilicet quoties ungendi erunt, ſcilicet ſummi ſacerdotes: nam Hebr. & LXX. *In die quo ungetur ipſe* (ſcilicet ſummus ſacerdos) ubi nos legimus, IN DIE UNCTIONIS SUAE.

V. 21. CALIDAM. Hebr. *coctam*, ſeu *friſtam*, *&* *in fruſta diviſam*.

V. 23. SACRIFICIUM, ſcilicet cibarium, quod *munus* dicitur, & inf. cap. VII. Interpres vocat *ſacrificium ſimilæ*: ſcilicet ex farina præcipue fiebat.

V. 25. PECCATO, ſcilicet principis, vel plebeii. Nam hoſtia pro peccato populi totius, aut ſacerdotum, tota cremabatur, de quo vide ſup. cap. IV. & VI. SANCTUM SANCTORUM, id eſt valde ſancta.

V. 29. VESCETUR, id eſt veſci poterit.

V. 30. TABERNACULUM, ſcilicet ut eius ſanguine tangatur altare incenſi. Alioqui de aliis hoſtiis pro peccato edebant ſacerdotes: Auguſt. in Levit. qu. XVIII.

ESTII.

Verſ. 2. ANIMA QUAE PECCAVERIT, ET CONTEMPTO DOMINO, NEGAVERIT PROXIMO SUO DEPOSITUM, &c. Intelligitur contemptus Domini, non formalis, ſed interpretativus, quomodo cenſetur quiſque contemnere eum cuius præceptis, cum debeat, non paret; etſi ex infirmitate, vel alia cupiditate, non autem ex mera malitia peccet: proinde etiam peccatum iſtud non ex contemptu aperto, aut rebelli voluntate procedens, poterat reſtitutione, & ſacrificio expiari. Non repugnat ergo hic locus ei qui eſt Num. XV. nam ibi ſuperbia, contemptus plenus, & rebellio formalis intelligitur. Vide ibi plenius.

MARIANAE.

Verſ. 2. CONTEMPTO DOMINO, ſcilicet Deo, NEGAVERIT PROXIMO SUO DEPOSITUM QUOD FIDEI EIUS CREDITUM FUERAT. Sept. *Anima quæ mentita fuerit contra proximum in depoſito, vel de ſocietate, vel de rapina, vel læſit aliquid proximum*: ſic fere Chald. Quæ interpretatio magis accedit ad verba Hebraica, ſed ſententia non diſcrepat, peccare nimirum qui negaverit depoſitum, & pecuniam negotiationi datam, vel quid rapuit, vel ſi proximum oppreſſit, nempe in aliis.

V. 4. CONVICTA DELICTI. Additum ab Hieronymo explicationis cauſa. Neque tamen hic de iudicio agitur, ſed cum quis explicare cupit aliquod horum peccatorum.

V. 9. HAEC EST LEX HOLOCAUSTI. Quædam hic addit obſervanda in holocauſto, præter ea quæ primo capite ſunt poſita. IGNIS EX (aut *in*) EODEM ALTARI ERIT. Hebr. *Ignis altaris accendetur in eo*: Septuag. addunt, *&* *non extinguetur*. Verum id verſ. 12. repetitur.

V. 10. VESTIETUR TUNICA SACERDOS ET FEMINALIBUS LINEIS. Vox *lineis* ad tunicam etiam referri debet: ſic Hebr. Chald. & Sept.

V. 14. HAEC EST LEX SACRIFICII. In Hebræo eſt *minhah*, id eſt *muneris*. Hic addit quædam obſervanda in muneris oblatione, ad ea quæ dicta ſunt cap. XI.

V. 17. IDEO AUTEM NON FERMENTABITUR. Hebraice ſic: *Non fermentabitur. Partem eorum dedi illam de oblationibus ignitis. Sancta ſanctorum erit, ſicut oblatio pro peccato, & pro delicto*. Nempe id ſignificat, Sicut quod mihi adoletur eſt ſine fermento, ita debet quod illi cedit: quam ſententiam Hieronymus poſuit. SANCTUM SANCTORUM. Nova ea ratio, non minus id ſanctum, quam quod pro peccato offertur, quod totum conſumitur: ſic hæc oblatio tota ſacerdoti erit.

V. 18. SANCTIFICABITUR. Debet eſſe mundus iam qui tetigerit ea.

V. 21. QUAE IN SARTAGINE. Chald. propius ad verba Hebraica, *In ſartagine cum oleo fiet*, ſequitur Hebraice, quod Hieronymus omiſit, *laganum*, ſeu *friſtam*

adduces eam coctam, atque in fruſta offeres in odorem ſuavitatis Domino.

V. 25. Hic quædam adduntur obſervanda in hoſtia pro peccato, de qua egit cap. IV.

V. 29. OMNIS MASCULUS. Ex hoc & proximo verſu patet, quædam ſacrificia pro peccatis comedi, nempe pro privatis oblata; alia comburi penitus, nempe pro peccato ſacerdotis, aut totius populi oblata: Repete quæ cap. IV. dicuntur, ut videas quarum hoſtiarum ſanguis inferebatur in ſanctuarium: nam earum eſus interdicitur.

MALVENDAE.

Verſ. 2. CONTEMPTO DOMINO. Hebr. *in, adverſus, Dominum:* qui unus ad hæc contractuum bonæ fidei genera teſtis adhiberi ſolet; & peculiariter depoſita curat, II. Machabæor. III. verſ. 15. & cuius nomen hic peieratur, verſ. 3. NEGAVERIT. כחש *chicheſch, negare, abnegare, denegare, fallere, deficere, fruſtrari, mentiri,* ſignificat. Notant, quod quando conſtruitur cum Beth, ut hic, tunc inſuper ultra defectionem, denotare *contradictionem, & nocendi ſtudium.* PROXIMO SUO. עמית *ghamith,* quidam a עם *gham, populo,* deducunt; quaſi dicas, popularis, qui eſt cum alio iunctus, ſocietate, idiomate, iure, religione, & politia. Alii ab עמת *gummath, ſecundum, iuxta, prope, e regione, coniunctim;* id eſt, ſocius, proximus, qui e regione alicuius, & circa aliquem eſt ei coniunctus: quod Noſter ſequitur. DEPOSITUM. פקדון *pikkadon.* proprie, *viſitatum, commendatum, depoſitum, requiſitum;* id eſt, res quæ aqud aliquem deponitur, eiuſque fidei committitur, ut viſu accurato illam conſervet, ſuo tempore requirendam, ſeu viſitandam. Ridicule hic quidam vertunt *memoriale;* ſive illud ſit chirographum, ſive pignus. QUOD FIDEI EIUS CREDITUM FUERAT. Hebr. *in poſitione manus;* id eſt, quod in manu eius poſuit, quod in manus eius depoſuit, quod fidei & cuſtodiæ eius commiſit, tradens illi in manus. Hebræi exponunt, *aut in depoſito manus;* id eſt, de ſocietate manus, nempe commercio, in quo manum ſuam poſuit cum illo, ut una invicem negotiarentur. Quidam, *vel pecuniam poſitam ſit eius manu, negotiationis gratia;* id eſt, ſi negaverit datam ſibi fuiſſe pecuniam, negotiationis communis cauſa. Aliqui reddunt, *aut de compoſitione, manus,* videlicet cuiuſque ſocietatem cum altero ineuntis. Synechdoche, dexteras iungendi ritus, pro conſocietate, ut Ieremiæ L. 15. & ad Galatas II. 9. quamquam poſſit latius accipi pro omni negotiorum geſtione, procuratione, & aliis bonæ fidei adminiſtrationibus, ubi quis manum apponit ad rem proximi. Alii ſimpliciter exponunt, *vel poſitum, datum, in manum ſuam.* Nonnulli, *aut accommodatum in manum:* quod non diſplicet. Hebræorum aliqui de mutuo dato intelligunt. AUT CALUMNIAM FECERIT. Verbum עשק *gaſchak* notant differre a גזל *gazal,* cuius nomen hic proxime antecedit, quod eſt, *vi aperta prædari, rapere,* eripere, uti conſtat e I. Paralip. XI. verſ. 23. at *ghaſchak* eſſe, dolo, fraude, atque arte ſophiſtica abalienare; redduntque *defraudare:* ac putant ei reſpondere Græcum verbum συκοφαντεῖν, *ſycophantiis agere,* Luc. III. verſ. 14. *Neque concutiatis, neque defraudetis.* Quidam per *opprimere,* vel *circumvenire* convertunt: voluntque *gazal* per *rapere, eripere; gaſchak* vero per *ſurripere* reddi poſſe. Alii *occupare,* ſeu *uſurpare* bona aliena exponunt.

V. 5. OMNIA QUAE PER FRAUDEM, &c. Hunc verſum ex Hebræo in noſtra Translatione ad verbum expreſſimus (*Aut de omni, quo iuramento obſtrictus erit ſuper eo, falſitati: & pacificavit illud in capite eius: & quintam eius addet ſuper illud, cui ipſum, dabit illud in die piaculi ſui.*) Clarius quidam ita reddiderunt: *Qui totum illud, ſuper quo peieravit, reddat ſortem, addita quinta eius parte; reddat, inquam, ei cuius eſt, in die, quo expiat delictum ſuum.* Alii: *Aut de quocumque iuraverit mendaciter, rependat illud quanti fuerit, & quintam eius ſuperaddito ei, ei, cuius eſt, quo die reus peractus eſt:* exponuntque, *rependat illud, ſi illud ipſum non poteſt redhibere, quia non extat, aut deterius factum eſt.* Quod Noſter dixit *integra,* Hebraice eſt *in capite eius,* id eſt ipſum capitale: alii, *ſecundum caput eius,* id eſt ſummam, vel ſortem, nempe in ſolidum, ſeu quanti fuerit.

No-

Digitized by Google

Noſter omiſit poſtremam illam verſus partem: *Dabit illud in die aſcbam ſui*, ſeu *reatus ſui*; id eſt, ei cuius eſt, dato illud, videlicet aut domino rei, aut ipſius vindici, nempe ſuo hæredi, atque legitimo, ut Num. v. cap. v. *In die reatus ſui*: quidam exponunt, quo die reus peractus eſt; id eſt, reſtitutionem ne differto, ſed eodem tempore quo reconciliabitur Deo, proximo ſatisfacito. Sic Matthæi v. verſ. 23. & veriſimile eſt Chriſtum huc alluſiſſe. Hoc autem ſupplicium levius eſſe notant ſupplicio furti, de quo Exodi XXII. 4. quia furto plus ineſt audaciæ quam huic facto: nam furtum a certo & deliberato concilio proficiſcitur, ut voluntario; hic vero de mendacio imprudente agi, involuntario, & per errorem, aut incogitantiam pronuntiato, ut Numerorum v. cap. v.

V. 9. HAEC EST LEX HOLOCAUSTI: plerique iugis intelligunt, nempe illius de quo Exodi XXIX. verſ. 38. & 39. & Numerorum XXVIII. 3. alii, ſive iugis, ſive privati, ac voluntarii, ſupra cap. I. ſive lege imperati, univerſe intelligunt. CREMABITUR IN ALTARI TOTA NOCTE USQUE MANE. Varie ex Heb. reddunt. I. *Ipſum holocauſtum ſuper combuſtionem ſuam ſuper altare omni nocte, uſque mane*; id eſt, ut holocauſtum iuge matutinum durat continuo a mane uſque ad veſperam, ſic holocauſtum iuge veſpertinum duret continuo a veſpera uſque ad mane tota nocte: nempe ut ſic temperetur ignis, ut agnus continue ſuper ignem evaporet; ille tota die, iſte tota nocte. II. *Eſto holocauſtum propter uſtionem eius ſuper altare tota nocte uſque mane*; id eſt, debet manere holocauſtum tota nocte ſuper ignem, ut totum comburatur. III. *Holocauſtum ſit in pyra aræ tota nocte uſque mane*. IV. *Eſt autem holocauſtum propter aduſtionem*, (id eſt ut comburatur) quæ ſit *ſuper altare tota nocte uſque ad matutinum tempus*. V. *Erit holocauſtum in incendio ſuper altare uſque mane*. VI. Imperite quidam hic עולה *bbolah* pro verbo capiunt, redduntque: *Ipſum aſcendet*, id eſt offertur, *in aduſtionem*, quæ ſit *in altari tota nocte, uſque mane*; id eſt, totum conſumitur igne: unde nomen habet, cuius etymon hic oſtendit Moſes.

V. 10. TUNICA. מדו *middo* quidam ut ſimplex nomen exponunt, *veſtem*, *veſtimentum*, *pallium*, quaſi corporis menſuram, vel menſuratum, dicas, nempe veſtem commenſuratam corpori: forſan ſtrictam, quam Hiſpanice vocamus, *iuſtam*. Alii, ut nomen cum affixo, *veſtem ſuam*. Nimirum tunicam illam, de qua Exod. XXVIII. verſ. 39. 40. IUXTA ALTARE, orientem verſus, ut ſupra cap. I. verſ. 16.

V. 11. PRIORIBUS VESTIMENTIS, id eſt ſacris, & miniſterialibus, de quibus verſ. 10. IN LOCO MUNDISSIMO, de quo ſupra cap. IV. verſ. 14.

V. 14. HAEC EST LEX SACRIFICII, ET LIBAMENTORUM. Hebr. *Et iſta lex minchah*, id eſt ſacrificii cibarii, ſeu farinacei, de quo copioſe cap. II. præſcribitur.

V. 18. OMNIS QUI TETIGERIT ILLA, vel *quidquid tetigerit ea*. Exponunt, Nempe minchah, erratum, piaculum, denique res ſanctas ſanctarum, de quibus verſ. 17. SANCTIFICABITUR; id eſt, ſacer, vel ſacrum eſto: ne ad alios uſus adhibetor; ſed aut frangitor, aut ante lavator: infra verſ. 27. & 28. Alii intelligunt, neminem niſi mundum debere ea tangere.

V. 20. OFFERRE DEBENT DOMINO IN DIE UNCTIONIS SUAE. Solos ſummos ſacerdotes ungi debere, plerique annotarunt. Vide Exod. XL. verſ. 15. IN SACRIFICIO SEMPITERNO. Hebr. *minchah*, id eſt adoreum ſacrificium iuge, vel iugiter. Quidam intelligunt, in die conſecrationis ſummi ſacerdotis offerendum eſſe minchah iuge, cuius medietas ſuffiatur toto die, & altera medietas tota nocte. Alii illud, תמיד *tamid*, ſeu *iuge*, nectunt poſt vocem *Domino*; leguntque: *Hæc eſt oblatio Aharonis & filiorum eius, quam offerent Iehovæ ſemper* (iugiter) *quo tempore ungetur eorum aliquis*; id eſt, quotieſcumque ipſe aut filiorum aliquis ungetur loco ipſius ad fungendum ſacerdotio ſummo. Huncque ſenſum commonſtrari volunt verſ. ſequenti. Nonnulli putant præſcribi hic ritum minchah iugis univerſe, quod ſingulis diebus offerrebatur, atque iugi holocauſto adiungebatur: illudque, *In die unctionis ſuæ*, exponunt, a die quo primum ſacerdotio fungi cœperint; ac ſi dicat: Cum primum ſacerdotio inaugurabuntur, hunc ritum in quotidiano & iugi ſacrificio farinaceo obſervabunt.

V. 21.

Digitized by Google

V. 21. FRIGETUR. Participium paſſivum מרבכת *murebecheth* varie exponunt: 1. *frictam*; 2. *oleatam*; 3. *coctam in aquis bullientibus*; 4. *maceratam*; 5. *toſtam*, *torrefactam*; 6. *vectam in olei natatoria*: unde explicant, in ſartagine in oleo fiat vecta, afferes eam, &c. 7. *bullatam*, id eſt frigendo, vel coquendo bullatam factam: unde vertunt, *Bullatam afferto illam*, ſcilicet minchah, vel ſimilam; id eſt, ita coctam ut in bullas tumuerit. Ego cum Noſtro hic, & cap. VII. verſ. 12. *frictam*, vel *coctam* expoſuerim, a ſono nimirum quem edunt farinacea dum coquuntur in oleo, aut friguntur, efficta voce, *murbechet*. Vide in I. Paralip. XXIII. verſ. 29. OFFERET AUTEM EAM CALIDAM. Hebr. *Cocturas ſacrificii farinacei fruſtorum offeret*, ſeu *cocta minchæ fruſta offerto*: nempe minchah coctam diviſam in fruſta, ſeu buccellas offerret. Cocturas fruſtorum, Tremellius & Iunius *mamphulas*, ut Lucilius apud Feſtum vocat, exponunt; ſeu potius *maphulas*, aut *naphulas*, a verbo נפל *naphal*, id eſt *cadere*, appellatas. Feſtus: *Mamphula appellatur panis Syriaci genus, quod, ut ait Verrius, in clibano antequam percoquatur, decidit in carbones, cineremque: cuius meminit Lucilius:*

Piſtricem validam, ſi nummi ſuppeditabunt,
Addas, empleuron, mamphulas quæ ſciat omnes.

Atque has mamphulas putant periphraſtice ab Hebræis appellari decoctum muneris fruſtulentum, per hypallagen Rhetorum. Sed quæſo te, quid iis farinaceis minchæ coctis vel frictis cum oleo in ſartagine, cum mamphulis Syriacis, quæ antequam percoquerentur in clibano, in carbones, aut cinerem decidebant? quas Hiſpanice *gaſpachos* appellamus.

V. 22. SACERDOS QUI IURE PATRI SUCCESSERIT. Hebr. *Et ſacerdos chriſtus, unctus, ſub eo, de filiis eius faciet eam*. Quidam elucidant: *Similiter ſacerdos ille e filiis eius, qui unctus fuerit pro eo*, ſeu *in locum eius*, *facito iſtud*, ſeu *idem*, *ſtatuto perpetuo*. *Sacerdos unctus*, id eſt ſummus: periphraſis. Vide Exod. XL. verſ. 15. Alii illud, *faciet eam*, exponunt præparabit illam, nempe ſimilam, ſeu minchah. Nec deſunt qui, *faciet eam*, id eſt offeret, ſacrificabit; ex uſu verbi *faciendi* Hebræis, & Latinis. CREMABITUR; הָקְאַר *hoktar*, futurum ex Hophal, ſignificationem intendit, *ſuffiri fiet*, *ſuffitui dedetur*, penitus in ſuffitum abibit.

V. 23. OMNE ENIM SACRIFICIUM SACERDOTUM IGNE CONSUMETUR. Hebr. *Et omne ſacrificium farinaceum ſacerdotis, totum erit*. כָּלִיל *calil*, *totum*, *conſummatum*, *abſolutum*, *perfectum*, *univerſum*, erit, nempe in igne, aut in incendio; hoc eſt, totum incenſum erit, totum igne conſumetur. Recte vertes: *Et omnis minchah ſacerdotis, conſummatio erit*; id eſt, conſummabitur, conſumetur in igne. Notant, *calil* plerumque poni pro *incendio*, ſeu *incenſo*, *abſoluto*, *pleno*, *perfecto*, *conſummato*, in quo res penitus concremabantur & abſumebantur omnia ſimul; & peculiariter dici de holocauſto, & oblatione, quæ univerſa & penitus concremabantur, ut nihil eximeretur, aut ſupereſſet ex incendio: quod exemplis ſuis locis videbimus; ſeorſim Deuteron. XIII. verſ. 16. Iudicum XX. verſ. 40. Quidam hunc verſum ſic reddunt: *Omnis enim oblatio ſacerdotis, totum erit*, ſcilicet incenſum, *nec comedetur*. Alii: *Et omne ſacrificium cibarium ſacerdotis, totum*, incenſum, *erit*, *nec comedetur*. Quidam: *Sic eſto omni munere integro ſacerdotis, ne comeditor*. Nonnulli: *Et omnis minchah ſacerdotis tota cremabitur, non comedetur*. Pauci: *Et omne munus ſacerdotis, holocauſtum erit: non comedetur*; id eſt, totum igni conſumetur ut holocauſtum.

V. 25. ISTA EST LEX HOSTIAE PRO PECCATO. Hebr. *Iſta lex peccati*. Vide Exodi XXIX. 14. & de hoc genere ſacrificii, quod peccatum dicitur, agitur pleniſſime ſupra cap. IV. Obſervant, diſtinxiſſe Moſen diſertis verbis ſacrificia hæc pro peccato in duo in univerſum genera: alterum erat animalium, quorum ſanguis inferebatur in tabernaculum teſtimonii, & adeps cremabatur ſuper altare holocauſti; ceterum pelles, carnes, caput, crura, inteſtina, & ſtercus extra caſtra portata cremabantur: nec licebat ſacerdotibus de ipſis edere quidquam. Et de hoc ſacrificii pro peccato genere loquitur Moſes ſupra cap. IV. ubi eius quatuor ſpecies ponit: & Paulus Hebræorum XIII. 11. ad ſacrificium Chriſti in cruce, extra portas Ieroſolymæ factum accommodat, cum ſcribit:

Digitized by Google

bit: *Animalium, quorum ſanguis infertur pro peccato in ſancta per pontificem, horum corpora cremantur extra caſtra: quapropter & Ieſus, ut ſanctificaret per proprium ſanguinem populum, extra portam paſſus eſt, &c.* Alterum genus erat animalium, quorum ſanguis non inferebatur in tabernaculum teſtimonii, & carnes eius edebantur a ſacerdotibus: atque de hoc ſacrificii pro peccato genere agere Moſen hoc verſu 25. & ſequ. uſque ad finem huius cap. VI. Notant quoque duo iſta genera ſacrificiorum pro peccato fuiſſe de quatuor tantum animalium quadrupedum ſpeciebus, ſcilicet iuvenco, hirco, hirca, agna; aut etiam de avibus, uti columbis, aut turturibus; quin etiam de ſimila, panibus, aliiſque farinaceis, ut paſſim videre eſt in Moſe. IN LOCO UBI OFFERTUR HOLOCAUSTUM. Vide c. IV. v. 24. & 33.

V. 30. HOSTIA ENIM QUAE CAEDITUR PRO PECCATO, CUIUS SANGUIS INFERTUR IN TABERNACULUM, &c. De hoc verſu vide late cap. IV. & Hebr. XIII. 11. & quæ notavimus ſupra ad verſ. 25.

MENOCHII.

Verſ. 2. QUAE PECCAVERIT, ET NEGAVERIT. Senſus eſt: Anima quæ peccaverit negans depoſitum. CONTEMPTO DOMINO, quem ſcilicet nihil latet, & qui peccatorum vindex eſt. CALUMNIAM FECERIT, per calumniam, & fraudem aliquem læſerit.

V. 3. QUODLIBET ALIUD EX PLURIBUS, &c. aliquid aliud fecerit quod alteri damnoſum eſt, & noxium; quæ alia ſunt peccata hic enumerata, & his ſimilia.

V. 4. CONVICTA DELICTI; quaſi dicat: Ubi iudicio ſacerdotis, cui detegit, conſtiterit fuiſſe delictum.

V. 5. OBTINERE, id eſt retinere. ET QUINTAM INSUPER PARTEM, in damni compenſationem, quod ex abſentia rei ſuæ interim paſſus eſt dominus.

V. 6. OFFERET ARIETEM. Pro peccato ex ignorantia offertur capra; pro peccato ſcienter admiſſo, quod eſt gravius, offertur aries, qui eſt maioris pretii.

V. 9. LEX HOLOCAUSTI, iugis ſcilicet: iuſſit enim Deus quotidie ſibi duos agnos offerri in holocauſtum, alterum mane, alterum veſpere, ut patet Num. XXVIII. 3. CREMABITUR TOTA NOCTE; atque ideo partes animalis ſucceſſive aræ imponebantur a ſacerdote, qui tota nocte in hoc miniſterium intentus pervigil excubabat.

V. 10. IN EODEM ALTARI ERIT, non erit ignis alienus, aliunde illatus.

V. 11. SPOLIABITUR PRIORIBUS VESTIMENTIS, quia elatio cinerum extra caſtra non eſt ſacra functio, ad quas comparata illa veſtimenta erant. USQUE AD FAVILLAM CONSUMI FACIET, lignorum partes mixtas cineribus, necdum omnino in cinerem reſolutas; & ſi quæ partes adipis, carnium, oſſium, &c. igne non omnino conſumptæ remanſerunt.

V. 12. ET IMPOSITO HOLOCAUSTO, &c. ſententia eſt: Mane compone ſtruem lignorum in altari, & impone illi omnes carnes holocauſti, & ſi quæ præterea ſint hoſtiæ pacificæ offerendæ, accipe ex iis adipes earum, eoſque pone ſuper iuge holocauſtum, ut ſimul cum eo crementur: nolo enim ſeorſum ſolum adipem cremari.

V. 14. LEX SACRIFICII, farrei, non carnium: nam in Hebr. eſt *mincha*, de quo cap. II. LIBAMENTORUM. Libamenta hic vocantur non a libando, ſed a libis, & panibus, qui ex libamentis, id eſt ex ſimila, & farre conficiuntur, vel confici poſſunt: quare quæ hic libamenta, verſu ſequenti ſimilam vocat.

V. 16. COMEDET AARON CUM FILIIS SUIS, intellige niſi polluti eſſent, & contaminati: hi enim arcebantur tam ſacris epulis, quam locis, ut patet cap. XXII. 6. IN LOCO SANCTO, in atrio tabernaculi.

V. 17. NON FERMENTABITUR, QUIA PARS EIUS IN DOMINI OFFERTUR INCENSUM; quaſi dicat: Pars ſimilæ Deo oblata fermentari non poteſt, Levit. II. 11. ergo nec decet reliquam eius partem, quæ ſacerdotibus in cibum cedit, fermentari, quia hæc etiam pars eſt ſacrificii Domino oblati, & cenſetur illi oblata per ſui partem, ſeu pugillum, qui Domino incenſus eſt. SANCTUM SANCTORUM ERIT, ſanctiſſimum erit, ſoliſque cedet ſacerdotibus. SICUT PRO PECCATO, ATQUE DELICTO, ſanctiſſimum erit ſicut ſanctiſſimum eſt ſacrificium

ficium

Digitized by Google

ficium pro peccato, & pro delicto.

V. 18. Mares tantum, &c. Quælibet ſimila Deo oblata habebatur admodum ſancta, perinde ac ſacrificium pro peccato, & delicto; ideoque non poterat comedi niſi a ſacerdotibus, eorumque filiis maſculis. Legitimum sempiternum; quaſi dicat, perpetua ſanctio tamdiu duratura, quamdiu durabit lex veſtra. Sanctificabitur, ſanctificetur.

V. 20. Oblatio Aaron, et filiorum eius, id eſt pontificis, & minorum ſacerdotum. Sic ſæpe inferius Aaron accipitur appellative pro pontifice quolibet. Decimam partem Ephi, gomor unum. Sacrificio sempiterno, quod ſemper in conſecratione ſacerdotum offerri debet.

V. 22. Sacerdos qui patri iure successerit, ſcilicet ſacerdotis filius primogenitus, niſi ille, deformitate aliqua impediente munus pontificium, ab eo arceatur, de qua cap. xxi. 18. tunc enim in eius locum ſuccedebat ſecundo genitus, & ſic deinceps.

V. 23. Igne consumetur, ſacrificium ſcilicet ſimilæ, vel ſareum: nam de victimis ſuis pacificis potuiſſe ſacerdotes comedere patet Exod. xxix. 28.

V. 25. Sanctum sanctorum est, valde ſancta eſt.

V. 26. Sacerdos qui offert, comedet eam: ad ſolum enim ſacerdotem offerentem pertinebat, ab eoque, & eius filiis maſculis comedenda; quamquam poterat offerens alios ſacerdotes, eorumque filios maſculos ad eius eſum advocare, ut patet num. 29.

V. 27. Sanctificabitur. Vide ſupra Exod. xxx. 26. & Aggæi ſecundo 13. Lavabitur in loco sancto, in atrio tabernaculi, ut ſic lota ad profanos uſus redire, & a profanis hominibus indui poſſit.

V. 28. In quo cocta est, hoſtia ſcilicet pro peccato. Confringetur: quia vas fictile, cum ſit poroſum, humorem aliquem carnium ſanctificatarum imbibit, quid elui facile non poteſt.

V. 29. Omnis masculus, &c. Hoſtia ergo pro peccato a ſolis maſculis, iiſque ſacerdotibus, aut eorum filiis comedi poterat.

V. 30. Cuius sanguis infertur in tabernaculum. Quod fiebat in hoſtia pro peccato pontificis, & totius populi, ut dictum eſt cap. vi. num. 6. & 7. Non comedetur, sed comburetur igni: talis enim tota cremanda erat extra caſtra, ut iuſſit Deus cap. iv. num. 12. & 21.

T I R I N I.

Verſ. 9. Haec est lex holocausti, ſcilicet iugis & quotidiani, in quo mane agnus unus, alter item veſpere *a* immolabatur. De veſpertino dicitur: In altari tota nocte cremabitur, nempe lento igne, & uſque ad cineres. Id de matutino ſacrificio alterius agni præſcribere neceſſum non fuit: quod alia multa holocauſta, præter adipes pacificorum, & pro peccato, in eodem altari continua ſerie eſſent cremanda, quæ totum diem occupabant: unde matutinum illud agni ſacrificium non lento, ſed celeri ac ferventi igne erat abſumendum, quo locus fieret aliis ſacrificiis eadem in ara uſtulandis. Ceterum Ignis ex eodem altari erit; id eſt, ad victimarum cremationem non aſſumetur ignis alienus, extraneus, aut profanus; ſed eo ſolo utendum qui in altari holocauſtorum continue lignis additis ſovendus erit: nam in Hebræo, Chaldæo, & Græco legitur, *Ignis in eodem altari ardens erit*, ſupple continuo, & perpetuo. Erat porro hic ignis ſacer, tum quia de cælo a Deo miſſus, Levit. ix. verſ. ult. tum quia contactu, & crematione victimarum ſanctarum erat ſanctificatus. Nam ut verſ. 18. hic, & Exodi xxix. & alibi ſæpe dicitur: *Omnis qui tetigerit*, vel omne quod tetigerit (nam utroque modo verti poteſt ex Hebræo, & hic verſ. 27. in neutro genere Noſter vertit) *ſanctificabitur*; quaſi dicat: Tantam ſanctitatem habent hæ victimæ Deo oblatæ, ut non tantum ſint ipſæ ſanctæ, ſed etiam res alias quantumvis profanas contactu ſuo etiam fortuito & caſuali, ſanctas vel ſanctiores efficiant, ut deinceps non poſſint in uſum profanum aſſumi, ſed vel confringendæ, vel certe expiandæ. Quod tamen limitarim ad eas res quæ ſanctitatis capaces eſſent, & ſaltem non immundæ. Nam immun-

Digitized by Google

mundæ ſanctificari non poterant; quin potius ſi quis homo immundus, vel beſtia immunda, tale quid ſacrum attigiſſet, idque de induſtria & ſcienter factum eſſet, morte luendum erat ſacrilegium. Alioquin expianda erant datis hoſtiis pro delicto, & vaſa abluenda in atrio ſancto, vel etiam confricanda, ut hoc & præced. cap. præſcribitur.

(*a*) Exod, xxix. & Num. xxviii.

GORDONI.

Verſ. 1. VErſiculus quartus concludit ſenſum trium interiectorum verſuum. Quod eſt hic verſ. 2. CALUMNIAM, Septuag. habent tantum *ἀδικεῖν*. Hebr. עשק *bhawak:* & ad omnem quidem iniuriam referri poteſt; tamen vel maxime deſignat deteſtandam a calumniatore illatam iniuriam. עשק *bhowek*, calumnia eſt.

V. 4. CONVICTA DELICTI, REDDET. Quamvis Abulenſis putet hæc verba aliunde irrepſiſſe in textum; tamen non ita eſt: nam nec repugnant textui Hebraico, & alibi ita habemus, Numeror. cap. v. verſ. 7. Expreſſe etiam in Hebræo eſt, confeſſio *: Confitebitur*, inquit, *delictum ſuum*. Et certe hic agitur de occultis criminibus. Itaque hic convinci delicti, eſt ex propria confeſſione iudicari a ſacerdote fuiſſe perpetratum delictum, & decernente inde de victima. En interim clare adumbratam Chriſtianam de confeſſione veritatem.

V. 6. & 7. PRO PECCATO. Calvinus hinc inepte colligit non fuiſſe ullam apud Iudæos expiationem peccati, niſi per ſacrificium; ut ſic tollenda e medio doceat opera ſatisfactionis: ſic ille diligenter Scripturam corrumpit, ut pia opera probet eſſe inutilia: adeo ſemper aſpirat ad impiam a legibus divinis & humanis libertatem, & exemptionem. Porro non advertit iſte Novator, has victimas tantum eſſe pro externis peccatis: nec invenietur ſacrificium in illa lege pro peccatis ſolis internis; & tamen certum eſt interna fuiſſe expiata, ſed per contritionem, & caritatem (immo per fidem, inquit Calvinus.) Ergo diſcat Calvinus, ſacrificia veteris legis valuiſſe ſolum ad expiationem pœnæ, tollendamque immunditiam legalem; nec illis ex opere facto annexam fuiſſe ſpiritualem promiſſionem (vide cap. I. verſ. 4.) ut tamen eſt in ſacramentis novæ legis.

V. 9. Hic de holocauſto iugi; de agno, inquam, uno mane, & altero veſperi: at iuge, quia quolibet die naturali id fiebat; & cremabatur veſpertinus agnus tota nocte lento igne. Et idem de matutino, niſi nova alia ſupervenientia ſacrificia impedirent: tunc enim adhibito maiore igne cito cremabatur matutinus. Ceterum ignis hic tantum ſacer admovebatur; hoc eſt, quem in altari fovebant adhibita ligna.

V. 14. LIBAMENTORUM. In Hebr. eſt מנחה *mincha*, reſpondens duabus vocibus Latinis. Et uterque textus hic tam de aridis quam de liquidis intelligitur: nam ad hæc omnia extendit ſe vox *mincha*. Vide hoc ipſum cap. II. ubi de triplici mincha. Cur iterum fiat hic mentio de mincha, rationem claram non video.

V. 16. Hoc loco, & verſ. 18. 23. 26. 29. 30. declaratur, quinam ex ſacrificio comedere poterant: non enim omnibus ſacræ epulæ concedebantur.

V. 17. NON FERMENTABITUR: quia ex cap. II. verſ. II. nihil fermentatum poterat Deo offerri, ut infra cap. XXIII. verſ. I2.

V. 18. Quid ſit hoc modo ſanctificari, dixi Exodi, cap. XXIX. verſ. 37. Vocat LEGITIMUM AC SEMPITERNUM, hoc conſtanter eſt ſervandum.

V. 20. Hic agitur de mincha quotidie offerenda a ſacerdotibus, mane & veſperi. Utrum unus tantum ſacerdos omnium nomine id faciebat; an vero ex propriis ſumptibus, an ex publico corban & gazophylacio, vide Ioſeph. Antiquit. Lib. III. cap. X.

V. 23. OMNE ENIM SACRIFICIUM SACERDOTUM IGNE CONSUMETUR, omne ſcilicet ſacrificium quod eſt mincha: nam de hoc iam eſt ſermo; & quia ſi offerret pacificas victimas, poterant comedi, ex Exod. cap. XXIX.

V. 26. & 29. Hi verſus oſtendunt, qui debeant ex hac victima comedere, quæ eſt hoſtia pro peccato.

Verſ. 30. HOSTIA ENIM, idem eſt ac *Hoſtia autem*, per adverſativam particulam: agitur enim de nova ho-

hoſtia, ut conſtat ex Septuaginta, & Hebræo.

Ex Eiusdem Auctario.

V. 14. Reponit iterum mentionem hic de mincha quæ non eſt carnium. Vide cap. 11. Libamenta hic non a libando, ſed a libis dicta accipiuntur, quæ poterant eſſe ex ſimila & farre. Et hoc libamentum verſ. 15. per ſimilam denotatur.

V. 16. In loco sancto, in atrio tabernaculi.

V. 27. Sanctificabitur, ut ſupra Exod. xxx. 29.

CAPUT VII.

Ritus oblationis hoſtiæ pro delicto, & hoſtiæ ac victimæ pacificorum: adeps & ſanguis in univerſum comedi prohibentur.

1 HAEc quoque lex hoſtiæ pro delicto, Sancta ſanctorum eſt:
2. idcirco ubi immolabitur holocauſtum, mactabitur & vi-
ctima pro delicto: ſanguis eius per gyrum altaris fundetur.
3. Offerent ex ea caudam, & adipem qui operit vitalia: 4.
duos renunculos, & pinguedinem quæ iuxta ilia eſt, reti-
culumque iecoris cum renunculis. 5. Et adolebit ea ſacerdos
ſuper altare: incenſum eſt Domini pro delicto. 6. Omnis
maſculus de ſacerdotali genere, in loco ſancto veſcetur his
carnibus, quia Sanctum ſanctorum eſt. 7. Sicut pro peccato offertur hoſtia, ita
& pro delicto: utriuſque hoſtiæ lex una erit: ad ſacerdotem, qui eam obtule-
rit, pertinebit. 8. Sacerdos qui offert holocauſti victimam, habebit pellem e-
ius. 9. Et omne ſacrificium ſimilæ, quod coquitur in clibano, & quidquid in
craticula, vel in ſartagine præparatur, eius erit ſacerdotis a quo offertur: 10. ſi-
ve oleo conſperſa, ſive arida fuerint, cunctis filiis Aaron menſura æqua per ſin-
gulos dividetur. 11. Hæc eſt lex hoſtiæ pacificorum quæ offertur Domino. 12.
Si pro gratiarum actione oblatio fuerit, offerent panes abſque fermento conſper-
ſos oleo, & lagana azyma uncta oleo, coctamque ſimilam, & collyridas olei ad-
mixtione conſperſas: 13. panes quoque fermentatos, cum hoſtia gratiarum, quæ
immolatur pro pacificis: 14. ex quibus unus pro primitiis * offeretur Domino,
& erit ſacerdotis qui fundet hoſtiæ ſanguinem: 15. cuius carnes eadem come-
dentur die, nec remanebit ex eis quidquam uſque mane. 16. Si voto, vel ſpon-
te quiſpiam obtulerit hoſtiam, eadem ſimiliter edetur die: ſed & ſi quid in cra-
ſtinum remanſerit, veſci licitum eſt: 17. quidquid autem tertius invenerit dies,
ignis abſumet: 18. ſi quis de carnibus victimæ pacificorum die tertio comederit,
irrita fiet oblatio, nec proderit offerenti: quin potius quæcumque anima tali ſe
edulio contaminaverit, prævaricationis rea erit. 19. Caro, quæ aliquid tetigerit
immundum, non comedetur, ſed comburetur igni: qui fuerit mundus, veſce-
tur ex ea. 20. Anima polluta quæ ederit de carnibus hoſtiæ pacificorum, quæ
oblata eſt Domino, peribit de populis ſuis. 21. Et quæ tetigerit immunditiam
hominis, vel iumenti, ſive omnis rei quæ polluere poteſt, & comederit de hu-
iuſcemodi carnibus, interibit de populis ſuis. 22. Locutuſque eſt Dominus ad
Moy-

Digitized by Google

Moyſen, dicens: 23. Loquere filiis Iſrael: Adipem ovis, & bovis, & capræ, non comedetis. 24. Adipem cadaveris morticini, & eius animalis quod a beſtia captum eſt, habebitis in varios uſus. 25. Si quis adipem, qui offerri debet in incenſum Domini, comederit, peribit de populo ſuo. 26. Sanguinem quoque omnis animalis non ſumetis in cibo, tam de avibus quam de pecoribus. 27. Omnis anima quæ ederit ſanguinem, peribit de populis ſuis. 28. Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens: 29. Loquere filiis Iſrael, dicens: Qui offert victimam pacificorum Domino, offerat ſimul & ſacrificium, id eſt libamenta eius: 30. tenebit manibus adipem hoſtiæ, & pectuſculum: cumque ambo oblata Domino conſecraverit, tradet ſacerdoti, 31. qui adolebit adipem ſuper altare, pectuſculum autem erit Aaron, & filiorum eius. 32. Armus quoque dexter de pacificorum hoſtiis cedet in primitias ſacerdotis. 33. Qui obtulerit ſanguinem & adipem, filiorum Aaron, ipſe habebit & armum dextrum in portione ſua. 34. Pectuſculum enim elevationis, & armum ſeparationis tuli a filiis Iſrael de hoſtis eorum pacificis, & dedi Aaron ſacerdoti, & filiis eius lege perpetua, ab omni populo Iſrael. 35. Hæc eſt unctio Aaron &] filiorum eius in cæremoniis Domini, die qua obtulit eos Moyſes, ut ſacerdotio fungerentur, 36. & quæ præcepit eis dari Dominus a filiis Iſrael religione perpetua in generationibus ſuis. 37. Iſta eſt lex holocauſti, & ſacrificii pro peccato atque delicto, & pro conſecratione & pacificorum victimis: 38. quam conſtituit Dominus Moyſi in monte Sinai, quando mandavit filiis Iſrael ut offerrent oblationes ſuas Domino in deſerto Sinai.

BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO.

V. 15. *Offeretur Domino*. Non mutes futurum *offeretur* præſenti *offertur*.

COMMENTARIA

SA.

Verſ. 2. DELICTO, id eſt peccatis minoribus vel omiſſionis, vel per imprudentiam commiſſis. SANCTA SANCTORUM, id eſt ſacroſancta, ſeu ſanctiſſima, ideoque a ſolis ſacerdotibus comedenda.

V. 7. SICUT PRO PECCATO; quaſi dicat, idem ritus in ſacrificio pro peccato, & pro delicto. Auguſt. in Levit. qu. xx. *Peccatum* (inquit) *faciendo malum*; *delictum*, *deſerendo bonum*; vel illud ſcienter factum, id ignoranter.

V. 10. MENSURA AEQUA; ſcilicet quiſque habebat ſuum diem ad miniſtrandum, eiuſque diei oblationibus utendum. Ita quidam explicant. At Hebr. indicant, cocta quidem pertinere ad ſacerdotem offerentem, non cocta vero dividenda inter ſacerdotes. Vide ſup. cap. 11.

V. 12. PANES. Hebr. *placentas*: ſic etiam infra. CONSPERSOS. Notant quidam, quod dicitur oleo conſperſum, intelligi factum ex farina & oleo: nam cum iam facto oleum aſpergebatur, dici oleo litum vel unctum. COCTAMQUE, pro nempe coctam: eſt enim repetitio. Alii *frictam* vertunt. COLLYRIDAS, id eſt placentas.

V. 13. GRATIARUM, pro gratiarum actionis. PRO PACIFICIS, id eſt in gratiarum actionem.

V. 14. UNUS... DOMINO; alter cedebat in uſum offerentis.

V. 18. IRRITA FIET. Hebr. *Non erit accepta*.

V. 19. EX EA, ſcilicet hoſtia pacifica; quaſi dicat: Non ſolus ſacerdos poterit ex ea edere, ſed alii etiam, modo ſint mundi.

V. 20. PERIBIT, id eſt eiicietur; vel quaſi dicat: Digna eſt morte.

V. 24. In varios usus, ſcilicet præterquam in cibum.

V. 25. In incensum Domini; quaſi dicat, crematus in honorem Domini.

V. 29. Offerat simul et sacrificium, id eſt libamenta eius. Hebr. Chald. & LXX. aliter, ſcilicet *offerendum Domino*, id eſt adipem incendendum, & dandam quamdam partem ſacerdoti, (ut ſtatim explicatur) ubi Deo ſuerit oblata.

V. 34. Elevationis, ſcilicet elevabatur, & agitabatur a dextra in ſiniſtram; quo ſignificabatur, Deum, omnium quæ in orbe ſunt, Dominum eſſe. Hebr. dicitur *Pectuſculum agitationis, & armus elevationis*; ſcilicet is ſurſum elevabatur, illud a dextera in ſiniſtrum agitabatur. Ita quidam. Alii tamen utrumque verbum, ſcilicet *Tenuphah* & *Terumah*, *elevationem* & *exaltationem* interpretantur. Chald. vertit ut noſter Interpres, ſcilicet *pectuſculum elevationis, & armum ſeparationis*.

V. 35. Unctio, id eſt velut merces, & ſtipendium ob unctionem a Domino inſtitutum. In caeremoniis. Hebr. Chald. & LXX. *de oblationibus*. Die, pro a die.

V. 37. Pro consecratione, ſcilicet ſacerdotum.

V. 38. Mandavit, iungendum cum in deserto Sinai.

ESTII.

Verſ. 1. HAEC QUOQUE LEX HOSTIAE PRO DELICTO, &c. Poſtquam actum eſt capitibus præcedentibus IV. V. & VI. de ſacrificiis pro peccato, iam hoc capite VII. ritus deſcribitur hoſtiæ offerendæ pro delicto. Unde manifeſtum eſt, non idem ſignificari cum pro peccato hoſtia offerri dicitur, & cum pro delicto: maxime cum etiam manifeſte diſtinctio ſignificetur illis verbis cap. XIV. ubi dicitur: *Sicut pro peccato, ita & pro delicto ad ſacerdotem pertinet hoſtia*: ſed quomodo peccatum a delicto diſtinguatur, Scriptura non exprimit. Origenes in Leviticum ſcribens, ita diſtinguit, ut delictum ſit cum non facimus quod debemus, peccatum autem cum facimus quod non debemus; id eſt, ut delictum ſit omiſſio boni, peccatum vero perpetratio mali. Quam diſtinctionem etiam ponit Aug. in Lev. *Sicut enim*, inquit, *in laudabili vita aliud eſt declinare a malo, aliud facere bonum quod admonemur, dicente Scriptura: Declina a malo, & fac bonum; ita in damnabili, aliud eſt declinare a bono, aliud facere malum*. Addit Auguſtinus & aliud diſcrimen: *Poteſt*, inquit, *etiam videri illud eſſe delictum, quod imprudenter, id eſt ignoranter; peccatum autem illud, quod ab ſciente committitur*. Huic differentiæ videntur etiam illa teſtimonia divina conſonare; Pſalm. XVIII. *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me, Domine*: & Pſal. LXVIII. *Deus tu ſcis inſipientiam meam, & delicta mea a te non ſunt abſcondita*. Et Apoſtolus ad Galat. VI. *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto*, id eſt per imprudentiam lapſus. De peccato autem dicitur, Iacobi IV. *Scienti bonum facere, & non facienti, peccatum eſt illi*. Sive autem hoc diſcrimen ſit, ſive aliud, omnino videtur levius aliquid, & minus ſignificari nomine delicti quam peccati: nam & peccata omiſſionis, & quæ per imprudentiam committuntur, ceteris paribus, minora ſunt quam commiſſionis peccata, & quæ a ſciente fiunt. Fatetur interim Auguſtinus, & res ipſa declarat, huiuſmodi diſcrimen non perpetuo in Scripturis obſervari, ſed ſæpe indifferenter alterum pro altero uſurpari.

Verſ. 20. ANIMA POLLUTA QUAE EDERIT DE CARNIBUS HOSTIAE PACIFICORUM... PERIBIT DE POPULIS SUIS. Quæſtio eſt, quomodo peribit; an ultione divina, an ſententia iudicis. Quidam de iudicis ſententia intelligunt, & per iudicem putant talem debuiſſe morte plecti. Sed hæc expoſitio minus eſt veriſimilis. Neque enim huiuſmodi iudicia umquam facta legimus, & multis admodum locis legitur, *Peribit de populo*, vel *populis ſuis*, etiam de fermento tempore paſchali in domo alicuius invento. & aliis; propter quæ non eſt veriſimile ſolitam fuiſſe ferri ſententiam capitalem. Proinde ſimplicior erit iſte: *Peribit de populis ſuis*; id eſt, obnoxius erit ultioni divinæ.

Digitized by Google

MARIANAE.

Verſ. 7. SICUT PRO PECCATO OFFERTUR HOSTIA, ITA ET PRO DELICTO. Hebr. *Sicut peccatum, ita delictum. Lex una ipſis*. Memento *peccatum* ſumi pro hoſtia pro peccato, ſimiliter *delictum*. Sed ex hoc loco conſtat חטא *hata*, id eſt *peccatum*, & אשם *aſam*, id eſt *delictum*, differre; nec tamen conſtat quo differant. Quidam ait *peccatum* ſcelus quodcumque eſſe; *delictum* quod per imprudentiam fit: ſic *ſcelus* & *flagitium* Latine diſtinguuntur. Tacitus de Morib. Germ. Tamquam ſcelera oſtendi oporteat dum puniuntur, flagitia abſcondi: ob ſcelera ſuſpendunt; ob flagitia, ſcilicet ignaviam, palude mergunt Germani.

V. 10. SIVE OLEO CONSPERSA, SIVE ARIDA FUERIT. Hebr. *Et omne munus oleo mixtum, & ſiccum omnibus filiis Aaron erit, viro ſicut fratri ſuo*. Ita cocta cedunt offerenti, non cocta dividebantur inter omnes ſacerdotes.

V. 12. SI PRO GRATIARUM ACTIONE OBLATIO FUERIT. Loquitur de novo genere ſacrificii, quod תודה *Thodah* vocat, id eſt *confeſſionis*; ſed eſt confeſſio laudis: ſic Hieronymus ſumpſit; ſic Sept. & Chald. Eſt etiam confeſſio peccatorum, & de hac intelligunt Hebræi. Itaque quando pro uno peccato offerebatur, vocabatur *Hoſtia pro peccato*; quando quis omnia confitebatur peccata mutandi vitam decreto, vocabatur *Hoſtia confeſſionis*: ſic Hebræi.

V. 18. NEC PRODERIT OFFERENTI. Sequitur in Hebræo, *Abominatio*, ſive *abominabile erit*, id eſt פגול *pigul*, ſi quid ex victima pacificorum manſerit die tertia: vult enim eodem die quo oblata eſt hoſtia, comedi.

V. 23. ADIPEM OVIS, ET BOVIS, ET CAPRAE, NON COMEDETIS. Omnis adipis eſus videtur interdictus.

V. 24. HABEBITIS IN VARIOS USUS. In Hebræo additur: *Sed comedendo non comedetis illum*: ſic Sept. & Chald. Loquitur de adipe morticini.

V. 29. QUI OFFERT VICTIMAM PACIFICORUM DOMINO, OFFERAT SIMUL ET SACRIFICIUM, ID EST LIBAMENTA EIUS. Hebr. *Offerens hoſtiam pacificam, afferat oblationem ſuam*, aut *donum ſuum Domino de hoſtia pacificorum*: ubi de libamentis nihil. Hieronym. eam explicationem bene addidit, quoniam *oblationem*, ſeu *donum*, & *hoſtiam*, ut diverſas res ponit.

V. 35. HAEC EST UNCTIO AARON, hoc eſt fructus & proventus unctionis, ut hoſtiarum pars illi cedat.

V. 37. ISTA EST LEX HOLOCAUSTI. Hic numerat genera ſacrificiorum plura iis quæ vulgus numerat.

MALVENDAE.

Verſ. 10. ARIDA, id eſt, ut quidam exponunt, oleo carens, ſuffitu, atque libamine. Eiuſmodi ſunt ſacrificia farinacea pro peccato. Supra cap. v. verſ. 11.

V. 12. PRO GRATIARUM ACTIONE. תודה *thodah*, aiunt, proprie & univerſe eſſe *gloriam*, *gloriationem*, *laudem*, *laudationem*, *celebrationem*, *rem laude dignam*: notantque, peculiariter vocari in Scriptura hoc nomine *ſpeciem quamdam ſacrificii pacificorum, quo offerentes confitebantur accepiſſe ſe beneficium a Deo, celebrabantque, & prædicabant gloriam clementiæ & benignitatis Dei*. Græci tranſtulerunt θυσίαν αἰνέσεως, *ſacrificium laudationis, ſeu laudis*; vel θυσίαν εὐχαριςίας, *ſacrificium gratiarum actionis*. Hebræorum quidam volunt, hoc ſacrificium offerri ſolitum, quando quis Dominum ſuper aliquo ſigno laudare, & gratias agere volebat; ut ſi quis periculum aliquod evaſiſſet, ſi liberatus ex vinculis, ſi e gravi morbo convaluiſſet, ſi ex ſterili uxore prolem impetraſſet, &c. & idcirco adiungi tamquam ſpeciem ſacrificio pacificorum, ſeu retributionum, ſeu euchariſteriorum. Docent id ſacrificium fuiſſe pro beneficio iam adepto: nam pro adipiſcendo erat altera ſpecies ſacrificii, quod נדר *Neder*, vel נדיבה *Nedibah* dicebatur. de quo inferius verſ. 16. Alii *todah*, *confeſſionem* reddunt; aiuntque plerique Hebræorum, fuiſſe *genus quoddam ſacrificii pacificorum, quando aliquis agnoſcens ſe peccatorem, Domino peccata ſua confiteri, atque ſe cum illo reconciliare volebat*: alioqui enim cum aliquis ſingulare quoddam commiſiſſet peccatum, tunc opportebat eum aliud genus ſa-

ſacrificii offerre, nempe vel חטאה *chataah*, id eſt *erratum*, ſeu *peccatum*, aut אשם *aſcham*, *afflandam*, ſeu *piaculum*. Unde *Chattaah*, & *Aſcham* erant pro ſingulari aliquo peccato; *Todah* vero pro peccatis univerſe. Quidam hic vertunt: *Si pro re laudabili offerret illud*. ET COLLYRIDAS. Utitur Noſter hac voce ad exprimendam Hebraicam חלה *challah*, vel חלות *challoth*, id eſt *placentas*, ut etiam infra cap. VIII. verſ. 26. & II. Samuelis VI. 19. Antonius Nebriſſenſis opinatus eſt, *collyridam* nihili eſſe vocabulum, cum Græcis non ſit in uſu; ſuſpicaturque pro *collyrida* in Noſtro legendum *collicida*, quod Græcis κόλλιξ ſit *panis ſubcinericius*. Unde Ariſtophanes in Acharnanis nomen effinxit *collicophagum*, id eſt *collicum voratorem*. *Collicem* aiunt fuiſſe genus quoddam panis rotundi. *Collicis* meminit Athenæus Lib. III. cap. XXVIII. & Lib. XIV. cap. XIII. A *collice*, forma diminutiva, facta putat Antonius *collicium*, & *colliphium*. Iuvenalis Sat. II.

Luctantur paucæ, comedunt colliphia paucæ.

Et Martialis Lib. VII. Epigram. LXVI.

Cum colliphia ſexdecim comedit.

Vetus Iuvenalis Scholiaſtes: *Colliphia, pulmentum, ſive membrum virile, aut potius athletarum cibum dicit*. Recentiores Critici, colliphia panes in modum membri virilis factos arbitrantur, quos *Priapos* vocabant: nam etiam fiebant panes in modum membri muliebris, ut docet Martialis Lib. IX. Epigram. III. Vide de his latius Cælium Rhodiginum Lectionum Antiquarum Lib. IX. cap. XVI. & Iuvenalis, ac Martialis interpretes. A *collicio* putat Antonius fieri *collicidam*, id eſt panem ſubcinericium; atque vocabulo *collicidæ* uſum vulgatum Interpretem, non *collyridæ*. Sed conſtat vaniſſimam eſſe hanc Antonii diſſertationem, cum *collyridæ* voce diſerte uſi ſint LXX. Interpretes II. Samuelis VI. 19. & cap. XIII. verſ. 8. & 10. & Ioſephus Lib. VII. Antiquit. cap. VII. Eſſe autem diminutivum a *collyra*, plerique annotant. De collyra diximus plura Exod. XXIX. verſ. 2. De collyrida Cælius Lib. III. Lectionum Antiquarum cap. XXX. *Levitici VII. Collyrides leguntur panes, quos diminutos, prætenueſque interpretantur. Sed & qui puerulis minuto offertur panis, collyra dicitur recte.* Vide Appendicem Henriciani Theſauri, & Hadrianum Turnebum Lib. IV. Adverſariorum, cap. I.

V. 13. PANES QUOQUE FERMENTATOS, &c. Varie hic Hebræa reddunt. I. *Cum placentis panis fermentati adducet Korban*, id eſt *oblationem ſuam*. II. *Præter collyras, panem fermentatum offerto in oblationem ſuam*, id eſt panem indicem præcogitatæ oblationis, ac non tumultuarii & repentini conſilii. Vide ſupra cap. II. verſ. II. Sed rectius eſt, *Super, ultra, præter collyras panis fermentati adducet munus ſuum*; ut hic duplices fuerint *Challoth*, ſeu *placentæ*, azymæ, de quibus verſ. 12. & fermentatæ, de quibus hoc verſ. 13.

V. 18. NEC PRODERIT OFFERENTI. Hebr. *Non imputabitur illi*, tamquam legitimum ſacrificium, rite peractum. Poteſt verti, *Non æſtimabitur illi*: nullius pretii, valoris, æſtimationis coram Deo erit ſacrificium illud. CONTAMINAVERIT. פגול *piggul*, exponunt, *abominatio, immunditia, corruptio, fœtor, inquinatio, inquinamentum, putridum, putre*: aiunt, proprie dici de *carne fœtoris, & coloris tetri*. Quidam aiunt, proprie ſignificare *carnem quæ vetuſtate fit deterior in odorem, vel ſpeciem*.

V. 21. IMMUNDITIAM HOMINIS. Quidam exponunt per hypallagem, id eſt hominem immundum, nempe patientem fluxum ſeminis, aut leproſum. Alii *immunditiam hominis*, fæces, aut ſtercora humana intelligunt.

V. 23. ADIPEM OVIS, ET BOVIS, ET CAPRAE, &c. quidam intelligunt interdici hic eſum adipis, eorum quidem animalium quæ ſacrificiis apta ſunt, ut obſervavimus ſupra cap. III. verſ. 17. nam aliorum quæ comedere fas erat, de quibus infra cap. XIX. & Deut. XIV. adeps non interdicebatur.

V. 24. ET EIUS ANIMALIS QUOD A BESTIA CAPTUM EST. Exponunt, etiam ex animalium genere quæ ſacrificiis apta ſunt.

V. 29. QUI OFFERT VICTIMAM PACIFICORUM, OFFERAT SIMUL ET SACRIFICIUM, ID EST LIBAMENTA EIUS. Elucidant: Simul cum ſacrificio pacificorum offerat minchah, ut inſtruat Deo plenum convivium, ex carnibus nimirum pacificorum, & ex farinaceis minchah. At Hebræa ex verbo ita reddun-

Digitized by Google

duntur: *Accedere faciens, offerens ſacrificium pacificorum ſuorum, adducet Korban, munus ſuum Domino de ſacrificio pacificorum ſuorum*. Quidam intelligunt, adducet *Korban* ſuum, id eſt munus ſuum, oblationem ſuam; videlicet offerat Deo portionem debitam Deo, ex ſacrificio pacificorum ſuorum: illam enim portionem appellat *Korban*, *oblationem ſuam*. Alii exponunt, *Adducet*, *afferet*, *oblationem ſuam Iehovæ*: ipſe per ſe, non per alium, afferendam curabit, quod declarat verſus ſequens. *De ſacrificio ſuo euchariſtico*, eas nimirum partes quæ vel Deo adolendæ erant, vel ſacerdotibus ceſſuræ.

Verſ. 35. HAEC EST UNCTIO AARON ET FILIORUM EIUS, &c. Communiter exponunt: Hæc eſt merces, pars, portio, ſtipendium unctionis Aaron, id eſt ſacerdotis uncti (hypallage) nempe ſummi; ſeu quam iure, & ratione ſuæ unctionis ſacerdotalis, ſeu ſummi pontificatus habent. DIE QUA OBTULIT, &c. id eſt ab ipſo primum die quo obuncti, & conſecrati in ſummos ſacerdotes fuerint; ut etiam verſu ſequenti explicatur.

MENOCHII.

Verſ. 1. LEX HOSTIAE PRO DELICTO. Peccatum cum a delicto diſtinguitur (nam hæc duo pro eodem accipiuntur, ut patet cap. IV. v. VI.) eſt illud quod prudenter, & ſcienter committitur; delictum vero quod ignoranter fit, v. g. per imprudentiam, oblivionem, ignorantiam maxime iuris, ut fit cum quis legem ignorat, vel eius eſt oblitus. SANCTA SANCTORUM, ſanctiſſima.

V. 6. VESCETUR HIS CARNIBUS, veſci poterit. Proprie hoſtia pro delicto erat offerentis, ut & hoſtia pro peccato, eadem enim utriuſque eſt ratio, & lex, ut dicitur num. 7. poterat tamen offerens partem hoſtiæ comedendam dare aliis ſacerdotibus, eorumque filiis maſculis, non autem feminis.

V. 8. HABEBIT PELLEM EIUS: quia ex holocauſto, quod totum Deo comburitur, nihil aliud eſt reliquum quod ſacrificanti cedat, niſi pellis.

V. 10. MENSURA AEQUA PER SINGULOS DIVIDETUR, ita ſcilicet ut cuique ſuus dies, ſuæ vices obtingant, quibus miniſtrans, & fungens ſacerdotio omnia quæ offeruntur, ſibi vendicet, perinde ut faciant alii ſacerdotes ſuis vicibus. Alii hunc verſum accipiunt de ſimila non cocta, quaſi illa fuerit omnibus ſacerdotibus æqualiter dividenda; verſum vero præcedentem accipiunt de ſimila cocta, & panibus, qui omnes cedebant offerenti. Ita Iſychius, Emmanuel Sa, & Bonfrerius.

V. 12. SIMILAM, ET COLLYRIDAS. Particula ו ſumitur pro *id eſt*: nam ſimila conſperſa, & ſubacta, cum eſt cocta, hoc eſt, ut habent Hebræa, *frixa in ſartagine*, eſt collyrida, ſive libum frixum. Noſter Interpres collyridam alibi *cruſtulam* vocat.

V. 13. PANES QUOQUE FERMENTATOS. Non ut ex iis aliquid inferatur altari, hoc enim vetitum eſt cap. 11. num. 11. ſed ut ii ſacerdotibus offerantur, tamquam donaria quibus ipſi veſcantur. CUM HOSTIA GRATIARUM, &c. id eſt, cum hoſtia quæ immolatur in gratiarum actionem pro pace, id eſt ſalute, & beneficiis a Deo acceptis.

V. 14. EX QUIBUS, panibus fermentatis, UNUS PRO PRIMITIIS OFFERETUR DOMINO: ut ſcilicet cedat non Deo in ſacrificium, ſed ſacerdoti, vicem Dei gerenti, in cibum. Ceteri panes per hunc primum etiam Domino oblati cenſebantur.

V. 16. EADEM EDETUR DIE, ne quid ſacri cibi corrumpatur, & putreſcat, & vileſcat religio victimarum. SI QUID IN CRASTINUM REMANSERIT, &c. Victima ex voto oblata comedi poterat die ſequenti, non autem quæ oblata erat in gratiarum actionem: cuius rei ratio potiſſimum referenda in legiſlatoris voluntatem. Adde, victimam gratiarum actionis digniorem fuiſſe, quia ex animo grato, liberali, pio, & in laudes Dei effuſo prorumpebat; illa vero ex voti neceſſitate, & ſpe impetrandi aliquid a Domino.

V. 18. IRRITA FIET OBLATIO; quaſi dicat: Per poſteriorem hanc prævaricationem legis huius, qua reſervat carnes in tertiam diem, perdet gratiam, quam priore ſacrificio, & hoſtia pacifica promeruit apud me.

V. 19. CARO QUAE ALIQUID TETIGERIT IMMUNDUM, NON COMEDETUR, &c. Caro ſcilicet Deo oblata,

quæ

Digitized by Google

quæ poſt immolationem aliquo modo polluitur, non comedetur, ſed comburetur; idque ob reverentiam ſacrificiorum, igne non ſacro, ſed profano: quia iam amplius non eſt caro victimæ, & ſacrificii, cum ab eo ob immunditiam reiiciatur. Dico, caro Deo oblata: nam alias carne non ſacra, etiamſi quid immundi tetigiſſet, licebat veſci, ut patet Deuteron. XII. num. 15. & 22. Dico, poſt immolationem: nam ſi ante eam cum deferretur ad altare, polluta fuiſſet, non licebat quidem eam offerre; poterat tamen ipſa in quoſvis profanos uſus converti. QUI FUERIT MUNDUS, VESCETUR EX EA, hoſtia ſcilicet pacifica, ſi polluta non ſit.

V. 20. ANIMA POLLUTA, homo pollutus. PERIBIT. Deo ultore, in mortem incurret, vel in hac vita, præſentem, vel in futura, æternam.

V. 21. IMMUNDITIAM HOMINIS, puta fæces, & ſtercora. Hic ergo homo tam pollutus in ſe, quam ſi quid pollutum tetigerit, arcetur eſu pacificorum.

V. 23. ADIPEM OVIS, ET BOVIS, ET CAPRAE. NON COMEDETIS, quia hæc tria ſunt quæ Domino immolantur; unde eorum adipem ſibi depoſcebat Dominus, etiamſi illa domi mactarent ad eſum, ut patet ex numer. 25. Adipem vero aliorum animalium mundorum, ſed ad ſacrificia non deputatorum, comedere poterant.

V. 24. MORTICINI, ſponte mortui. A BESTIA CAPTUM, occiſum a fera. HABEBITIS IN VARIOS USUS: comedere non licet; ad alios uſus adhibere nihil vetat.

V. 25. QUI OFFERRI DEBET IN INCENSUM DOMINI, &c. qui cremari debet in honorem Domini. Loquitur de adipe ovis, bovis, & capræ, quæ ſola ex quadrupedibus offerri poterant.

V. 29. LIBAMENTA EIUS, libamen ex ſimila, ut ita Deo plenum, ex carne, & ſimila, vel pane, exhibeat convivium.

Verſ. 30. DOMINO CONSECRAVERIT, non ſacerdos, ſed laicus offerens.

V. 34. PECTUSCULUM ENIM ELEVATIONIS, quod ſcilicet per elevationem in altum (de qua Exod. XXIX. 26.) eſt Deo oblatum. ARMUS SEPARATIONIS, Deo ſcilicet ſeparatus, ut ſcilicet ſacerdotibus Dei vice detur.

V. 35. IN CAEREMONIIS DOMINI, id eſt iuxta ritum, & cæremonias præſcriptas cap. VI. num. 26. & Exod. c. XXIX.

V. 36. RELIGIONE PERPETUA, ſanctione, lege perpetua.

V. 38. IN MONTE SINAI, in deſerto montoſo iuxta montem Sinai.

TIRINI.

Verſ. 13. PANES QUOQUE FERMENTATOS, CUM HOSTIA ACTIONIS GRATIARUM, QUAE IMMOLATUR PRO PACIFICIS. Hoc eſt, quæ pacificorum nomine offertur, non pro pace, ſeu proſperitate aliqua impetranda, ſed pro ea iam impetrata. Nam duplex erat genus hoſtiæ pacificæ: unum pro re impetranda a Deo, & vocabatur hoſtia ſalutaris; & huius carnes aliæque reliquiæ non neceſſario abſumendæ erant eadem illa die qua oblatæ fuerant, ſed poterant etiam in craſtinum, non tamen diutius, ſeponi, ut hic expreſſe Deus decernit verſ. 16. & ſeqq. & cap. XIX. verſ. 6. & Philo ſupra ita factari ſolitum teſtatur. Alterum erat pro re iam impetrata, & dicebatur ἐυχαριςικὸ, ſeu actionis gratiarum; debebatque neceſſario eadem *a* die abſumi. Si quis poſt ex ea comediſſet, irrita *b* ſeu inſructuoſa reddebatur oblatio: & qui comederat, prævaricationis reus, & profanus *c* ſeu immundus fiebat, & inſuper morte plectendus erat.

Petes: Quo in loco comedi debebant carnes pacificorum? an in ſolo atrio templi? Ita vult Abulenſis *d*. Sed Reſpondeo, potuiſſe tum a ſacerdotibus, tum a laicis quovis loco comedi, dummodo mundus eſſet, ſeu, ut cap. X. verſ. 14. dicitur, mundiſſimus, id eſt omni pollutione & immunditia legali carens. Ita Philo, Ioſephus *e* & alii. Solebant ergo offerentes, commiſſis igni quæ Deo adolebantur, v. g. adipe, cauda, &c. & traditis ſacerdoti quæ ipſi debebantur ex victima, puta armo dextro ac pectuſculo, reliquas carnes elixas (nam nihil aſſabatur in atrio templi) domum ſuam referre, ubi cum domeſticis, & quibuſcumque aliis quos invitare voluiſſent, dummodo ii mundi eſſent, epulabantur *f*. Addit rationem Philo *g*, cur eius barum carnium non poſ-

ſet

ſet ultra ſecundum vel tertium diem differri: *Quia*, inquit, *iam non ſunt offerentis, ſed Dei cui oblatæ fuerint: qui cum ſit beneficus ac munificus, non vult eas in penum retrudi, ſed convivis, & maxime egentibus, communicari*.

V. 24. ADIPEM CADAVERIS MORTICINI, & a beſtia iugulati applicare poteritis IN VARIOS USUS, ſed profanos, v. g. ad uſus medicos, vel ad lumen domeſticum, &c. Addunt Hebræa, Chaldæa, & Græca, *Sed non comedetis*, ut alibi *h* dicitur.

V. 30. TENEBIT MANIBUS ADIPEM HOSTIAE, ET PECTUSCULUM. Loquitur de laico offerente: cuius manibus imponebat ſacerdos pectuſculum victimæ cum adipe, forſan & cum armo, & pane azymo, ut dicitur Exod. XXIX. verſ. 22. & ſeqq. Imponebat, inquam, manibus, mediante veroſimilius acetabulo, vel alio aliquo vaſculo argenteo, ut vult Caietanus *i*. Dein ſacerdos ſupponens manus ſuas manibus offerentis ſic onuſtis, elevabat illas ſurſum, mox detrahebat deorſum: rurſumque ducebat eas ab oriente ad occidentem, ac demum a meridie ad ſeptemtrionem, formam ſic exprimens trinæ crucis; unde & ab Hebræis vocabatur ſacrificium agitationis. Allegorice figura erat crucis Chriſti: & ſignum divini imperii non ſolum in quatuor orbis plagas, ſed & in cælum ſurſum, & in infernum deorſum, inquit Rabbi Salomon, Pagninus, Vatablus, Abulenſis, Lyranus & Lipomanus.

(*a*) Hic verſ. 25. & cap. XXII. ver. 30.
(*b*) Hic verſ. 18.
(*c*) Ibid. cap. XIX. verſ. 7. & 8.
(*d*) Abulenſ. in Levit. poſt qu. XIV.
(*e*) Philo Lib. II. de Victimis. Ioſephus Lib. III. Antiquit. cap. X.
(*f*) Hic verſ. 19.
(*g*) Philo ſup.
(*h*) Levit. cap. XI. verſ. 39.
(*i*) Caiet. in Levit. VII.

GORDONI.

Verſ. 1. SEptuaginta *ὁ νόμος τῆς πλημμελείας, ἅγια ἁγίων ἐστὶν*. Laborant interpretes, ut diſtinguant ſacrificium pro peccato, & ſacrificium pro delicto. Delictum Heb. dicitur אשם *aſam*, quod Septuag. vertunt πλημμέλειαν. Peccatum vero Heb. eſt, חטאת *chattat*, quod Sept. vertunt ἁμαρτίαν. Auguſt. quæſt. XX. in Levitic. interpretatur peccatum, culpam commiſſionis; vocat delictum, omiſſionis. Ita etiam hom. XXI. in Ezechiel. Alii diſtinguunt in culpas ſcienter, & ignoranter commiſſas. Septuag. delictum hic vertunt πλημμέλειαν, quaſi præter curam, πλὴν μέλειαν: ſed de his plenius verſ. 2.

V. 2. & 7. MACTABITUR HOSTIA PRO DELICTO. Videtur ſane Hieronymus in ſua verſione confundere delictum & peccatum; tamen, ut dicebam, textus Hebraicus utitur diverſis vocibus, ut etiam aperte diſtinguuntur hic verſ. 7. item hoſtiæ ſunt diſtinctæ, quidquid ſit de vocibus Latinis, *delictum* & *peccatum*. En ut multæ ſunt de vero hic diſcrimine diſcrepantes opiniones, paucis dico (quod cap. IV. inſinuavi:) Peccatum vocari, quod per ignorantiam contrahitur; delictum vero, quod ſcienter. Nec confunduntur, niſi quod peccatum ignoranter commiſſum, incipiat eſſe delictum cum quis cognoſcit ſe illud commiſiſſe. Vide Aug. quæſt. ſuper Levit. qu. III. Atque hinc iam habes cur, & quomodo ſint diſtinctæ hoſtiæ.

V. II. HAEC EST LEX HOSTIAE PACIFICORUM, &c. Iam de pacifica victima, ſive ſit ad impetrandum, & vocatur ſalutaris victima; ſive in gratiarum actionem. Et de hac poſteriore agitur uſque ad verſum 16. illinc vero uſque ad 19. de ſalutari.

V. 12. Quid lagana ſint, dixi ſupra. Per *collyridas* non videtur aliud ſignificari hic, quam cocta ſimila.

V. 16. Hic de pacifica victima ad impetrandum; ſive ſponte offeratur, ſive ex voto.

V. 23. An liceat Iudæis adipem comedere, dixi cap. III. verſ. 16. Hic de ea re prolixius agit Moſes, ſubiungens prohibitionem ſanguinis verſ. 26.

V. 31. & 32. Hic de pectuſculo, & armo, cuius eſſe debeant. Ceterum, quod eſt verſ. 32. PRIMITIAS Heb. eſt תרומה, quæ vox ex verſ. 14. deſignat partes, & res, quæ tollebantur, quæque fiebant vel ſacerdotis, vel offerentis; ſicut & vox illa Hebraica *elevationem* ſignificat, & quam Noſter vertit hic *primitias*. Sept. ἀφαίρεμα. Tales primitiæ, & partes offerebantur, ſed non conſumebantur in altari. Ceterum

hoc loco ſunt idem tolli, elevari, & offerri.

V. 34. PECTUSCULUM ..... ELEVATIONIS, ET ARMUM SEPARATIONIS. Hebr. *pectuſculum agitationis, & armum elevationis*. Quidam de agitatione a dextra in ſiniſtram applicant. Sed de hoc dixi ad verſ. 31.

Verſ. 35. HAEC EST UNCTIO AARON, id eſt ſtipendium debitum ex vi unctionis, ſeu fructus.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 13. FERMENTATOS. Non eſt hoc ut altari inferatur fermentatum, ut conſtat ex cap. 11. verſ. 12. ſed ſolum ut gratis daretur ſacerdoti, velut donarium.

V. 14. EX QUIBUS, fermentatis panibus, non ut aliquid ſacrificii.

V. 16. Victima oblata in gratiarum actionem non poterat comedi die ſequenti; poterant tamen oblata ex voto.

V. 19. QUI FUERIT MUNDUS, VESCETUR EX EA, ſcilicet ex hoſtia pacifica, dummodo non ſit polluta.

V. 20. PERIBIT: hic vel in altera vita morietur.

V. 21. IMMUNDITIAM, ſtercora. Prohibetur ab eſu pacificorum.

V. 24. MORTICINI, ſponte mortui.

V. 30. TENEBIT, laicus qui offert.

CAPUT VIII.

Aaronis & filiorum eius conſecratio, ac tabernaculi ſuppellectiliſque eius unctio.

1 LOcutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens: 2. Tolle Aa-
ron cum filiis ſuis, veſtes eorum, & unctionis oleum, vitu-
lum pro peccato, duos arietes, caniſtrum cum azymis, 3.
& congregabis omnem cœtum * ad oſtium tabernaculi. 4.
Fecit Moyſes ut Dominus imperaverat. Congregataque o-
mni turba ante fores tabernaculi, 5. ait: Iſte eſt ſermo,
quem iuſſit Dominus fieri. 6. Statimque obtulit Aaron &
filios eius. Cumque laviſſet eos, 7. veſtivit pontificem ſubu-
cula linea, accingens eum balteo, & induens eum tunica hyacinthina, & deſu-
per humerale impoſuit, 8. quod adſtringens cingulo aptavit rationali, in quo e-
rat Doctrina & Veritas. 9. Cidari quoque texit caput: & ſuper eam, contra
frontem, poſuit laminam auream conſecratam in ſanctificatione, ſicut præceperat
ei Dominus. 10. Tulit & unctionis oleum, quo linivit tabernaculum cum omni
ſupellectili ſua. 11. Cumque ſanctificans aſperſiſſet altare ſeptem vicibus, unxit
illud, & omnia vaſa eius, labrumque cum baſi ſua ſanctificavit oleo. 12. (a)
Quod fundens ſuper caput Aaron, unxit eum, & conſecravit. 13. Filios quoque
eius oblatos veſtivit tunicis lineis, & cinxit balteis, impoſuitque mitras, ut iuſ-
ſerat Dominus. 14. Obtulit & vitulum pro peccato: cumque ſuper caput eius
poſuiſſet Aaron, & filii eius, manus ſuas, 15. immolavit eum: hauriens ſangui-
nem, & tincto digito, tetigit cornua altaris per gyrum: quo expiato & ſancti-
ficato, fudit reliquum ſanguinem ad fundamenta eius. 16. Adipem vero qui erat
ſuper vitalia, & reticulum iecoris, duoſque renunculos cum arvinulis ſuis,
adolevit ſuper altare: 17. vitulum cum pelle, & carnibus, & fimo, cremans extra

ca-

Digitized by Google

caſtra, ſicut præceperat Dominus. 18. Obtulit & arietem in holocauſtum: ſuper cuius caput cum impoſuiſſent Aaron & filii eius manus ſuas, 19. immolavit eum, & fudit ſanguinem eius per circuitum altaris. 20. Ipſumque arietem in fruſta concidens, caput eius, & artus, & adipem adolevit igni, 21. lotis prius inteſtinis & pedibus: totumque ſimul arietem incendit ſuper altare, eo quod eſſet holocauſtum ſuaviſſimi odoris Domino, ſicut præceperat ei. 22. Obtulit & arietem ſecundum, * in conſecratione ſacerdotum: poſueruntque ſuper caput eius Aaron & filii eius manus ſuas: 23. quem cum immolaſſet Moyſes, ſumens de ſanguine eius, tetigit extremum auriculæ dextræ Aaron, & pollicem manus eius dextræ, ſimiliter & pedis. 24. Obtulit & filios Aaron: cumque de ſanguine arietis immolati tetigiſſet extremum auriculæ ſingulorum dextræ, * & pollices manus ac pedis dextri, reliquum fudit ſuper altare per circuitum: 25. adipem vero, & caudam, omnemque pinguedinem quæ operit inteſtina, reticulumque iecoris, & duos renes cum adipibus ſuis, & armo dextro ſeparavit. 26. Tollens autem de caniſtro azymorum, quod erat coram Domino, panem abſque fermento, & collyridam conſperſam oleo, laganumque, poſuit ſuper adipes, & armum dextrum, 27. tradens ſimul omnia Aaron & filiis eius. Qui poſtquam levaverunt ea coram Domino, 28. rurſum ſuſcepta de manibus eorum, adolevit ſuper altare holocauſti, eo quod conſecrationis eſſet oblatio, * in odorem ſuavitatis, ſacrificii Domino, 29. Tulitque pectuſculum, elevans illud coram Domino, de ariete conſecrationis in partem ſuam, ſicut præceperat ei Dominus. 30. Aſſumenſque unguentum, & ſanguinem qui erat in altari, aſperſit ſuper Aaron & veſtimenta eius, & ſuper filios illius ac veſtes eorum. 31. Cumque ſanctificaſſet eos in veſtitu ſuo, præcepit eis, dicens: Coquite carnes ante fores tabernaculi, & ibi comedite eas: panes quoque conſecrationis edite, qui poſiti ſunt in caniſtro, ſicut præcepit mihi Dominus, dicens: (*b*) Aaron & filii eius comedent eos: 32. quidquid autem reliquum fuerit de carne & panibus, ignis abſumet. 33. De oſtio quoque tabernaculi non exibitis ſeptem diebus, uſque ad diem quo complebitur tempus conſecrationis veſtræ: ſeptem enim diebus finitur conſecratio: 34. ſicut & impræſentiarum factum eſt, ut ritus ſacrificii compleretur. 35. Die ac nocte manebitis in tabernaculo obſervantes cuſtodias Domini, ne moriamini: ſic enim mihi præceptum eſt. 36. Feceruntque Aaron & filii eius cuncta quæ locutus eſt Dominus per manum Moyſi.

(*a*) Eccli. xiv. 18. (*b*) Exod. xxix. 32. Infr. xxiv. 9.

BRUGENSIS.

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 3. *Ad oſtium tabernaculi*. Non omittas vocem *tabernaculi*.

V. 22. *In conſecratione ſacerdotum*. Non eſt mutandus ſextus caſus quarto *conſecrationem*.

V. 24. *Et pollices manus ac pedis dextri*. Nec hic mutandus eſt numerus pluralis ſingulari *pollicem*.

V. 28. *In odorem ſuavitucis ſacrificii Domino*. Pro genitivo *Domini*, qui a pleriſque legitur, Correctores recte ſubſtituerunt dativum *Domino*:

COMMENTARIA

S A.

Verſ. 3. TABERNACULI, id eſt atrii.

V. 8. DOCTRINA ET VERITAS. Heb. *Urim & Tummim*. Vide Exod. XXVIII.

V. 9. CONSECRATAM IN SANCTIFICATIONE; quaſi dicat, in qua ſcriptum *Sanctitas Domino*. Heb. & Chal. *coronam ſanctitatis*. LXX. *conſecratam ſanctam*.

V. 11. SANCTIFICANS, ſcilicet proxime dicta, ut indicant Hebr. Chald. & LXX. ASPERSISSET, ſcilicet oleo illo. ALTARE, ſcilicet holocauſtorum.

V. 15. FUNDAMENTA, id eſt baſim.

V. 26. PANEM. Heb. *placentam*. COLLYRIDAM, id eſt placentam.

V. 28. SACRIFICII, ſcilicet *igniti*, ut eſt Hebr.

V. 30. UNGUENTUM. Heb. *unctionis oleum*.

V. 31. IN VESTITU SUO. Hebr. Chald. & LXX. *Et veſtes eorum*. TABERNACULI, id eſt atrii: ſic inf.

V. 34. UT RITUS SACRIFICII COMPLERETUR. Hebr. Chald. & LXX. *ad propitiandum pro vobis*.

V. 35. IN TABERNACULO, id eſt ad oſtium tentorii, ſcilicet ex parte interiori. Hebr. Chald. & LXX. addunt, *ſeptem diebus*. CUSTODIAS DOMINI, id eſt quæ Dominus cuſtodiri iuſſit. Chald. *cuſtodiam verbi Domini*.

ESTII.

Verſ. 4. & 5. CONGREGATAQUE OMNI TURBA ANTE FORES TABERNACULI, AIT: ISTE EST SERMO, &c. Nota. Aaron & filii eius in ſacerdotes aſſumuntur, & conſecrantur, non ex ſuffragiis populi (ne exiſtimemus rem huiuſmodi fieri non poſſe, niſi præceſſerit electio, vel approbatio multitudinis, quod prætendunt hæretici noſtri ævi) ſed factum id eſt ſolo iuſſu Dei, congregato tamen cœtu populi, ut in eius conſpectu conſecratio fieret, ſed non niſi ante fores tabernaculi. Unde obiter quoque notandum illud, *Tabernaculi*, in quibuſdam codicibus male omitti, legitur enim in Hebræo, Chald. & Græco.

V. 14. OBTULIT ET VITULUM PRO PECCATO, ſcilicet Moyſes. Ex quibus verbis, & ſequentibus liquet Moyſen non ſolum adhibitis cæremoniis Aaron & filios eius conſecraſſe ſacerdotes, verum etiam ſacrificia obtuliſſe: quod ſacerdotum eſt proprium. Igitur Moyſes vere fuit ſacerdos, iuxta illud Pſalm. XCVIII. *Moyſes & Aaron in ſacerdotibus eius*. An autem Moyſes fuerit ſummus ſacerdos, & an tunc fuerint duo ſummi ſacerdotes Moyſes & Aaron, vide ad dictum Pſalm.

MARIANAE.

Verſ. 7. VESTIVIT PONTIFICEM SUBUCULA LINEA. Hieronymus in epiſtola ab Fabiolam dicit, ſubuculam eſſe quæ vulgo dicitur *camiſia*.

V. 9. LAMINAM AUREAM CONSECRATAM IN SANCTIFICATIONE. Sept. dixere, *conſecratam ſanctam*. Alii cum Chald. vertunt, *coronam ſanctitatis*. Nempe vox נזר *nezer* & *coronam* ſignificat, qua forma lamina erat, & *ſeparationem*; unde *Nazaræi*, *ab aliis ſeparati*, quaſi ſancti, ſeu conſecrati. Inde variæ verſionis occaſio.

V. 15. AD FUNDAMENTA EIUS altaris fundet ſanguinem. Sequitur Hebraice, *Ad ſanctificandum illud, & propitiandum ſuper eo*: ſic vertunt Sept.

V. 28. SUPER ALTARE HOLOCAUSTI. Hebr. *In altari ſuper holocauſtum*: ſic fere Septuag. & Chald. EO QUOD CONSECRATIONIS ESSET OBLATIO. Hebr. *Plenitudines ſunt in odorem ſuavitatis oblatio ignita Domino*. Hoc ſacrificium eſt inſtar pacificorum, quod vocatur *plenitudines*: quoniam ſacerdotis conſecrati manus in eo implebantur; vel quoniam, ut dicit Hebræus, omnibus ex eo ad votum ſatisfiebat: pars Deo in altari cedebat, pars ſacerdoti, pars offerenti, Et quoniam hoc fiebat in conſecratione ſacerdotis, plerique Interpretes *conſecrationis* voce hoc ſacrificium vocarunt, pro *plenitudinibus*, *conſecrationes* ponentes.

V. 31.

Digitized by Google

V. 31. CUMQUE SANCTIFICASSET EOS IN VESTITU SUO. Hebr. *Et ſanctificavit Aaron & veſtes eius, & filios eius & veſtimenta eorum cum illo*: ſic Sept. & Chald. ſic in Vulgata ſuſpicor legendum *cum veſtitu ſuo*.

V. 34. SICUT ET IMPRAESENTIARUM FACTUM EST, UT RITUS SACRIFICII COMPLERETUR. Hebr. & Chald. *Sicut factum eſt hodie, præcepit Dominus fieri ad propitiandum pro vobis*: ſcilicet conſequenti tempore eum ritum obſervari vult.

MALVENDAE.

TOtum hoc caput conferendum cum cap. XXIX. Exodi, ubi habetur mandatum conſecrationis Aaron & filiorum eius, nempe ſacerdotum; in hoc vero executio mandati narratur. Videndæ Notæ eius capitis.

V. 15. AD FUNDAMENTA EIUS. Hebr. addunt, *Et ſanctificavit illud, ad expiandum ſuper illud*. Bifariam capi poteſt illud, *Super illud*: ad expiandum illud ipſum altare, id eſt purefaciendum, mundandum, purgandum; vel ad expiandum homines, ſeu offerentes, id eſt propitiandum, reconciliandum Deo in eo, vel ſuper illud altare.

V. 28. SUPER ALTARE HOLOCAUSTI. Hebr. *ſuper holocauſtum*. Quidam exponunt, in holocauſtum, tamquam holocauſtum, pro holocauſto: nimirum ut ſit holocauſtum. Alii, *ultra, poſt, præter holocauſtum*, videlicet quod tunc offerebatur ex ariete impletionum, ſeu conſecrationum. Plerique ſimpliciter accipiunt, quod carnea illa verſ. 25. & farinacea illa verſ. 26. poſuerit Moſes ſuper ipſum holocauſtum, id eſt reliquas carnes arietis in holocauſtum abſumendi, ut ſic omnia ſimul abſumerentur. EO QUOD CONSECRATIONIS ESSET OBLATIO. Recte ſenſum expreſſit. Hebr. *conſecrationes ſunt*, id eſt ſacrificia pro conſecratione ſacerdotum: ſic etiam verſ. 31.

V. 33. FINITUR CONSECRATIO. Hebr. *Implebit manum veſtram*. Quidam reddunt, *Conſecrabit miniſterium veſtrum*.

V. 34. SICUT ET IMPRAESENTIARUM, &c. Hebr. hic verſus ita legitur: *Iuxta quod fecit in die iſto, præcepit Dominus ad faciendum ad expiandum vos*. Quidam aiunt, hic tertiam perſonam *fecit* poni pro prima; id eſt, quemadmodum ego Moſes feci, ſic præceperat Dominus ut facerem, & conſecrarem vos, & expiarem initiandos. Alii, *Sicut fecit Dominus per miniſterium meum*; ſeu *ſicut exequitur per me, ſic præceperat Iehovah ad expiandum vos*.

MENOCHII.

HOc caput fere idem eſt cum capite vigeſimoprimo Exodi.

V. 6. OBTULIT. Heb. *Occidere fecit*. Chald. *Applicavit*. LXX. *Adduxit*.

V. 7. SUBUCULA LINEA, quæ Exod. XXVIII. vocatur tunica linea, & ſtricta.

V. 9. LAMINAM AUREAM CONSECRATAM IN SANCTIFICATIONE; quaſi dicat, laminam auream olei unctione conſecratam ad uſus ſanctos.

V. 11. CUMQUE SANCTIFICANS. Sanctificatio hæc aliud non erat quam unctio tabernaculi, & vaſorum eius qua conſecrabantur Deo.

V. 14. OBTULIT ET VITULUM, vitulos: nam Exod. XXVIII. num. 35. & 36. iubetur quotidie per ſeptem dies offerri vitulus: ergo ita factum eſt, licet hic non exprimatur; ſatis tamen innuitur numer. 34.

V. 15. QUO EXPIATO, altari ſcilicet.

V. 30. UNGUENTUM, cuius compoſitio præcepta fuerat Exod. XXX. num. 23. & 30. Unctio ergo, vel potius effuſio unguenti in capite erat conſecratio pontificis, ut patet hic n. 12. & Exod. XXIX. 7. Unctio vero communis pontifici & minoribus ſacerdotibus, erat aſperſio unguenti ſanguine mixti ſuper eos, & ſuper veſtes eorum: ad hæc unctio auris dexteræ, & pollicum, ut patet Exod. XXIX. 20.

V. 34. SICUT ET IMPRAESENTIARUM FACTUM EST, ſcilicet fiet & in poſterum quotieſcumque facienda erit pontificis aut ſacerdotum conſecratio.

V. 36. PER MANUM MOYSI, id eſt per Moſen.

TIRINI.

Verſ. 6. OBTULIT, ſcilicet adductos publice ad tabernaculum: nempe Moyſes Deo in ſacerdotes obtulit Aaronem & filios eius, id eſt conſecravit, & initiavit ſacerdotio, his ritibus. Primo lavit eos *a*; ſecundo veſtibus ſacris induit *b*, de quibus Exod. XXVIII. tertio ſacrificavit pro peccato *c* vitulum, & arietem *d* unum, alterumque arietem *e* in holocauſtum; quarto unxit per ſeptem continuos dies *f*, aſpergens tam illos, quam veſtes illorum quotidie oleo mixto ſanguine *g* arietis prioris, ungebat vero aurem illorum dexteram, & pollicem manus ac pedis dexteri; quinto, durante hoc ſeptem dierum conſecrationis tempore, debebant nocte & die excubare *h* in atrio tabernaculi, more cuſtodum fixe ibi manentes, non ſic tamen ut ſomnus eis vetaretur. Et hæc communia erant omnibus ſacerdotibus dum conſecrarentur. Ceterum conſecrationi Aaronis, & conſequenter cuiuſvis ſummi ſacerdotis ſucceſſoris Aaronis, peculiare erat quod totum etiam caput illius *i* ungeretur. Quo deſignabatur, a pontifice tamquam a capite derivari poteſtatem conſecrandi, & offerendi, ad alios omnes ſacerdotes. Aurium unctione tropologice indicabatur, eos legem Domini audire, eidemque obedire debere præ ceteris; manus vero ac pedis dextri, eos audita fortiter conſtanterque exequi teneri. Ita Radulphus.

Nota, eodem die primo hebdomadæ conſecrationis horum ſacerdotum, qui erat dies primus menſis primi anni ſecundi egreſſionis Hebræorum ex AEgypto, Moyſen ſimili ſeptena *k* unctione, ſed continuo una eademque hora adhibita, conſecraſſe quoque altaria holocauſti, & thymiamatis, adeoque totum tabernaculum cum omnibus vaſis, & ſupellectili ſua.

(*a*) Verſ. 6.
(*b*) Verſ. 7. 8. 9. 13.
(*c*) Verſ. 14. 15. 16. 17.
(*d*) Verſ. 22. & ſeqq.
(*e*) Verſ. 18.
(*f*) Verſ. 36. 33.
(*g*) Verſ. 24.
(*h*) Verſ. 29. 35.
(*i*) Verſ. 12.
(*k*) Verſ. 10. 11.

GORDONI.

Verſ. 2. TOLLE. Quod Exod. XXIX. præcipiebatur, hic mandatur executioni. Textus ſatis conſpicuus & clarus eſt, ſi quæ ibi dicuntur, relegantur.

V. 6. & 8. Poſt oblatos, hoc eſt adductos duos filios Aaron, veſtitur Pontifex: adaptatur ſuperhumerale rationali, ubi erat Doctrina & Veritas, de quibus dixi Exod. XXVIII. verſ. 15. & 30.

V. 15. AD FUNDAMENTUM, id eſt ad baſim.

V. 28. SUPER ALTARE HOLOCAUSTI. Hebr. *in altari ſuper holocauſtum*.

V. 30. UNGUENTUM, unctionis oleum.

V. 35. DIE AC NOCTE, ſcilicet per ſeptem dies illos de quibus dictum eſt verſ. 33. nempe in cuſtodiis Domini, ſeu cuſtodientes ea omnia quæ Dominus cuſtodiri præcepit.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 7. SUBUCULA, linea tunica, Exod. XVIII.

V. 15. QUO EXPIATO, altari.

V. 34. SICUT: ſic ſcilicet fiet in poſterum in tali conſecratione.

CA-

Digitized by Google

CAPUT IX.

Primitiis ſacrificiorum pro ſacerdote ac populo Deo redditis, Aaron populo benedixit, gloria Domini apparuit, ignisque holocauſtum devoravit.

1 FActo autem octavo die, vocavit Moyſes Aaron & filios e-
ius, ac maiores natu Iſrael, dixitque ad Aaron: 2. (*a*)
Tolle de armento vitulum pro peccato, & arietem in ho-
locauſtum, utrumque immaculatum, & offer illos coram
Domino. 3. Et ad filios Iſrael loqueris: Tollite hircum pro
peccato, * & vitulum atque agnum anniculos, & ſine ma-
cula, in holocauſtum, 4. bovem & arietem pro pacificis:
& immolate eos coram Domino, in ſacrificio ſingulorum ſi-
milam conſperſam oleo offerentes: hodie enim Dominus apparebit vobis. 5. Tu-
lerunt ergo cuncta quæ iuſſerat Moyſes ad oſtium tabernaculi: ubi cum omnis
multitudo aſtaret, 6. ait Moyſes: Iſte eſt ſermo quem præcepit Dominus: faci-
te, & apparebit vobis gloria eius. 7. Et dixit ad Aaron: Accede ad altare, &
immola pro peccato tuo: offer holocauſtum, & deprecare pro te & pro popu-
lo: cumque mactaveris hoſtiam populi, ora pro eo, ſicut præcepit Dominus. 8.
Statimque Aaron accedens ad altare, immolavit vitulum pro peccato ſuo: 9. cu-
ius ſanguinem obtulerunt ei filii ſui: in quo tingens digitum, tetigit cornua al-
taris, & fudit reſiduum ad baſim eius. 10. Adipemque & renunculos, ac reticu-
lum iecoris, quæ ſunt pro peccato, adolevit ſuper altare, ſicut præceperat Do-
minus Moyſi: 11. carnes vero & pellem eius extra caſtra combuſſit igni. 12.
Immolavit & holocauſti victimam: obtuleruntque ei filii ſui ſanguinem eius,
quem fudit per altaris circuitum. 13. Ipſam etiam hoſtiam in fruſta conciſam,
cum capite & membris ſingulis obtulerunt: quæ omnia ſuper altare cremavit i-
gni, 14. lotis aqua prius inteſtinis, & pedibus. 15. Et pro peccato populi offe-
rens, mactavit hircum: expiatoque altari, 16. fecit holocauſtum, 17. addens in
ſacrificio libamenta, quæ pariter offeruntur, & adolens ea ſuper altare, abſque
cæremoniis holocauſti matutini. 18. Immolavit & bovem atque arietem, hoſtias
pacificas populi: obtuleruntque ei filii ſui ſanguinem, quem fudit ſuper altare in
circuitum. 19. Adipem autem bovis, & caudam arietis, renunculoſque cum adipibus
ſuis, & reticulum iecoris 20. poſuerunt ſuper pectora: cumque cremati eſſent adipes
ſuper altare, 21. pectora eorum, & armos dextros ſeparavit Aaron, elevans coram
Domino, ſicut præceperat Moyſes. 22. * Et extendens manus ad populum, bene-
dixit ei. Sicque completis hoſtiis pro peccato, & holocauſtis, & pacificis, deſcen-
dit. 23. Ingreſſi autem Moyſes & Aaron in tabernaculum teſtimonii, & dein-
ceps egreſſi benedixerunt populo. (*b*) Apparuitque gloria Domini omni multitudini:
24. & ecce egreſſus ignis a Domino, devoravit holocauſtum, & adipes qui erant ſu-
per altare. Quod cum vidiſſent turbæ, laudaverunt Dominum, ruentes in facies ſuas.

(*a*) Exod. xxix. 1. (*b*) II. Mac. ii. 10.

BRU-

BRUGENSIS

Romanae Correctiones.

V. 3. *Et vitulum atque agnum anniculos*. Et hic recte dederunt pluralem numerum *anniculos* pro ſingulari *anniculum*.

V. 22. *Et extendens manus ad populum*. In aliis libris eſt *manum* numero ſingulari.

COMMENTARIA

S A.

Verſ. 1. Octavo die, ſcilicet martii, anno ſecundo ab egreſſu ex AEgypto.

V. 2. Tolle vitulum, ſcilicet pro peccato offerendum.

V. 3. Tollite hircum, ſcilicet pro peccatis veſtris offerendum.

V. 5. Tabernaculi, id eſt atrii. Astaret, ſcilicet *coram Domino*, ut additur Hebr.

V. 7. Pro peccato, &c. quaſi dicat: Offer pro te, & ſacrificium pro peccato, & holocauſtum. Deprecare. Heb. *expia*, ſeu *propitiare*; Chald. & LXX. *propitiare*; quaſi dicat, placa Deum, ſeu propitium redde per ſacrificium. Ora, Hebr. & Chald. & LXX. *Fac propitiationem*, ſeu *expiationem*, ut ſup. proxime.

V. 10. Quae sunt pro peccato. Hebr. *de peccato*, id eſt hoſtia pro peccato. Adolevit; id eſt, adolenda poſuit: nam poſtea deſcendit ignis.

V. 13. Cremavit; id eſt, cremanda poſuit.

V. 14. Pedibus, id eſt cruribus.

V. 15. Expiatoque altari. Hebr. *Expiavitque illum*, ſcilicet populum, idque (ut Chal. addit) *in ſanguine*. LXX. *Purificavit illum*.

Verſ. 17. Absque caeremoniis holocausti. Hebr. *abſque holocauſto*; quaſi dicat, præter matutinum holocauſtum, id etiam oblatum eſt.

V. 20. Cremati: id poſtea factum.

V. 22. Benedixit; id eſt, bene precatus eſt. Completis, id eſt paratis: vel id per anticipationem dicitur. Descendit: ſcilicet erat altare loco editiori.

V. 24. Egressus, id eſt miſſus; vel forte e Sanctuario prodiit ignis. Quidam dicunt duraſſe uſque ad captivitatem Babylonicam, alii negant. Ruentes, ſcilicet ex timore, vel adorando.

E S T I I.

Verſ. 7. Dixitque ad Aaron: Accede ad altare, et immola pro peccato tuo ...... et pro te et pro populo. Quod hic ad Aaronem dicitur, ut ſacrificaturus deprecetur Deum pro ſe & pro populo, id ad omnes omnino ſacerdotes etiam novi teſtamenti pertinet. Unde Apoſtolus ad Hebr. v. cap. de omni pontifice ex hominibus aſſumpto loquens, ait: *Qui condolere poſſit iis qui ignorant & errant, quoniam & ipſe circumdatus eſt infirmitate, & propterea debet quemadmodum pro populo, ita etiam pro ſemetipſo offerre pro peccatis*. Hinc habet eccleſiaſtica, eaque laudatiſſima conſuetudo, ut ſacerdos novi Teſtamenti accedens ad altare peccata ſua confiteatur, priuſquam ad ſacrificandum aſcendat. Hinc & in canone Miſſæ pectus pulſans ſe peccatorem confitetur. Deinde notandum quod Apoſtolus ad Hebr. vii. indicat ſacerdotem prius pro ſuis peccatis, deinde pro populi peccatis hoſtias offerre conſueviſſe. Sane & Daniel prius ſua, deinde populi peccata confitetur. Ita & ſacerdos novæ legis prius ſua peccata confitetur, deinde vero miniſtrum, & in miniſtro populum, peccata confitentem audit.

M A R I A N A E.

Verſ. 3. Agnum anniculos: Hebræi dicunt, כבש *cheſeb* ſignificare *agnam* ſive *agnum unius anni*. Pro *anniculos*, Heb. *filios anni*, ut ad vitulum, hircum, & agnum referatur. Chald. *anniculos* dixit, ſic Gotth. & Rom,

Digitized by Google

Septuagint. *anniculum*: ſic Regia habent.

V. 6. ISTE EST SERMO, QUEM PRAECEPIT DOMINUS: FACITE. Hebr. *Hoc verbum, quod præcepit Dominus: facite, & revelabitur vobis gloria Domini*. Vide obedientiæ fructum.

V. 15. EXPIATOQUE ALTARI. Heb. *Et expiavit illum* (ſcilicet populum, aut altare) *ſicut prius*. Hieronymus retulit expiationem ad altare, & omiſit illud *Sicut prius*.

V. 16. FECIT HOLOCAUSTUM, ADDENS IN SACRIFICIO LIBAMENTA. Heb. *Obtulit holocauſtum, & fecit iuxta ritum*. Sept. & Chald. *Fecit illud ut decet*.

V. 17. ET ADOLENS EA SUPER ALTARE, ABSQUE CAEREMONIIS HOLOCAUSTI MATUTINI. Heb. *Et obtulit munus, & implevit manum ſuam ab eo: & adolevit ſuper altare abſque holocauſto matutino*: ſcilicet præter illud hoc obtulit.

V. 22. ET EXTENDENS MANUS. Hebraicæ litteræ *manum ſuam* habent; ſed puncta legendum indicant, *manus ſuas*: quam lectionem probat Maſoreth, & Sept. ſunt ſecuti. BENEDIXIT EI, ſcilicet populo. SICQUE COMPLETIS HOSTIIS ...... DESCENDIT. Hebr. *Et deſcendit ab offerendo hoſtiam pro peccato, holocauſtum, & pacifica*. Ordinem inverſum dicit Hebræus, prius deſcendiſſe, dein benedixiſſe. Itaque illud & ſumendum, pro & *iam deſcendit*.

MALVENDAE.

Verſ. 1. OCTAVO DIE, id eſt poſtridie ſeptidui conſecrationis Aaron, ſeu die proxime ſequente illud ſeptiduum: nempe octavo die a primo, quo cœpit conſecratio ſacerdotum. Sic accipiendum apparet ex lege huius mandati Exod. XXIX. verſ. 30. & ſeqq.

V. 5. CUM OMNIS MULTITUDO ADSTARET. Hebr. *Et acceſſerunt omnis cœtus, & ſteterunt ad facies Domini*, id eſt in atrio tentorii, vel ante oſtium tentorii, converſi verſus ſacratiſſimum ſacrarium, ubi Deus faciem ſuam & præſentiam exhibebat.

V. 12. OBTULERUNTQUE EI. Heb. *Et invenire fecerunt ad eum*; id eſt, ei ad manum prompte porrexerunt, admoverunt, ut cito inveniret. Sic verſ. 15. & 18.

V. 19. CUM ADIPIBUS SUIS. Heb. tantum eſt, & *cooperientem*, ſeu *obtegentem*: ſubaudi, & adipem cooperientem intima, inteſtina, intranea, exta, e cap. III. verſ. 3. 9. & 14.

V. 22. ET EXTENDENS MANUS AD POPULUM. Hebr. duplex eſt lectio, ſingularis, & pluralis, *manum ſuam*, & *manus ſuas*: & quidem pluralis congruit cum more Hebraico benedicendi, quem Chriſtus ſummus Sacerdos obſervavit Lucæ XXIV. 50. BENEDIXIT EI. Extat formula benedictionis Numeror. VI. verſ. 23. DESCENDITQUE. Quidam exponunt, nimirum e clivulo in circuitum altaris aſſurgente. Vide Exodi XX. verſ. 26. Nonnulli exponunt, poſtquam deſcenderat. Nam benedixiſſe populo poſtquam ab altari & tabernaculo egreſſus fuerat, innui videtur verſ. 23. niſi altera ſit illa benedictio verſ. 23.

V. 23. BENEDIXERUNT POPULO. Non videtur hæc ſolemnis, & conceptis verbis ſacerdotalis benedictio, quoniam hæc iam data fuerat verſ. 22. Sed *benedixerunt populo*; id eſt, omnia illi fauſta ac felicia voverunt ac precati ſunt; tum etiam gratulati de erecto tabernaculo, & apparatu cultus divini, atque de ſummi ſacerdotis conſecratione. Alii exponunt: Benedictione enuntiata populum peractis ſacris dimiſerunt. APPARUITQUE GLORIA DOMINI. Quidam hanc gloriam Domini interpretantur ignem illum egreſſum a facie Domini, ut explicatur ver. ſequenti. Alii, nubem illam cum ſingulari quadam & eximia claritate, ac ſplendore, quæ maximam gloriam & maieſtatem præ ſe ferret. Vide Exodi XL. verſ. 34. & 35.

V. 24. EGRESSUS IGNIS A DOMINO. Hebr. *Exivit ignis a faciebus Domini*. Hoc miraculo teſtatum fieri voluit Deus, ſe approbare huncritum ſacrificandi, & ſibi placere miniſterium Aaronis. Simili ſigno approbaverat ſacrificium Abel Gen. IV. 4. & approbavit poſtea ſacrificium Davidis I. Paralip. XXI. verſ. 26. & Salomonis II. Paralip. VII. 1. & Eliæ I. Reg. XVIII. 38. & Nehemiæ. I. Machab. 1. 22. Quidam intelligunt ignem egreſſum a facie Domini, id eſt de cælo, quæ ſedes eſt ampliſſima, & thronus Dei viventis. Alii, a facie Domini, id eſt a ſan-

ſanctuario, ſeu propitiatorio, ubi tunc primum Deus ſtatuit aſpectabile præſentiæ ſuæ documentum, nube oblata, & immiſſo igne. Quem ſenſum firmat verſus 2. cap. x. De hoc ſacro igne vide nonnulla obſervata a Druſio in Notis Lev. cap. xxvi. Servius ad illud Maronis XII. AEneid.

..... *qui fœdera fulmine ſancit*,

hæc annotat: *Confirmat, ſancta eſſe facit; quia cum fiunt fœdera, ſi corruſcatio fuerit, confirmantur: vel certe quia apud maiores aræ non incendebantur, ſed ignem divinum precibus eliciebant, qui incendebat altaria*. Semper diabolus in ſacris ſimiam ſe Dei præſtat.

MENOCHII.

Verſ. 1. FACTO AUTEM OCTAVO DIE, a conſecratione Aaronis, & tabernaculi. VOCAVIT MOYSES AARON ET FILIOS EIUS, ut ſcilicet hi novelli ſacerdotes ſua prima ſacrificia offerrent. AC MAIORES NATU, convocati etiam hi ſunt ad honorandas ſui pontificis primitias, & ut victimas ſuas per eum Deo ſacrificarent.

V. 2. VITULUM PRO PECCATO, ut ſit hoſtia pro peccato.

V. 3. AD FILIOS ISRAEL LOQUERIS, ſcilicet tu Aaron novelle pontifex: nam tibi iam incumbit auctoritas Pontificia, ut præcipias victimas populo. ANNICULOS, ita ut tam vitulus quam agnus annum ætatis non excedant.

V. 4. IMMOLATE EOS, adducite ad me, ut ego immolem pro vobis. CORAM DOMINO, coram altari holocauſtorum, ſive coram oſtio tabernaculi. IN SACRIFICIO, farreo, quod ad omnem victimam adiungitur, ut patet Numer. xv. quia ſine pane, aut farre non prandetur. HODIE ENIM DOMINUS APPAREBIT, mittens ignem de cælo, qui ſacrificia veſtra comburet.

V. 5. TULERUNT ERGO CUNCTA, poſtquam Aaron iuſſus a Moſe id præcepit, uti dixit num. 3.

V. 10. QUAE SUNT PRO PECCATO; id eſt, quæ ſunt partes hoſtiæ, puta vituli pro peccato oblati. ADOLEVIT; id eſt, adolenda, & cremanda impoſuit altari: nam igne cæleſti hæc, & ſequentes victimæ poſtea conſumptæ ſunt n. 24

V. 11. COMBUSSIT IGNI, iuxta legem datam cap. IV. num. 12.

V. 15. EXPIATOQUE ALTARI, per hoc ſacrificium pro peccato, cuius ſanguine unctum, & aſperſum eſt altare.

V. 17. ADDENS IN SACRIFICIO, farreo, ſive ſimilæ, LIBAMENTA, olei, & vini, de quibus Num. xv. 4. quam legem iam fuiſſe latam ex hoc loco patet; licet poſterius Num. xv. referatur. ABSQUE CAEREMONIIS HOLOCAUSTI MATUTINI; id eſt, abſque eo quod omitteretur, vel impediretur iuge ſacrificium matutinum, & veſpertinum.

Verſ. 20. POSUERUNT SUPER PECTORA, pecorum immolatorum, quæ poſtea Aaron ſeparavit, ut dicitur numer. ſequen.

V. 21. ELEVANS CORAM DOMINO, Pectuſculum enim & armus dexter non cremabantur; ſed elevata, & oblata Domino, cedebant ſacrificanti. Vide cap. VII. num. 31. & 32.

V. 22. BENEDIXIT EI, Aaron ſcilicet novellus pontifex. Forma benedictionis fuit illa quæ habetur Num. VI. 24. ſcilicet, *Benedicat tibi Dominus*, &c. COMPLETIS HOSTIIS, id eſt hoſtiarum iugulatione, conciſione, & impoſitione in altare. DESCENDIT, Aaron ſcilicet ſacrificans: reſtabat enim hoſtiarum crematio, quæ poſtea facta eſt per ignem cælitus miſſum; quare quæ num. 10. 13. 17. 20. de ea dicuntur, per anticipationem accipienda ſunt, ut patet ex num. 24.

V. 23. APPARUITQUE GLORIA DOMINI, ignis ſcilicet a Deo miſſus ad devorandum holocauſtum: quod factum eſt, ut intelligeret populus ſacerdotes eos a Deo inſtitutos, & illi gratos eſſe; utque maiorem erga ſacra reverentiam conciperent. Hic ignis poſtea a ſacerdotibus addito lignorum fomento diligenter ſervatus eſt, ut præceptum fuerat Levit. cap. VI. num. 12.

TIRINI.

Verſ. 17. ABSQUE CAEREMONIIS HOLOCAUSTI MATUTINI, ſcilicet iugis & quotidiani; quaſi dicat: Omnia hæc ſacrificia & holocauſta Aaronis & filiorum eius non fuerunt impedimento, quo minus offerretur eodem

quo-

Digitized by Google

quoque tempore matutino iuge holocauſtum agni: quod nullo caſu, ſicut nec veſpertinum, poterat ob ulla alia ſacrificia intermitti. Hinc patet, illo primum die, ſcilicet octavo menſis primi, & poſt completos ſeptem dies conſecrationis Aaronis filiorumque illius die primo, cœptum ab Aarone offerri in altari iam ſanctificato iuge ſacrificium, idque ante ſacrificium pro peccato, & holocauſtum *a*, aliaque quæ hic pro primitiis ſuis offerre iubetur. Nam iuge ſacrificium mane omnia alia ſacrificia anteibat; ſicut & veſpere omnia eius diei ſacrificia terminabat. Ita Philo, Ioſephus & alii.

V. 23. INGRESSI AUTEM MOYSES ET AARON IN TABERNACULUM, nempe ut Aaron thymiama in altari incenſi offerret Deo ante cremationem holocauſti matutini. Id enim thymiama ſemper matutinum holocauſtum anteibat: quocirca etiam nunc præire debuit immiſſionem illam ſacri ignis a Deo cælitus, vel e columna nubis ſubmiſſi, quo cremanda erant tum iuge tum alia iam parata ſacrificia. Aaroni autem iunctus ibat ſocius Moyſes, ut eum doceret modum huius thymiamatis offerendi. Mox APPARUIT GLORIA DOMINI, ſcilicet cæleſtis ignis emiſſione, qua Deus gloriam, ſeu præſentiam ſuam, potentiam, & favorem ſingularem, tum erga populum univerſum, tum maxime erga novos ſacerdotes palam comprobavit, ſacerdotium illorum tam celebri prodigio honorando.

Nota. Hoc igne cæleſti ſemper deinceps uſi ſunt Hebræi, eumque lignis iniectis continuo nutrire iuſſi, Levit. VI. verſ. 12. quo quia Nadab & Abiu filii Aaronis uſi non fuerant, ſed alieno, ſeu aliunde deſumpto profano igne, idcirco igne cælitus immiſſo abſumpti ſunt cap. ſeq. Quare maxima ſacerdotum viciſſim templo deſervientium cura fovebatur ſacer hic ignis: & quidem per deſertum cum proficiſcerentur, in vaſe ad id deputato; cum vero ſubſiſterent, in altari ipſo holocauſtorum adſervabatur, perpetuoque fomento nutriebatur. Ita Philo & Ioſephus. Similis ignis de cælo ad victimas abſumendas miſſus eſt cum Salomon templum ſuum dedicaret II. Paralip. VII. verſ. 1. Item cum Elias convicit ſacerdotes Baal III. Reg. XVI. 38. Adſervatus eſt autem hic ſacer ignis in templo uſque ad everſionem eiuſdem templi, & captivitatem Babylonicam. Ac ne tum quidem neglecta illius cura: nam a ſacerdotibus in puteo ignis ille abſconditus eſt; ſed ſoluta poſt captivitate, dum ignem requirunt, loco ignis aquam craſſam repererunt, quæ mox tempore ſacrificii in ignem miraculoſe converſa fuit, II. Machab. 1. Quo igne uſi ſunt exinceps in ſecundo templo: & in tanti miraculi memoriam feſtum dati ignis perpetuo celebre habuerunt.

Nota. Hanc ignis ſacri continuo fovendi religionem dæmon, ut ſimius, apud Ethnicos variis locis æmulari voluit, ut apud Perſas qui & pro deo illum colebant; apud Delphos item, & Argivos in templis Apollinis; apud Romanos qui illum ſub nomine Veſtæ colebant, & virginibus Veſtalibus cuſtodiam illius committebant: quod ſi quando contingeret extingui, fatale urbi cenſebatur. Vide Rhodiginum, & Lilium Gyraldum *b*.

Allegorice ignis hic cæleſtis, eſt Spiritus ſancti gratia, quæ continuo fomento piarum meditationum, & bonorum operum foveri debet. Ita ſanctus Gregorius *c*.

(*a*) Levit. IX. verſ. 5. & 12.
(*b*) Rhodigin. Lib. XIV. Antiquarum lect. cap. XIV. Gyrald. in Syntagm. Deorum. in Veſta Dea.
(*c*) Greg. Lib. XXV. Moral. cap. VII.

GORDONI.

Verſ. 1. HIc dies qui vocatur octavus, eſt octavus a conſecratione Aaronis, incidens in menſem primum anni ſecundi ab exodo; ac proinde incidit in annum mundi 2484. ut obſervavi Exod. cap. XL.

V. 3. TOLLITE HIRCUM, &c. Perlege quæ dicta ſunt cap. IV. & quidem ibi vitulus decernitur pro peccato; hic tamen hircus. Ratio diverſitatis eſt, quia ibi offerebatur pro peccato totius populi, & incluſo etiam ſummo ſacerdote, ac proinde maior victima debetur.

V. 5. AD OSTIUM TABERNACULI, hoc eſt oſtium atrii. Septuag. *ante tabernaculum*: ubi ſcilicet apparebit Dominus, declarans præſentiam ſuam in igne immiſſo in ſacrificia; ut hic vides verſ. 24.

V. 10. ADOLEVIT; hoc eſt, impoſuit

altari adolenda, ſuperveniente poſtea igne. Hæc, & reliqua quæ inſequuntur, clara ſunt; & adhuc melius innoteſcent ex locis ſupra, ubi hæc præcepta ſunt. Perlege præſertim cap. IV.

V. 17. ABSQUE CAEREMONIIS HOLOCAUSTI, id eſt præter holocauſtum matutinum, quod etiam offerebatur.

V. 23. APPARUIT GLORIA DOMINI, quando immiſſus eſt ignis, de quo hic verſ. 24. Debebat autem foveri ſemper, ne extingueretur. Extinctus vero fuit tempore Babylonicæ captivitatis, II. Machab. cap. II. verſ. 18. Non eſt tamen verum fuiſſe extinctum in deſerto: ſtabat enim prohibitio utendi prophano igne, ut conſtabit capite inſequente: & duravit uſque ad templum Salomonis, quando e cælo miſſus eſt novus ignis, II. Paralip. VII. verſ. I. Poſt captivitatem vero fuit iterum excitatus miraculo, II. Machab. cap. I. In deſerto nec deerant modici ignis fomenta; nec difficile fuit efficere ne combureretur tectum, quod erat pallium hyacinthinum. De abſcondito hoc igne, II. Machab. c. II.

V. 24. IGNIS EGRESSUS, qui devoravit holocauſtum, & pacificorum adipes. Hoc miraculo Deus ordinem ſacerdotalem approbat, & ſuas de ſacrificiis leges, ut alias in Elia contra Baal, III. Reg. XVIII. verſ. 28. & 34. item in dedicato templo, II. Paralip. VII. verſ. I. egreſſus vero hic dicitur, hoc eſt miſſus a Deo; vel prodiit e ſanctuario.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 4. DOMINUS APPAREBIT VOBIS, nempe emittens de cælo ignem, qui veſtra comburet ſacrificia.

V. 11. COMBUSSIT, iuxta legem cap. IV. verſ. 12.

V. 17. LIBAMENTA, olei, & vini, Num. XV. verſ. 4. ABSQUE CAEREMONIIS; id eſt, abſque eo quod omittatur iuge ſacrificium.

V. 20. SUPER PECTORA, pecorum immolatorum ſeparatorum, ex verſ. 21.

CAPUT X.

Igne Nadab & Abiu conſumpti planguntur a populo, non a ſacerdotibus: vino autem ſacerdotibus interdicto, præcipitur ut reſiduum oblationis comedant.

1 ARreptiſque Nadab & Abiu filii Aaron thuribulis, (*a*) poſue-
runt ignem, & incenſum deſuper, offerentes coram Domino
ignem alienum: quod eis præceptum non erat. 2. Egreſſuſque
ignis a Domino, devoravit eos, & mortui ſunt coram Do-
mino. 3. Dixitque Moyſes ad Aaron: Hoc eſt quod locutus
eſt Dominus: Sanctificabor in iis qui appropinquant mihi,
& in conſpectu omnis populi glorificabor. Quod audiens ta-
cuit Aaron. 4. Vocatis autem Moyſes Miſaele & Eliſaphan
filiis Oziel, patrui Aaron, ait ad eos: Ite, & tollite fratres veſtros de conſpectu
Sanctuarii, & aſportate extra caſtra. 5. Confeſtimque pergentes, tulerunt eos ſic-
ut iacebant, veſtitos lineis tunicis, & eiecerunt foras, ut ſibi fuerat imperatum.
6. Locutuſque eſt Moyſes ad Aaron, & ad Eleazar, & Ithamar, filios eius:
Capita veſtra nolite nudare, & veſtimenta nolite ſcindere, ne forte moriamini,
& ſuper omnem cœtum oriatur indignatio. Fratres veſtri, & omnis domus I-
ſrael, plangant incendium quod Dominus ſuſcitavit: 7. vos autem non egredie-
mini fores tabernaculi, alioquin peribitis: oleum quippe ſanctæ unctionis eſt ſu-

per

Digitized by Google

per vos. Qui fecerunt omnia iuxta præceptum Moyſi. 8. Dixit quoque Dominus ad Aaron: 9. Vinum, & omne quod inebriare poteſt, non bibetis tu & filii tui, quando intratis in tabernaculum teſtimonii, ne moriamini: quia præceptum ſempiternum eſt in generationes veſtras. 10. Et ut habeatis ſcientiam diſcernendi inter ſanctum & profanum, inter pollutum & mundum: 11. doceatiſque filios Iſrael omnia legitima mea, quæ locutus eſt Dominus ad eos per manum Moyſi. 12. Locutuſque eſt Moyſes ad Aaron, & ad Eleazar, & Ithamar, filios eius, qui erant reſidui: Tollite ſacrificium, quod remanſit de oblatione Domini, & comedite illud abſque fermento iuxta altare, quia Sanctum ſanctorum eſt. 13. Comedetis autem in loco ſancto: quod datum eſt tibi & filiis tuis de oblationibus Domini, ſicut præceptum eſt mihi. 14. Pectuſculum quoque quod oblatum eſt, & armum qui ſeparatus eſt, edetis in loco mundiſſimo tu & filii tui, & filiæ tuæ tecum: tibi enim ac liberis tuis repoſita ſunt de hoſtiis ſalutaribus filiorum Iſrael: 15. eo quod armum & pectus, & adipes qui cremantur in altari, elevaverunt coram Domino, & pertineant ad te, & ad filios tuos, lege perpetua, ſicut præcepit Dominus. 16. (*b*) Inter hæc, hircum, qui oblatus fuerat pro peccato, cum quæreret Moyſes, exuſtum reperit: iratuſque contra Eleazar & Ithamar filios Aaron, qui remanſerant, ait: 17. Cur non comediſtis hoſtiam pro peccato in loco ſancto, quæ Sancta ſanctorum eſt, & data vobis ut portetis iniquitatem multitudinis, & rogetis pro ea in conſpectu Domini, 18. præſertim cum de ſanguine illius * non ſit illatum intra ſancta, & comedere debueritis eam in Sanctuario, ſicut præceptum eſt mihi? 19. Reſpondit Aaron: Oblata eſt hodie victima pro peccato, & holocauſtum coram Domino: mihi autem accidit quod vides: quomodo potui comedere eam, aut placere Domino in cæremoniis, mente lugubri? 20. Quod cum audiſſet Moyſes, recepit ſatisfactionem.

(*a*) Num. III. 4. 26. 51. I. Paralip. XXIV. 2. (*b*) II. Machab. II. 11.

BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO.

V. 18. *Non ſit illatum intra ſancta*. Non addas *Sanctorum*.

COMMENTARIA

S A.

Verſ. 1. ALIENUM, id eſt non e cælo miſſum.

V. 2. A DOMINO, id eſt a tabernaculo, ubi Dominus colebatur.

V. 3. SANCTIFICABOR; id eſt, me ſanctum oſtendam, & ſanctitatis amantem, dum punio ſanctitatem violantes. APPROPINQUANT, ſcilicet per ſacrum miniſterium. GLORIFICABOR; id eſt, apparebo glorioſus.

V. 6. NUDARE, ſcilicet lugentium more, forte prohibet radi. Vide cap. XXI. INDIGNATIO, ſcilicet Domini. INCENDIUM, id eſt mortuos incendio.

V. 9. OMNE QUOD INEBRIARE POTEST. Sic etiam Chald. at Hebr. & LXX. *ſiceram*: unde apparet *ſiceram* ſeu *ſechar* ſignificare quidquid inebriare poteſt. INTRATIS, ſcilicet ad miniſtrandum. TABERNACULUM, id eſt atrium ſacerdotum.

V. 10. SCIENTIAM; quaſi dicat, ne per vinum impediamini.

V. 11. PER MANUM, id eſt opera.

V. 14.

V. 14. MUNDISSIMO, ſcilicet ab iis quæ ſolent polluere tangentes. SALUTARIBUS, id eſt pacificis. Ex iis poterant edere etiam feminæ, non autem ex hoſtia pro peccato.

V. 15. ELEVAVERUNT; id eſt, elevando per ſacerdotem obtulerunt. PERTINEANT, ſcilicet armus & pectus.

V. 17. PORTETIS, id eſt auferatis, ſcilicet per ſacrificia & orationes, ut ſtatim explicatur. ROGETIS. Heb. *expietis.*

V. 18. PRAESERTIM CUM DE SANGUINE, &c. Hebr. & Chald. *Ecce non eſt ſanguis*, &c. LXX. *Non enim eſt ſanguis*, &c. ILLATUM, ſcilicet quod fit in holocauſto.

V. 19. QUOMODO POTUI, &c. Heb. *Numquid Domino placuiſſet, ſi eam comediſſem?*

E S T I I.

Verſ. 1. ARREPTISQUE NADAB ET ABIU FILII AARON THURIBULIS .... OFFERENTES CORAM DOMINO IGNEM ALIENUM. Tradunt Hebræi, Nadab & Abiu ex vino temulentos acceſſiſſe ad ſacrificandum, ſumpto alieno igne, id eſt qui non erat a Deo miſſus, & ſumptus ex altari, de quo dicitur in fine capitis præcedentis, quod egreſſus ignis a Domino devoraverit holocauſtum. Et ex eo tempore ignis ille divinus duravit ſuper altare uſque ad tempus captivitatis Babylonicæ, ut indicatur Lib. II. Machab. cap. 1. Quod autem temulenti acceſſerint, probabile faciunt ex eo quod continuo poſt illud factum datur ſacerdotibus præceptum abſtinendi a vino. Ceterum myſtice alienum ignem offerunt omnes hæretici dum, contempta doctrina cælitus Eccleſiæ tradita, privatam quiſque & peregrinam opinionem conſectatur. Sed & ignem alienum offerunt qui aliquod opus ſuum Deo offerunt, quod non totum a Deo ſe accepiſſe veraciter & humiliter agnoſcunt, ſicut agnoſcebat David dicens: *Tua ſunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi*. Quod autem additur de hoc igne alieno, QUOD EIS PRAECEPTUM NON ERAT, non ita accipiendum eſt, quaſi nihil facere liceat, niſi quod præceptum eſt; ſed mos eſt loquendi Scripturæ, quo ſignificat quippiam prohibitum eſſe, ſeu præceptum ut non fiat. Ita Ieremiæ XXXII. cap. improperans Dominus populo quod ædificaſſent excelſa Baal, & filios ſuos immolaſſent Moloch, addit: *Quod non mandavi eis*; id eſt, de quo mandavi ut non facerent. Sed quæritur ubi fuerit prohibitum ſacerdotibus, ne alienum ignem offerrent. Reſpondeo veriſimile eſſe, tunc fuiſſe prohibitum quando miſſus fuit ignis ille divinitus, idemque iuſſus ſervari in perpetuas retro generationes.

V. 2. EGRESSUSQUE IGNIS A DOMINO DEVORAVIT EOS. *Devoravit*, id eſt extinxit, exanimavit, vitam ademit. Non enim ſenſus eſt quod in favillam eos redegerit: nam mox dicitur: *Tollite fratres veſtros de conſpectu ſanctuarii, & aſportate extra caſtra*: confeſtimque pergentes tulerunt eos, ſicut iacebant, veſtitos lineis tunicis, & eiecerunt foras. Adeo ergo non fuerunt eorum corpora igne conſumpta, ut ne quidem lineæ eorum tunicæ in favillam redactæ eſſent.

V. 9. VINUM ET OMNE QUOD INEBRIARE POTEST, NON BIBETIS TU ET FILII TUI. Hunc locum Origenes hom. VII. ſuper Levit. ſuo modo allegorizat de Chriſto, & Apoſtolis, quod adhuc lugent, & mærent pro peccatis noſtris, omiſſo ſenſu litterali. Sed eam Origenis ſententiam, productis eius verbis refutat Bernardus ſermone cui titulus, De verbis Origenis. Vide etiam Sixtum Senenſ. in Biblioth. Sed myſtice ſacerdotes novi teſtamenti ingreſſuri tabernaculum Domini, id eſt ſacrificium incruentum oblaturi corporis & ſanguinis Domini, non tantum a vino & ſicera abſtinere debent, verumetiam ab omni cibo & potu, eo quod tractent ſacrificium multo dignius. Quæ etiam ratio eſt quod, cum Aaronici ſacerdotes tantum tempore vicis ſuæ ab uxoribus abſtinere debebant, ſacerdotes novi Teſtament tam ſublimis, omni tempore debeant ſe continere a re coniugali.

M A R I A N AE

Verſ. 1. IGNEM ALIENUM, qui non erat ex altari holocauſtorum, obtulerunt Nadab & Abiu.

V. 2.

Digitized by Google

V. 2. Devoravit eos, occidit: alioqui integri cum veſtibus manſerunt.

V. 5. Vestitos lineis tunicis. Quas veſtes geſtarunt, cum iis ſepeliuntur. Mors vitæ ſimilis. Et vide initium ſepeliendi ſacerdotes cum ſacris veſtibus.

V. 6. Nolite nudare. Integumenta capitum non abiiciatis, aut capita non radatis. Vestimenta nolite scindere. Verbum Hebraicum *param* ſignificat *diſſuere*.

V. 9. Vinum, et omne quod inebriare potest, non bibetis. In Hebræo *vinum*, & *ſiceram*; ſed ſiceræ nomine intelligunt potum omnem, præter vinum, qui inebriat. Id Hieronymus explicuit. Sed vide vocem *ſiceræ* ab Hebraica *ſecar* fluxiſſe. Deinde ſuſpicantur quidam, eos iuvenes Nadab & Abiu temulentos acceſſiſſe ad altare: eam novi præcepti occaſionem extitiſſe.

V. 15. Armum et pectus, et adipes qui cremantur in altari, elevaverunt coram Domino, et pertineant ad te. Iuxta hæc verba videantur adipes pertinere ad ſacerdotem; at non eſt ita. Heb. ſic legitur: *Armum elevationis, & pectus motionis ſuper oblationes adipum afferent ad movendum motionem coram Domino, & erit tibi*. Nempe armum & pectus, non adipes. Itaque illud, *Pertineat ad te*, de armo & pectore tantum ſumi debet. Vide, ſancta in loco ſancto comedenda.

V. 18. Comedere debueritis. Imperat ut deinde ita faciant. Heb. *Comedendo comedetis*.

MALVENDAE.

Verſ. 1. Arreptisque Nadab et Abiu thuribulis, &c. Quidam exponunt, quaſi dicat: Hoc temerario filiorum Aaronis facto alii perturbati ad functionem ſuam non ſatis attenderunt: unde Moſi eos reprehendendi oblata eſt occaſio, infra verſ. 16. Offerentes coram Domino. Hebr. *Et obtulerunt faciebus Domini*. Quidam reddunt, *ut offerrent*; ſive *oblaturi coram Iehovah*; id eſt, animo offerendi ignem alienum coram Domino, in loco ſacro: quapropter illi ſeſe iamque in oſtium Sanctuarii inferebant, niſi Deus exanimaviſſet ipſos, verſ. 2. Ignem alienum, externum, peregrinum, id eſt non divinum, non a Deo miraculoſe immiſſum, non ſumptum ex altari holocauſtorum, non denique ſacrum. Vide cap. IX. verſ. 24. Quod eis praeceptum non erat. Notant quidam, duo iſtos admiſiſſe contra mandatum Dei; quod igne extero uſi ſunt (vide cap. I. verſ. 7.) & quod locum ſacrum ingrediebantur, quod ne ſummo quidem ſacerdoti licebat, niſi certis legibus, certoque tempore. Infra cap. XVI. 2. & ſeqq.

V. 2. Ignis a Domino, id eſt vel e cælo, vel ex propitiatorio ſeu oraculo, vel ex altari holocauſti, quod erat in conſpectu Domini. Devoravit eos. Hebr. *Comedit eos*; id eſt, extinxit, exanimavit, vitam ademit: nam alioqui corpora & veſtes integra manſerunt, verſ. 4. & 5. Et mortui sunt ſubita morte ibidem in conſpectu Domini, in tabernaculo.

V. 3. Hoc est quod locutus est Dominus. Diſquirunt ubi Dominus hoc dixerit. Quidam aiunt non conſtare, neque uſpiam expreſſum, aut ſcriptum haberi: unde colligi multa a Deo iuſſa & dicta Moſi & Hebræis, quæ ſcripta non ſint, ſed verba tantum tradita. Alii, id dixiſſe Dominum Exodi XXIX verſ. 43. de tabernaculo: *Et ſanctificabor in ibi filiis Iſrael, & ſanctificabitur in honore meo*. Alii, quando dixit ad Moſen Exod. XIX. verſ. 22. *Et etiam ſacerdotes accedentes ad Dominum, ſanctificabunt ſeſe, nequando irrumpat eos Dominus*. Nonnulli, ſupra cap. VIII. verſ. 35. *Ut obſervetis obſervationem Domini, ac non moriamini*. Sanctificabor in iis qui appropinquant mihi. Hebr. *in proximis, propinquis meis*, id eſt ſacerdotibus, quibus ſolis licebat in tabernaculum propius ad Deum accedere, & qui ratione ſacræ functionis Deo propinquiores ſunt. *Sanctificabor in iis qui appropinquant mihi, & in conſpectu omnis populi glorificabor*, in mirum exercendo iudicia mea coram populo in peccantes. Quidam ita hunc locum elucidant: Ego omnino volo ut ſacerdotes qui miniſterio ſacrorum meorum funguntur, faciant ſacra iuxta verbum meum, non iuxta humanam ipſorum rationem contra Dei verbum: quod ſi id non fecerint, ſanctificabor in ipſis, declara-

Digitized by Google

rabo manifeſtis ſuppliciis, quibus in ipſos animadvertam, me ſanctum, firmum, & conſtantem eſſe in mandatis meis, quibus iuſſi ſacra mea legitime, & iuxta verbum meum adminiſtrari: ac publice coram toto populo manifeſtabo gloriam ſanctitatis & maieſtatis meæ, quod ne ſacerdotibus quidem parcam, ſi non rite, & ex præſcripto ſacra mea peregerint. Quidam Hebræorum obſervant. Cum Deus ſanctus iudicium exercet in iuſtos, tunc magis timetur, extollitur, & laudatur: nam ſi in illis hoc facit, quanto magis in impiis? Ergo ſanctitas & gloria Domini magis tunc effulget, quando ipſos etiam ſanctos, & ſibi coniunctos punit. TACUIT AARON. Heb. *Siluit, conticuit, quievit*. Quidam exponunt: Id eſt, hortatu Moſis divinæ voluntati acquievit. Alii, *obmutuit*, vel *obmuteſcere factus fuit*: nam eſt verbum paſſivum; hoc eſt, nihil habuit quod iudicio divino opponeret in filiorum excuſationem. Nonnulli, *obſtupuit*, *immobilis factus fuit*, nempe præ mærore. Sic verbum דום *dum* capit Noſter Exodi XV. verſ. 16.

V. 4. OZIEL PATRUI AARON, qui fuit frater Amram, patris Aaronis & Moſis. Exod. VI. verſ. 17. & Numeror. III. verſ. 19.

V. 6. CAPITA VESTRA NOLITE NUDARE. De ſignificatione verbi פרע *paragh* diſſeruimus Exodi cap. XXXII. verſ. 25. Quidam reddunt: *Capita veſtra non reddetis vacua*, *libera*, *otioſa*, *feriata*, a pileo ſcilicet, aut tiaris; non detegetis; id eſt, luctui ne vacate: ſynechdoche: erat enim hoc ſignum commune luctus, ut infra cap. XIII. verſ. 45. Capitis hic denudationem plerique intelligunt a pileo, vel integumento: unde LXX. *Capita veſtra non decidarabitis*; id eſt, non amovebitis cidarim, aut tiaram a capitibus veſtris. Alii a capillis: nam in luctu & mærore capitis capillos radere ſolebant, Iob I. verſ. 20. Ieremiæ VII. verſ. 29. Michææ I. verſ. 16. De recepto antiquitus in luctu tondendi capita more, vide Hadrianum Iunium Comment. de Coma, cap. V. Aliqui, ſecuti Chaldæos Interpretes, hic vacuitatem, libertatem, otioſitatem capitis, accipiunt ceſſationem a raſione, qua capilli creſcunt, & augentur: exponuntque *Capita veſtra ne reddatis vacua*, ſeu *libera* a raſione: vel ut Chaldæus exponit: *Ne augeatis*, ſeu *nutriatis comam*, ſeu *cæſariem capitis veſtri*. Ex verbo: *Capita veſtra non capillizabitis*, vel *comizabitis*, ſeu *cæſariabitis*; id eſt, ne ſinatis creſcere capillos, aut promittatis cæſariem: nam id ſane verbum פרע *paragh* poſſit quoque ſignificare, ex nomine *peragh*, id eſt *coma*, *cæſaries*, *capillitium*, ſic dictum quaſi vacuum & liberum a forcipe, aut novacula, Num. VI. verſ. 5. ut iſtud hic præcipiat Moſes adverſus morem Ægyptiorum, qui in funere, & luctu capillos ſinunt creſcere. Herodotus Lib. II. num. 36. *Deorum ſacerdotes alibi comati ſunt*, *in Ægypto deraſi*. *Apud alios homines more receptum eſt*, *ut in luctu ſtatim capita tondeantur ab iis quos potiſſimum is attingit; at Ægyptii in morte ſuorum ſinunt capitis*, *barbæque capillos creſcere*, *cum alioqui antea tonſi fuerint*. Quem quoque morem Romanis uſurpatum ut in luctu capillos capitis, & barbæ promitterent, nimis eſt pervagatum. De qua re vide Hadrianum Iunium Comment. de Coma, cap. V. Iudæi hodie in luctu triginta diebus abſtinent a raſura, & a lævigatione veſtium. At ſummo ſacerdoti non licebat alere cæſariem, aut rumpere veſtes more lugentium. ET VESTIMENTA NOLITE SCINDERE. Obſervant has duas leges repeti infra cap. XX. 10. & univerſe ſummis ſacerdotibus accomodari, non tantum miniſterii tempore, aut recens unctis, ut hic; ſed toto vitæ curriculo obſervandas. Vide ſupra cap VIII. verſ. 35. NE FORTE MORIAMINI, ET SUPER OMNEM COETUM ORIATUR INDIGNATIO. Hebr. *Et non moriemini*, *& ſuper omnem cœtum ebulliet ira*, nempe Dominus. Quidam negationem præcedentem repetendam exiſtimant: *Et non ſuper omnem cœtum* &c. vel *neque ſuper omnem cœtum* &c. Nam ſæpius in Scriptura antecedentem negationem ſubaudiendam in ſequenti clauſula certum eſt: de quo Scripturæ more egimus plenius Lib. VII. de Antichriſto cap. XXVI. Alii ſimpliciter exponunt: *Ut non moriamini*, *& contra totum hunc cœtum efferveſcat Dominus*. Aliter: *Alioqui in totam congregationem iraſcetur*.

V. 7. OLEUM QUIPPE SANCTAE UNCTIONIS EST SUPER VOS; quaſi ci-

Digitized by Google

dicat: A Deo conſecrati eſtis, recens adhuc eſt oleum in vobis, & in ipſa actione ſacra verſamini. Alii: Ne tamen ceſſaveritis ab officio veſtro, manete in loco ſancto, ibique vacate orationi, ſacrificiis, & iis quæ ſunt muneris veſtri: nam ad hoc miniſterium uncti eſtis unguento ſacro.

V. 9. ET OMNE QUOD INEBRIARE POTEST. Hebr. una tantum eſt dictio שכר *ſchecar*, quam Noſter aliquando *vinum*, aliquando *ebrietatem*, interdum *potionem*, plerumque *ſiceram* convertere ſolet. Ego non dubito ſiceram non eſſe vocem Latinam, aut Græcam, ſed ex Hebræa *ſchecar* deflexam, & conflatam primum a LXX. hic, deinde a Noſtro. S. Hieronymus Epiſt. 11. ad Nepotianum, *Sicera Hebræo ſermone omnis potio nuncupatur quæ inebriare poteſt, ſive illa quæ frumento conficitur, ſive pomorum ſucco, aut cum favi decoquuntur in dulcem, & barbaram potionem, aut palmarum fructus exprimuntur in liquorem, coctiſque frugibus aqua pinguior colatur: quidquid inebriat, & ſtatum mentis evertit.* Recentiores annotant, *ſchecar* Hebræis generaliter dici omnem potum factitium qui inebriat; atque Interpretes parum deflexa voce *ſicera* reddidiſſe, poſſeque verti *inebriativum*, ſeu *temetum*. Tertullianus adverſus Pſychichos cap. IX. ficta, ſed aptiſſima voce *ebriamen* dixit. De factitiis vinis multa Plinius Lib. XIV. cap. XVI. & XVII. & Athenæus variis locis. Fuiſſe variis gentibus uſurpata, innumeri auctores produnt. Oſiridem vinum, ſeu potum ex hordeo reperiſſe, auctor eſt Diodorus Siculus Lib. I. numer. 12. AEgyptios vino uſos ex hordeo facto, Herodotus ſcribit Lib. II. numer. 77. Babylonii vino ex palmis confecto utebantur, apud Herodotum Lib. I. num. 19. Plinius Lib. XIV. cap. XVI. de vino palmatico: *Quo Parti & Indi utuntur, & Oriens totus.* De vino ex forbis Virgilius Lib. III. Georg.

.... Et pocula læti
Fermento, atque acidis imitantur vitea ſorbis.

Videtur autem Deus Sacerdotibus vino vero, & factitio interdixiſſe, quo eo longius ſummoveret a pravis AEgyptiorum, apud quos vixerant, moribus, de quibus Athenæus Lib. I. cap. XXV. *Dion Academicus vinoſos ac bibaces AEgyptios eſſe inquit: ac quoniam ob egeſtatem vino multis carendum eſſet, excogitatum apud illos inopiæ ſolatium, ut vinum ex hordeo confectum biberent, cuius potu adeo læti ſunt, ut canerent, ſaltarent, & quæ ſolent ebrii, facerent omnia. Vinolentos AEgyptios fuiſſe, &c.*

V. 10. ET UT HABEATIS SCIENTIAM DISCERNENDI. Senſum huius, & ſequentis verſus hunc eſſe aiunt, quaſi dicat: Duabus de cauſis interdixi vobis potu, qui perturbat mentem: primum ut recte diſcernere & iudicare poſſitis, & vobis ipſis in adminiſtratione conſtare; deinde ne mente turbata ſecus doceatis populum quam convenit. INTER SANCTUM ET PROFANUM. De quibus generibus iam ante cautum eſt legibus inde a Libro Exodi. INTER POLLUTUM ET MUNDUM. De quibus agetur infra cap. XI. & ſeqq.

V. 13. IN LOCO SANCTO, id eſt in atrio tabernaculi, cap. VI. verſ. 16. QUOD DATUM EST TIBI, ET FILIIS TUIS. Heb. diverſe reddunt. I. *Quia ſtatutum, conſtitutum tuum, & ſtatutum, conſtitutum filiorum tuorum.* II. *Quia ius tuum, & ius filiorum tuorum*; vel *portio tua, & portio filiorum tuorum*; hoc eſt, quia ex iure ſacerdotali hoc ad te & filios tuos pertinet ex iis quæ incenduntur in honorem Domini. Vide cap. *II.* verſ. *3.* & cap. VI. verſ. 16. & 17. III. *Quia demenſum tuum, & demenſum filiorum tuorum.* Vide verſum ſequentem. SICUT PRAECEPTUM EST MIHI, nimirum cap. II. verſ. 3. & cap. VI. verſ. 16. 17.

V. 14. IN LOCO MUNDISSIMO. Exponunt, in caſtris, quia non tantum mares, ſed etiam feminæ ex his comedebant. Ego exiſtimo comediſſe extra atrium tabernaculi, ſed non procul: nam iubebantur comedere coram Domino, id eſt tabernaculo, ſeu arca, Deuteronom. XII. verſ. 7.

V. 16. EXUSTUM REPERIT. Vide annotata ad verſ. I.

V. 17. UT PORTETIS INIQUITATEM MULTITUDINIS, ET ROGETIS PRO EA IN CONSPECTU DOMINI. Quidam Hebræa ita reddunt: *Ut auferatis iniquitatem cœtus, ad expiandum eos in conſpectu Domini*; vel *ad propitiandum, pla-*

candum, reconciliandum, cot Domino. Alii, *ad portandum, ferendum, iniquitatem huius cœtus; expiationem faciendo pro eis coram Iehovah*; id eſt, ut à cœtu eam iniquitatem in vos transferatis, & recipiatis expiandam, ut infra cap. XVI. 21. 22.

V. 18. NON SIT ILLATUM INTRA SANCTA. פנימה *penimah*, proprie *anterius* ſanctuarium. Hebræi vocant *anterius* quod Latini *interius*, quod introrſum pergenti interiora ſint ante, & exteriora retro. Quidam hic reddunt: *Non eſt illatus ſanguis eius ad ſanctum anterius*, id eſt ad ſanctum proximum Sancto ſanctorum, vel quod eſt ante Sanctum ſanctorum. SICUT PRAECEPTUM EST MIHI. Supra cap. VI. verſ. 26.

V. 19. OBLATA EST HODIE VICTIMA PRO PECCATO. Heb. *Ecce hodie obtulerunt peccatorium ſuum, & holocauſtum ſuum coram Domino*, nempe totus cœtus. MIHI AUTEM ACCIDIT QUOD VIDES. Totam hanc poſtremam verſus partem ita ex Heb. exprimunt: *Taliaque mihi acciderunt, etſi comediſſem hoſtiam pro peccato hodie, num hoc benefactum eſſet in oculis Domini?* vel *numquid placuiſſet in oculis Iehovæ?* Ac ſi dicat: Agnoſco quidem ordinationem Dei ſervandam eſſe, & cum lætitia coram Domino edendum de partibus hoſtiæ pro peccato, cuius ſanguis non eſt illatus in tabernaculum teſtimonii. Sed qui potui ego lætari cum talia mihi acciderint, nempe in miſerabili & calamitoſo caſu duorum filiorum meorum? Magnitudine igitur, & neceſſitate doloris compulſus, malui convivium negligere. quam convivium mæſtus inire: quod ſane diſplicuiſſet oculis Domini. Alii: *Acciderunt autem mihi res eiuſmodi: ſi comediſſem peccatum hodie, an bonum videretur in oculis Iehovæ?* Exponuntque, ac ſi dicat: Ego quoque non ſatis attendi ad officium mihi imperatum lege, ſed per imprudentiam peccavi ut filii mei ſuperſtites; eiuſdem negligentiæ, & perturbationis reus ſum: ſi comediſſem hoſtiam pro peccato hodie, gratumne ei foret, ſi ego adhuc in peccato hærens, peccatum populi expiandum in me tranſtuliſſem?

MENOCHII.

Verſ. 1. IGNEM ALIENUM, id eſt non e cælo miſſum. Aliqui id eos feciſſe putant ex temulentia; alii ex inconſideratione, & perturbatione, utpote in miniſterio nondum exercitati; alii quod ad ignem illum de cælo lapſum accedere non auderent. QUOD EIS PRAECEPTUM NON ERAT; id eſt, quod eis vetitum erat. Levit. cap. VI. num. 9.

V. 2. EGRESSUS IGNIS A DOMINO, a tabernaculo, ubi Dominus colebatur. Alii volunt egreſſum ab altari holocauſtorum; alii ab altari thymiamatis. DEVORAVIT EOS, non omnino abſumens, ſed eos inſtar fulminis afflando, & occidendo. Credibile, Deum eos morte præſenti puniviſſe, ut æternam evaderent; & peccatum vel non fuiſſe lethale, vel contritione expiatum antequam animam exhalarent.

V. 3. SANCTIFICABOR IN IIS QUI APPROPINQUANT MIHI; id eſt, me ſanctum oſtendam, & ſanctitatis amantem, dum punio ſanctitatem violantes. APPROPINQUANT MIHI, per ſacrum miniſterium. GLORIFICABOR, apparebo glorioſus.

V. 4. FRATRES, cognatos.

V. 6. CAPITA VESTRA NOLITE NUDARE. LXX. habent: *De capite veſtro cidarim ne deponatis*, in argumentum ſcilicet luctus, & mæroris. Nolebat enim Dominus novos ſacerdotes recentem eorum conſecrationem luctu funeſtare. NE FORTE MORIAMINI. Particula *forte* non eſt dubitantis; & ſententia eſt, Quia certe moriemini. SUPER OMNEM COETUM ORIATUR INDIGNATIO, lugente populo plaga aliqua peccatum pontificis, & ſacerdotum.

V. 7. FORES TABERNACULI, fores ſcilicet atrii tabernaculi. OLEUM QUIPPE SANCTAE UNCTIONIS, &c. quia recens ſancta unctione inaugurati eſtis.

V. 9. OMNE QUOD INEBRIARE POTEST. Hebr. *omnem ſiceram*, omne inebriativum. Sacerdoti ſacris operaturo vinum prohibet & ſiceram, ne forte fiat temulentus, utque oblivionem, ſomnum, pigritiam amoliatur, quæ ex illis facile exiſtunt.

V. 11.

Digitized by Google

V. 11. Per manum Moysi, per Moſen.

V. 12. Tollite sacrificium, farreum, nam in Hebræo eſt *mincha*.

V. 13. De oblationibus. Hebr. *de ignitionibus*, id eſt de victimis igne crematis Domino.

V. 14. Edetis in loco mundissimo, in atrio tabernaculi, iuxta altare holocauſtorum. De hostiis salutaribus, id eſt pacificis, quæ pro ſalute, pace, & proſperitate offeruntur.

V. 15. Elevaverunt coram Domino. Vide dicta Exod. xxix. 24.

V. 16. Hircum qui oblatus fuerat pro peccato, pro peccato populi. Vide dicta cap. ix. num. 15. Exustum reperit: eo quod Aaron & eius filii recenti ſuorum clade perculſi, & mæſti, hircum hunc pro peccato comedere non poſſent, uti debebant per legem latam cap. vi. num. 26. ideoque cenſerent hircum comburendum eſſe, uti & carnes alias Deo oblatas, ipſis reſiduas, Deus comburi iuſſerat, cap. vii. num. 17. Iratus contra Eleazar et Ithamar. Aaron parentem omittit, quia magis eum quam fratres tangebat mors filiorum, videbatque eum mærore abſorptum.

V. 17. Ut portetis iniquitatem, &c. ut ſcilicet cum hoſtiis populi pro peccato, ſimul etiam populi peccata in vos quaſi recipiatis, ut illa expietis, & pro eorum venia Deum deprecemini.

V. 18. Praesertim cum de sanguine illius, &c. Particula *Præſertim* non eſt exceptiva, ſed expoſitiva, & rationalis; & ſenſus eſt: Oportuit comedere hircum pro peccato, neque enim eſt de eo genere hoſtiarum quarum ſanguis infunditur in ſanctuarium, & aſpergitur altare thymiamatis: hæ enim non comedebantur, ſed comburebantur extra caſtra; ſupra cap. vi. 30.

V. 19. Quomodo potui, &c. non potui tanta meorum clade perculſus. Hanc excuſationem ut idoneam admiſit Moſes.

TIRINI.

Verſ. 1. Quod eis praeceptum non erat: liptote; id eſt, quod eis prohibitum erat. Veroſimile tamen eſt, quod Radulphus & Abulenſis aiunt, illos non niſi venialiter peccaſſe, utpote partim lætitia, partim timore ignis cæleſtis perturbatos, nec ſat memores præcepti divini. Et facile erat, neomyſtas in primitiis errare.

V. 3. Sanctificabor in iis qui appropinquant mihi, id eſt in ſacerdotibus qui altari meo & ſanctuario deſerviunt; quaſi dicat: Iuſtum me declarabo, puniendo peccata etiam ſacerdotum, ſcilicet ne populus ſperet me ſibi, ſi peccet, parciturum, dum videt me ne quidem ſacerdotibus peccantibus ignoſcere.

Petes quale fuerit horum ſacerdotum peccatum. Reſpondet Rabbi Salomon, & alii Hebræi, fuiſſe ebrietatem. Et colligunt ex eo quod ſtatim ab hac clade Deus novum illud præceptum ſacerdotibus dederit de abſtinendo a potu vini quamdiu in atrio tabernaculi deſervirent. Sed quidquid de hoc ſit, certum eſt, eos inobedientia peccaſſe, quod thuribulis ſuis non ſacrum ignem ex altari, ſed profanum e culina imponerent, atque in ſanctuarium inferrent, ut eo thymiama in altari incenſi adolerent.

Tropologice ignis profanus eſt amor proprius, igni ſacro ſeu amori divino contrarius, olim puniendus igne vel purgatorio, vel infernali. Ita Radulphus; & inſinuatur I. Corinth. iii. verſ. 13.

Notat Philo *a*, quatuor ob cauſas omnem uſum vini inhibitum fuiſſe ſacerdotibus quamdiu tabernaculo deſervirent: ſcilicet ut effugiant primo pigritiam, ſecundo oblivionem, tertio ſomnium, quarto amentiam; quæ ſolent a vino progigni. Eaſdem ob cauſas vetatur hic illis etiam aliud *omne quod inebriare poteſt*, Hebr. שכר *ſchechar*, Græce *ſicera*: qua voce ſignificatur omnis potio quæ ebrietatem inducere poteſt, teſte ſancto Hieronymo *b*. Unde complectitur omnia illa vini factitii genera, quæ Plinius Lib. IV. cap. xvi. recenſet, ex lota arbore, e palmis, ficis, pyris, & malis, omne genus: item hydromeli ex aqua & melle, vel ex aqua & ſaccaro: item cerevisia noſtra, & omnis ei ſimilis potio, e tritico, hordeo, avena, apud varias nationes etiam olim uſurpata, teſte Plinio, & aliis ab Hadriano Iunio, Dalechampio, & Antonio Balinghem *c* citatis. Ergo ſacerdotibus iſtis

Digitized by Google

ſtis quamdiu in templo deſervirent (quod poſterioribus temporibus, ob ingentem illorum multitudinem, admodum rarum fuit) utendum erat ſi non pura aqua, certe non alio mixta ſucco quam qui ebrietati inducendæ par non eſſet. Simile quid etiam dæmon, ſimius in ſacris, a ſuis Ethnicorum ſacerdotibus aliquando exegit. Nam ex præſcripto Amphiarai vatis, ſacerdotes qui clara reſponſa accipere & reddere vellent, integrum diem a cibo, a vino autem triduum abſtinere iubebantur, teſte Volaterrano. Iovis ſacerdoti apud Romanos ne ſub vitem quidem venire fas erat, inquit Plutarchus. AEgyptiis vero ſacerdotibus vino, uti & carnibus, perpetuo abſtinendum fuiſſe teſtes ſunt Chæremon Stoicus, & S. Hieron. *d* Quanta ergo ſobrietatis cura eſſe debet Chriſtianis ſacerdotibus, qui tam tremenda tractant myſteria?

V. 6. Capita vestra nolite nudare, puta cidarim, ſeu tiaram detrahendo, ut habent Septuaginta, & Philo *e*; vel etiam capillos more Gentilium abradendo, luctus teſtandi cauſa. Quod non ſolis ſacerdotibus, ſed & laicis promiſcue vetitum erat in funere, Deuteron. xiv. verſ. 1. Idque, ne more Ethnicorum immoderatum animi affectum hoc ſigno proderent, parum convenientem iis qui crederent futuram aliquando reſurrectionem. Sed eam legem Iudæos non ſemper obſervaſſe colligimus ex Ieremiæ xvi. verſ. 6. ubi prædicitur, tantam fore morientium turbam, ut ſuperſtitibus etſi moribus Gentilium aſſuetis, non libeat toties ſe incidere aut caput decalvare. Extra tempus funerum non fuit capitis abraſio laicis prohibita; ſed neque ſacerdotibus, cum non miniſtrarent in templo. Semper tamen excipio Nazaræos; quamquam & hi quoque completo Nazaræatus tempore capillos abradebant. Et vestimenta nolite scindere. Id ſummo ſacerdoti in funeribus vetitum fuit Levit. xxi. verſ. 10. quia ſciſſio illa impotentiam quamdam animi demonſtrat, quæ pontificem minime decet: aliis ſacerdotibus id nuſquam prohibitum legimus. Ergo hoc ſolo caſu proſtratorum miſere fratrum Moyſes id hic peculiariter vetat filiis Aaronis, tum propter recentem illorum conſecrationem, ut dicit verſ. ſequenti; tum propter paucitatem illorum, quod ſi tum ſimili cæremonia funebri contaminari contigiſſet, nulli alii fuiſſent qui ſacrificia peragere, aut victimas ſacras abſumere potuiſſent. Eadem de cauſa vetat hic iiſdem Moyſes, egredi atrio ſancto, ſcilicet ad planctum fratrum ſuorum, & funus peragendum: nam etiam funeris deductio & parentatio afferebat immunditiam legalem. Ita Ioſephus *f*.

(*a*) Philo Lib. II. de Monarchia.
(*b*) Hieronym. Epiſt. ad Nepotianum, & in Iſaiæ xxviii.
(*c*) Plinio Lib. XIV. ult. Iunius Animad. Lib. II. cap. xii. Dalechamp. annot. in Lib. XXII. Plinii cap. ult. Balinghem in Pomeridianis colloquiis. Volaterr. Lib. XIII. cap. iv.
(*d*) Cheremon apud S. Hieronym. Lib. II. adv. Iovinianum.
(*e*) Philo ubi ſup.
(*f*) Ioſephus Lib. II. Antiq. apud Euſeb. Lib. VIII. de Præpar. Evang. cap. ii.

GORDONI.

Verſ. 1. Posuerunt ignem. Erat in atrio tabernaculi ignis duplex: nempe ſacer ad thymiamata, & ſacrificia; & alter profanus, ad coquendas carnes hoſtiarum; & hic vocatur alienus a ſacris. Desuper. In Heb. *ſuper ea*: certe quia אש, *ignis*, eſt communis generis.

V. 3. Sanctificabor, &c. hoc eſt, oſtendam me ſanctum, & timendum, etiam in ſacerdotibus qui ſtant coram me. Tacuit vero Aaron, ſcilicet in hoc ſpectaculo, timens Deum, & conformans ſe eius voluntati.

V. 5. Vestitos lineis tunicis. Sepulti ſunt veſtibus quas geſtabant.

V. 6. Prohibet ſigna luctus, nudare caput, & deponere cidarim, ſeu tiaram: a voce κίδαρις. Septuaginta formant verbum novatum Græcum. Vide textum. Ceterum in gravi calamitate erat in uſu ſciſſio veſtimentorum, Ioſue vii. verſ. 6. Immo & raſio capitis prohibebatur ſacerdotibus in funeribus, ut hic infra cap. xxi. verſ. 5. & Ezech. xliv. verſ. 20. Et quidem ſciſſio veſtimenti prohibita ſpeciatim erat ſummis ſacerdotibus ob funera, ut hic infra cap. xxi. verſ. 10. non tamen legimus hanc ſciſſionem fuiſſe prohibitam aliis ſacerdotibus.

V. 9. Etiam a ſicera abſtinebant tunc ſacer-

Digitized by Google

ſacerdotes quo tempore miniſtrabant, immo & ab uxoribus: ex Hieronymo Lib. I. adverſus Iovinianum. Septuag. habent *σικέραν*, Hebr. שכר *wechar*: rad. שכר *inebriare*: unde aliqui volunt ſiceram denotare omnem potum qui poteſt inebriare.

V. 12. 13. & 14. Iam de his quæ comedere debent ſacerdotes ex reliquiis ſacrificii, mincha videtur intelligi. Addit verſ. 13. IN LOCO SANCTO, hoc eſt in atrio ſancto. At quid eſt illud verſ. 14. IN LOCO MUNDISSIMO? Certe tantum intelligit locum aliquem mundum: nam in Hebræo non eſt hoc loco כדוש *kadow*: ergo in loco non polluto.

V. 15. ELEVAVERUNT: elevando obtulerunt per ſacerdotem.

V. 18. COMEDERE DEBUERITIS. Hoc imperium habet, ut deinceps ſic fiat.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 2. DEVORAVIT: velut fulminis afflatu occidit.

V. 4. FRATRES, cognatos.

V. 16. Vide cap. VI. verſ. 26. Debebant enim comedere hircum pro peccato; ſed clade attoniti non potuerunt: & ideo iudicant hircum comburendum.

CAPUT XI.

Animalium mundorum ab immundis ſeparatio, eorumque uſus, ut ſancti ſint filii Iſrael ſicut & Dominus.

1 LOcutuſque eſt Dominus ad Moyſen & Aaron, dicens: 2.
* Dicite filiis Iſrael: (*a*) Hæc ſunt animalia quæ comede-
re debetis de cunctis animantibus terræ. 3. Omne quod
habet diviſam ungulam, & ruminat in pecoribus, comede-
tis. 4. Quidquid autem ruminat quidem, & habet ungu-
lam, ſed non dividit eam, ſicut camelus & cetera, non
comedetis illud, & inter immunda reputabitis, 5. Chœro-
gryllus qui ruminat, ungulamque non dividi, immundus
eſt. 6. Lepus quoque: nam & ipſe ruminat, ſed ungulam non dividit. 7. Et (*b*)
ſus: qui cum ungulam dividat, non ruminat. 8. Horum carnibus non veſcemini,
nec cadavera contingetis, quia immunda ſunt vobis. 9. Hæc ſunt quæ gignun-
tur in aquis, & veſci licitum eſt. Omne quod habet pinnulas & ſquamas, tam
in mari quam in fluminibus & ſtagnis, comedetis. 10. Quidquid autem pinnulas
& ſquamas non habet eorum quæ in aquis moventur & vivunt, abominabile
vobis, 11. execrandumque erit, carnes eorum non comedetis, & morticina vi-
tabitis. 12. Cuncta quæ non habent pinnulas & ſquamas in aquis, polluta e-
runt. 13. Hæc ſunt quæ de avibus comedere non debetis, & vitanda ſunt vo-
bis: Aquilam, & gryphem, & haliæetum, 14. & milvum ac vulturem iuxta
genus ſuum, 15. & omne corvini generis in ſimilitudinem ſuam, 16. ſtru-
thionem, & noctuam, & larum, & accipitrem iuxta genus ſuum: 17. bubo-
nem, mergulum, & ibin, 18. & cygnum, & onocrotalum, & porphyrionem,
19. herodionem & charadrion iuxta genus ſuum, upupam quoque, & veſperti-
lionem. 20. Omne de volucribus quod graditur ſuper quatuor pedes, abomina-
bile erit vobis. 21. Quidquid autem ambulat quidem ſuper quatuor pedes, ſed
habet longiora retro crura, per quæ ſalit ſuper terram, 22. comedere debetis,

ut

ut eſt bruchus in genere ſuo, & attacus atque ophiomachus, ac locuſta, ſingula iuxta genus ſuum. 23. Quidquid autem ex volucribus quatuor tantum habet pedes, execrabile erit vobis: 24. & quicumque morticina eorum tetigerit, polluetur, & erit immundus uſque ad veſperum: 25. & ſi neceſſe fuerit ut portet quidpiam horum mortuum, lavabit veſtimenta ſua, & immundus erit uſque ad occaſum ſolis. 26. Omne animal quod habet quidem ungulam, ſed non dividit eam, nec ruminat, immundum erit: * & qui tetigerit illud, contaminabitur. 27. Quod ambulat ſuper manus, ex cunctis animantibus quæ incedunt quadrupedia, immundum erit: qui tetigerit morticina eorum, polluetur uſque ad veſperum. 28. Et qui portaverit huiuſcemodi cadavera, lavabit veſtimenta ſua, & immundus erit uſque ad veſperum: quia omnia hæc immunda ſunt vobis. 29. Hæc quoque inter polluta reputabuntur de his quæ moventur in terra, muſtela & & mus & crocodilus, ſingula iuxta genus ſuum, 30. mygale, & chamæleon, & ſtellio, & lacerta, & talpa: 31. omnia hæc immunda ſunt. Qui tetigerit morticina eorum, immundus erit uſque ad veſperum: 32. & ſuper quod ceciderit quidquam de morticinis eorum, polluetur tam vas ligneum & veſtimentum, quam pelles & cilicia: & in quocumque fit opus, tingentur aqua, & polluta erunt uſque ad veſperum, & ſic poſtea mundabuntur. 33. Vas autem fictile, in quod horum quidquam intro ceciderit, polluetur, & idcirco frangendum eſt. 34. Omnis cibus, quem comedetis, ſi fuſa fuerit ſuper eum aqua, immundus erit: & omne liquens quod bibitur de univerſo vaſe, immundum erit. 35. Et quidquid de morticinis huiuſcemodi ceciderit ſuper illud, immundum erit: ſive clibani, ſivè chytropodes, deſtruentur, & immundi erunt. 36. Fontes vero & ciſternæ, & omnis aquarum congregatio munda erit. Qui morticinum eorum tetigerit, polluetur. 37. Si ceciderit ſuper ſementem, non polluet eam. 38. Si autem quiſpiam aqua ſementem perfuderit, & poſtea morticinis tacta fuerit, illico polluetur. 39. Si mortuum fuerit animal, quod licet vobis comedere, qui cadaver eius tetigerit, immundus erit uſque ad veſperum: 40. & qui comederit ex eo quidpiam, ſive portaverit, lavabit veſtimenta ſua, & immundus erit uſque ad veſperum. 41. Omne quod reptat ſuper terram, abominabile erit, nec aſſumetur in cibum. 42. Quidquid ſuper pectus quadrupes graditur, & multos habet pedes, ſive per humum trahitur, non comedetis, quia abominabile eſt. 43. Nolite contaminare animas veſtras, nec tangatis quidquam eorum, ne immundi ſitis. 44. Ego enim ſum Dominus Deus veſter: (c) ſancti eſtote, quia ego ſanctus ſum. Ne polluatis animas veſtras in omni reptili quod movetur ſuper terram. 45. Ego enim ſum Dominus, qui eduxi vos de Terra AEgypti, ut eſſem vobis in Deum. Sancti eritis, quia ego ſanctus ſum. 46. Iſta eſt lex animantium ac volucrum, & omnis animæ viventis, quæ movetur in aqua, & reptat in terra, 47. ut differentias noveritis mundi & immundi, & ſciatis quid comedere & quid reſpuere debeatis.

(a) Deut. xiv. 3. (b) II. Mach. vi. 18. (c) I. Petr. 1. 15.

BRU-

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 2. *Dicite filiis Iſrael*. Quod ſequitur in quibuſdam exemplaribus, *Cuſtodite omnia quæ ſcripſi vobis, ut ſim Deus veſter*, ſuperfluit.

V. 26. *Et qui tetigerit illud, contaminabitur*. Pro maſculino *qui*, minus recte ſcribitur a libris quibuſdam neutrum *quidquid*.

COMMENTARIA

SA.

Verſ. 3. PECORIBUS. Hebr. Chald. & LXX. *animalibus*.

V. 5. CHOEROGRYLLUS. Alii, *cuniculus*.

V. 11. HALIAEETUM, id eſt marinam aquilam: ἁλίευω, *piſcor*, ἀετὸς, *aquila*.

V. 21. QUIDQUID AUTEM, ſcilicet reliquum.

V. 22. ATTACUS. Alii, *ſcarabæus*. OPHIOMACHUS, locuſtæ genus, ſerpentibus (ut nomen indicat) inimicum.

V. 25. PORTET, ſcilicet extra caſtra.

V. 26. ILLUD, ſcilicet cadavera illorum. Vide paulo poſt.

V. 27. SUPER MANUS, ſcilicet ut lupus, ſimia, urſus, canis, &c.

V. 28. IMMUNDUS ERIT: ſcilicet non poterit verſari cum aliis, nec ingredi atrium, nec oblatis veſci.

V. 32. CILICIA, id eſt ſacci. IN QUOCUMQUE FIT OPUS; quaſi dicat, quodcumque vas, ſeu inſtrumentum.

V. 33. POLLUETUR, ſcilicet *& vas, & quod intus eſt*, ut eſt Hebr.

V. 34. AQUA, ſcilicet polluta, ſeu quæ in vaſe polluto. LIQUENS, ſcilicet contactum illa aqua, aut morticino; aut quod eſt in vaſe immundo. Hebr. Chald. & LXX. *potus*.

V. 35. ET QUIDQUID .... SUPER ILLUD, pro omne ſuper quod. CHYTROPODES, id eſt ollarum ſuſtentacula.

V. 36. EORUM, ſcilicet quæ dicta ſunt; vel quaſi dicat, in ciſternis illis, aut fontibus mortuum animal.

V. 42. GRADITUR. De reptilibus loquitur. SIVE PER HUMUM TRAHITUR; quaſi dicat, omne denique reptile.

ESTII.

Verſ. 2. HAEC SUNT ANIMALIA QUAE COMEDERE DEBETIS; id eſt, licite poteſtis. Nempe ſic concluditur hoc caput: *Ut differentias noveritis mundi & immundi, & ſciatis quid comedere & reſpuere debeatis*. Verum cum dicat Apoſtolus ad Titum I. *Omnia munda mundis*, & I. ad Timoth. IV. *Omnis creatura Dei bona eſt, & nihil reiiciendum quod cum gratiarum actione percipitur*; & Geneſis primo: *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona*; merito quæritur quomodo hic quædam dicantur immunda, & ideo comedi prohibeantur? Pro reſponſione, primum quidem certa fide tenendum eſt, in creaturis Dei nihil eſſe ſua natura immundum, aut malum, aut abominabile, ſed omnem creaturam Dei bonam eſſe, & mundam. *Unde artifici Deo*, inquit Auguſtinus in Pſal. CXLI. *tam mundus eſt porcus quam agnus*. Immunda tamen quædam animalia dicuntur, partim propter uſum corporalem, partim propter ſignificationem ſpiritualem. Priori modo immunda ſunt quæcumque in cibum ſumpta nocumentum adferunt, ut in primis venenata, deinde & ea quæ qualitate aliqua immoderata, ut humiditate, viſcoſitate, calore nimio, aut frigore noxia ſunt; ſed hæc immunditia potius eſt medicæ conſiderationis quam theologicæ. Itaque poſteriori modo ea dicuntur munda, quibus munditia, id eſt bona animi qualitas ſignificatur; ea immunda, quibus ſignificatur vitioſa aliqua animi affectio. Hoc modo porcus immundus, quia immunditiam luxuriæ ſignificat; camelus, quia ſuperbiam: e contra vero bos mundus eſt, quia manſuetudinem ſignificat; agnus, quia innocentiam; & ita de aliis.

At-

Digitized by Google

Atque hæc eſt legalis diſtinctio mundorum & immundorum, de qua hoc loco & alibi.

V. 3. OMNE QUOD HABET DIVISAM UNGULAM, ET RUMINAT IN PECORIBUS, COMEDETIS. Ad munditiam in quadrupedibus duo requirunt; dividere ungulam, & ruminare. Qui hanc munditiam etiam ad uſum corporalem pertinere putant, dicunt fiſſionem ungulæ indicium eſſe, quod carnes talium animalium non abundent nimio, & viſcoſo humore; ruminationem autem ſignum eſſe, quod in iis alimentum bene digeratur, ac proinde bonum ſuccum, & nutrimentum comedentibus præſtet. Quod autem ad ſpiritualem ſignificationem attinet, diviſione ungulæ ſignificatur diſcretio boni & mali; per ruminationem vero applicatio boni cogniti ad operationem. Atque hæc duo ita requiruntur ad munditiam, id eſt ad bonitatem cuiuſcumque operis, ut ſeparari non poſſint. Nam neque diſcretio valet ſine operatione, nec opus aliquod bonum eſſe poteſt ſine diſcretione: quin & Auguſtinus ſcribens in Pſalmum XLVI. dicit, per ruminationem ſignificari iteratam cogitationem, ſeu meditationem eius quod auditum eſt.

V. 25. LAVABIT VESTIMENTA SUA, ET IMMUNDUS ERIT USQUE AD OCCASUM SOLIS. Quin & poſtea dicitur de vaſis, & veſtimentis, quod tingentur aqua, & nihilominus polluta erunt uſque ad veſperam. Significatur ergo, ut videtur, quod lotio illa, ſive veſtimentis, aut vaſis, ſive ipſi homini adhibita, non hoc præſtabat, ut ſtatim vel illa munda eſſent, vel homo mundus (ne quidem legaliter) ita ut ipſe homo, aut cum talibus veſtimentis quiſpiam ſe poſſit miſcere ſacris; ſed ut illa munditia reputaretur tantum a veſpere, id eſt ab initio ſequentis diei: ſic ut illa lotio eſſet tantum quædam præparatio ſanctificationis in diem ſequentem; ſicuti iam ad maiora feſta nos præparamus pridie per ieiunia, atque olim etiam per vigilias ſacras.

MARIANAE.

Verſ. 5. CHOEROGRYLLUS. Porcini generis eſt, ut nomen ſonat, aut herinaceus, aut hiſtrix. Lilius Girald. in Hercule. Pſalm. CIII. verſ. 18. *Petra refugium herinaceis*: eſt ibi eadem vox quæ hic. Sed vocem שפן *ſaphan*, quæ hic eſt, Hebræi *cuniculum* putant: ſic Pagninus vertit; ſic Sept. An cuniculus eſt immundus? Et quomodo non dividit ungulam, ut hic dicitur.

V. 6. LEPUS. ארנבת *arnebeth* omnes vertunt *leporem*; ſed femininam terminationem habet, quod ſexum non diſtinguat: feminæ pro maribus, unde illud, *Tute lepus es*.

V. 13. GRYPHEM. פרס *peres*, ait Hebræus, eſt avis magna habitans in deſerto. Quidam accipitrem putant. ET HALIAEETUM. Hæc eſt *aquila marina*, ut vox *haliæetus* Græce indicat. Hebraice עזניה *hoziniah*, a robore dicta eſt.

V. 14. MILVUM. הדאה *haddaah*, a magno volatu: *daah*, *volare* eſt. VULTUREM. איה *aiah*, Hebræus ait lingua vulgari vocari *gazam*, forte *garza*, quæ Latine *ardea*.

V. 16. STRUTIONEM. בת יענה *bath iahanah*, *filia ſtrutionis*. Hoc dici putat Hebræus, quod pulli huius avis teneri ſint, & comedantur, & magis feminæ: ſi adoleſcant, duri fiunt. NOCTUAM. Vocem תחמס *thahmas* magis credunt *accipitrem* ſignificare, quia aves alias rapit: id enim indicat etymon, avem eſſe rapacem. ET LARUM. Fulica etiam dicitur avis marina nigra, columba paulo maior, quæ rapaciſſima eſt. Hebræi, quoniam שחף *ſahaph* ſignificat morbum quemdam, tumorem aut phthiſim, putant ei morbo avem eam eſſe obnoxiam; verum quæ ea ſit, non explicant.

V. ONOCROTALUM. Quidam *pellicanum*: ſic hoc loco ab Hieron. vocari putat in Phyſiologum Epiph. pag. 32. ſane Sept. pro *onocrotalo pellicanum* poſuerunt. PORPHYRIONEM. Hebr. רחם *raham* a verbo, quod *amare* & *miſereri* ſignificat. *Porphyrion*, Hiſpanice *calamon*, ſic herum amare dicitur, ut uxoris adulterium ſua morte indicet. Mira de eo Athenæus Lib. IX. cap. XII. ex Polemonis ſententia. Cæruleo colore eſt, roſtro & capite rubro. Hebræi plerique, & ex iis alii *raham*, *pellicanum* eſſe malunt, ſic a miſericordia dictum, qua pullos ſuos mortuos ſuo ſanguine ad vitam revocare creditur.

V. 19.

V. 19. HERODIONEM. Quidam putant hanc eſſe *ardeam*, *garza*. Verum vox Hebr. החסידה *haſiadah*, id eſt *miſericors*, magis convenit ciconiæ propter benignitatem qua in ſenes parentes utitur. Unde Græce ἀντιπελαργεῖν, ab eo affectu dicitur benefaciendi benefactori. Ierem. VIII. verſ. 7. ponitur eadem vox, pro qua ibi Hieronymus *milvum* vertit. CHARADRION. Hanc ſcribunt, ſi videatur ab ictericis, & aſpiciat eos, transferre in ſe morbum, & in aera diſpergere. Plutarch. V. Sympoſ. cap. VII. id rupici tribuit: alii galgulo, ſeu motacillæ. Quæ aves hæ? Calandria noſtra alia eſt, ſic dicta a καλῶς ᾄδειν, e coturnicum genere, quas ſolas inter aves morbum comitialem pati Plinius ait Lib. X. cap. XIII. quod calandriæ plane accidit. An hic eſt κόσυφος Lib. I. epigram. Græc. capit. LX. an potius *coſſyphus*, *merula* eſt. UPUPAM. Hebr. *duchiphath*. Hebræi fere gallum ſilveſtrem putant. Sept. *upupam* dixere, tum Chaldæi Interpres Latinus.

V. 22. LOCUSTA inter munda ponitur. Ea Ioannes Baptiſta veſcitur Matth. III. verſ. 4. Quid vero ATTACUS ſit, quid MYCALE verſ. 30. præter alia multa avium & quadrupedum nomina prorſus ignota.

MALVENDAE.

Verſ. 3. OMNE QUOD HABET DIVISAM UNGULAM. Hebraica addunt: *Omne dividens ungulam, & findens fiſſura ungulas*, vel *fiſſura ungularum*. Aliqui Hebræorum diſtinguunt hic inter מפרסת פרסה *maphreſeth pharſah, dividens ungulam*: & שושעת שסע פרסות *ſchoſchaghath ſcheſagh pheraſoth, fidens fiſſuram ungularum*: quod prius ſit ungulam ſuperne tantum diviſam habere, inferne vero connexam & continuam, ut ſatis exprimitur inferius verſ. 26. cuius generis ſunt camelus, urſus, canis, felis, & ſimilia: poſterius vero ſignificet ungulam ſuperne & inferne ſciſſam habere; cuiuſmodi ſunt oves, capræ, boves, vaccæ, vituli, & id genus alia; quorum ungulam, geminam, biffidam, biſulcam, appellare poſſis. At verbum פרס *pharas*, paulo inferius verſ. 4. 5. & 6. de plena fiſſura ungularum ſuperne & inferne dicitur: ergo quod hic dicitur, *Omne dividens ungulam, & findens fiſſuram ungularum*, complexim accipiunt; id eſt, omne animal quod ita dividit ungulam ut penitus ſuperne & inferne diffiſſam habeat, ſeu biffidam, aut biſulcam; voluntque illud *& findens fiſſuram ungularum*, exegeſin eſſe proxime antecedens membri, & ad maiorem declarationem adiectum. Iam varie reddunt. I. *Quidquid ex iumentis ungulam ſeparat, & ungulas fiſſura findit*. II. *Quidquid habent ungulam ſciſſam, & biffidatum eſt fiſſura ungularum*. III. *Omne unguli-ſecans, vel ungulificans ungulam, & findens fiſſuram ungularum*. ET RUMINAT. Hebr. varie convertunt. I. *Aſcendere faciens trahendam*, ſeu *rumen*. II. *Subvehens ruminationem*; id eſt, ex rumine, ſeu ventriculo attrahens cibum in os. III. *Revocans, educens ſurſum ruminis cibum*. גרה *gherah*, aiunt eſſe pabulum præmanſum, quod animal ex œſophago, ſeu rumine, aut ventriculo attrahit in os, & denuo ruminat, id eſt remandit ac remaſticat: *trahendam*, *rumen*, *ruminationem*, *provocationem*, ſeu *attractionem* cibi ex œſophago, ſeu ventriculo ad os, interpretantur.

V. 4. QUIDQUID AUTEM RUMINAT, ET HABET UNGULAM, SED NON DIVIDIT EAM, SICUT CAMELUS ET CETERA. Hebr. *Verumtamen iſtud non comedetis, de aſcendere facientibus ruminationem, & de dividentibus ungulam*. Quidam utrique membro ſubaudiunt adverbium *tantum*, vel *ſolum*: *de aſcendere facientibus ruminationem tantum*, ſeu *ſolum*; *& de dividentibus ungulam tantum*, vel *ſolum*; quaſi dicat, ex animalibus quæ tantum ruminant, aut ungulam tantum dividant. Volunt enim hic attendi quatuor genera animalium: nam alia ruminant tantum; alia dividunt ungulam tantum; alia, neque ruminant, neque ungulam biſculcam habent; alia ruminant, & ungulam biſulcam habent. Atque animalia poſtremi huius generis munda eſſe, reliqua impura. Quaſi dicat: Animalia quibus hæc duo ſimul inſunt, biffidati pedes, & ruminatio, legitime comedentur.

V. 5. CHOEROGRYLLUS. שפן *ſchaphan*, aiunt eſſe parvum animalculum, quod alii *lepuſculum*, alii *cuniculum* vocant: dictum volunt a צפן *tzaphan*, vel ספן *ſaphan* cum Samech, id eſt *abſconde-*

ke, quod in petris ſeu cuniculis recondat ſe. Quater tantum legitur hæc vox in Scriptura, & Noſter diverſimode expoſuit: Pſalm. CIII. 18. *herinaceos*; Prov. XXX. 26. *lepuſculum*; hic & Deut. XIV. 7. *chœrogryllum*. Quidam annotant, chœrogryllum eſſe *herinaceum*, ſeu *hericium*; alii *echinum terreſtrem*, alii *hiſtricem*, ſeu *porcum ſpinoſum*: vulgo *puerco eſpin*. S. Hieronymus epiſt. CXXXV. ad Suniam & Fretellam: *In eodem Pſalmo* CIII. *Petra refugium herinaceis: pro quo in Hebræo poſitum eſt ſchephanim: & omnes chœrogryllos voce ſimili tranſtulerunt. Soli* LXX. *lepores interpretati ſunt* τοῖς λαγωοῖς, *id eſt petra refugium leporibus. Sciendum eſt autem animal eſſe non maius hericio, habens ſimilitudinem muris & urſi; unde & in Palæſtina* ἀρκτομῦς, *id eſt urſomus dicitur, & magna eſt in iſtis regionibus huius generis abundantia; ſemperque in cavernis petrarum, & terræ foveis habitare conſueverunt*. Plerique *cuniculum* reddunt; nonnulli *murem montanum*.

V. 6. LEPUS. ארנבת *arnebeth*. Quidam ſuſpicantur vocem eſſe peregrinam; aut deduci a verbo ארב *arab*, *inſidiari*, inſerta per epenthes in littera Nun, quod nimirum hoc animal obnoxium ſit inſidiis hominum, & propterea lateat. Plinius Lib. II. cap. LV. *Lepus omnium prædæ naſcens*. Obſervant femineam ei vocem tribui, quod in mare ſignum ſexus non appareat, ac mares ſint tamquam feminæ. Aptior eſt ratio ex Plinio ibidem: *Archelaus auctor eſt, utramque vim ſingulis ineſſe, ac ſine mare æque gignere*. Vide Pierium Lib. XIII. Hieroglyphicorum.

V. 9. OMNE QUOD HABET PINNULAS ET SQUAMAS. Coniunctim intelligunt, ut ſupra, de ungula, & ruminatione, verſ. 4.

V. 10. QUIDQUID AUTEM PINNULAS ET SQUAMAS NON HABET; id eſt, quidquid deſtituitur alterutro, vel utroque. Sic verſ. 12. EORUM QUAE IN AQUIS MOVENTUR ET VIVUNT. Hebr. *De omni reptili aquarum, & de omni anima vivente, quæ in aquis*. Quidam *reptile* intelligunt parvos piſces, qui gignuntur in aquis; per *animam viventem*, maiores piſces, qui procreantur ex commixtione maris & feminæ. Alii per *reptile* univerſe piſces; per *animam viventem*, *quæ in aquis*, generaliter omnes aquatilium ſpecies, quæ multæ ſunt, ut teſtaceæ, cartilagineæ, pedibus præditæ, &c.

V. 13. AQUILAM. נשר *neſcher*: ſic dictam volunt, vel a שור *ſchor*, *recta intendere*, quod recto intuitu ſolem aſpiciat, ut de ea Plinius teſtatur Lib. X. cap. III. & Ælianus Lib. II. cap. XXVI. vel a ישר *iaſchar*, *rectificare*, quod volatum recta in prædam dirigat. GRYPHEM פרס *peres*, plerique *accipitrem* interpretantur, aut *ſpeciem aquilæ*, a fiſſis ungulis dictam. Quidam, genus quoddam aquilæ, quod roſtrum & ungues habeat maximos, & aduncíſſimos; ſitque inter cetera fortiſſimum, & rapaciſſimum. Nonnulli eam aquilæ ſpeciem quam *oſſifragam* vocant: quod פרס *paras* ſit *rumpere*, *diſcindere*; de qua Plinius Lib. X. cap. III. Quidam notant habere nomen a diſtribuendo, quod huic animanti ſic tribuit Plinius: *Eiectos ab aquilis, cognatum genus oſſifragæ excipiunt, & educant cum ſuis*. LXX. & Noſter, *gryphem*. Sed non puto intellexiſſe eos gryphes illos Indicos, aut hyperboreos auctoribus celebratos; ſed genus aliquod aquilarum cum primis unguibus aduncis, & rapax. Haud abſurdum erit ſuſpicari eam eſſe avem, quam vulgo vocant *gryfalcum*, ſeu *gryfalte*, compoſita voce e duabus, altera priſca & fabuloſa, altera recentioris uſus, quaſi *gryphen falconem*, vel *gryphifalconem*, e accipitrum genere omnium generoſiſſimam. De gryphibus annotavimus pluſcula in Antichriſto Lib. IV. XXX. Hiſpanicus Interpres *peres* vertit *acor*. HALIAEETUM. עזניה *ghazeniah*, a firmitate, & robore nomen habere non eſt dubium. LXX. & Noſter, & plerique *haliæetum* reddunt, id eſt *marinam*, vel *piſcariam aquilam*. Plinius Lib. X. cap. III. *Haliæetos, clariſſima oculorum acie, librans ex alto ſeſe; viſoque in mari piſce, præceps in eum ruens, & diſcuſſis pectore aquis rapiens*: ex Ariſtotele Lib. IX. Hiſtoriæ animalium cap. XXXII. alias XLI. Quidam Hebraice dictam annotant a firmitate: nam hæc avis adeo firma eſt oculorum, ut intueatur adverſus ſolem; ut ibidem Plinius affirmat. Hebræi a forti volatu appellatam volunt. Nec deſunt qui *vulturem* hic reddant. Ego putarem *ghazeniah* eſſe *valeriam* Plinii, a virium fortaſſe valentia ſic vocatam, de qua hæc

Pli-

Plinius: *Melænætos a Græcis dicta, eademque valeria, minima magnitudine, viribus præcipua, colore nigricans*, &c. ubi ſup. vide Ariſtotelem ibidem. Putant eſſe aquilam leporariam, & quam Hiſpani, & Galli *Sacre* vocant. Hiſpanicus Interpres vertit *Eſmereion*.

V. 14. Milvum. דאה *daah*, aiunt eſſe ſpeciem aquilarum quam *vulturem* vocant, a pernicitate & contentione volatus, quo alias aves antecedit: pro qua Deut. xiv. 13. ſcriptum ſit ראה *raah*, a viſus excellentia, vel quod viſum volatus celeritate æquet: unde quidam *falconem* eſſe volunt. De qua voce ibi dicemus. Aliqui *daah*, *aquilam volaticam* exponunt: LXX. *vulturem*. Forſan eſt illa ſpecies aquilarum de qua Plinius Lib. X. cap. iii. *Quarti generis eſt percnopterus, eadem Oripelargos, vulturina ſpecie*, &c. Accepit ab Ariſtotele Lib. IX. Hiſtoriæ Animalium cap. xxxii. alias xli. Nonnulli *vultur-aquilam* appellant. Vulturem. איה *aiiah*, volunt eſſe *avium ſpeciem, ab incertitudine volatus, & ubi locorum volitet, & habitet, & quod quaſi natare videatur, appellationem habentem*: nimirum ſic dictam ab אי *ii*, inſula. Quidam *aiiah*, inſularem, aut alias certe cuiuſdam regionis incolam avem dici poſſe exiſtimant, qualis eſt *falco*, *aſtur*, *neblius*, & id genus aliæ aves. Alii *milvum* exponunt: alii *accipitrem*: nonnulli ſecuti quoſdam Hebræorum, *picam*, cui ſane recte convenit volatus incertus. Et in hoc genere comprehendi volunt *cornicem*, Iob xxviii. 7. qui huic avi præſtantiſſimam oculorum aciem proverbiali forma tribuit, ut Latini cornicum oculos celebrarunt: unde, *cornicum oculos configere*. Noſter hanc vocem, quæ ter tantum occurrit in Scriptura, hic, Deuteron. xiv. 13. Iob viii. 2. ſemper *vulturem* eſt interpretatus. Neque alienum erit coniectari, eſſe *accipitrem tinnunculum*, vel *cenchrin*, Hiſpanice *cernicalo*, *aiiah*, dictum Hebraice ab inſula: quo facit locus AEliani Lib. II. de Hiſt. Animalium cap. xlv. de accipitribus tinnunculis: *Ineunte vere AEgyptii accipitres deligunt ex omnibus ablegandos ad ſpeculandas inſulas quaſdam deſertas, quæ Libiæ adiacent. Ii autem ubi reverterint, præeuntes eo alios deducunt. Cum ad eas inſulas pervenerint, quas illi duo ſpeculati commodiores præ ceteris ſibi iudicarunt; his in multa quiete & tranquillitate pariunt, & excludunt: paſſereſque, & columbas venantur: pullos cum magna redundantia alunt, deindeque firmos ad volandum in AEgyptum abducunt, tamquam ad paternas ſedes*. Ergo hic *accipitrem tinnunculum*, vel *inſularem*, recte interpretabimur.

V. 16. Struthionem. Heb. *filiam*, יענה *iaghanah*. Obſervant id nomen eſſe a verbo ענה *ghanah*, *reſpondere*, & *affligi*, ac ſignificare *ſtruthionem*, *ſtruthio camelum*: nimirum a voce & planctu ferali, quo ſibi invicem ſame vel ſiti preſſi reſponſant; ſeu a voce reſonante. Tantum ſingulare reperitur in Scriptura, & ſemper fere conſtruitur cum voce בת *bath*, vel בנות *benoth*, *filiæ ſtruthionis*. Hebræorum nonnulli volunt hanc avem ſic dictam, quod tantum ſexum femineum habeat. Alii dictam *filiam ſtruthionis*, id eſt ſtruthionem, ſicut dicitur *filius hominis* pro homo. Quidam arbitrantur, nomen hoc idcirco huic avium ſpeciei inditum fuiſſe, quod non nubat, nec foveat, nec excludat, ut reliquæ omnium avium matres ſolent, ſed in arena ponat ova; ideoque maneat filia ſine matre nutrice, nec etiam matris affectu erga ova, & pullos tangatur. Vide AElianum Lib. IV. cap. xxxvii. Verum eſt hæc inſulſiſſima ratio, cum potius ob cam dici non deberet *filia ſtruthionis*, cum mater eam non pro filia agnoſcat & habeat, ſed repudiet & abiiciat. Mihi illud magis arridet, dici *filiam ſtruthionis*, quod hæc inter aves una ex minima in maximam creſcat, ut ſcribit AElianus Lib. IX. cap. lviii. Hiſpanicæ antiquæ Bibliorum ex Hebraico verſiones *iaghanah*, conſona voce, *gangam* interpretantur. Aiunt, *gangam* Hiſpanis eſſe nomen nocturnæ avis, quæ alio nomine *ortega* dicitur. Plerique *ululam* vertunt, a fletu, ſeu eiulatu dictam, auctore Servio; inde *ululare*; quod cum voce Hebraica, & Minchææ 1. verſ. 8. convenit. Noctuam. תחמס *tachmas*, quidam *nyſticoracem*, id eſt *nocturnum corvum*; alii *hirundinem*, vel *apodem*, ſeu *cypſelum*, quod unguibus rapiat: nonnulli *accipitrem nocturnam*, quam Plinius Lib. X. cap. viii. *cymindin* vocat, interpretantur. Vox Hebraica a violentia & rapacitate dicitur; unde non deſunt qui *harpyam* convertant. Sed non pudet eos fi-

ctam prorſus & fabuloſam avem in divinis præceptis inducere? Hiſpanicæ verſiones, *quebranta hueſſo*, id eſt *oſſifragam*, reddunt. Hiſpanicus recentior Interpres, *mochuelo*. LARUM. שחף *ſchachaph*, quidam aiunt eſſe *cuculum*, a ſcabie & tuberibus dictum: quod Hebr. שחפת *ſchachephet* ſit *tumor*, *tuber*, qui eminet, quaſi *prominentia*. Alii aiunt, hunc morbum eſſe tabem, ſeu phthiſin: unde quidam hic reddunt *phtitticam*, nempe avem eiuſmodi morbo laborantem. Nonnulli *æſalonem*, accipitris genus, Plinio Lib. X. cap. VIII. & LXXIV. vel, ut alii in Plinio malunt, *epileonem*, vulgo *eſmerillon*. Hiſpanicæ antiquæ Verſiones *golandrina*, id eſt *hirundinem*, exponunt: novæ *glarceta*. LXX. Noſter, & plerique, *Larum*, id eſt *gaviam*, vel *fulicam*. ACCIPITREM. נץ *netz*, aiunt eſſe nomen generale avium, ſummo niſu ad prædam evolantium, & quæ pernici quodam impetu feruntur. Vocem Latinam *niſus* Hebrææ voci *netz* reſpondere obſervant; niſi quod *niſus* Latinis ſpecies ſit, *netz* vero Hebræis complectatur multas ſpecies rapacium avium, quæ prædæ inhiant & venationi. Servius in Eclogam VI. Virgilii, niſum ait eſſe *aquilam piſcariam*, id eſt *haliæetum*: de qua Plinus Lib. X. cap. III. vide ſupra verſ. 13. alii volunt eſſe *accipitrem fringillarium*, qui fringillas conſectatur, quem vulgo vocant *ſparverium*. Virgilius I. Georgicorum:

Apparet liquido ſublimis in aera niſus.

Hebræorum aliqui putant *netz* eſſe *aſturem*, quem Ariſtoteles ex accipitrum genere aſteriam vocat, id eſt ſtellarem, quod punctis quibuſdam tamquam ſtellis totus pictus in pectore: *Alcor* Hiſpanice dicimus. Hiſpanicæ novæ & veteres Translationes, *netz*, *gavilan* convertunt, id eſt *accipitrem humipetam*. Videtur *netz* avis eſſe calidam regionem amans, meridiem verſus alas expandens. Iob XXXIX. 29.

V. 17. BUBONEM. כוס *chos* Hebræis *poculum*, *calicem*, rotundum ſignificat in modum roſæ, vel lilii repandi factum: inde forte nomen cuidam avium generi inditum, quod ſtans effigiem aut formam calicis referat. Aiunt ſpeciem volucris eſſe, quæ ſtridore aviculas ad ſe alias colligit. Alii *bubonem*, alii *ſtrigem*, alii *nycticoracem* vertunt. Quidam exiſtimant commode verti poſſe *fellicem*, quod alias aviculas cantu alliciat: deducunt enim a כסס *caſas*, *colligere*: forſan erit *aſio*, quem Hiſpani vocant *moſchuelo*, ad quem aviculæ colliguntur. Nonnulli Hebræorum, eſſe eam quam Gallice vocant *chovette*, Italice *civetta*, quæ noctu clamat. Aliqui, conſentiente voce, *falconem* reddunt: Hiſpanicæ novæ verſiones, *halcon*; alii, *noctuam*: nec deſunt qui *pelicanum*; pauci *ululam*. Avem eſſe ſoltudinem amantem dicitur Pſalm. CI. 7. Hiſpanicæ Translationes *abubila* vertunt, id eſt *upuam*. MERGULUM שלך *ſchalach*, aiunt eſſe avem quæ ideo ſic vocata ſit, quod ſe ad capiendum piſces in aquas deiiciat. Quidam *ardeam* vertunt: plures *mergum*, vel *mergulum*, quod ſe aquis immergat ad capiendum piſces, *corvum marinum* appellant. Recentiores Hiſpanicæ Translationes, *gaviota*. Chaldeus Interpres שליבונה *ſchalenunah* dixit, id eſt *captorem*, ſeu *venatorem piſcium*. Qui *ardeam* exponunt, etymon afferunt, quod ſtercus ex ano ſæpiſſime deiiciat uno tempore. Inde nomen portæ ſanctuarii שלחת *ſchallechet*, quod per illam proiicerentur ſordes; quaſi dicat, *portam proiectionis*: I. Paralip. XXVI. 16. IBIN. ינשוף *ianſchuph*, a נשף *neſcheph*, *crepuſculo*, deducunt; voluntque eſſe avem ſic dictam, quod circa utrumque crepuſculum, matutinum, & veſpertinum, avolet, & revolet. Putant eſſe *veſpertilionem*; alii *noctuam*; alii *bubonem*. Noſter ſecutus LXX. ubique *ibin* convertit. Eſt *ibis* avis notiſſima AEgypto. Quidam volunt eſſe avem, quæ flatum ore emittat, a נשף *naſchaph*, *flare*. Antiquæ Hiſpanicæ Translationes *garca voladera* exponunt: nonnulli *noctivagam*. Novæ Hiſpanicæ verſiones *lechuſa*: alii *ululam*.

V. 18. CYGNUM. תנשמת *tinſchemeth* dictam volunt ab halitu quem emittit. Quidam dicunt eſſe ſpeciem noctuæ, qua aucupes in aucupiis diurnis utuntur, ſuper ligno fiſſili, *illex* Latinis dicta. Alii pro *onocrotalo* accipiunt: quidam cum LXX. *porphyrionem* reddunt: nonnulli Hebræorum, *veſpertilionem*: alii *civettam*, vel *chovettam*: nec deſunt qui *monedulam*, e graculorum genere. Nomen Hebraicum etymon habet vel a ſibilo & halitu quem edit, vel a ſtupore & admiratione quam ſpecie & forma ſua inducit. Hiſpanicæ

Tranſ-

Digitized by Google

Translationes veteres *caravo*, novæ *calamon* dixerunt. Ego *porphyrionem* exiſtimaverim a flatu quem edit in bibendo, nam morſu bibit, ut inquit Ariſtoteles Lib. VIII. de Hiſtoria Animalium, capit. IX. & eſt ſane & forma, & ingenio mirabilis, uti auctores produnt. Vide hoc eodem verſu infra. ONOCROTALUM, קאת *kaath*, a vomitu nomen habere obſervant, quam LXX. *pelicanum*; Hebræi *cuculum*, *ibin*; nonnulli *plateam* vertunt. Hebraicum etymon onocrotalo convenit, de quo Plinius Lib. X. cap. XLVII. *Olorum ſimilitudinem onocrotali habent: nec diſtare exiſtimarentur omnino, niſi faucibus ipſis ineſſet alterius uteri genus.. Huc omnia inexplebile animal congerit, mira ut ſit capacitas. Mox perfecta rapina, ſenſim inde in os reddita, in veram alvum ruminantis modo refert*. Regeſtio illa & ruminatio quaſi quidam vomitus eſt. Plateæ quoque idem etymon congruit, de qua Plinius Lib. X. cap. XL. *Platea cum devoratis ſe implevit conchis, calore ventris coctas evomit, atque ita ex iis eſculenta legit, teſtas excernens*. Plateam & pelicanum idem eſſe aiunt. Vide AElianum Lib. III. cap. XX. Amantem ſolitudinis avem, Pſalm. CI. 7. Iſai. XXXIV. II. deſcribunt. PORPHYRIONEM. רחם *racham*, a viſceribus, & commiſeratione dictam volunt. Quidam, *picam*, LXX. *cygnum*, alii *chlorion*, de qua Plinius Lib. X. cap. XXIX. & LXXIV. quaſi *vireonem* dicas, Hiſpanice *verderol*, a viridi colore. Nonnulli *pelicanum* reddunt, quod a ſingulari erga pullos miſericordiæ affectu prædicetur. Unde quidam hic *philoſtorgum* interpretantur; alii *meropem*, ab amore, & miſericordia in parentes ſic dictam, quod eos in altiſſimis ſpecubus reconditos alat, ut Plinius ſcribit Lib. X. cap. XXXIII. Noſter *porphyrionem* interpretatus eſt, de quo Plinius Lib. X. cap. XLVI. AElianus Lib. III. cap. XLII. & Lib. V. cap. XXVIII. Athenæus Lib. IX. cap. X. Veteres Hiſpanicæ verſiones *utillo*, id eſt *upupam*, tranſtulerunt: novæ *pellicanum*, cui etymon competit.

V. 19. HERODIONEM. Hebr. *ciconiam*. חסידה *chaſidah* conſentiunt omnes nomen habere ab illo naturali miſericordiæ, pietatis, caritatis, beneficentiæ affectu erga parentes, de quo Plinius Lib. X. cap. XXIII. AElianus Lib. III. capit. XXIV. & plures alii produnt: unde Petronius Arbiter ciconiam celebri elogio *pietaticultricem* appellavit. Inde verbum ἀντιπελαργέω, Adagiis Græcorum uſurpatum, quod eſt vicem rependere, & officium officio compenſare, a ciconia dictum, quæ Græce πελαργος appellatur, & vices infantiæ parentibus rependit. Hebræorum nonnulli *milvum album* interpretantur, quod beneficus ſit in ſocios, cum quibus prædam communicat. Noſter Ierem. VIII. verſ. 7. & Zach. V. verſ. 9. milvum etiam reddidit. At hic, & Pſalm. CIII. verſ. 17. LXX. & Noſter *herodionem* dixerunt. Suidas: *Herodios, genus avis, quæ pelargos vocatur, id eſt ciconia, vel ipſi ſimilis, dicta quod ſit quaſi quædam elolodios, quod in paludibus, hoc eſt humidis locis degat, quæ Græci vocant* ἴλυς, *id eſt paludes*. Plerique *herodionem*, *ardeam*, ſeu *ardeolam* eſſe volunt. Vide Appendicem Henriciani Theſauri. *Herodii*, ſeu *herodionis* meminit Homerus Lib. X. Iliados. CHARADRION. אנפה *anaphah*. De hac voce ita Forſterus diſſerit: *Interpretes multum variant transferendo. Chaldæus milvum; alii palumbem ſilveſtrem, alii picum, alii ardeam, alii graculum, alii upupam tranſtulerunt. Hieronymus charadrion vertit. Ego illis aſſentior, qui otum eſſe dicunt*. De *oto* Ariſtoteles Lib. VIII. de Hiſt. Animalium, cap. XII. verſ. 14. *Otus noctuæ ſimilis eſt, pinnulis circiter aures eminentibus præditus, unde nomen accepit, quaſi auritum dicas. Nonnulli ululam eum appellant, alii aſionem. Blattero hic eſt, & hallucinator, & planipes: ſaltantes enim imitatur. Capitur intentus in alio aucupe, altero circumeunte ut noctua*. Hæc Ariſtoteles interprete Theodoro Gaza. At Iulius Scaliger ita reddidit: *Noctuinus eſt ſimilis noctuis: at circa aures pinnulas habet. Eum quidam vocant nycticoracem. Blattero eſt, geſticulator: capiturque ſaltatione a venatore, quam viciſſim imitatur: itaque ab ſocio circumvenitur ſicut noctua*. Plinius Lib. X. c. XXIII. *Otus bubone minor eſt, noctua maior, auribus plumeis eminentibus, unde & nomen illi: quidam Latine aſionem vocant: imitatrix alias avis, & paraſita, & quodam genere ſaltatrix. Capitur haud difficulter, ut noctuæ, intenta in aliquo, circumeunte alio*. De Oto complura Athenæus Lib. IX. cap. X. Plerique Hebræorum *mil-*

vum

vum irritabilem, ſeu *iracundum* exponunt. Recentiorum quidam, *ardeam*; alii, *avem ſuribundam*. Satis conſtat nomen habere a flatu narium, & ira vehementi. Hiſpacæ veteres Translationes, *mochuelo*, id eſt *aſionem*, vertunt. Hebræorum aliquis ait, eſſe eam avem quam Gallice vocant *bairon*. Hiſpanicæ novæ Verſiones, *cuervo marino*. Noſter ſecutus LXX. *charadrion* reddidit. De charadrio Ariſtoteles Libro VII. Hiſt. Animalium cap. VII. & Lib. IX. cap. XV. *Habitant aliæ circa torrentes; aliæ circa cavernas ac ſaxa, ut is qui charadrius dicitur: cui & color, & vox minus bona eſt, noctu apparet, interdum ſugit*. Theodorus Gaza a rupibus, & hiatibus cavernarum, in quibus degit, *rupicem*, & *biatulam* convertit. Plutarchus in V. Convivalium Diſputationum, quæſtione VII. *Præterea regio qui laborant morbo, eos ſæpenumero cognovimus ſanari, ſi in avem charadrium (ſive ea ſit rupex) inſpiciant: tali natura, ut apparet, prædicto animali, ut morbum e corpore affecti elabentem ad ſe trahat, atque recipiat oculis tamquam defluentem quemdam humorem. Itaque charadrius arquatum non intuetur, neque ſuſtinet, ſed clauſis oculis ſe avertit; non invidens, ut putant nonnulli, remedium quod ab ipſo petitur, ſed quia quaſi ictu quodam ſauciatur*. De charadrio agit quoque AElianus Lib. VI. cap. XLVI. & Lib. XVII. cap. XII. In quibuſdam exemplaribus LXX. legitur *chalandrion*. Fortaſſe ea eſt avis quam Hiſpani vocant *chalandria*, ſuavis cantus. UPUPAM. דכפת *duchiphat*, Hebræi *gallum ſilveſtrem* cum duplici criſta exponunt, ſeu *montigallum*: nonnulli, *copupam montanam*: nec deſunt qui *altagenem*. Veteres Hiſpanicæ Translationes, *murciegalo*, id eſt veſpertilionem: recentiores, *abovilla*. Vox videtur peregrina: ſane etymon huic voci in Hebræo quærere, ludere eſt. VESPERTILIONEM. עטלף *ghatalleph*, omnes ferme *veſpertilionem* ſecuti LXX. & Vulgatum interpretantur. Hiſpanicæ Translationes *cuco*, id eſt cuculum, dicunt: novæ, *murciegalo*. Quidam componunt ex עיט *ghit*, *volavit*; & עלף *ghaleph*, *velavit*. Quod noctuæ convenit, quæ circum collum & caput velata videtur. Alii ab עטף *gataph*, inſerta littera Lamed, quod in obſcuro volitet.

V. 22. BRUCHUS. Ita quoque LXX. Ceterum ארבה *arbeb* omnes fere *locuſtam* interpretantur. AEthiopas veſci locuſtis, auctores ſunt Agatharchides Gnidius Lib. V. de Mari rubro, cap. XXVII. Diodorus Siculus Lib. III. cap. CXIV. de Parthis Plinius Lib. XI. cap. XXIX. *Partis & hæ in cibo gratæ*. S. Hieronymus adverſus Iovinianum: *Orientales, & Libiæ populos, quia per deſertum, & calidam eremi vaſtitatem locuſtarum nubes reperiuntur, locuſtis veſci moris eſt. Hoc verum eſſe Ioannes quoque Baptiſta probat*. ATTACUS. סלעם *ſalegham*, Hebræi *ſpeciem quamdam locuſtæ eſſe* aiunt, *calvæ, & ſine cauda, ſed longum habentis caput*. Quidam, *ſcarabæum* vertunt. Alii, *genus locuſtæ, quod in rupibus, & ſciſſuris petrarum habitet; vel quod petris delectetur, aut eis inſideat*: id quod etymon indicat. Aliqui a סלל *ſalal* deducunt, inſerta littera Ghain, quod ſaltitando pedes attollat, & quaſi terram ſternat. Tremellius & Iunius deſperate vertunt *bombycem*. Fortaſſe quod Germani eos frixos in deliciis habeant, uti ſcribit Stuckius Lib. II. Convivalium cap. IX. LXX. & Vulgatus *attacum* dixerunt: ſed eſt ea vox Græcis, & Latinis inaudita. *Attacum* quidam aiunt eſſe genus volucris ſuper quatuor pedes ambulantis, longioraque retro crura habentis: ſed hoc eſt divinare. Alii dicunt, *attacum* appellari locuſtam cum ei incipiunt naſci alæ: ſed hoc æque eſt hariolari. Nonnulli ſuſpicantur, *attacen*, vel *attacum* idem eſſe atque *attelabum*; de quo S. Hieronymus in Nahum III. verſ. 17. *Locuſtæ, & bruchus, & parva gemina locuſtrum, quæ vocantur attelabi. Porro attelabus, quem ſignificantius comeſtorem interpretatus eſt Aquila, parva locuſta eſt, inter locuſtam & brucum, & modicis pennis reptans potius quam volans, ſemperque ſubſiliens: & ob hanc cauſam ubicumque orta fuerit, uſque ad pulverem cuncta conſumit: quia donec creſcant pennæ abire non poteſt*. Plinius Lib. XXIX. cap. IV. *Locuſtarum minimæ ſine pennis, quos attelabos vocant*. Ego non dubitem in LXX. & in Noſtro vitio ſcriptorum ſcribi *attacus* pro aſtacus, quod eſt genus cancri Plinio Lib. IX. cap. XXXI. vulgo *gambaro*. OPHIOMACHUS. חרגול *chargol*, voce conſentiente, poſſemus intelligere eſſe illud quod Hiſpanice dicimus *caracol*, ſeu *caragol*, cochleæ genus,

nus

Digitized by Google

nus, niſi hic enumerarentur inſectorum volatilium ſpecies quæ crura ſuper quatuor pedes habent, e verſ. 21. a quibus abſunt cochleæ: niſi forſan in Syria, aut in Arabia eiuſmodi aliquod cochlearum genus reperiatur. Quidam *cantarum* transferunt: alii *gryllum* . Non nemo hariolatur componi ex חרג *charag* , *conſtruxit* , & רגל *regel*, *pes*: voluntque genus eſſe locuſtæ , nomen habentis a conſtrictis , & arcuatis pedibus; & tam modicis volatibus a terra attolli , ut potius ſaltare quam volare videatur . LXX. & Noſter *ophiomachum* dixerunt, id eſt *cum ſerpente pugnans* . Suidas: *Ophiomaches*, ſeu *ophiomachus*, *locuſtæ genus*, *nullas alas habens*. Forſan *ophiomachus* ſit genus *cantharidis* , quem Hiſpani vocant *cavallo de ſierpe* . Locusta. חגב *chagab*, Noſter ſecutus LXX. *locuſtam* ubique convertit: alii *bruchum*: ſpeciem locuſtæ, omnes ſatentur . Quidam cicadam eſſe arbitrantur.

V. 27. Super manus. Hebr. *ſuper volas*. Quidam exponunt, *ſuper marculos*; id eſt, quod pedes digitatos inſtar manuum habet.

V. 29. Mustela. חולד *choled*, dictam volunt a brevitate manſionis, quod in arctis locis habitet, & ſe immittat . Alii , quod cito ſeneſcit, & brevj curriculo vivat . Omnes *muſtelam* interpretantur. Mus. עכבר *ghacbar*, *murem*, *glirem* omnes exponunt: quidam עכר ab *ghacar*, *turbare*, indita littera Beth, derivant , quod fodiendo ac rodendo, in domo & in agro omnia turbet . Alienum, & violentum etymon . Crocodilus. צב *tzab*. LXX. & Noſter *crocodilum* vertunt; alii *ranam campeſtrem*; alii *limacem* ; alii *teſtudinem* ; alii *rubetam* , ſeu *bufonem* eſſe exiſtimant , qui tumet & inflatur , atque in modum plauſtri camerati graditur. Hiſpanica vox *ſapo*, cum Hebraica congruit. Quidam teſtudinem potius intelligunt, quod nomen Hebraicum *tzab*, huic animanti, & plauſtro tecto commune ſit: quia hoc animal putaminibus ſuis tectum repræſentat camerati plauſtri.

V. 30. Mygale. אנקה *anakah*, a gemitu, vel fremitu quem edit , nomen habere volunt . Germanis cognâta voce vocari *vinch* . Aliqui annotant, dictum a clamore gemebundo: alii *reptile clamoſum* interpretantur. Quidam Hebræorum *caſtorem* eſſe putant; alii *ſanguiſugam*; alii *hericium* ; alii *attelabum* ; alii *viverram* . LXX. & Noſter *mygale* reddiderunt, quaſi *myogale*, id eſt *mus araneus* . Dioſcorides Lib. II. cap. lxiii. & Lib. VII. cap. ix. habens aliquid muris & muſtelæ , quaſi dicas *murimuſtela* . Chamaeleon. כח *coach*, a virtute nomen habere obſervant; *viverram* , Hiſpanice *huron* , nonnulli exponunt. Alii *ſtellionem*; alii *limacem* ; alii *rubetam*, ſeu *bufonem*: nec deſunt qui *lacertam* ; pauci *muſtelam*. LXX. & Noſter *chamæleontem* dixerunt, de quo Plinius Lib. VIII. cap. xxxiii. Stellio. לטאה *lataah*, notant, litterarum tranſpoſitione , eſſe a לאט *laat*, *abſcondere*; & habere appellationem ſuam a latebris , quod videlicet latebras amet; vel a tardo inceſſu ; vel a ſuſurratione. Alii, conſentiente voce Latina, volunt eſſe animal lethiferum, exponuntque *lacertum*, vel *lacertam* , ſerpentis venenati genus, quod valde eſt lethiferum, & ſolet ſe occultare , ſeu latere in ſpinetis, iuxta illud Virgilii Ecloga ii.

Nunc virides etiam occultant ſpineta lacertos .

Sed aiunt lacertos veneno carere . Quidam *limacem* exponunt . Noſter, & plerique, non abludente voce Hebraica , *ſtellionem*. In *Lataah* Lamed eſt magnum præter morem, & eſt quinta littera magna quæ in Hebraicis Bibliis occurrit . Hebræi aiunt indicare aliquod ſecretum , quod in eo animali latet : ſed ego non divino. Vide Exodi xxxiv. verſ. 7. Lacerta. חומט *chomet*, litterarum metatheſi deducunt a חטם *chatam* , *cohibere*; voluntque eſſe *limacem*, ſic dictam quod ſe domi cohibeat . Quidam *cochleam terreſtrem* , *teſtudinem*. Aliqui Hebræorum aiunt eſſe quem vulgo Hiſpanice vocamus *caracol* . Alii *chamæleonem* , alii *lacertam* reddunt. Talpa תנשמת *tinſchemet* , ſupra verſ. 18. avis, ſpecies fuit : hic vero reptilis genus ; ut multa ſunt animalium nomina volucribus , & terreſtribus communia . *Talpam*, vel *glirem* omnes convertunt .

V. 35. Chytropodes. כירשים *ciraſim*, *duale*, aiunt eſſe ſuſtentacula ollarum ad ignem poſitarum : & quidem duo fuiſſe obſervant ſulcra, intra quæ lebetes fuerunt ſuſtentati; non quidem ex ferro, ſed

ex lapide, aut latere, quo focus erat extructus. Græci, & Noſter *chytropodes* verterunt. Quidam *ollas*, ſeu *lebetes*, aut *cacabos*: alii *fulcra* reddunt. Nonnulli *teſtum* exponunt: eſt autem *teſtus* vas fictile, in quo placentæ, liba, & id genus ſimilia coquebant: eiuſque numquam erat uſus, niſi cum operculo, unde quaſi duplum cenſebatur; & ob id poni forma duali. Quidam *teſtum* Catoni & Plinio clibanum eſſe volunt.

V. 42. SUPER PECTUS. גחון *gachon*, *ventrem* alii fere omnes reddunt. Notant prohiberi hic univerſe animalia terreſtria, ſeu reptilia, quæ ventrem per terram trahunt, id eſt humi ſerpentia. Alluſumque putant ad pœnam ſerpentis Geneſ. III. verſ. 14. *Super ventrem tuum gradieris*. In *gachon* Vau eſt grandiuſculum præter morem: & eſt ſexta littera Hebraica maiuſcula, quæ in Scriptura repetitur: aliud myſterium hic hariolari non poſſum niſi pœnam ſerpentis, quaſi in deteſtationem ſerpentis, uſu, & eſu vetentur animalia ſerpentia, ſive repentia. Vide verſ. 30.

V. 43. Hunc verſum nos ex Hebræo ad verbum expreſſimus: dilucidius alii ad ſenſum reddiderunt. I. *Ne impuras reddatis animas veſtras in omni reptili, quod reptat: nec polluatis vos in eis, neque coinquinetis vos per ea*. II. *Ne reddatis abominabiles animas veſtras in ullo reptili reptante, neque polluatis vos in eis, ut immundi fiatis in eis*. III. *Ne abominabiles redditote vos ipſos ullo reptili quod reptat: neque polluitote vos illis, ut ſitis polluti illis*; id eſt. ut munditiam & ſanctimoniam quam lege impero, ultro negligatis.

V. 45. QUI EDUXI VOS DE TERRA AEGYPTI. Hebr. participium præſens, *aſcendere faciens vos, ducens de terra*, &c. emphaſim habere putant: quaſi dicat: Iam inde ab eductione ex AEgypto in incepto erga vos beneficio pergo.

MENOCHII.

AGitur hoc capite de cibis mundis, & immundis, quorum obſervantiam ideo præſcripſit Dominus rudi illi populo, ut illius temperantiam, & obedientiam, & religionem exerceret. Deinde ut corporali munditiei aſſueti, aſſurgerent ad ſpiritus etiam munditiem, a peccatis abſtinendo, ac nominatim ab idololatria. Tertio quia cibi qui prohibentur, pravi ſucci plerumque ſunt, & valetudini noxii. Tandem quia hæc immunda tropologice ſymbola ſunt vitiorum, a quibus debemus abſtinere.

V. 2. QUAE COMEDERE DEBETIS: quæ comedere licet.

V. 3. DIVISAM UNGULAM, ET RUMINAT, cuiuſmodi ſunt oves, boves &c. IN PECORIBUS, in quadrupedibus animalibus.

V. 4. SICUT CAMELUS. Camelus immundus eſt, quia ungulam habet, ſed eam non dividit.

V. 5. CHOEROGRYLLUS. Hebr. eſt שפן *ſaphan*, quod eſt generale nomen, & commune multis animalibus fugacibus, & in latebris degentibus: aliqui putant eſſe leporem, alii cuniculum, alii herinacium. Vox Græca χοιρόγρυλλος ſatis indicat porci genus ſignificari, cum tam χοῖρος quam γρύλλος, ex quibus componitur, porcum ſignificet. Videtur ergo Chœrogryllus eſſe aut herinacius, quem Italice appellamus *Porco ſpino*; vel, ut indicat S. Hieronymus, aliud animal in Palæſtina frequens, hericii magnitudine, habens ſimilitudinem muris, & urſi, quodque propterea in Palæſtina voce a Græcis ſumpta ἀρκτομύς dicatur, ſemper in cavernis petrarum, & terræ foveis habitans.

V. 6. UNGULAM NON DIVIDIT. Lepus non habet ungulam, ſeu baſim pedum aſſeam, & continuam, quam dividat; ſed loco eius habet ungues varios, & aculeatos. Sub lepore cuniculus intelligitur, in quo eadem militat ratio, & quia cuniculus parvus lepus eſt, ut ait Plin. Lib. VIII. cap. LV.

V. 8. NEC CADAVERA CONTINGETIS: unde nec adipem eorum eximere, eove uti poterant.

V. 9. PINNULAS ET SQUAMAS. Ut piſces mundi ſint, & iis veſci liceat, duo debent habere; primo pinnulas, ſecundo ſquamas, quæ totum pene corpus contegant; ſi alterum abſit immundi cenſentur, ut anguillæ v. g. quæ ſquamas non habent.

V. 13. GRYPHEM. Vox Heb. פרס *peres* aquilam ſignificare videtur. Aldrovandus Lib. X. cap. 1. docet gryphes eſſe aquilæ genus maximum, quod maxime aduncum habet roſtrum, & ungues; eſtque for-

Digitized by Google

fortiſſimum, & rapaciſſimum. HALIAEETUM. Græce ἁλιαιετος, *aquila marina*, quam Plinius Lib. X. cap. III. clariſſima oculorum acie præditam docet, librareque ſe ex alto, viſoque in mari piſce, præcipitem in eum ruere, & diſcuſſis pectore aquis rapere.

V. 14. IUXTA GENUS SUUM, iuxta ſpecies ſuas: multæ enim ſunt vulturum, & milvorum ſpecies. LXX. vertunt, *Et ſimilia illis*.

V. 15. IN SIMILITUDINEM SUAM, id eſt ſecundum ſimilitudinem ſuam; quaſi dicat: Omnes aves ſimiles corvo, vel corvinas, quaſi immundas habeo, & cenſeo, edique veto.

V. 16. STRUTHIONEM. Ita fere omnes Interpretes verterunt Hebraicum יענה; etſi non deſint qui *ululam* velint. LXX. aliquando *ſirenes* reddiderunt. Struthio eſt avium maxima, ſed alis ſe ad curſum, quem perniciſſimum habet, iuvat, non autem ad volatum attollit. NOCTUAM. Hebr. תחמס *thachmas*, alii *nycticoracem*, alii *accipitrem nocturnum*, quia Plin. Lib. X. cap. VIII. *cymindis* dicitur, reddunt: alii *harpyam* dixerunt; cum tamen harpyæ nullibi ſint, niſi in fabulis. LARUM. Larus, ſive Gavia, ut eam vocat Ariſt. natat in aquis, & in aere volat, piſciumque eſt prædo, eſt e milvorum genere. ACCIPITREM. Heb. נץ *nets*, quod Arias Montanus ad aſtures, hoc eſt accipitres maiores, reſtrinxit, alii ad minores, qui *Niſi* dicuntur. Alii generale nomen eſſe volunt avium ad prædam evolantium.

V. 17. BUBONEM. Hebr. כוס *chos*, alii vertunt *nycticoracem*, alii *falconem*, alii *herodium*. MERGULUM. Hebr. שלך *ſcalach*, aliqui vertunt *ardeam*. Mergulus a mergendo nomen accepit, quod ſe in aquas ad piſciculos capiendos immergat. LXX. habent καταῤῥάκτην, quod cum impetu ſe deiiciat ad prædam. IBIN eſt AEgypti avis ſerpentibus infeſta. Rabbini vocem ינשוף *ianſchuph* putant ſignificare avem quæ nocte vagetur, & volet.

V. 18. CYGNUM. Hebr. תנשמת *tinſchemeth*. Arias Montanus putat eſſe eam quam Itali vocant *la civetta*. ONOCROTALUM, dicitur ab ὄνος & κρόταλον, eo quod abſona voce crepitando rudentem aſinum referat. LXX. vertunt *pelicanum*. Hebr. eſt vox קאת *kaa*. Viſitur hæc avis in Helvetia, & ad laeum Lemanum, & alibi. PORPHYRIONEM. Hebr. רחם *racham*. Pagninus putat eſſe *Pelicanum*, in quam ſententiam it etiam Arias, qui *philoſtorgon*, amantem liberorum vocat. Porphyrio a purpura nomen habet, quare Plinius Lib. X. cap. XLVI. *Roſtra*, inquit, *iis*, & *prælonga crura rubent*.

V. 19. HERODIONEM. Quænam ſit avis *herodius* parum conſtat: aliqui *fulicam*, alii *Diomedis aves*, alii *ciconiam*, alii *ardeam*, alii *hierofalconem*, alii *milvum*, alii *upupam* eſſe volunt; in Hebr. eſt חסידה *chaſida*. CHARADRION. Charadrii meminit Ariſt. Lib. VIII. de hiſt. anim. cap. III. ubi Gaza *rupicem* vertit, quaſi qui in rupibus niduletur: ſolet enim circa fluminum alveos, & rivorum charadras, ſeu hiatus riparum verſari. UPUPAM: ita & LXX. & alii; ſunt tamen qui vertunt *gallum ſilveſtrem*. VESPERTILIONEM: ita omnes vertunt.

V. 20. OMNE DE VOLUCRIBUS. Hic non tam de avibus, quam de inſectis volatilibus agit, quod ſequentia indicant. BRUCHUS. Bruchum, ſeu ארבה *arbe*, e locuſtarum eſſe genere indicat noſter Interpres, & LXX. qui eam vocem ſæpius *locuſtam* vertunt; idemtidem, ſed rarius, *bruchum*. Hieronymus Nahum III. docet, bruchum eſſe locuſtam, ſed quæ non volet, & ſine alis ſit. ATTACUS. Hebr. סלעם *ſolham*. Vox hæc in Scriptura reperitur tantum hoc loco; nec ſatis conſtat quid ſignificet. LXX. vertunt ἀττάκην, vel, ut alii legunt, ἄττακον, quem auctor theſauri linguæ Græcæ putat eſſe ἀττέλαβον, quæ eſt ſpecies locuſtæ. OPHIOMACHUS. Genus locuſtæ, ex eo habens nomen, quod cum ſerpentibus pugnet. Vide Plin. Lib. XI. cap. XXIX. LOCUSTA. Generale nomen ſignificans eas quas proprie locuſtas dicimus.

V. 23. QUATUOR TANTUM HABET PEDES: pedes intellige æquales, nam ſi poſteriores habet longiores, quibus ſaliat, mundum erit, ut dictum eſt n. 21.

V. 25. UT PORTET QUIDPIAM HORUM MORTUUM: v. g. ut illud efferat ex urbe, vel ut amoveat a via, ne aerem inficiat.

V. 26. QUI TETIGERIT ILLUD, cadaver illius: nam hæc animalia viva tan-

tangere poterant, ut equos, camelos, aſinos, &c. quibus etiam inequitabant.

V. 27. QUOD AMBULAT SUPER MANUS; quaſi dicat, animal cuius pedes anteriores ſunt quaſi manus, ut ſimia, & urſus.

V. 29. MUSTELA, ET MUS. In ſignificatione horum vocabulorum interpretes conſentiunt. CROCODILUS. Heb. eſt צב *tſau*, quod alii vertunt *bufonem*, vel *rubetam*, vel *ranam campeſtrem*, alii *teſtudinem*, alii *limacem*: ſed omnes divinant. Maior fides habenda noſtro Interpreti, & LXX. qui *crocodilum* interpretantur.

V. 30. MYGALE. Ita etiam LXX. Hebraizantium alii verterunt *ericium*, alii *ſanguiſugam*, alii *viverram*. Migale exiguum eſt animal muris magnitudine, ob longo roſtro, cuius morſus venenatus eſt. Dicitur μυγάλη, quod colore muſtelam γαλῆν, magnitudine murem μῦν, referat. CHAMAELEON: ita & LXX. alii vertunt *rubetam*, alii *lacertam*, alii *limacem*, alii *pantheram*, alii *ſtellionem*. De Chamæleonte, quod eſt animal lacertæ ſimile, vide Ariſt. II. Hiſtor. animal. cap. XI. & Plin. Lib. VIII. cap. XXXIII. STELLIO. Septuaginta habent ἀσκαλαβώτην, quæ vox *ſtellio* vertitur a Gaza Lib. IX. cap. I. Hiſt. animal. Ariſt. *Stellio animal eſt non diſſimile lacertæ, multo tamen minus, tergum habens lucentibus quibuſdam guttis depictum ad modum ſtellarum: hinc illi factum nomen*. LACERTA. Septuaginta, σαῦρα, quam lacertam eſſe conſtat. Alii *limacem*, alii *teſtudinem* interpretantur. TALPA: ita fere omnes habent, ut etiam Septuaginta: ἀσπάλαξ enim a Græcis dicitur talpa. IMMUNDA SUNT, non tantum quoad eſum, ſed etiam quoad tactum, ita ut tangere non liceat, ut patet num. 41. & 43. & cap. verſ. 2. ubi reptile æquatur morticino.

V. 32. CILICIA. Hebr. eſt שק *ſach*. id eſt *ſaccus*, per quem Hebræi ſignificant veſtes e pilis duras, quales ſunt ruſticorum, mendicorum, pœnitentium. IN QUOCUMQUE FIT OPUS; quaſi dicat, vas quodcumque quo ad opus aliquod utimur. ET SIC POSTEA MUNDANTUR; id eſt, erunt munda, nec erit opus alia lotione, aut mundatione; ſed adveniente veſpera expirabit hæc legalis immunditia.

V. 33. VAS AUTEM FICTILE, &c. ſimile eſt de vaſe fictili in quo coquitur caro ſacrificii pro peccato cap. VI. 28.

V. 34. SI FUSA FUERIT SUPER EUM AQUA, aqua ſcilicet immunda, aut fluens ex immundo vaſe. DE UNIVERSO VASE, ſcilicet immundo.

V. 35. CECIDERIT SUPER ILLUD, vas ſcilicet. IMMUNDUM ERIT, ſcilicet illud vas in quod aliquid de morticinis cecidit. SIVE CLIBANI, in quibus panes coquuntur. CHYTROPODES, ollarum ſuſtentacula fictilia, quæ quia fictilia, ut etiam clibani, deſtruenda erant. Vide num. 33.

V. 36. FONTES VERO, ET CISTERNAE, &c. Etiamſi in hæc aliquid immundum ceciderit, non contrahent immunditiam, quod ita Deus ſtatuit propter aquarum neceſſitatem, quibus carere homines non poſſunt.

V. 37. SI CECIDERIT SUPER SEMENTEM, &c. non polluitur, niſi ſemen ſit aqua perfuſum: tunc enim, quia humidum, facilius ſordes contrahit; ideoque cenſetur immundum, dandumque eſt beſtiis.

V. 40. QUI COMEDERIT EX EO, &c. qui comederit ex eo morticino quidpiam, ſive illud portaverit, neſciens tamen, erit immundus uſque ad veſperam: nam ſi ſciens comediſſet quis, graviter peccaſſet, & ſupplicio dignus fuiſſet.

V. 41. ABOMINABILE ERIT: quia terreſtre, fœdum, & venenoſum eſt.

V. 42. QUIDQUID SUPER PECTUS QUADRUPES GRADITUR, quia pedes habet breves, unde neceſſe eſt ut in motu innitatur ventri, & terræ, ut ſerpentes. ET MULTOS HABET PEDES, ut vermes. SIVE PER HUMUM TRAHITUR, ut reptilia.

V. 43. ANIMAS VESTRAS, vos ipſos. NEC TANGATIS QUIDQUAM EORUM, quæ ſcilicet præceſſerunt. Itaque reptilia ne tangere quidem poterant.

V. 44. SANCTI, id eſt mundi. EGO SANCTUS SUM. Mundus ſum, & deteſtor immunditias gentilium in ſacrificiis, & epulis (de quibus Aug. Lib. VI. & VII. de Civit.) quique volo vos ſanctitatem meam ſpiritualem, hac corporali veſtra imitari, & repræſentare.

V. 45. EGO ENIM SUM DOMINUS, qui

qui ita mando, & cui vos dicto audientes eſſe convenit.

TIRINI.

Verſ. 5. CHOEROGRYLLUS: ita etiam Græci. Et ſatis conſtat porci genus aliquod ſignificari, cum tam χοῖρος quam γρύλλος, ex quibus hæc vox componitur, porcum ſignificet. Sed Hebræum שפן *ſchaphan*, teſte ſancto Hieronymo *a*, animal eſt in Palæſtina frequens, hericii, ſeu erinacei magnitudine, habens ſimilitudinem muris, & urſi, ſemper inſtar cuniculi in cavernis petrarum, & terræ foveis habitans. Ob hanc vero huius animalculi cum aliis iam dictis ſimilitudinem factum eſt ut pro eo Interpretes verterint nunc *chœrogryllum b*, nunc *herinaceum c*, nunc *cuniculum d*.

V. 13. GRYPHEM: ita etiam Septuaginta, & Pagninus, & Vatablus. Eſt veroſimilius ex genere aquilarum, ut magnitudine, & viribus, ita rapacitate monſtroſum, ab Ariſtophanis interprete γρυπάετος, ſeu *gryphaquila* dictum. Certe Aldrovandus *e* ex Paulo Veneto, & Regis AEthiopum litteris docet, ex aquilarum ſpeciebus nonnullas tantæ magnitudinis, & roboris reperiri, quæ integrum bovem, vel equum pullis ſuis alendis in nidum deſerant; & elephantem in ſublime tollant, quem deinde ipſo in terram lapſu occiſum devorent. Ex eodem aquilarum genere eſt avis illa quæ hic ſubiungitur HALIAEETUS, quod latine ſonat *marinam aquilam*. Eſtque piſcibus imprimis inſidioſa, quos ipſa, licet altiſſimo ex aere, & nubibus proxima, perſpicaciſſime videt, magnoque impetu in eos ſeſe præcipitat. Vide eumdem Aldrovandum. Porro quæ de gryphe paradoxa ſcribunt Herodotus, Pauſanias, Pomponius, Mela, Solinus; AElianus, Philoſtratus *f*, & noſtri pictores effingere ſolent, quaſi ſit animal quadrupes, auritum, pennatum, alis & vultu aquilino, leoninis unguibus ac iubis, totoque reliquo corpore, in Scythicis ac Hyperboreis Aſiæ montibus frequens, aurum quod ibi naſcitur, a rapina Arimaſporum, qui monoculi ſint populi, cuſtodiens, ob idque cum illis perpetuum bellum gerens, merito fabulis accenſentur a Plinio, Alberto Magno, & aliis recentioribus.

V. 16. & ſeq. De Struthione, Laro, Mergulo, Ibi, Onocrotalo, Porphyrione, & Charadrio, vide infra Deuteronom. XIV. verſ. 15.

V. 22. ATTACUS, ſpecies eſt locuſtæ modicis alis, uti & OPHIOMACHUS; ſed hæc alis caret: ſic dicta, quod cum ſerpente bellum gerat, apprehenſiſque mordicus faucibus, quoties libet necat, inquit Plinius, Ariſtoteles *g*, Heſychius & Suidas. Addit Plinius, eiuſmodi locuſtas in India etiam terium pedum longitudinis repperiri. Porro cum & iſta, & alia omnia locuſtarum genera præſcribat hic Deus Hebræis in eſcam; ſatis credo hinc conſtare, non opus eſſe ad cancros marinos, vel ad pyra ſylveſtria confugere; ut Ioanni Baptiſtæ Marci I. & Matthæi III. cibus ex locuſtis paretur, ut finxit Beza, & alii quidam delicatuli Novantes. Quin & AEthiopibus, & Parthis, & multis aliis populis ſolemne eſſe veſci locuſtis, uti & cicadis, teſtes ſunt Ariſtoteles, Plinius, Diodorus Siculus *h* & alii.

V. 30. MYGALE. Sic dicitur, quaſi mus, & muſtela; quod magnitudine murem referat, colore muſtelam. Eius meminit Dioſcorides, Plutarchus, AEtius & Nicander *i*. Latini *murem araneum* vocant, ob venenum præſens quod morſu infigit, teſte Plinio, & Antonio Nebriſſenſi *k*. CHAMAELEON ſerpit inſtar lacertæ, cui admodum ſimilis eſt. Huius meminit Ariſtoteles, Plinius *l*, & omnes alii: notantque chamæleontem ſolo aere paſci, & colorem rei cui adhæreſcit induere, maxime ſi metu corripiatur. Eſt STELLIO & animalculum ſimile lacertæ: cuius iidem Ariſtoteles & Plinius *m*, & alii meminerunt.

V. 34. OMNIS CIBUS ...... SI FUSA FUERIT SUPER EUM AQUA, ſcilicet ex vaſe aliquo polluto, IMMUNDUS ERIT: ET OMNE LIQUENS QUOD BIBITUR DE UNIVERSO VASE, ſimiliter polluto, IMMUNDUM ERIT. Talia autem vaſa morticino ſeu cadavere aliquo polluta, ſive clibani fuerint, quibus panes coquuntur, ſive chytræ, id eſt ollæ, ſive chytropodes, id eſt ollarum ſuſtentacula, quibus tamquam pedibus ol-

læ ſuſtentantur, cum hæc omnia fictilia ſint, teſte Athenæo, Polluce & Suida, deſtruentur, & confringentur.

V. 39. Si mortuum fuerit animal quod licet vobis comedere, mortuum ſcilicet naturali morte, veſuffocatum, remanente ac concreto in venis ſanguine; itemque a beſtia captum. Nam hæc omnia immunda erant, & ad eſum illicita Iudæis.

Pro quo nota, licet hæc omnia, & quæcumque creavit Deus, ſuapte natura munda eſſent, teſte Apoſtolo *n*; provide tamen ſtatutum fuiſſe a Deo, ut a quibuſdam, quaſi ab immundis, abſtinerent Iudæi. Primo, ut hac via populus iſte rudis, ſicut in ſacrificiis, ſic & in cibariis haberent continuum exercitium obedientiæ, religionis, latriæ, & temperantiæ. Secundo, ut ab immundis idololatrarum epulis ac ſuperſtitionibus arcerentur, ad quæ alioquin imitanda propenſiores erant. Tertio, ut ex munditie & ſanctitate hac legali diſcerent aſſurgere ad internam munditiem, & veram animi ſanctitatem, quæ myſtice hic præfigurabatur.

Nota ſecundo, licet in his mundis & immundis cibis ita decernendis ſatis eſſe poſſet una Dei ſic iubentis voluntas; Deum tamen non niſi iuſtas, & manifeſtas ob cauſas voluiſſe quoſdam præ aliis immundos declarare: & has vel naturales cauſas, v. g. quod eiuſmodi cibi veneneſi eſſent, ut ſunt reptilia, vel ſaltem diſtemperatæ complexionis & mali ſucci, ut noctuæ, ciconiæ, upupæ, porci, &c. vel ſaltem difficillimæ digeſtionis, ut adeps, ſanguis, &c. Vel denique ob myſticas, & morales cauſas, v. g. quod in quibuſdam animalibus pravæ quædam ineſſent conditiones ac proprietates vitiorum, crudelitatis in corvo, ingluviei in onocrotalo, rapinæ in vulture, impietatis in crocodilo, ſuperbiæ in aquila, luxuriæ in ſue, & aliorum in aliis iſtiuſmodi ſymbola: per quæ Deus innuebat, ad obtinendam veram animi munditiem, ab illis vitiis abſtinendum eſſe; alioqui coram Deo nos immundos eſſe iudicandos, & a divino ſanctuario, id eſt cælo, arcendos. Ita Tertullianus, Origenes, Ariſtæas apud Euſebium, Cyrillus Alexandrinus, Auguſtinus, & S. Thomas *o*.

(*a*) S. Hieron. in Epiſt. ad Suniam & Fretellam.
(*b*) Noſter hic, & LXX. itemque iidem Deu. xiv.
(*c*) Pſal. ciii. verſ. 18. noſtra Vulgata, & S. Hier.
(*d*) Prov. xxx. verſ. 26. Noſter
(*e*) Ulyſſes Aldrovandus in Ornithologia.
(*f*) Herodotus Lib. III Pauſanias in Atticis. Pomponius Mela Lib. II. Solinus cap. xix. AElianus Lib. IV. cap. xxvi. Philoſt. Lib. III. de Vita Apollonii.
(*g*) Plin. Lib. XI. cap. xxix. Ariſt. ſup. Lib. IX. cap. vi. Item Lib. de Mirabilibus auſcultationibus.
(*h*) Ariſt. Lib. VI. Hiſt. anim. cap. xxx. Plin. Lib. VII. Lib. VI. cap. xxx. cap. ii. & Lib. XI. cap. xvi. & xxvi. Diod. Sic. Lib. IV. cap. iii.
(*i*) Dioſc. Lib II. vii. & VIII. Plut. ſup. Lib. IV. cap. v. AEtius apud Matthiolum Lib. II. Nicander in Theriacis.
(*k*) Plin. Lib. VIII. cap. lviii. Nebriſſ. Quinquag. cap. xxxi.
(*l*) Ariſt. Lib. II. cap. xi. Plin. Lib. VIII. c. xxxiii.
(*m*) Ariſt. Lib. IX. cap. i. Plin. Lib. XXIX. c. iv.
(*n*) Rom. xiv. & I. ad Tim. iv. & ad Titum i.
(*o*) Tertull. Lib. de Cibis Iudaicis Orig. hom. vii. Euſeb. de Præpar. Lib. VIII. cap. iii. Cyrill. Lib. IX. contra Iulianum. Aug. Lib. XXXI. contra Fauſtum cap. ult. S. Thom. I. II. qu. cii. art. 6.

GORDONI.

His, & ſimilibus legibus Deus ſexercere voluit populum ad obedientiam, & temperanriam; & ſymbolum dabanr abſtinentiæ a viriis. Vide Gen. cap. vii. verſ. 2.

V. 3. Decem illæ ſpecies quæ ad cibum concedebantur Iudæis Deut. cap. xiv. verſ. 4. & 5. habent has conditiones hic poſitas. Quod vero dicitur de diviſa ungula, intellige de perfecta diviſione, non autem cum connexione, ut eſt anſeribus: quod vero non dividit perfecte ungulam, immundum reputabitur; hoc eſt, nec licet eo veſci, nec tangere illius cadaver. Efficiebant autem immunditiæ legales, ut quamdiu durarent, prohiberent ab aditu templi, & a participatione ſacrificiorum.

V. 5. Cherogryllus, Hebr. שפן *ſaphan*, animal frequens in Palæſtina; habet, ut ait Hieronymus, ſimilitudinem muris, & urſi: hinc Græcis eſt *ἀρκτομῦς*.

V. 6. Lepus. *Lepus*, *ſus*, & quædam alia hic recenſita, ſunt nota animalia. At vero *upupa*, *attacus*, & *mygale* omnino ignota. Reliqua hic deſcribo.

V. 13. Et Gryphem. Non ſunt hic gryphes illi fabuloſi veterum, ſed certum genus animalis; forte ad ſpeciem aquilarum

rum

rum accedebant: de qua re non una eſt omnium ſententia, qualis, inquam, fuerit hæc avis. HALIAEETUS, ἁλιαίετος, *aquila marina*: ἅλς, *mare*; ἁλιεύω, *piſcor*. Vide Plinium Lib. X. cap. III.

V. 16. STRUTHIO, avium maxima, nec tamen volat, Iob cap. XXXIX. LARUS eſt ex milvorum genere: volat in aere, & natat in aquis: prædo piſcium eſt. Vide Oppianum, de aucupio, in ixeuticis, ſeu de aucupio.

V. 17. IBIS, avis AEgyptiaca, quæ homines clyſterem docuit, ex Plinio Lib. LXXXI. cap. XXVII. MERGULUS a mergendo nomen. Septuag. καταῤῥάκτην vocant, ab impetu, cum ſe dat in aquas.

V. 18. ONOCROTALUS apud Sept. eſt pelicanus. PORPHYRIO, avis criſtata, roſtrum, & crura habet rubicunda. Inter aves ſola morſu bibit, a colore nomen habet Græcum. Cetera pervia ſunt.

V. 19. HERODION, aliquibus eſt ciconia; aliis genus aquilæ; aliis fulica. Hebr. חסד *cheſed*, *pietas*: hinc חסידה *chaſida*, quaſi pia avis. CHARADRION varie deſignatur, aut milvus, aut picus, aut ardea.

V. 22. BRUCHUS & ATTACUS ſunt ſpecies locuſtæ. OPHIOMACHUS, quaſi gerens bellum cum ſerpente, ὀφιόμαχος, ſpecies locuſtæ eſt, de qua, eiuſque bello cum ſerpente, Ariſtot. Lib. IX. de Hiſtor. animal. cap. VI.

V. 24. MORTICINA. Morticinum hoc loco late patet, & eſt cadaver, ſive naturaliter, ſive illata nece mortuum. Quod dicitur, USQUE AD VESPERAM, Caietanus vult adveniente hoc termino, ceſſare immunditiam; alii neſcio quas ablutiones requirunt: non lego de hoc præceptum.

V. 27. QUOD AMBULAT SUPER MANUS, ut ſimia, urſus. &c.

V. 30. MYGALE. Vocis ratio putatur ἐκ μυὸς καὶ γαλῆς, ex mure & muſtela natum animal: verius eſt non inde gigni; ſed cum referat murem magnitudine, & muſtelam colore, potuit inde nomen habuiſſe. Cetera nota ſunt.

V. 34. Hoc debet intelligi de aqua fuſa ex vaſe polluto: idem intellige in verbis his, EX UNIVERSO VASE, ſcilicet polluto.

V. 35. Inter hæc fictilia (quæ polluta frangi debebant) ſunt CHYTROPODES, quod genus eſt vaſis culinarii: χύτροι ſunt ollæ chytropodes, ollæ cum pedibus; ollarum ſuſtentacula.

V. 36. FONTES, &c. Non vult Deus fontes, & ciſternas pollui morticinis, quia ſunt in publicum uſum. Quod ſubditur, τὸ EORUM, referri poteſt, vel ad cadavera animalium hactenus recenſita, vel ad fontes & ciſternas.

V. 37. & 38. Per ſementem hic intellige eam quæ nondum terræ commiſſa eſt. Ea itaque ſi deſtinata eſt ſationi, non polluitur per morticinum; tamen ſi contingat eam perfundi aqua, & mox tangatur morticino, polluetur: nam ſic humectata non poteſt cito ſeminari, & proinde ſatis temporis erit ad tollendam pollutionem.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 9. PINNULAS. Piſces illi mundi habebantur qui nec pinnulas habebant, nec ſquamas, ut eſt anguilla.

V. 30. CHAMAELEON, animal inſtar lacertæ, Plin. Lib. VIII. cap. XXXIII. STELLIO a ſtellis nomen habet, quod tergum habeat velut ſtellis variegatum: animal ſimile lacertæ, ſed minus.

V. 32. CILICIA, veſtis ex pilis dura, aut ſaccus. Heb. שק *ſak*.

V. 40. ET QUI COMEDERIT, &c. tamen ſi ſciens id feciſſet, peccabat, dignus ſupplicio.

V. 42. & 43. Reptilia ſuper terram tangere non poterant.

CA-

CAPUT XII.

Puerpera immunditia, & mundatio cum oblatione.

1 LOcutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens: 2. Loquere fi-
liis Iſrael, & dices ad eos: (*a*) Mulier, ſi ſuſcepto ſemine
pepererit maſculum, immunda erit ſeptem diebus, iuxta
dies ſeparationis menſtruæ. 3. (*b*) Et die octavo circum-
cidetur infantulus: 4. ipſa vero triginta tribus diebus mané-
bit in ſanguine purificationis ſuæ. Omne ſanctum non tan-
get, nec ingredietur in ſanctuarium, donec impleantur dies
purificationis ſuæ. 5. Sin autem feminam pepererit, immun-
da erit duabus hebdomadibus, iuxta ritum fluxus menſtrui, & ſexaginta ſex die-
bus manebit in ſanguine purificationis ſuæ. 6. Cumque expleti fuerint dies puri-
ficationis ſuæ, pro filio, ſive pro filia, deferet agnum anniculum in holocauſtum,
& pullum columbæ, ſive turturem pro peccato, ad oſtium tabernaculi teſtimonii,
& tradet ſacerdoti 7. qui offeret illa coram Domino, & orabit pro ea, & ſic
mundabitur a profluvio ſanguinis ſui: iſta eſt lex parientis maſculum, aut femi-
nam. 8. Quod ſi non invenerit manus eius, nec potuerit offerre agnum, ſumet
(*c*) duos turtures, vel duos pullos columbarum, unum in holocauſtum, & al-
terum pro peccato: orabitque pro ea ſacerdos, & ſic mundabitur.

(*a*) Luc. II. 22. (*b*) Luc. II. 21. Ioan. VII. 22. (*c*) Sup. v. 7. & II. Luc. II. 24.

COMMENTARIA

SA.

Verſ. 2. SI SUSCEPTO SEMINE pro ſi concipiens. Chald. *ſi conceperit, &c.* IUXTA DIES, &c. quaſi dicat, eo modo quo cum menſtrua patitur. Nota, quod iſtis ſeptem diebus nulli licebat cum illa verſari; at triginta ſequentibus licebat quidem, ſed non cum ea rem habere.

V. 4. MANEBIT; ſcilicet velut immunda. IN SANGUINE, &c. id eſt ob fluxum ſanguinis, de quo purificanda eſt. OMNE SANCTUM, pro ullum ſanctum: verbi gratia, decimas, ſacrificia, &c. INGREDIETUR; id eſt, accedet, ſcilicet ad oſtium atrii.

V. 6. DEFERET, iunge cum ſequentibus: non enim pro fetu, ſed pro matre fiebat oblatio; etſi quidam aliter putant. TABERNACULI, id eſt atrii,

V. 7. ORABIT PRO EA. Hebr. *Expiabit eam*. Chal. & LXX. *Propitiabit pro ea*; quaſi dicat, Deum placabit, ſcilicet per ſacrificium: ſic & infra.

V. 8. NEC POTUERIT. Explicatio præcedentis phraſis Hebraicæ.

ESTII.

Verſ. 2. MULIER, SI SUSCEPTO SEMINE PEPERERIT MASCULUM. Manifeſtum eſt hoc ad B. Virginem non pertinere, quæ nullum ſemen aliunde ſuſcepit, ſed de puriſſimis ſanguinibus ſuis Filium Dei concepit. Vide Hebræa.

V. 5. SIN AUTEM FEMINAM PEPERERIT, IMMUNDA ERIT DUABUS HEBDOMADIBUS, IUXTA RITUM FLUXUS MENSTRUI. Sed quare

re

Digitized by Google

re duplum eſt tempus immunditiæ pro filia? An quia femina mare imperfectior eſt? an quia fluxus menſtrui diuturnior eſt ex nata filia? Unde dicitur, *Immunda erit duabus hebdomadibus, juxta ritum fluxus menſtrui*. Non eſt autem putandum idcirco duplicari tempus immunditiæ pro filia, quod mulier in prima tranſgreſſione gravius viro peccaverit, ut quidam putant: longe quippe probabilius eſt, virum gravius peccaſſe. Vide noſtra in ſecunda ſentent. diſtinct. XXII.

Verſ. 6. CUMQUE EXPLETI FUERINT DIES PURIFICATIONIS SUAE PRO FILIO, SIVE PRO FILIA, DEFERET AGNUM ANNICULUM. Illud, *Pro filio, ſive pro filia*, iungendum præcedentibus, non ſequentibus: non enim oblatio hæc fiebat pro prole nata, ſed pro purificatione matris (vide Ianſenium in Luc. cap. II.) unde & poſtea dicitur: *Et orabit pro ea, & ſic mundabitur a profluvio ſanguinis ſui*: & iterum in fine capitis: *Orabitque pro ea ſacerdos, & ſic mundabitur*. Illud ergo, *Purificationis ſuæ pro filio, ſive pro filia*, hunc habet ſenſum: *Purificationis*, ſcilicet ab immunditia contracta ex partu filii, aut filiæ.

Sed quæſtio oritur, cur Eccleſia non iudaizet exercens adhuc cæremoniam purificationis mulierum ex partu. Reſpondeo: Non exercet cæremoniam hic præſcriptam, nec intendit quidquam Iudaicum, aut Moſaicum obſervare; ſed tantum pro gratiarum actione facit aliquid legi Chriſtianæ congruens.

At dices: Si purificatio eſt, ergo ab aliqua immunditia: nam alioqui purificatio dici non poſſet. Atqui non ab immunditia naturali, neque a ſpirituali: ergo ab immunditia legali. Reſpondeo, a nulla immunditia: nam abuſive purificatio vocatur, eo quod ſit cæremonia circa mulierem a partu, ex parte quadam ſimilis ei quæ in veteri lege vocabatur *Purificatio*, ſed pluribus partibus eidem diſſimilis. Eſt autem cæremonia qua mulier puerpera, quæ ob honeſtatem publicam a partu ſe domi tempore puerperii continuit, nec in publicum prodiit, in Eccleſiam progreſſa, a ſacerdote ſuſcipitur cum aliqua benedictione, quod prolem genuerit Deo & Eccleſiæ.

MARIANAE.

Verſ. 2. MULIER, SI SUSCEPTO SEMINE PEPERERIT MASCULUM. Chald. *Mulier quando conceperit*. Hebr. *quando ſeminaverit*. Seminare, concipere eſt. IUXTA DIES SEPARATIONIS MENSTRUAE. Inferius præcipitur, ut mulier menſtruum patiens, ſeptem diebus ſit immunda: ſic hic in maſculi partu.

V. 5. DUABUS HEBDOMADIBUS. Geminatur tempus in partu feminæ, quod ſanguinis plus & ſordium ſit in eo.

MALVENDAE.

Verſ. 2. MULIER, SI SUSCEPTO SEMINE PEPERERIT &c. Hebræa varie reddunt. I. *Mulier ſi emiſſo ſemine conceperit, & pepererit maſculum*. II. *Mulier ſi ſemen emiſerit, & pepererit*. III. *Mulier ſi faciet ſemen, & pariet maſculum*. IV. *Mulier cum edit ſemen, ſi peperit maſculum*. Semen hic quidam pro prole accipiunt, alii pro materia & inſtrumento geniture. SEPARATIONIS MENSTRUAE נדה *niddah*, aiunt eſſe *remotionem*, *reiectionem*, *reiectamentum*, id eſt factum aliquod, ſeu rem quæ propter immunditiam ſuam removetur, & reiicitur. Pro *menſtruis* capi ſolere annotant, ut infra cap. XV. verſ. 19. 24. 25. 26. interdum pro ipſa *menſtruata*: hæc enim propter immunditiam removentur. דאות *deoth*, quidam nomen eſſe volunt, alii infinitivum: exponuntque *debilitatem*, *languorem*, *morbum*. Atque hic reddunt, *iuxta dies remotionis languoris eius*, vel *iuxta dies remotionis debilitari*, vel *elangueſcere eam*, id eſt iuxta dies menſtrui debilitatis ſuæ. Quidam, *ſecundum dies, quibus ſeparatur languore ſuo*; id eſt, ut ſeptiduum immunda eſt ex purgatione ſua menſtrua, naturæ ordine; quaſi dicat: Tunc tot dies immunda erit, quotquot alias patitur menſtrua, quod tempus ſeptiduum eſſe ſolet, quo ipſa ſecedere ſolet, & amoveri a commercio reliquorum hominum, propter languorem menſtrui fluxus. Vide infra cap. XV. verſ. 19. Unde quod Noſter ait *ſeparationis menſtruæ*, id eſt quibus ipſa menſtruata ſeparatur a reliquis hominibus

tam-

tamquam immunda propter menſtruum fluorem.

V. 3. Die octavo circumcidetur. Notant quidam, quod etſi lex circumciſionis diu ante lata fuerit, videtur tamen Deus hoc conſilio in diem octavum illam reieciſſe, propter ſeptiduum quo impura eſt mater, & impurat partum.

V. 4. In sanguine purificationis. Volunt eſſe hypallagem, in purificatione ſanguinis, & ſic deinceps; quaſi dicat: Triginta illos tres dies manebit, dum pura & ſicca redditur ab immunditia profluentis ſanguinis, quem in partu effudit. Quo tempore non amplius ab hominum conſortio, ſed a rebus ſacris abſtinebat. Quidam hic ſanguinem pro impuritate ex eo contracta metonymice accipi volunt. In sanctuarium. Atrium populi intelligunt, ideſt locum ſanctum, ubi populus Dei ſacros cœtus habere ſolebat: proinde multo minus alias loci ſancti partes ingredi permittebatur. Id videtur fuiſſe ad ianuam atrii tentorii ſtationis, ubi oblationes fiebant.

V. 5. Iuxta ritum fluxus menstrui. Hebr. *ſecundum remotionem* ſeu *ſeparationem ſuam*; ideſt, ſicut ſeparari ſolet menſtruata a commercio aliorum hominum, tenebitur eadem lege impuritatis qua menſtruata. Hoc non refertur ad numerum dierum, nam hic eſt duplo maior; ſed ad ſeparationem & impuritatem, ut verſ. 2.

V. 7. A profluvio sanguinis sui, id eſt ab impuritate quam contraxerat e fluxu ſanguinis in partu. Metonymia.

V. 8. Quod si non invenerit manus eius, nec potuerit offerre agnum. Hebr. *Et ſi non inveniet manus eius ſufficientiam pecudis*; ideſt, quod ſi non aſſequatur manus eius, quantum ſatis eſt pro pecude. Vide cap. v. verſ. 7. Et alterum pro peccato. Hebr. *in peccatum*, *in peccatorium*, ſeu *in ſacrificium pro peccato*. Diſquirunt aliqui quodnam eſſet id peccatum pro cuius expiatione id genus ſacrificii offerretur. Sed ex vi vocis Hebraicæ nihil neceſſe eſt hic aliquod peccatum, ſeu culpam intelligere; ſed ſacrificii dumtaxat quoddam genus, quod *peccatum*, ſeu *peccatorium* dicebatur, cuius ritum ſupra cap. iv. fuſe deſcriptum habes: quod etſi in plurimum pro aliquo delicto aut culpa offeretur; interdum tamen non niſi pro aliqua immunditia aut impuritate corporea, ſeu caſu, ſeu a natura, ſeu ex culpa contracta, expianda immolabatur; ut pro lepra infra cap. xv. verſ. 19. & 22. item pro feminis fluxu cap. xv. verſ. 14. & 15. Sic hic ſacrificium iſtud pro peccato, fiebat pro emundatione ſordium partus, & ſanguinis impuritatis: nam ſubditur: *& expiabit*, *purefaciet eam ſacerdos*; *& mundabitur*.

MENOCHII.

Verſ. 2. Si suscepto semine: LXX. ἐὰν σπερματισθῇ, *ſi fuerit ſemine in concubitu perfuſa*; *ſi conceperit ſemine viri recepto*. Hinc B. Virgo concipiens Chriſtum ex Spiritu ſancto, hac lege obligata non fuit. Immunda erit septem diebus: ita ut nemini, ne marito quidem cum ea verſari liceat per ſeptem dies; reliquis vero triginta tribus qui ſuperſunt uſque ad quadrageſimum, arceatur quidem ſanctuario, ſed tamen cum ea loqui, veſci, & verſari (non tamen copulam habere, erat enim inſtar menſtruatæ) liceat: idcirco hiſce ſeptem diebus dicebatur ſeparata, erantque hi dies ſeparationis; reliqui vero triginta tres erat dies purificationis. Iuxta dies separationis menstruae; quaſi dicat: Hiſce ſeptem diebus tam immunda erit quam mulier menſtruata, & eodem modo ſe ſeparatam, & ut immundam gerere debebit, ac menſtruatam, de qua cap. xv. 19.

V. 4. In sanguine, &c. ob fluxum ſanguinis, quo aſſidue purgatur.

V. 5. Duabus hebdomadibus, diebus ſcilicet quatuordecim, quod erat duplum dierum ſeparationis, ſi peperiſſet maſculum, ut dictum eſt num. 2. Sexaginta sex diebus, &c. ita ut additis illis 14. eſſent octoginta. Diuturnius vero tempus feminis aſſignatur quam proli maſculæ: quia mulieres quæ femellas pariunt, diuturnius purgantur a partu, adeo ut illa purgatio aliquando uſque ad octogeſimum diem perveniat, cum poſt partum maſculi ultra quadrageſimum non ex-

Digitized by Google

extendatur, ut docet Valeſius de ſacra Philoſophia cap. XVIII.

V. 6. DEFERET AGNUM, &c. non pro prolis editæ, ſed pro ſui ipſius purificatione. AGNUM ANNICULUM: ut gratias agat Deo quod periculum partus evaſerit. PRO PECCATO, pro immunditia, quæ eſt quoddam legale peccatum, quod eo ſacrificio tollebatur. Vel etiam intellige de peccato proprie accepto, ſi quod in puerperio, vel alias admiſit.

V. 7. MUNDABITUR A PROFLUVIO SANGUINIS SUI, ab immunditia legali, quam contraxit ob fluxum ſanguinis puerperii, ut deinceps ſanctuarium adire, ſacra tangere, offerre victimas alias, iiſque veſci poſſit.

V. 8. SI NON INVENERIT MANUS EIUS, &c. Heb. *ſi non invenerit manus eius ſufficientiam agni*: ſi adeo fuerit pauper ut pretium ad agnum emendum ſufficiens habere non poſſit, &c. Ita fecit B. Virgo ſpiritu, & cenſu pauper.

TIRINI.

Verſ. 2. MULIER, SI SUSCEPTO SEMINE PEPERIT. Ita etiam verterunt Septuaginta, & Vatablus: & SS. Patres *a* etiam communiter ita exponunt; docentque, B. Virginem, quia ſine ſuſcepto ſemine peperit, hac lege comprehenſam non fuiſſe, neque immunditiem legalem incurriſſe. Idem fatentur Philippus Melanchthon, Artopæus, & alii quidam hæretici a P. Caniſio *b* citati. Unde conſequenter dicunt iidem Patres, in partu B. Virginis nulla fuiſſe menſtrua, nullas ſecundinas, aliaſque ſordes quæ partum vulgarem conſequi ſolent.

Verſ. 5. IUXTA RITUM FLUXUS MENSTRUI; id eſt, eo ritu & ratione erit immunda, quibus quæ menſtrua patitur. Neque enim omnes legis immunditiæ pares erant, ſed quædam graviores, quædam minus graves. Graviores erant, quibus quæ tenebatur, non ſolum longiori tempore excludebatur a templo, & rerum ſacrarum participatione, ſed inſuper etiam ab hominum conſortio: neque licebat vel atrium templi profanum Gentilium & vulgarium immundorum ingredi, teſte Ioſepho *c*, eo quod homines quoslibet, & quælibet inſtrumenta quæ contingebat, ſuo contactu quoque polluebat, & immunda reddebat. Eiuſmodi erant tria illa immundorum genera, Numeror. v. qui iubebantur excludi caſtris & urbibus, videlicet leproſi, ſeminiflui, & polluti ſuper mortuo. Eiuſdem generis erant etiam menſtruatæ, quæ etſi non excluderentur civitate, tamen domi ita recludebantur, ut cum nemine commercium haberent, niſi cum eo qui cibum, & neceſſaria afferret; qui tamen vel ob hoc ipſum legaliter immundus exiſtebat. Huius ergo eiuſdem generis decernitur hic fore immunditia mulieris parientis, ſi maſculum, ſeptem diebus; ſi femellam, quatuordecim. Ceteræ immunditiæ leviores etſi arcerent a templo, & rebus ſacris, non tamen niſi ad breve tempus: neque excludebant ab hominum conſortio, aut ab atrio templi profano, eo quod per contagionem & contactum non communicarentur aliis, & faciliore ritu, citiuſque tollebantur; cum graviores, uti diuturniores erant, ita etiam difficilius tollerentur, nec niſi peculiaribus ritibus, de quibus cap. xv. & alibi. Et huiuſmodi levior erat hæc ceterorum dierum immunditia in iis quæ pepererant, poſt ſeptimum, vel decimum quartum diem. Quæ immunditia etſi eo caſu diuturniore tempore duraret, non tamen per ſe, aut ex ratione talis immunditiæ id habebat, ſed ſolum per accidens, eo quod cauſa illius diutius duraret, nempe naturalis purgatio parientis, & evacuatio tum ſanguinis, tum aliarum ſordium, quæ fere 40. diebus in partu maſculi, & 80. in femellæ durare ſolent. Qua de re vide, ſi iubet, Hippocratem, & Franciſcum Valeſium *d*.

Nota. Licet hæc lex cum aliis cæremonialibus antiqui teſtamenti iam ſit abolita, poſſintque puerperæ Chriſtianæ ſine peccato ſtatim a partu gratias acturæ templum ingredi, uti reſpondit *e* Innocentius III. tamen ob munditiam, venerationemque ſacrorum, & ad imitationem puriſſimæ Virginis, ſolent ab ingreſſu Eccleſiæ 40. diebus abſtinere, inquit Radulphus, & alii.

(*a*) Patres citati a Suarez Tom. II. part. III. diſp. XII. ſect. 2.
(*b*) Caniſ. Lib. IV. Marial. cap. XII.
(*c*) Ioſephus Lib. II. contra Apionem.
(*d*) Hippocr. Lib. de Natura pueri Valeſ. de Sacra Philoſophia cap. XVIII.
(*e*) Innoc. cap. unico de Purificatione poſt partum.

GORDONI.

Verſ. 2. MULIER SI SUSCEPTO SEMINE. Septuag. *ἐὰν σπερματισθῇ*, *ſemen ſuceperit*. Hebr. תזריע *tazriahh*, *quando ſeminaverit*, aut *ſemen fecerit*, ſeu *emiſerit*, nempe naturali ad partum modo, viri ſemine accedente: quod totum bene expreſſit noſter Interpres: radix זרע active in Hiphil, futur. כתזריע *chitazriahh*. Hinc communiter Patres exemptam docent ab hac lege B. Virginem. Minus recte Caietanus vertit & explicat, *Si prolem fecerit*: nam ſic fruſtra adderetur, PEPERERIT. Nec illi favet Heb. ut expoſui. Lege Suar. III. par. Tom. II. diſp. XIII. ſect. 2.

V. 4. & 6. Non poterit mundari ante exactos illos triginta tres dies, & continebat ſe domi. Sed quodnam eſt hoc peccatum tollendum: nam originale iam ſublatum eſt die octavo per circumciſionem; & congreſſus ipſe matrimonialis poteſt eſſe aliquando ſine peccato: nec ergo filii, nec matris apparet peccatum tollendum. Dici hic poteſt, vel immunditiam matris vocari peccatum, cum Burgenſi, & Ianſenio; vel peccatum intelligi ritum qui ſervari debet in quavis hoſtia pro peccato, dum offertur, quod hic præcipitur. Placet quod ait Ianſenius: *Non inſolens eſt ſolum ritum diſtinctum ab hoſtia vocari peccatum*.

V. 5. Huius diſtinctionis rationem in diebus, afferunt plerique ex iudicio medicorum, qui ſcribunt marem formari perfecte in ſuis organis quadraginta diebus, & proinde die quadrageſimo animari; feminam vero formari perfecte diebus octoginta, tardius nempe ob debilitatem caloris, & virtutis ſeminalis. Ita quidem aliqui. Sed diſſentiunt inter ſe medici, ex quibus multi brevius tempus dat formando fetui, ſive mari, ſive feminæ. At quicquid ſit de medicis, Deus ita voluit hanc legem ſtatuere, idque ex vario diſcrimine utriuſque ſexus, ſive in natura, ſive in humoribus, aut aliunde.

V. 7. ORABIT PRO EA. Heb. *Expiabit eam*; id eſt, Deum placabit per ſacrificium. Sept. *Pro ea propitiabitur*.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 6. PRO PECCATO, pro immunditia: eſt enim hoc quoddam legale peccatum, & quod per tale ſacrificium tollebatur.

V. 7. MUNDABITUR, ab immunditia legali.

V. 8. SUMET DUOS TURTURES, &c. Iuxta hanc legis extenſionem fecit Beata Virgo, ut docet Evangeliſta.

CAPUT XIII.

Lex, & cognitio lepræ in homine, & veſtimento.

1 LOcutuſque eſt Dominus ad Moyſen, & Aaron, dicens: 2.
Homo, in cuius cute & carne ortus fuerit diverſus color
ſive puſtula, aut quaſi lucens quidpiam, id eſt plaga lepræ,
adducetur ad Aaron ſacerdotem, vel ad unum quemlibet
filiorum eius. 3. Qui cum viderit lepram in cute, & pilos
in album mutatos colorem, ipſamque ſpeciem lepræ humi-
liorem cute & carne reliqua; plaga lepræ eſt, & ad arbi-
trium eius ſeparabitur. 4. Sin autem lucens candor fuerit in
cute, nec humilior carne reliqua, & pili coloris priſtini, recludet eum ſacerdos
ſeptem diebus, 5. & conſiderabit die ſeptimo: & ſi quidem lepra ultra non cre-
verit, nec tranſierit in cute priores terminos, rurſum recludet eum ſeptem die-
bus

bus aliis. 6. Et die ſeptimo contemplabitur : ſi obſcurior fuerit lepra , & non creverit in cute, mundabit eum, quia ſcabies eſt: lavabitque homo veſtimenta ſua, & mundus erit. 7. Quod ſi poſtquam a ſacerdote viſus eſt, & redditus munditiæ, iterum lepra creverit; adducetur ad eum, 8. & immunditiæ condemnabitur. 9. Plaga lepræ ſi fuerit in homine, adducetur ad ſacerdotem, 10. & videbit eum. Cumque color albus in cute fuerit, & capillorum mutaverit aſpectum, ipſa quoque caro viva apparuerit: 11. lepra vetuſtiſſima iudicabitur , atque inolita cuti. Contaminabit itaque eum ſacerdos, & non recludet , quia perſpicuæ immunditiæ eſt. 12. Sin autem effloruerit diſcurrens lepra in cute, * & operuerit omnem cutem a capite uſque ad pedes, quidquid ſub aſpectum oculorum cadit, 13. conſiderabit eum ſacerdos, & teneri lepra mundiſſima iudicabit: eo quod omnis in candorem verſa ſit, & idcirco homo mundus erit. 14. Quando vero caro vivens in eo apparuerit, 15. tunc ſacerdotis iudicio polluetur, & inter immundos reputabitur: caro enim viva ſi lepra aſpergitur, immunda eſt. 16. Quod ſi rurſum verſa fuerit in alborem, & totum hominem operuerit, 17. conſiderabit eum ſacerdos, & mundum eſſe decernet. 18. Caro autem & cutis in qua ulcus natum eſt & ſanatum, 19. & in loco ulceris cicatrix alba apparuerit, ſive ſubruſa, adducetur homo ad ſacerdotem: 20. qui cum viderit locum lepræ humiliorem carne reliqua, & pilos verſos in candorem, contaminabit eum: plaga enim lepræ orta eſt in ulcere. 21. Quod ſi pilus coloris eſt priſtini, & cicatrix ſubobſcura, & vicina carne non eſt humilior, recludet eum ſeptem diebus, 22. & ſi quidem creverit, adiudicabit eum lepræ: 23. ſin autem ſteterit in loco ſuo, ulceris eſt cicatrix, & homo mundus erit. 24. Caro autem & cutis quam ignis exuſſerit, & ſanata albam ſive ruſam habuerit cicatricem, 25. conſiderabit eam ſacerdos, & ecce verſa eſt in alborem, & locus eius reliqua cute eſt humilior: contaminabit eum, quia plaga lepræ in cicatrice orta eſt. 26. Quod ſi pilorum color non fuerit immutatus, nec humilior plaga carne reliqua, & ipſa lepræ ſpecies fuerit ſubobſcura, recludet eum ſeptem diebus, 27. & die ſeptimo contemplabitur: ſi creverit in cute lepra, contaminabit eum: 28. ſin autem in loco ſuo candor ſteterit non ſatis clarus, plaga combuſtionis eſt, & idcirco mundabitur, quia cicatrix eſt combuſturæ. 29. Vir, ſive mulier, in cuius capite, vel barba germinaverit lepra, videbit eos ſacerdos: 30. & ſi quidem humilior fuerit locus carne reliqua, & capillus flavus, ſolitoque ſubtilior; contaminabit eos, quia lepra capitis ac barbæ eſt. 31. Sin autem viderit locum maculæ æqualem vicinæ carni, & capillum nigrum: * recludet eum ſeptem diebus, 32. & die ſeptimo intuebitur. Si non creverit macula, & capillus ſui coloris eſt, & locus plagæ carni reliquæ æqualis: 33. radetur homo abſque loco maculæ, & includetur, ſeptem diebus aliis. 34. Si die ſeptimo viſa fuerit ſtetiſſe plaga in loco ſuo, nec humilior carne reliqua, mundabit eum, lotiſque veſtibus ſuis mundus erit. 35. Sin autem poſt emundationem rurſus creverit macula in cute, 36. non quæret amplius utrum capillus in flavum colorem ſit immutatus, quia aperte immundus eſt. 37. Porro ſi ſteterit macula, & capilli nigri fuerint, noverit hominem ſanatum eſſe, & confidenter eum pronuntiet mundum. 38. Vir, ſive mulier, in cuius cute candor apparuerit, 39. intuebitur eos ſacerdos: ſi deprehenderit ſubobſcurum alborem lucere in cute, ſciat non eſſe lepram, ſed maculam coloris candidi, & hominem mundum. 40. Vir, de cuius capite capilli fluunt, calvus & mundus eſt: 41. & ſi a fronte ce-

ciderint pili, recalvaſter & mundus eſt. 42. Sin autem in calvitio ſive in recalvatione albus, vel rufus color fuerit exortus, 43. & hoc ſacerdos viderit, condemnabit eum haud dubie lepræ, quæ orta eſt in calvitio. 44. Quicumque ergo maculatus fuerit lepra, & ſeparatus eſt ad arbitrium ſacerdotis, 45. habebit veſtimenta diſſuta, caput nudum, os veſte contectum, contaminatum ac ſordidum ſe clamabit. 46. Omni tempore, quo leproſus eſt & immundus, ſolus habitabit extra caſtra. 47. Veſtis lanea, ſive linea, quæ lepram habuerit 48. in ſtamine atque ſubtegmine, aut certe pellis, vel quidquid ex pelle confectum eſt, 49. ſi alba, vel rufa macula fuerit infecta, lepra reputabitur, oſtendeturque ſacerdoti. 50. Qui conſideratam recludet ſeptem diebus: 51. & die ſeptimo rurſus aſpiciens ſi deprehenderit creviſſe, lepra perſeverans eſt: pollutum iudicabit veſtimentum, & omne in quo fuerit inventa: 52. & idcirco comburetur flammis. 53. Quod ſi eam viderit non creviſſe, 54. præcipiet, & lavabunt id in quo lepra eſt, recludetque illud ſeptem diebus aliis. 55. Et cum viderit faciem quidem priſtinam non reverſam, nec tamen creviſſe lepram, immundum iudicabit, & igne comburet, eo quod infuſa ſit in ſuperficie veſtimenti, vel per totum, lepra. 56. Sin autem obſcurior fuerit locus lepræ, poſtquam veſtis eſt lota, abrumpet eum, & a ſolido dividet. 57. Quod ſi ultra apparuerit in his locis, quæ prius immaculata erant, lepra volatilis & vaga; debet igne comburi. 58. Si ceſſaverit, lavabit aqua ea quæ pura ſunt, ſecundo, & munda erunt. 59. Iſta eſt lex lepræ veſtimenti lanei & linei, ſtaminis, atque ſubtegminis, omniſque ſupellectilis pelliceæ, quomodo mundari debeat, vel contaminari.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 12. *Et operuerit omnem cutem*. Quod alii libri ſcribunt *carnem*, hic emendatum eſt, *cutem*, quod eſt pellem, conſentanee Hebræo.

V. 31. *Recludet eum ſeptem diebus*. Non mutes numerum ſingularem *eum* plurali *eis*.

COMMENTARIA

S A.

Verſ. 2. DIVERSUS COLOR SIVE PUTULA, AUT QUASI LUCENS QUIDPIAM. Alii, *tumor, vel ſcabies ſerpens*, *vel candida macula*. PLAGA LEPRAE; id eſt, quod videatur eſſe plaga lepræ.

V. 3. ARBITRIUM, id eſt iudicium, de conſilio tamen medicorum, ut quidam dicunt. SEPARABITUR, ſcilicet ut immundus.

V. 6. MUNDABIT; id, eſt mundum declarabit.

V. 8. CONDEMNABITUR, ſcilicet *re diligenter a ſacerdote examinata*, ut eſt Hebraice.

V. 10. COLOR ALBUS. Chald. *alba macula* LXX. *cicatrix alba*. ASPECTUM, id eſt colorem. ſcilicet *in album*, ut eſt Hebraice. VIVA, ſcilicet in macula, ſeu cicatrice.

V. 11. CONTAMINABIT; id eſt, contaminatum iudicabit.

V. 13. MUNDISSIMA; quaſi dicat: Videtur quidem lepra, ſed revera non eſt.

V. VIVENS, pro viva. IN EO, ſcilicet in lepra, rupta cute.

V. 15. POLLUETUR; id eſt, immundus habebitur. SI LEPRA ASPERGITUR. Heb. *Leproſa eſt*; quaſi dicat: Illa carnis vivacitas lepram indicat,

V. 26. IMMUTATUS, ſcilicet *in albedinem*, ut eſt Hebr.

V. 28.

Digitized by Google

V. 28. Mundabitur; id eſt, munda iudicabitur.

V. 31. Nigrum. Hebr. & Chald. *non nigrum*.

V. 32. Sui coloris. Chald. & LXX. *non flavus*.

V. 34. Mundabit; id eſt, mundum iudicabit.

V. 42. In calvitio, sive in recalvatione, ſcilicet calvo, vel recalvaſtro; illud in occipitio, id in fronte dicitur.

V. 45. Dissuta. Signum id luctus, ſicut & veſtis lacerata. Veste, ſcilicet reiecta in labrum ſuperius. Clamabit, ſcilicet dicens, Cavete a me immundo.

V. 49. Alba. Hebraice & LXX. *viridis*: Chald. *pallida*.

V. 54. Praecipiet, et lavabunt; pro, præcipiet lavari.

V. 55. Faciem, id eſt colorem. In superficie, &c. Hebr. eodem ſenſu dicitur, *in calvitio*, *vel recalvatione*; quaſi dicat, parte poſteriori, aut anteriori.

V. 57. Volatilis et vaga. LXX. *florens*: Chald. *multiplicata*: alii, *repullulaſcens*.

ESTII.

Verſ. 2. Id est plaga leprae, adducetur ad Aaron sacerdotem. Quæritur quare iudicium lepræ, quod proprium eſt medicorum (his enim competit judicare de morbis) committatur ſacerdotibus. Reſpondeo, id ideo factum eſſe, quia cum ſacerdotium illud conſtitutum eſſet a Deo, etſi typicum, ideo illis ſacerdotibus dari quoque debuit poteſtas iudicandi de iis qui ob immunditiam corporalem debebant corporaliter ab hominum converſatione ſeparari. cuiuſmodi in primis erant leproſi. Simul quoque per hoc fuit ſignificatum, ad ſacerdotes novi teſtamenti pertinere iudicium de iis qui ob immunditiam ſpiritualem, quam lepra illa ſignificabat, ſeparari debeant ab Eccleſiæ, & ſacramentorum eius communione, vel eidem, ſi mundati fuerint, reſtitui. Ad Aaron, vel ad unum quemlibet filiorum eius. Hebraice eſt: *Vel ad unum e filiis eius ſacerdotibus*. Unde hinc non conſequitur, quod iudicium lepræ cuiuſcumque hominis Iſraelitæ ſpectarit ad quemlibet promiſcue ſacerdotem, ſed ad certum aliquem, cuius vices eſſent, aut cui id eſſet commiſſum. Nam, ut indicatur capite proxime ſequenti. in loco ſacrificii mundatio illa fieri debebat.

V. 6. Mundabit eum, & verſ. 11. e contra: Contaminabit itaque eum sacerdos. Nota. Mundat ſacerdos Aaronicus, quando mundum pronuntiat; contaminat, quando contaminatum & immundum declarat. Hinc hæreticus ſic argumentatur: Sacerdos veteris teſtamenti tantum ideo mundat, quia mundum pronuntiat; ergo nihil etiam amplius facit ſacerdos novi teſtamenti, cuius ille typum geſſit. Sed reſpondeo, comparationem hanc admodum eſſe iniquam inter ſacerdotium novum & vetus, & utriuſque poteſtatem. Illud enim umbraticum erat, iſtud verum; illud carnale, iſtud ſpirituale. Unde nihil mirum ſi ſacerdotibus novæ legis maiorem poteſtatem contulerit Deus in iudicandis peccatis, quam ſacerdotibus veteris legis in iudicio de lepra. Eſt tamen etiam utrobique aliquid ſimile. Sicut enim ibi ſacerdos neminem mundabat, niſi qui a lepra mundus erat; ita hic neminem efficaciter abſolvit ſacerdos, niſi qui lepram peccati iam voluntate & propoſito excluſerit: abſolvendo enim, a reatu liberat, non affectum mutat. Et ſicut ſacerdos veteris legis pronuntiando facit ut quis mundus habeatur coram hominibus, id eſt legaliter ſit mundus; ita novæ legis ſacerdos abſolvendo facit ut ſpiritualiter ſit mundus, ut plenius probari ſolet Matth. xvi. & Joan. xx.

V. 45. Habebit (leproſus) vestimenta dissuta, caput nudum, os veste contectum. Ad litteram præſcribuntur certa ſigna ex quibus cognoſci poſſit eum eſſe leproſum, ut alii ab eo ſibi caveant; ſicut qui morantur in domibus peſte infectis, quando verſantur in publico geſtant albam virgulam, ut ea conſpecta, alii caveant propius ad eos accedere.

Myſtice autem per leproſum peccator intelligitur, qui *veſtimenta diſſuta* habet, quia virtutes animæ diſſolutas; *caput nudum*, quia galea ſalutis ſpoliatus eſt; *os contectum*, quia peccatori dicitur: *Quare tu enarras iuſtificationes meas?* & rurſum: *Non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris*. Denique ut ad ſalutem perveniat, *immundum*

& con-

& contaminatum ſe clamare debet; id eſt, peccata ſua agnoſcere, & confiteri.

V. 57. Lepra volatilis et vaga. Lepra ſecundum Auguſtinum, inter cetera peccata, præcipue hæreſim ſignificat. Qua interpretatione ſervata, poterit haud inepte per lepram volatilem & vagam intelligi hæreſis noſtrorum politicorum, qui cenſent, mutato principe, vel magiſtratu, vel mutata principis de religione ſententia, mutandam etiam eſſe religionem, ut religio ſerviat politiæ, non contra; & prout hæc vel illa ſecta convenit ſervandæ paci, tranquillitati, & proſperitati Reipub. eatenus eam eſſe ſuſcipiendam aut retinendam. Nefandum monſtrum.

MARIANAE.

Verſ. 2. Diversus color sive pustula, aut quasi lucens quidpiam. Alii *tumor, aut puſtula, aut candor lucens*. Ea eſt vis vocum Hebraicarum.

V. 3. Lepram in cute. *Plagam* Chald. nam de lepra diſquiſitio eſt quibus indiciis agnoſcatur. Quod vero additur, Et ad arbitrium eius separabitur, Hebr. *Et polluet eum*; hoc eſt, pollutum iudicabit ſacerdos.

V. 5. Lepra ultra non creverit. Hebr. *Si plaga non creverit*. Noſter *lepram* pro *plaga* ſumpſit.

V. 6. Mundabit eum, quia scabies est. *Puſtula eſt*: ſic eam vocem *miſpahath* verſ. 1. vertit Hieronymus: ſic utrobique Chald. Sententia nihil diſcrepat.

V. 8. Et immunditiae condemnabitur. In Hebræo additur, *lepra eſt*: ſic Sept. & Chald.

V. 9. Plaga leprae. Vocem quam Hieronymus ſuperius vertit *lepram*, hic pro ea *plagam* ponit. Superius de lepra dubia actum eſt, hic de manifeſta.

V. 12. Sin autem effloruerit; id eſt, germinaverit, creverit. Vide myſterium: ſi lepra totum corpus occupat, non reiicitur; mixta potiſſimum averſatur Deus.

MALVENDAE.

Verſ. 2. Pustula. ספחת *ſappachat*, aiunt eſſe *plagam*, ſeu *maculam*, *ſcrobem*, quæ in carne hominis incidit abſque læſione alterius, quæque ſua ſponte incidit in carnem hominis: nempe deducunt ex nomine ספיח *ſaphiach*, id eſt *ſponte deciduum*. Alii *morpheam* reddunt: alii *ſcabiem*. Hebræorum nonnulli eam quam vulgo *peladam*, aut *peladillam* vocant, eſſe exiſtimant, quæ pilis adhæret, & eos ſecum una trahit: nam *ſaphach* eſt *adiicere*, *adiungere*, *adhærere*. *Scabiem coniunctam*, *& congregatam*, aliqui reddunt. Alii *poſtema*. Ego *adiunctionem*, *aggregationem*, humoris *ſuppurationem*. Quidam *inhærentiam*. Aut quasi lucens quidpiam. בהרת *baheret*, varie reddunt: *candorem*, *emicantiam*, *eminentiam*, *candidulam*, *papulam albam*, *candicantiam*, *maculam albam*.

V. 3. Pilos in album mutatos. Notant, hanc eſſe ſpeciem lepræ omnium graviſſimam, & deterrimam, quæ cutem aſpergit albis maculis nivem referentibus. Vide Exodi IV. 6. & Num. XII. 10. Humiliorem cute. Obſervant, id eſſe alterum indicium deterrimæ lepræ, quod cutem contrahit, & inæquabilem facit, elephantiaſis, tamquam ſi frigeretur, ex ſanguine inflammato aduſta cutis. Quidam reddunt: *Et ſpecies plagæ demiſſior fuerit*; id eſt, intro refugerit: vel, *Et ipſa ſuperficies loci affecti demiſſior fuerit*, quod lepra & cutem, & carnem excedit & arrodit.

V. 5. Et si quidem lepra ultra non creverit. Hebr. *Et ecce plaga ſtetit in oculis eius*. Quidam exponunt, *in oculis ſacerdotis*, id eſt iudicio eius. Alii: *Si ecce plaga conſtiterit in ſpeciebus ſuis*; id eſt, ſi ſteterit in aſpectu, ſpecie, colore ſuo, ut antea erat: qua ratione accipiunt plerique Hebræorum, Chaldæum ſecuti.

V. 14. Caro vivens; id eſt, cum in plaga conſpicietur viva caro intermixta illi carni quæ mutata fuerat in album: nam varietas colorum indicium eſt lepræ, ut contra unus color, ſanitatis: paſſim hoc capite.

V. 23. Cicatrix. צרבת *tzarebeth*, aiunt

aiunt proprie eſſe *aduſtulatum*, *pus aduſtulatum*, id eſt *cruſtam* illam quæ ex pure induruit. Quidam *corticem*. Noſter *cicatricem*: quod plerique ſequuntur. Alii *aduſtionem*, *inuſtionem*, *combuſtionem*, reddiderunt.

V. 24. ET SANATA ALBAM SIVE RUFAM HABUERIT CICATRICEM. Nos Hebræa ad verbum expreſſimus (*Et erit vivacitas aduſtionis emicantia alba*, *ſubrubra*, *aut alba*.) Alii ſic reddunt. I. *Et fuerit in ſanitate aduſtionis macula alba*, *ſubrufa*, *aut alba*. II. Et vivum illud aduſtionis habuerit maculam candicantem, *ſubrufam*, *aut albam*; ſubaudiunt *aut albam* tantum. Id eſt, ſi exorta fuerit in parte ambuſta, reſtituta ſanitati, macula partim candida, partim rubicunda, aut alba tantummodo. III. *Si erit ſanitas illius aduſtionis*, id eſt pars ſanata ab illa aduſtione, *papula alba*, *ſubrubida*, *aut alba tantum*.

V. 27. QUIA CICATRIX EST COMBUSTURAE. Ex verbo: *Quia inuſtio aduſtionis ipſa*. Alii: *Quia aduſtio combuſti eſt*; id eſt, naſcitur ex humoribus qui ambuſti fuerunt per applicationem ignis externi. Quidam: *Quia odor combuſtionis eſt.* Nonnulli: *Quia cruſta*, *cortex*, *combuſtionis*, *aduſtionis eſt*.

V. 30. CONTAMINABIT EOS, QUIA LEPRA CAPITIS AC BARBAE EST. Omiſit hic Noſter intermediam clauſulam. Hebr. *Et contaminabit eum ſacerdos*: נתק *netbek*, ipſa: *lepra capitis*. *aut barbæ ipſa*. *Netbek* varie exponunt, *rupturam*, *eruptionem*, *extractionem*, *corroſionem*, *pruriginem*, *avulſionem*, *convulſionem*. Hebræi, *maculam nigram*: aliqui *pſoram fœdam*.

V. 31. CAPILLUM NIGRUM. Notant, nigrum colorem capillorum eſſe ſanitatis indicem in hac plaga rupturæ aut pruriginis, ut infra verſ. 37. contra vero aureum, ſeu fulvum, indicium morbi, ſup. verſ. 30.

V. 33. RADETUR. In verbo התגלח *bithgallach*, littera Ghimel eſt magna præter morem: myſterium divinare neſcio: & eſt ſeptima littera magna Hebraica, quæ in Scriptura habetur. Vide cap. 11. verſ. 42.

V. 39. MACULAM COLORIS CANDIDI. Pro tribus his vocibus una tantum eſt Hebraica בהק *bobak*. Hebræorum quidam notant eſſe *genus plagæ albæ*, cui multa ineſt claritas, ſeu ſplendor; ſed minor quam in שאת *ſeeth*, & in ספחת *ſappachat*, & in בהרת *baheret*, de quibus ſup. verſ. 2. A ſplendore & claritate Chaldaico ſignificato dici *bobak* volunt. Quidam putant convenire cum verbo בוק *bok*, *vacuitas*: unde aiunt, eſſe talem *bullam*, ſeu *puſtulam*, quæ intus vacua eſt a purulentia. Plerique ſecuti Noſtrum *maculam albam* interpretantur. Alii *lentiginem*, *puſtulam*, *vomicam*, *vitiliginem*, *maculam ſubrufam*, *& albam quæ vacua eſt a purulentia*, *verrucam*, reddunt. Quidam *puſtulam lucidam*. Nonnulli *phlyzacium*. Eſt autem *phlyzacium* puſtula, ſeu veſicula a ferventibus, & acerrimis humoribus orta, iis quæ ab igne, aut ferventi aqua gignuntur, ſimilis. Nec deſunt qui *morpheam*.

V. 40. CALVUS קרח *kereach*, aiunt *eum eſſe cui defluxerunt crines in poſteriore parte capitis*, id eſt in occipitio, qui natura calvus eſt, non tantum in fronte: & in hoc differunt a גבח *gibbeach*, *calvaſtro*, ſeu *recalvaſtro*, de quo verſ. ſeq. *qui in fronte tantum calvus eſt*. Unde plerique Hebræorum, calvitium volunt eſſe defluxum pilorum a vertice verſus cervicem, ſeu occiput; recalvationem vero a vertice verſus frontem. Alii volunt, calvitiem eſſe fortuitam in anteriore tantum parte capitis; at recalvationem tam fortuitam, quam naturalem, etiam in occipitio. Nonnulli, *skereach*, calvum dici, cuius caput totum depilatum fuerit; *gibbeach*, recalvaſtrum, qui in fronte tantum, non toto capite depilatus eſt.

V. 41. RECALVASTER: *gibbeach*; hoc eſt, qui natura eſt calvaſter, nempe qui in anteriori parte capitis glaber eſt, qui a vertice ad frontem & tempora depilatus eſt. Atqui hoc, & præcedenti verſu diſerte explicatur diſcrimen inter *Skereach*, *calvum*, & *gibbeach*, *præcalvum*, ſeu *calvaſtrum*

V. 42. CALVITIO. קרחת *Skarachat*, *calvities naturalis*, ſeu *fortuita in vertice*, ſeu *occipitio*, aut *totius capitis*. RECALVATIONE. גבחת *gabbachat*, exponunt *calvaſtricem*, *præcalvationem*, *recalvationem*, id eſt glabritiem frontis, ſeu capitis, a vertice verſus frontem & tempora, ut dicitur verſ. 41.

V. 45. OS VESTE CONTECTUM. Hebr. *Et ſuper* שפם *ſapham*, *obteget*, *operiet*,

Digitized by Google

viet, *velabit*. *Sapham*, quidam cenſent a nomine *ſaphah*, id eſt *labium*, differre, ſicut differt totum a ſua parte; hoc eſt, differre tantum quantitate: *ſaphah* enim labium ſignificare, partem oris; ſed *ſapham* totum labritium, id eſt quidquid infra naſum eſt, & continetur, comprehenſo utroque labio, ſuperiore & inferiore, etiam cum mento. Unde hic reddunt: *Et ſuper labritio velabitur*. Alii volunt ſignificare eam tantum partem labiorum quam ſupra os barba contegit, non totum mentum, nec mandibulam: ergo exponunt *barbam*, quæ creſcit ſuper labio, *myſtacem*, qui priſcis Latinis dicebatur *cittex*. Hiſpanice *moſtacho*. Aiunt, ſignum fuiſſe luctus myſtacis obvelationem: myſtacem enim cum linteo ſeu ſudario operiebant in luctu, & etiam in pudefactione, Mich. III. verſ. 7. Ezech. XXIV. 17. ut hic iubetur leproſus. Quidam annotant, leproſos reiecta in humerum veſte labritium obtexiſſe. CONTAMINATUM AC SORDIDUM SE CLAMABIT. Hebr. *Contaminatum contaminatum vocabit*; id eſt, omnino contaminatum, contaminatiſſimum: geminatio graviter auget ſignificatum.

V. 51. PERSEVERANS EST. Participium femineum ממארת *mamereth* varie interpretantur; *pungens*, *doloriſica*; id eſt, dolore, & damno ipſos affectura, qui utentur ipſis. Alii *mærore afficiens*, *mæſtifica*. Plerique *corrodens*.

V. 55. INFUSA SIT. פחתת *pechetheth*, quidam a פתח *patach* tranſpoſito deducunt; exponuntque *apertionem*, *aperturam*, id eſt foveam apertam & patentem, hiatum, voraginem. Alii, *foſſionem*, *infoſſionem*, *depreſſionem*, *concavitatem*, *corroſionem*. Nonnulli, rem *diminuentem*, *imminutionem*. Quidam aiunt ſignificare corroſionem & labem, quæ introrſus radios agit, quæ graſſatur in imum, & agit intra id cui inſederit. Aliqui *putorem* reddunt, ſeu *foſſam putidam*, plenam omni ſpurcitia, fœtore, & corruptione. Et accipi notant pro labe, ſive corroſione quæ introrſus radices agit, & graſſatur in imum ita ut foveam putidam in carne efficiat, cui inſederit. IN SUPERFICIE VESTIMENTI, VEL PER TOTUM LEPRA. Hebr. *In calvitie eius*, vel *in recalvatione eius*. Quidam explicant, id eſt in parte poſteriore, aut anteriore veſtis, ſeu in ſuperficie eius intima, quæ nobis eſt poſterior, vel in ſuperficie eius extima, quæ nobis eſt anterior. Alii, *In exteriore, aut interiore parte eius*, ſcilicet veſtis. Hiſpanice dicimus *haz yenuez*, id eſt faciem, & contra faciem. Chaldæus Interpres exponit: *Corroſio eſt in vetuſtate eius*, vel *in novitate eius*. Hebræi notant, קרחת *karachat* eſſe calvitiem veſtis quando defluxit ab ea pilus propter vetuſtatem, & plagam lepræ; id eſt, quando ob nimiam vetuſtatem veſtis aut pannus amiſit pilos, & tandem lepra corrumpitur: גבחת *gabbachat* vero eſſe recalvationem veſtis, cum veſtis adhuc nova eſt, & ab ea defluxit pilus propter plagam lepræ. Unde hic interpretantur: *In calvitie eius, hæ ſunt veſtes veteres*; aut *in recalvatione eius, hæ ſunt veſtes novæ*. Quidam reddunt, *in loco calvo*, aut *recalvo eius*. Quod alii ita accipiunt, ſive res trita ſit, ſive nova. Alii, *in calvitio occipitis*, aut *in recalvaſtri* loco.

MENOCHII.

AGitur hoc capite de lepra, & deſcribuntur ſigna quibus agnoſci poſſit. Dubitatio eſt an lepra de qua hic eſt ſermo, ſit eiuſdem rationis cum lepra noſtrarum regionum: quam quæſtionem fuſe tractat Valeſ. de ſacra Philoſophia cap. XIX. docens eſſe diverſam; cenſetque, lepram de qua hic Moſes præcipit, non eſſe unum morbum, ſed varia vitia cutis, & turpitudines, hoc eſt vitiliginem, ſcabiem, ſive impetiginem, elephantiaſim, achorem, alopeciam, vel ophyaſim, ut ſuis locis dicetur.

V. 2. QUASI LUCENS QUIDPIAM, quaſi fulgentes furfures, aut ſquamæ: nam hæc ſunt initia vitii abeuntis in malignum, & in aliquod lepræ genus, ut docet Valeſ. loco cit. ADDUCETUR AD AARON SACERDOTEM: quia ſacerdotis eſt iudicare an quis aptus ſit, id eſt ita mundus ut ingredi poſſit ſanctuarium, an non.

V. 3. ET PILOS IN ALBUM MUTATOS: albor enim pilorum, carnis, ex qua naſcuntur, corruptionem, & vitium indicat. Hæc eſt prima ſpecies lepræ, quæ vocatur lychen, vel impetigo, vel lepra vo-

Digitized by Google

volatilis. Eius duo hic dantur ſigna: primum pilos qui ex leproſa cute naſcuntur, in album colorem mutari; ſecundum, ipſam lepram humiliorem eſſe reliqua cute. Ipsamque speciem leprae, id eſt apparentem ſpeciem lepræ. Arbitrium, &c. iudicium; de conſilio tamen medicorum, ut quidam aiunt. Separabitur, ut immundus.

V. 6. Mundabit eum: mundum eſſe pronuntiabit.

V. 8. Immunditiae condemnabitur: quia apparuerunt in eo ſigna permanentis & radicatæ lepræ.

V. 10. Ipsa quoque caro viva apparuerit. Hæc eſt tertia ſpecies lepræ, ſcilicet lepra inolita, quæ in viva eſt carne, cum prior fuerit in cute, & capillis.

V. 11. Contaminabit eum sacerdos: contaminatum pronuntiabit.

V. 13. Teneri lepra mundissima. Hæc eſt quarta ſpecies lepræ, quæ dicitur mundiſſima, id eſt minime contagioſa ſcabies; itaque hic ſcabioſus non leproſus iudicabitur.

V. 14. Caro vivens, lepra aſperſa, in eo apparuerit, cute conſumpta.

V. 15. Polluetur: pollutus iudicabitur.

V. 16. Rursum versa fuerit in alborem, &c. mundus erit, quia hoc ſignum eſt carnem ſanari, & carne rurſum undequaque obduci.

V. 19. Et in loco ulceris, &c. Nihil hic aliud dicitur, quam lepram, de qua dictum num. 3. & 4. poſſe innaſci ulceribus ſanatis: quod ſi contingat, idem iudicium erit quod ſupra. Subrufa, in ruborem vergens.

V. 23. Si steterit in loco suo, &c. quia ſi lepra eſſet, non ſiſteret, ſed ſerperet: ergo quod videtur in tali cicatrice album, vel ſubruſum, eſt ex ulcere præcedente, non autem eſt lepra.

V. 24. Albam, sive rufam, quia ſi eſſet ex combuſtione, nigra eſſet: ergo cum ſit alba, vel ſubruſa, ſuſpicio eſt eſſe lepram.

V. 28. Plaga combustionis est, combuſtione inflicta, & relicta.

V. 29. In cuius capite, aut barba. Hæc eſt quinta ſpecies, non formalis, ſed materialis lepræ, ſcilicet barbæ, & capitis, quæ eſt eiuſdem formæ, & rationis cum lepra aliarum partium; itaque & eadem eius ſigna ſunt: illud intereſt, quod in reliquis partibus lepra pilos in albos commutat; in barba vero, & capite mutat eos in flavos, eoſque extenuat.

V. 33. Radetur: ut clarius appareat poſt ſeptem dies an ſerpſerit lepra.

V. 39. In cuius cute candor apparuerit. Deſcribitur hic vitiligo, id eſt macula ſimplex coloris candidi lucentis in cute, quæ non eſt lepra.

V. 42. Albus, vel rufus color, &c. Sexta ſpecies lepræ, quæ eſt in calvitio. Maculæ albæ, vel ruſæ ſignificant malignos ſuccos, qui corrumpunt radices capillorum, & tales ſunt in maligna alopecia, ſive ophiaſi, id eſt profluvio capillorum: unde maligna hæc alopecia inter ſpecies lepræ numeratur.

V. 45. Vestimenta dissuta: quod leproſis ſalubre erat, ut corrupti corporis humores facilius evaporarent; integris vero utile, ut lepra infectos a ſanis poſſent internoſcere. Caput nudum, propter eamdem rationem. Os veste contectum, non ſemper, ſed cum ad alios propius accedit, ne corrupto oris halitu morbum communicet. Sordidum se clamabit, ne quis cum periculo prope accedat.

V. 46. Solus habitabit extra castra, in deſerto, in quo tunc erant. Poſtquam vero habitarunt in Iudææ urbibus, adhuc extra mænia degebant leproſi; niſi forte vir aliquis primarius intra urbem degere permitteretur, qui ſeparatas ædes extra aliorum periculum haberet, ut Ozias Rex IV. Reg. xv. 5. & II. Paralip. xxvi. 21.

V. 47. Vestis lanea, sive linea, &c. Eſt hæc ſeptima lepræ ſpecies, ſed analoga, ſcilicet lepra veſtis, vel domus: cum enim lepra morbus contagioſus ſit, veſtibus etiam, & domorum parieribus adhæret, & inde inhabitantium, aut veſtibus illis utentium corpora tranſilit.

V. 55. Faciem pristinam non reversam. *Priſtinam*, quam ſcilicet habebat veſtis antequam eſſet infecta lepra: permanens enim in ea nota, indicat eſſe le-

lepram; alias aliquo modo mutaſſet colorem. IN SUPERFICIE, &c. Hebr. *in calvitio*, vel *recalvatione*; quaſi dicat, parte poſteriori, vel anteriori. ABRUMPET EAM, &c. hoc eſt, eam partem panni, vel pellis, in qua hæ maculæ apparent, reſecabit a reliquo corpore veſtis, & in ignem pars illa abiicietur. LEPRA VOLATILIS ET VAGA, ſimilis illi in homine de qua num. 12.

V. 59. MUNDARI DEBEAT, VEL CONTAMINARI: cenſeri munda, vel contaminata, ut ſupra dictum eſt: ſic enim hæc duo verba toto capite accipiuntur.

TIRINI.

Verſ. 6. MUNDABIT EUM; hoc eſt, mundum a lepra pronuntiabit *a*: ſic verſ. 11. & aliis. CONTAMINABIT EUM SACERDOS; id eſt, contaminatum lepra declarabit. Ubi typum videre eſt inſignem eius iuriſdictionis eccleſiaſticæ, quam noſtri ſacerdotes in tribunali pœnitentiæ circa peccata ſeu lepram animi quotidie exercent.

Notat Franciſcus Valeſius *b*, hanc Iudæorum lepram non fuiſſe elephantiam, qualis fere iam noſtra eſt, quæ & carnem, & oſſa depaſcitur, & eſt incurabilis; ſed fuiſſe lepram Galeni, & Græcorum, quæ cutis vitium eſt, & ſcabiei ſimillima. Unde & a Chriſto mundati dicuntur leproſi, non vero ſanati, inquit S. Auguſtinus. Naſcitur autem ex redundantia pituitæ, vel bilis atræ, ſeu melancholiæ: e quibus variæ admodum ſpecies enaſci ſolent, quæ partim hic a Scriptura, partim a medicis recenſentur. Sed præter illam vulgarem cutis lepram, erat & alia quæ in ipſam carnem ſæviebat, eratque ſicut noſtra elephantiaſis. Alia quoque quæ intra pilos barbæ, aut capitis innaſcitur, de qua verſ. 29. alia quæ in veſtibus reperitur, verſ. 47. alia denique quæ in domibus, de qua cap. ſeq. verſ. 34. Poſſunt enim hæc vel halitu, vel ſudore, vel ſanie alicuius leproſi infici, ut ex ſcabioſis, & peſte infectis quotidiana docet experientia. Ex morbis quoque animalium, quorum lanæ, & pelles ad veſtes aſſumuntur, poſſet in iis gigni putredo, & maculæ, quæ etiam contagio ſuo proſerpant ad alias partes. Quin & a ſola aëris intemperie, vel putrefactione, uti corpora hominum & animalium, ita & veſtes & domus poſſunt ſimiles putreſcentias lepræ affines, & quaſi pelles haurire. Hebræi, teſte Oleaſtro, tradunt, hanc veſtium, & domorum lepram, peculiarem Iudææ fuiſſe; nec alibi uſquam apparuiſſe; neque inter Iudæos, niſi cum a divinis legibus recederent. Theodoretus omnem lepræ morbum vult peculiari Dei providentia Iudæis peccantibus immiſſum fuiſſe, maximeque iis qui ſacerdotibus rebelles eſſent, ut futurum prædicitur Deuteron. XXIV. verſ. 8. & patuit in Maria ſorore Moyſis Numeror. XII. & in Ozia rege II. Paralip. XXVI. Iudæam vero, reliquamque Syriam multis quoque poſt ſæculis eiuſmodi morborum ac fœditatum feracem fuiſſe, & ab ipſa quaſi terra, vel aura afflari ſolere, vel inde colligas quod tam multos ex Europæis qui eo ad bellum ſacrum profecti fuerant, ibidem infici contigerit, in quorum gratiam tot ubique tota Europa leproſotrophia conſtrui debuerunt.

(*a*) Proleg. de Idiotiſm. Hebr. num. 58.
(*b*) Valeſ. de ſacra Philoſophia cap. XIX.

GORDONI.

Verſ. 2. LEpra hæc ſæpe non tam fuit naturalis quam ut plurimum immiſſa a Deo plaga, ad reprimenda, & punienda peccata, præſertim in rebellione & ſimilibus, Deuter. XXIV. 8. Ceterum quæ nunc eſt lepra, carnem & oſſa depaſcitur; illa Iudæorum, in cute, immo in veſtibus, & pariete, ut infra cap. XIV. verſ. 34. ADDUCETUR AD AARON, &c. Adducitur ad ſacerdotem, cuius erat ex ſignis diſcernere inter lepras, & immunditias, ac deformitates. Typus eſt evangelicæ poteſtatis ſolvendi, & ligandi. Chryſoſt. Lib. III. de Sacerd. & Hieronymus in cap. XVI. Math. Vide hic capite inſequente verſ. 1.

V. 3. AD ARBITRIUM EIUS. Quidam addunt, auditis medicis.

V. 6. MUNDABIT: mundum declarabit.

V. 11. CONTAMINABIT; hoc eſt, contaminatum iudicabit.

V. 13. LEPRA MUNDISSIMA; id eſt, munda reputabitur: ſic etiam verſ. 34.

V. 28. MUNDABITUR; id eſt, munda

Digitized by Google

da reputabitur: ſic etiam. verſ. 34.

V. 42. Diſtingui ſolent calvus & recalvaſter: quod calvus ſit, quando a vertice defluxerunt capılli; recalvaſter vero, quando a ſincipite, vel fronte ſolum deciderunt.

V. 45. VESTIMENTA DISSUTA. Signum luctus.

V. 47. Vide capite inſequente, verſ. 34.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 3. IN ALBUM MUTATOS. Hic pilorum color albus carnis corruptionem deſignat. Hæc eſt una lepræ ſpecies: tertiam proponit verſ. 10. & quartam verſ. 13. qua homo ſcabioſus potius eſt quam leproſus. Quinta ſpecies verſ. 29. Sexta ver. 42. Septima ſpecies proponitur verſ. 47. ſed prorſus analoga, nempe in veſte, aut domorum parietibus. Lepra mobus contagioſus eſt, & a veſte tranſit in perſonas.

CAPUT XIV.

Lepræ expiandæ ſacrificia pro homine, domo, ac veſtimento.

1 LOcutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens: 2. Hic eſt ritus leproſi, quando mundandus eſt: (*a*) Adducetur ad ſacerdotem: 3. qui egreſſus de caſtris, cum invenerit lepram eſſe mundatam, 4. præcipiet ei qui purificatur, ut offerat duos paſſeres vivos pro ſe, quibus veſci licitum eſt, & lignum cedrinum, vermiculumque & hyſſopum. 5. Et unum ex paſſeribus immolari iubebit in vaſe fictili ſuper aquas viventes: 6. alium autem vivum cum ligno cedrino, & cocco & hyſſopo, tinget in ſanguine paſſeris immolati, 7. quo aſperget illum qui mundandus eſt, ſepties, ut iure purgetur; & dimittet paſſerem vivum, ut in agrum avolet. 8. Cumque laverit homo veſtimenta ſua, radet omnes pilos corporis, & lavabitur aqua: purificatuſque ingredietur caſtra, ita dumtaxat ut maneat extra tabernaculum ſuum ſeptem diebus, 9. & die ſeptimo radet capillos capitis, barbamque & ſupercilia, ac totius corporis pilos. Et lotis rurſum veſtibus & corpore, 10. die octavo aſſumet duos agnos immaculatos, & ovem anniculam abſque macula, & tres decimas ſimilæ in ſacrificium, quæ conſperſa ſit oleo, & ſeorſum olei ſextarium. 11. Cumque ſacerdos purificans hominem, ſtatuerit eum, & hæc omnia coram Domino in oſtio tabernaculi teſtimonii, 12. tollet agnum, & offeret eum pro delicto, oleique ſextarium: & oblatis ante Dominum omnibus, 13. immolabit agnum, ubi ſolet immolari hoſtia pro peccato, & holocauſtum, id eſt in loco ſancto. Sicut enim pro peccato, ita & pro delicto ad ſacerdotem pertinet hoſtia: Sancta ſanctorum eſt. 14. Aſſumenſque ſacerdos de ſanguine hoſtiæ, quæ immolata eſt pro delicto, ponet ſuper extremum auriculæ dextræ eius qui mundatur, & ſuper pollices manus dextræ & pedis: 15. & de olei ſextario mittet in manum ſuam ſiniſtram, 16. tingetque digitum dextrum in eo, & aſperget coram Domino ſepties. 17. Quod autem reliquum eſt olei in læva manu, fundet ſuper extremum auriculæ dextræ eius qui mundatur, & ſuper pollices manus ac pedis dextri, & ſuper ſanguinem qui effuſus eſt pro delicto, 18. & ſuper caput eius. 19. Rogabitque pro eo coram Domino, & faciet ſacrificium pro peccato

 tunc

Digitized by Google

tunc immolabit holocauſtum, 20. & ponet illud in altari cum libamentis ſuis, & homo rite mundabitur. 21. Quod ſi pauper eſt, & non poteſt manus eius invenire quæ dicta ſunt, pro delicto aſſumet agnum ad oblationem, ut roget pro eo ſacerdos, decimamque partem ſimilæ conſperſæ oleo in ſacrificium, & olei ſextarium, 22. (*b*) duoſque turtures, ſive duos pullos columbæ, quorum unus ſit pro peccato, & alter in holocauſtum: 23. offeretque ea die octavo purificationis ſuæ ſacerdoti, ad oſtium tabernaculi teſtimonii coram Domino. 24. Qui ſuſcipiens agnum pro delicto, & ſextarium olei, levabit ſimul: 25. immolatoque agno, de ſanguine eius ponet ſuper extremum auriculæ dextræ illius qui mundatur, & ſuper pollices manus eius ac pedis dextri: 26. olei vero partem mittet in manum ſuam ſiniſtram, 27. in quo tingens digitum dextræ manus aſperget ſepties coram Domino: 28. tangetque extremum dextræ auriculæ illius qui mundatur, & pollices manus ac pedis dextri, in loco ſanguinis qui effuſus eſt pro delicto: 29. reliquam autem partem olei, quæ eſt in ſiniſtra manu, mittet ſuper caput purificati, ut placet pro eo Dominum: 30. & turturem, ſive pullum columbæ offeret, 31. unum pro delicto, & alterum in holocauſtum cum libamentis ſuis. 32. Hoc eſt ſacrificium leproſi, qui habere non poteſt omnia in emundationem ſui. 33. Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen & Aaron, dicens: 34. Cum ingreſſi fueritis terram Chanaan, quam ego dabo vobis in poſſeſſionem, ſi fuerit plaga lepræ in ædibus, 35. ibit cuius eſt domus, nuntians ſacerdoti, & dicet: Quaſi plaga lepræ videtur mihi eſſe in domo mea. 36. At ille præcipiet ut efferant univerſa de domo, priuſquam ingrediatur eam, & videat utrum leproſa ſit, ne immunda fiant omnia quæ in domo ſunt. Intrabitque poſtea ut conſideret lepram domus: 37. & cum viderit in parietibus illius quaſi valliculas pallore ſive rubore deformes, & humiliores ſuperficie reliqua, 38. egredietur oſtium domus, & ſtatim claudet illam ſeptem diebus. 39. Reverſuſque die ſeptimo, conſiderabit eam: ſi invenerit creviſſe lepram, 40. iubebit erui lapides in quibus lepra eſt, & proiici eos extra civitatem in locum immundum: 41. domum autem ipſam radi intrinſecus per circuitum, & ſpargi pulverem raſuræ extra urbem in locum immundum, 42. lapideſque alios reponi pro his qui ablati fuerint, & luto alio liniri domum. 43. Sin autem poſtquam eruti ſunt lapides, * & pulvis eraſus, & alia terra lita, 44. ingreſſus ſacerdos viderit reverſam lepram, & parietes reſperſos maculis, lepra eſt perſeverans, & immunda domus: 45. quam ſtatim deſtruent, & lapides eius ac ligna, atque univerſum pulverem proiicient extra oppidum in locum immundum. 46. Qui intraverit domum quando clauſa eſt, immundus erit uſque ad veſperum: 47. & qui dormierit in ea, & comederit quidpiam, lavabit veſtimenta ſua. 48. Quod ſi introiens ſacerdos viderit lepram non creviſſe in domo, poſtquam denuo lita fuerit, purificabit eam reddita ſanitate: 49. * & in purificationem eius ſumet duos paſſeres, lignumque cedrinum, & vermiculum atque hyſſopum: 50. & immolato uno paſſere in vaſe fictili ſuper aquas vivas, 51. tollet lignum cedrinum, & hyſſopum, & coccum, & paſſerem vivum, & tinget omnia in ſanguine paſſeris immolati, atque in aquis viventibus, & aſperget domum ſepties, 52. purificabitque eam tam in ſanguine paſſeris quam in aquis viventibus, & in paſſere vivo, lignoque cedrino, & hyſſopo atque vermiculo. 53. Cumque dimiſerit paſſerem avolare in agrum libere, orabit pro domo, & iure mundabitur. 54. Iſta eſt lex omnis lepræ & percuſſuræ, 55. lepræ veſtium & domorum, 56. cicatricis & erumpentium papularum, lucentis macu-

Digitized by Google

culæ & in varias ſpecies, coloribus immutatis, 57. ut poſſit ſciri quo tempore imundum vel quid immundum ſit.

(a) Matth. VIII. 1. Mar. 1. 30. Luc. V. 12. (b) Sup. V. 11. XII. 8. Luc. II. 24.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 43. *Et pulvis eraſus*. Notariorum temeritas fuit quod pro *eraſus*, ſeu abraſus, plerique libri habeant *elatus*, quod eſt exportatus.

V. 49. *Et in purificationem eius*. Quartus caſus *purificationem* non eſt commutandus cum ſexto *purificatione*, qui in multis eſt libris.

COMMENTARIA

SA.

Verſ. 4. PASSERES. LXX. *aviculas*. VERMICULUMQUE. Alii, *coccum bis tinctum*. Chald. *coccinum*, LXX. *coccinum retortum*: ſic infra, ubi Interpres nunc *vermiculum* vertit, nunc *coccum*.

V. 5. VIVENTES; quaſi dicat, in quo vaſe ſit aqua viva, ſcilicet fontana, vel fluvialis.

V. 6. SANGUINE, ſcilicet mixto aqua vaſis. Vide infra.

V. 10. DECIMAS, ſcilicet ephi, nempe tria gomer: eſt enim gomer decima pars ephi.

V. 17. SUPER SANGUINEM, id eſt ultra ſanguinem, qui ſcilicet in eiſdem locis antea fuerat effuſus; vel ſupra illum ſanguinem. LXX. *ſuper loco ſanguinis*. Vide infra.

V. 19. ROGABITQUE. Heb. *Expiabitque*. Chald. & LXX. *Propitiabitque*, quod poteſt ad ſacrificium referri. Interpres ad orationem retulit.

V. 21. UT ROGET PRO EO SACERDOS. Hebr. *In elevationem ad expiandum pro eo*; ſeu *propitiandum pro eo*, ut vertit Chald.

V. 23. TABERNACULI, id eſt atrii.

V. 34. SI FUERIT PLAGA. Hebr. Chal. & LXX. *Si dedero plagam*: nempe a Deo ſunt talia flagella.

V. 37. VALLICULAS, id eſt foveas, ſeu foſſas.

V. 45. CLAUSA, ſcilicet a ſacerdote.

V. 48. PURIFICABIT; id eſt, mundam declarabit. REDDITA SANITATE. Hebr. *Quia ſanata eſt*.

V. 54. PERCUSSURAE. Alii, *maculæ nigræ*: Chald. *lepræ capitis*.

ESTII.

Verſ. 19. ROGABITQUE PRO EO ſacerdos, ET FACIET SACRIFICIUM PRO PECCATO. Quæret aliquis: Quare leproſo præſcribitur ſacrificium pro peccato; cum lepra non ſit peccatum, neque omnino ad animum pertinet, ſed tantum ſit vitioſa quædam affectio corporis? Reſpondeo: Quamvis lepra peccatum non ſit, frequenter tamen infligitur pro peccato: cuius rei plura exempla habemus in Scriptura ſacra. Sic Maria ſoror Moyſi propter murmurationem adverſus fratrem ſuum Moyſem lepra percutitur: Ozias rex Iuda, quia uſurpare voluit ſacerdotis officium leproſus factus: Giezi miniſter Heliſæi, propter avaritiam cum mendacio coniunctam, lepra percuſſus. Deinde non tantum lepra, ſed & quæcumque alia corporis miſeria plerumque hominibus propter ſua peccata infligitur.

Si dicas, aliquando ſaltem lepram, vel a parentibus, vel ob incommodam educationem citra peccatum contrahi; reſpondeo, tunc dici *ſacrificium pro peccato*, id eſt pro peccato, ſeu immunditia legali: quomodo etiam intelligitur cap. XII. quando præcipitur ut puerpera offerat pro peccato. Nam ibi cum dixiſſet, *Et pullum columbæ, ſive turturem pro peccato*, mox idem quaſi explicans ſubiungit Scriptura de ſacerdote: *Qui offeret illa coram Domino*

V. 36. Ut efferant universa de domo. Heb. diverſe convertunt. I. *Et expurgabunt*, *repurgabunt domum*. II. *Et evacuabunt*, *expedient domum*. III. *Et removebunt*, *avertent domum*; id eſt, amovebunt, avertent, efferent alio omnia quæ ſunt in domo. IV. *Et everrent domum*. V. rectius: *Et faciabunt domum*; id eſt, faciem ei dabunt, reddent conſpicuam, & ſpectabilem, ſcilicet Dominus, & domeſtici eius. De ſignificatione in פנה *pinneh*, vide Geneſ. xxiv. verſ. 31.

V. 37. Valliculas שקערורת *ſchekagharuroth*, tantum hic, nec alibi occurrit. Lexicographi varias ei etymologias, & compoſitiones aſſignant quas apud ipſos videre poſſis. Varie reddunt. I. *Nigræ*, vel *nigredines*. II. *Foſſulæ*, ſeu *valliculæ*. III. *Patentes*, *expanſæ*. IV. *Profunditates fœdæ*. V. *Profunditates nigræ*, ſeu *profundæ nigredines*. VI. *Profunditates ſalivantes*, ſive *defluentes*. VII. *Turbulentiæ*, ſeu *turpitudines*, id eſt profundæ, & turpes, ac turbatæ. VIII. *Demerſiones*, vel *demerſæ*. IX. *Profunditates, demerſiones horribiles*, *horripilatæ*. X. *Obſcuritates putidæ*. XI. *Profunditates apertæ*, ſeu *aperturæ profundæ*. XII. *Luriditates*, ſeu *luridæ*: notant ſignificare colorem luridum, quaſi profundiorem, & turpiorem nigro. XIII. *Profunditates flavæ*. XIV. *Profunditates albuminoſæ*: componunt ex שקע *ſchakagh*, *in profundum deprimi*, & רור *rur*, vel ריר *rir*, *albumen*. Ego vocem exoticam facile crediderim, nec nobis eius ſignificatum conſtare. Forſan erat vox indicans certum indicium lepræ AEgyptiacæ, aut illarum calidarum regionum, quæ parietibus domorum inhærebat. Sane genus illud lepræ, quod veſtimentis, & pellibus, aliiſque vaſis adhærebat, de quo ſuperiori capite; & iſtud aliud quod in parietibus & muris emergebat, de quo hoc capite, quodque palam & manifeſto conſpiciebatur, & diſcernebatur a ſacerdote, multi conati ſunt explicare; & nuper Franciſcus Valeſius regius medicus in ſacra Philoſophia; ſed puto nobis ignotum, atque incompertum eſſe: tunc orientalibus & auſtrinis illis terris familiare. Nec mirum ſi vox certum eius indicium ſignificans, nobis quoque ſit ignorata.

V. 41. Rasura Hebr. diverſimode reddunt: *Quem abraſerunt*, *detraxerunt*, *exciderunt*, *præſciderunt*, *decorticaverunt*. Quidam: *Quem extremaverunt*; id eſt, quem in extremitate, ſeu ſuperficie præraſerunt.

MENOCHII.

Verſ. 2. Hic est ritus leprosi: cæremonia quæ adhibetur cum leproſus expiandus eſt, & reſtituendus communioni aliorum hominum.

V. 4. Passeres. LXX. *aviculas*. Quibus vesci licitum est. Paſſeres non ſunt numerati cap. xi. inter aves immundas: erant ergo mundi, & illis veſci fas erat.

V. 5. Immolari. Heb. *iugulari*. Iubebit. Non a ſacerdote, ſed ſacerdotis iuſſu fiebat hæc occiſio: neque erat proprie ſacrificium quod Deo offerretur, cum fieret extra caſtra, longe ab altari; ſed tantum hæc occiſio paſſeris fiebat ad excipiendum eius ſanguinem ut eo tingeretur leproſus expiandus. Aquas viventes, fontanas ſcilicet, vel fluviales.

V. 7. Quo asperget illum. Aſpergillum hoc quo mundabatur leproſus, erat tale: Virgæ cedrinæ alligabatur in ſummo paſſer vivus, ita ut cauda emineret in extremo, caput vero ad manubrium aſpergilli eſſet obverſum: huic virgæ ſimul cum paſſere alligabatur coccus, id eſt lana coccinea, & hyſſopus: ita ſummitas virgæ, id eſt paſſeris cauda, & alæ cum cocco, & hyſſopo mergebantur in aquam vivam ſanguine paſſeris occiſi inſectam, eaque aſpergebatur leproſus purificandus. Septies. Paſſim in hiſce luſtrationibus ſepties fiebat aſperſio, ut patet cap. iv. 13. & hoc capite num. 7. 15. 16. & cap. xvi. num. 14. & 19. ut ſcilicet numero perfectionem ſignificante, plena purgatio, & expiatio ſignificaretur. Iure purgetur, rite, & legitime.

V. 8. Cumque laverit homo vestimenta sua, radet, &c. Lotio, raſio, & exacta mundiiæ cura, ad lepram ſanandam plurimum iuvat. Extra tabernaculum, extra domum ſuam, ne forte ſi quid lepræ lateat contactu, in domeſticos, & maxime in uxorem tranſmittat.

V. 9. Radet capillos. Secunda raſio.

V. 10.

V. 10. Tres decimas similae: unam decimam pro qualibet ove, in ſacrificium farreum, ſive ſimilæ. Olei sextarium. Sextarius, Hebr. לג *log*, erat menſura liquidorum, duodecimam partem hin continens, ſex ovorum capax.

V. 12. Offeret eum pro delicto. *Offeret*, id eſt elevabit, eo ritu elevationis de quo dictum eſt Exod. xxix. 24.

V. 13. In loco sancto, in atrio tabernaculi iuxta altare holocauſtorum, ante ſanctum. Ad sacerdotem pertinet, ut dictum eſt cap. vi. verſ. 25. & 26. Sancta sanctorum, ſanctiſſima. Totius verſiculi ſenſus eſt: In loco ſancto immolabit, quia ſancta ſanctorum eſt; eamque uti hoſtiam pro peccato a ſacerdotibus abſumi volo.

V. 16. Coram Domino, coram oſtio tabernaculi.

V. 17. Et super sanguinem, qui ſcilicet adhæret, ſeu quo tinctæ ſunt aures, & pollices eius qui mundatur.

V. 19. Faciet sacrificium pro peccato; quaſi dicat: Secundum agnum ſacrificabit pro peccato, ſicut primum ſacrificavit pro delicto num. 10. Quomodo diſtinguantur delictum & peccatum, dixi cap. vii. n. 1. Immolabit holocaustum, ovem ſcilicet anniculam, num. 10. prius enim per ſacrificium pro peccato, & delicto expiari debebat anima, ut deinde purum, & gratum Deo offerret holocauſtum.

V. 20. Cum libamentis suis, cum oblatione ſimilæ, olei, & vini: hæc enim ſunt libamenta. Similia libamenta intellige in ſacrificio pro peccato, & pro delicto. Vide Num. xv. 20.

V. 31. Pro delicto. Delictum hic noſter Interpres confundit, & ſumit pro peccato: agnus enim proprie pro delicto, turtur vero non pro delicto, ſed pro peccato offerebatur, ut patet ex num. 22. & ex Hebr. Chald. & Septuaginta hic.

V. 34. Plaga leprae in aedibus. Lepra hæc ædium, erat qualitas vitioſa in domibus, eas arrodens, & ſigna imprimens, ut lepra in homine: ortum habebat, vel ex aeris infecti vitio, vel ex anhelitu, & contagio leproſorum in iis habitantium; ſic peſtilentes qualitates domibus, veſtibus, & ſuppellectili eorum adhæreſcunt, qui peſte ſunt afflati.

V. 37. Quasi valliculas, &c. Hæc ſigna lepræ in domibus eadem ſunt quæ in homine cap. xiii. num. 3. *Valliculas*, foſſas, ſive cavitates eroſas a lepra.

V. 53. Iure mundabitur, rite, legitime.

V. 54. Percussurae, quando ſcilicet in percuſſuram, vel ex percuſſura, aut convulſione lepra irrepſerit. Chald. pro *percuſſuræ*, habet *lepræ capitis*; alii, *maculæ nigræ*.

V. 56. Cicatricis, quando ſcilicet in cicatrice ulceris, aut vulneris, innata fuerit lepra, ut dictum eſt cap. xiii. verſ. 18.

TIRINI.

Verſ 4. Ex fruſto ligni cedrini, vermiculo *a*, hoc eſt filo coccineo, & hyſſopo aſpergillum conficiebatur, cuius manubrio cedrino hyſſopum adnectebat filum coccineum. Videtur etiam ex verſ. 6. paſſerculus vivus eodem filo eidem manubrio in medio hyſſopi alligatus fuiſſe, & leproſi aſperſio non minus a plumis paſſerculi quam ab hyſſopo, poſtquam ambæ aquas ſanguinolentas combibiſſent, fieri debuiſſe. Cum enim lepra quatuor ingentia mala ſecum traheret: primum, cutis ac carnis putrefactionem; ſecundum, colorem lividum ac horridum; tertium, gravem fœtorem; quartum, tabem, aut etiam mortem: voluit Deus quatuor illa quaſi horum remedia, vel ſaltem remediorum indicia, mundandis adhiberi. Primo lignum cedrinum, quod putrefactionem non admittit, immo & ab aliis rebus arcet; ſecundo filum coccineum, coloris vivaciſſimi, ac gratiſſimi; tertio hyſſopum, herbam apprime odoriferam; quarto paſſerem vivum, vigoris & vitæ ſymbolum, quare & liber in agrum devolare ſinebatur. Ergo ad litteram deſignabatur, hæc omnia iam mundato a lepra poſtliminio reddita eſſe. Et tropologice, peccatori pœnitenti, virtute crucis & paſſionis Chriſti, omnia ante deperdita etiam cum fœnore redimenda.

V. 54. Percussurae nomine hic intelligit ſcabiem ſeu lepram capitis, vel barbæ, uti Chaldæus Interpres, & Arias Mon-

Montanus hic vertunt, quam capite præcedenti *Convulſionem* vocabant, ſic dictam quod capillos convellat, immo evellat, maxime ſi perduret. Per *cicatricem* verſ. 56. deſignat hic maculoſam diverſi coloris lepram, ſeu vitiliginem. Per *erumpentes papulas* ſeu puſtulas, ſcabiem aſperam. Per *lucentes maculas*, candorem cutis, lucem aliquam emittentem, quæ certum lepræ indicium eſt. Vide de his fuſe Franciſcum Valeſium *b*.

(*a*) Exod. xxv. 4.
(*b*) Valeſ. de ſacra Philoſophia n. 58.

GORDONI.

Verſ. 2. QUANDO MUNDANDUS EST; hoc eſt, legali ritu expiandus: non enim curabat lepram ſacerdos, ſed curatam declarabat. Maior eſt poteſtas in lege evangelica, ubi ſacerdos vere abſolvit a lepra ſpirituali.

V. 4. LIGNUM CEDRINUM, hoc eſt pars ligni cedrini. Per vermiculum intellige filum coccineum. Vide Exod. cap. xxv. Huic ligno alligando hyſſopum conficiebant aſpergillum, ubi lignum erat ut manubrium.

V. 5. & 7. Vox immolandi videtur analogice, & cum improprietate hic accipi: non enim videtur hæc immolatio proprie ſacrificium. Nam intera ves ſacrificio deſignatas cap. 1. non eſt paſſer. Porro aquas viventes vocat quæ non ſunt ſtagnanres, ſed moventur quaſi ex ſe in fluviis more viventium. Denique quod eſt verſ. 7. UT PURGETUR, hoc eſt ut tollatur initio quod impedit convictum cum hominibus: reliqua purgatio inſequitur.

V. 10. DUOS AGNOS. Sept. explicant eſſe anniculos. TRES DECIMAS, ſcilicet ephi, quæ ſunt tria gomor: nam gomor eſt pars ephi decima. OLEI SEXTARIUM. Heb. לוג *log*, ſextarius tam de ſiccis dicitur quam de humidis. Apud Septuag. eſt κοτύλη. Gomor quot contineat ſextarios, & quot libras, Vilalpandus de Appar. templi. p. 11. Lib. III. cap. VII. Sextarius frumenti apud Iudæos, uncias 20. appendebat; at farinæ ſextarius minus appendebar, quia moles farinæ maior eſt mole frumenti. Sed de ſextario Hebraico varia ſentiunt: aliqui illi tantum dant uncias 13. alii 18. alii aliter.

V. 12. De ſextario iam dixi: ſupra etiam ſæpe, cur vocet hoſtiam anniculam, ætatem deſignans.

V. 17. SUPER SANGUINEM, nempe qui ibidem effuſus eſt.

V. 34. Dixit cap. XIII. verſ. 47. de lepra veſtium; hic de lepra domorum. Sane mirum non eſt, ſi veſtes, præſertim inter Iudæos, ſuam etiam putredinem contraherent, & infectionem, aliquo modo affinem veræ lepræ: magna enim eſt quarumdam nationum intemperies & putredo. Ita etiam in domibus poteſt eſſe a cauſis naturalibus, ſua putreſcentia. & quaſi contagio.

V. 37. VALLICULAS, accipe, parvas valles. Septuag. κοιλάδας, *concavitates*. Subdit reliquam deſcriptionem.

V. 54. PERCUSSURAE. Sept. ruptura, θραῦσμα. Hic deſignat maculam, in qua cutis rupta eſt. Scabiem capitis hic ſignificari probabile eſt.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 13. IN LOCO SANCTO, in atrio tabernaculi, ſeu ante Sanctum apud altare holocauſtorum. SANCTA SANCTORUM, res ſanctiſſima eſt.

V. 20. CUM LIBAMENTIS, cum oblatione ſimilæ, & olei, & vini.

V. 31. Delictum hic confunditur cum peccato.

V. 37. VALLICULAS, cavitates eroſæ a lepra, & corrupto humore.

CAPUT XV.

Seminiflui viri, & menſtruoſæ mulieris expiatio.

1 LOcutuſque eſt Dominus ad Moyſen & Aaron, dicens: 2. Lo-
quimini filiis Iſrael, & dicite eis: Vir, qui patitur fluxum
ſeminis, immundus erit. 3. Et tunc iudicabitur huic vitio
ſubiacere, cum per ſingula momenta adhæſerit carni eius,
atque concreverit fœdus humor. 4. Omne ſtratum, in quo
dormierit, immundum erit, & ubicumque ſederit. 5. Si quis
hominum tetigerit lectum eius, lavabit veſtimenta ſua: &
ipſe lotus aqua, immundus erit uſque ad veſperum. 6. Si
ſederit ubi ille ſederat, & ipſe lavabit veſtimenta ſua: & lotus aqua, immundus
erit uſque ad veſperum. 7. Qui tetigerit carnem eius, lavabit veſtimenta ſua: &
ipſe lotus aqua, immundus erit uſque ad veſperum. 8. Si ſalivam huiuſcemodi
homo iecerit ſuper eum qui mundus eſt, lavabit veſtimenta ſua: & lotus aqua,
immundus erit uſque ad veſperum. 9. Sagma ſuper quo ſederit, immundum e-
rit: 10. & quidquid ſub eo fuerit qui fluxum ſeminis patitur, pollutum erit uſ-
que ad veſperum. Qui portaverit horum aliquid, lavabit veſtimenta ſua: & ipſe
lotus aqua, immundus erit uſque ad veſperum. 11. Omnis, quem tetigerit qui
talis eſt, non lotis ante manibus, lavabit veſtimenta ſua: & lotus aqua, immun-
dus erit uſque ad veſperum. 12. Vas fictile quod tetigerit, confringetur: vas
autem ligneum lavabitur aqua. 13. Si ſanatus fuerit qui huiuſcemodi ſuſtinet paſ-
ſionem, numerabit ſeptem dies poſt emundationem ſui, & lotis veſtibus & toto
corpore in aquis viventibus, erit mundus. 14. Die autem octavo ſumet duos
turtures, aut duos pullos columbæ, & veniet in conſpectu Domini ad oſtium
tabernaculi teſtimonii, dabitque eos ſacerdoti: 15. qui faciet unum pro peccato,
& alterum in holocauſtum: rogabitque pro eo coram Domino, ut emundetur a
fluxu ſeminis ſui. 16. Vir de quo egreditur ſemen coitus, lavabit aqua omne
corpus ſuum: & immundus erit uſque ad veſperum. 17. Veſtem & pellem, quam
habuerit lavabit aqua, & immunda erit uſque ad veſperum. 18. Mulier, cum
qua coierit, lavabitur aqua, & immunda erit uſque ad veſperum. 19. Mulier,
quæ redeunte menſe patitur fluxum ſanguinis, ſeptem diebus ſeparabitur. 20. O-
mnis qui tetigerit eam, immundus erit uſque ad veſperum: 21. * & in quo dor-
mierit, vel ſederit diebus ſeparationis ſuæ, polluetur. 22. Qui tetigerit lectum e-
ius, lavabit veſtimenta ſua: & ipſe lotus aqua, immundus erit uſque ad veſpe-
rum. 23. Omne vas, ſuper quo illa ſederit, quiſquis attigerit, lavabit veſtimen-
ta ſua: & ipſe lotus aqua, pollutus erit uſque ad veſperum. 24. Si coierit cum
ea vir tempore ſanguinis menſtrualis, immundus erit ſeptem diebus: & omne ſtra-
tum, in quo dormierit, polluetur. 25. Mulier, quæ patitur multis diebus flu-
xum ſanguinis non in tempore menſtruali, vel quæ poſt menſtruum ſanguinem
fluere non ceſſat, quamdiu ſubiacet huic paſſioni, immunda erit quaſi ſit in tem-
pore menſtruo: 26. omne ſtratum in quo dormierit, & vas in quo ſederit, pol-

lu

lutum erit 27. * quicumque tetigerit ea, lavabit veſtimenta ſua: & ipſe lotus aqua, immundus erit uſque ad veſperum. 28. Si ſteterit ſanguis, & fluere ceſſaverit, numerabit ſeptem dies purificationis ſuæ: 29. & die octavo offeret pro ſe ſacerdoti duos turtures, aut duos pullos columbarum, ad oſtium tabernaculi teſtimonii: 30. qui unum faciet pro peccato, & alterum in holocauſtum: rogabitque pro ea coram Domino, & pro fluxu immunditiæ eius. 31. Docebitis ergo filios Iſrael * ut caveant immunditiam, & non moriantur in ſordibus ſuis, cum polluerint tabernaculum meum quod eſt inter eos. 32. Iſta eſt lex eius, qui patitur fluxum ſeminis, & qui polluitur coitu, 33. & quæ menſtruis temporibus ſeparatur, vel quæ iugi fluit ſanguine, & hominis, qui dormierit cum ea.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 21. *Et in quo dormierit, vel ſederit*. Non addas nomen *locus*: *Et locus in quo* &c.

V. 27. *Quicumque tetigerit ea, lavabit veſtimenta ſua*. Conſulto ſubſtitutum eſt neutrum plurale *ea* in locum feminini ſingularis *eam*, quod eſt in pleriſque libris.

V. 31. *Ut caveant immunditiam*. Interpres dedit ſingulare *immunditiam*, ſi optimis libris habeatur fides, non plurale *immunditias*.

COMMENTARIA

SA.

Verſ. 3. CUM PER SINGULA, &c. Hebr. & Chald. *cum fluxerit*, *aut carni adhæſerit*, &c. nec eſt ulla mentio de momentis.

V. 8. SALIVAM; quaſi dicat, ſi talis alium conſpuat.

V. 9. SAGMA, id eſt iumenti ſtratum. Alii *iumentum*. Chald. *equitatura*. LXX. *ſtragulum aſini*, pro cuiuſcumque iumenti.

V. 13. VIVENTIBUS. Chald. *fontis*.

V. 15. FACIET; id eſt, offeret, ſeu ſacrificabit. ROGABITQUE. Heb. *Expiabitque*. EMUNDETUR; id eſt, mundus declaretur.

V. 16. EGREDITUR, ſcilicet aliquando. COITUS; id eſt, quale ſolet in coitu.

V. 17. QUAM HABUERIT. Heb. *Super quam ſemen effuſum fuerit*.

V. 19. SEPARABITUR, ſcilicet a conſortio aliorum in cibo, & lecto.

V. 23. VAS, id eſt inſtrumentum.

E. 25. IN TEMPORE, ſcilicet ſolito; quaſi dicat, præter ſolitum tempus.

V. 30. ROGABITQUE. Heb. *Expiabitque*.

V. 32. COITU. Hebr. *ſeminis effuſione*.

V. 33. SANGUINE. Hic Hebr. Chal. & LXX. addunt, *& fluentis* (ſcilicet ſeminis) *fluxu*, *ſive maris*, *ſive feminæ*.

ESTII.

Verſ. 15. QUI FACIET UNUM PRO PECCATO, ET ALTERUM IN HOLOCAUSTUM. *Faciet*, id eſt ſacrificabit, ut multi exponunt. Vide de hac ſignificatione Comment. I. Cor. XI. ad illud: *Hoc facite in meam commemorationem*.

V. 24. SI COIERIT CUM EA VIR TEMPORE SANGUINIS MENSTRUALIS, IMMUNDUS ERIT SEPTEM DIEBUS. Sic & cap. XVIII. verſ. 19. itidem ſine graviori pœna. Quæritur ergo quomodo hæc conveniant cum eo quod dicitur cap. XX. verſ. 18. *Qui coierit cum muliere in fluxu menſtruo, ipſaque aperuerit fontem ſanguinis ſui, interficientur ambo?* Reſpondeo. Scriptura cap. XX. loquitur de eo qui ſciens & prudens ad menſtruatam mulierem acceſſerit, & de eo convictus fuerit in iudicio; cap. autem hoc XV. & XVIII. intelligenda ſunt quando ipſe imprudens acceſſerit, aut poſtea cognoverit, aut factum occultum eſt. Nec enim tenebatur ſeipſum accuſare; ſed ſufficiebat quantum ad legem, ut ſe tamquam immundum ſeptem diebus ſepararet ab hominum converſatione: interim quo-

que apud Deum peccati pœnitentiam ageret, ſi ſciens feciſſet. Quod autem iam ſevere prohiberetur coitus cum muliere menſtruata, ſane etiam cum uxore (nam concubitus cum non uxore ſatis aliis præceptis ſunt prohibiti) cauſa eſt, non tantum propter immunditiam ſeu ſœditatem; verumetiam, & multo magis propter nocumentum prolis, quæ ſæpe ex tali concubitu monſtroſa, leproſa, debilis, aut quocumque alio modo vitioſa naſcitur. Unde apud Ezech. cap. XVIII. inter manifeſtæ iniquitatis peccata numeratur, ſi quis ad mulierem menſtruatam acceſſerit, ſicut inter iuſtitiæ opera, ſi quis ad talem non acceſſerit.

MARIANAE

Verſ. 3. ET TUNC IUDICABITUR HUIC VITIO SUBIACERE, &c. Hebr. *Et hæc erit immunditia eius in fluxu eius: expuit caro eius fluxum ſuum, vel claudit carnem ſuam a fluxu ſuo, immunditia eius eſt*. Dupliciter contingit fluxus, aut cum exterius ſemen fluit, aut cum præ craſſitie obturat os membri virilis. Porro per carnem, mentulam intelligit, virilia.

V. 8. SI SALIVAM. *Saliva*, ſemen eſt. Sept. *Si ſpuerit*. Chald. *Quando ſpuerit qui fluxum patitur*.

V. 9. SAGMA, SUPER QUO SEDERIT. Hebraicam vocem מרכב *merchab* quidam putant ſignificare *iumentum*; ſed plerique, etiam Sept. *ſagma* expoſuerunt, hoc eſt *ſellam*, ſeu *clitellam*: ſic Hebræus explicat. Chald. vocem Hebr. reliquit, pro qua tamen in Regiis Latine *equitaturam* poſuere.

V. 11. QUEM TETIGERIT .... NON LOTIS ANTE MANIBUS. Mirum eſt, ſi lotione manuum poterat quis impune tangere immundum: ideo quidam Hebræus per manus totum corpus intelligit immundi; & videtur referre ad pollutum, qui eo ritu mundabatur, & tunc licebat eum tangere.

V. 15. QUI FACIET. Facere in ſignificatione ſacrificandi.

*V.*24. SI COIERIT CUM EA VIR &c. Hebr. *Si cubando cubuerit vir cum ea* (ſcilicet menſtruata) *& fuerit menſtruum eius ſuper eo*. Sic quidam hoc non ad coitum referunt, nam eius maior pœna erat; ſed ad communem lectum, in quo ſi virum ſanguis menſtruatæ forte tangebat, immundus erat.

V. 31. DOCEBITIS ERGO FILIOS ISRAEL UT CAVEANT IMMUNDITIAM. Hebr. *Separabitis filios Iſrael ab immunditiis eorum*. ET NON MORIANTUR, Deo ſcilicet vindice.

MALVENDAE.

Verſ. 2. QUI PATITUR FLUXUM SEMINIS. Heb. *fluens de carne ſua*. *Caro* hic Hebraica phraſi, honeſta appellatione, pro pudendis accipitur; ut alibi etiam in Scriptura ſynechdochice, ut & verſ. ſeq. Sic cap. VI. v. 10.

V. 3. CUM PER SINGULA MOMENTA ADHAESERIT CARNI EIUS, ATQUE CONCREVERIT FOEDUS HUMOR. Heb. *Veluti ſalivam emiſit caro eius fluxum ſuum, aut obturavit carnem ſuam, impuritas eius eſt*. Quidam ita interpretantur, quaſi dicat: Ratione fluxus ſeminis homo dicetur hoc modo impurus: ſi penis eius deſpuat ſemen ſimile ſalivæ; hoc eſt, ſi deſpuat ſemen aqueum: aut ſi obturet meatus ſuos ſeminarios ſemine ipſo, propterea quod ſemen craſſius ſit quam ut exire poſſit per meatus illos: ſi illud ſemen non profluat, ſed remaneat in vaſis, aut viis ſeminariis; tunc dicetur impurus, & habebitur pro impuro, ſeu immundo: etiam ſi ſemen non profluat illi, videlicet ut profluvium ſeminis externum, immundum eſt, & conſpurcat; ita & fluxus internus, qui fit cum ſemen e vaſis ſeminariis exit quidem, ſed foris non erumpit, quia præ craſſitie obturat os membri virilis. Aliena, indigna, & ſpurca explanatio. Alii obſervant poni hic duo gonorrhϾ genera, alterum eius quæ ſomniantibus accidit, alterum eius quam genituram valetudinis morbo effluentem appellat Plinius Lib. XX. cap. VIII. Duplicem autem eſſe utriuſque modum, quo genitale ſemen, etſi non iuſte, excreatur. Prior eſt, cum e laxis vaſis per tenuitatem ſeminis, aut laxitatem vaſorum profunditur, quamvis nulla ratione (ut magis in ſomno accidit) proritatum: ſic caro ſalivare dicitur profluvium viri. Poſterior eſt, cum ſemen in quaſdam anguſtias compreſſum, exſudat abundantia ſua

cum

cum vehementia per obſtructionem irritatum. Hoc autem per metalepſim innui a Moſe illis verbis: *Si obſtruxerit ſe caro eius a profluvio eius*. Ego potius intelligo hic uſque ad verſ. 16. tantum agi de morbo gonorrhœæ: & illud, *Aut obſignavit carnem ſuam de fluxu ſuo*, vel *aut obſignata fuit caro eius de fluxu eius*, id eſt quaſi ſigillo confirmata gonorrhœa; ut non ſemel aut bis effluat ſemen, ſed morbus ſit continens & declaratus: quem ſenſum Noſter egregie expreſſit. Quidam reddit: *Vel ſignum impreſſit carni ſuæ*.

V. 7. Qui tetigerit carnem eius. Exponunt: Id eſt quamlibet corporis partem præterquam lotas manus. Inf. verſ. 11.

V. 16. Semen coitus. Heb. *Concubitus ſeminis*. Hypallage, *ſemen concubitus*. Alii, *effuſio ſeminis*. Quidam, *proiectio ſeminis*, vel *iacentia ſeminis*. Notant hic agi de eo qui non eſt affectus gonorrhœa, ſed cui aliquando excidit ſemen. Vide verſ. ſeq. Aliqui putant hic ſermonem eſſe de pollutione, ſeu effuſione ſeminis in ſomno. Unde hic quidam vertunt, *cubatio*, *ſtratum ſeminis*, vel *ſemen cubationis*, ſeu *ſtrati*, vel *ſomniale ſemen*, quod viro cubanti ſeu dormienti in ſtrato ſuo per ſomnium excernitur. Nec deſunt qui interpretentur, *concubitus ſemen*, id eſt genitale ſemen, fuſum in maritali ac legitimo coitu, ut verſ. 18.

V. 18. Mulier cum qua coierit, lavabitur aqua. Nonnulli ita ex Hebr. exponunt: *Et mulier, cum qua cubuerit maritus concubitu ſeminis*, vel *effuſione ſeminis*. Id eſt, ſi vir imprudens, veluti noctu dormiens, paſſus eſt fluxum ſeminis, & ſub auroram, eius rei non recordatus, cum uxore ſua congrediatur; tunc per imprudentiam polluitur uterque. Alii ſic reddunt: *Et mulier, quæ iacebit vir ipſa, iacere ſeminis, & lavabunt in aquis, & immundabuntur*, &c. Id eſt, ſi mulier iacebit ſic, quod vir & ipſa pariter iacebunt; accidente exitu ſeminis per ſomnum ex viro, lavabuntur ambo, &c. ſicque hic iacentiam viri cum muliere non intelligunt concubitum ſeminalem, ſed quod accubet vir in eodem ſtrato cum muliere. Nonnulli hunc verſum de legitimo ac maritali concubitu, ſeu coitu mariti cum uxore dumtaxat accipiunt. Alii de utroque, de legitimo in matrimonio, & de illegitimo extra matrimonium ſeminali coitu intelligunt.

V. 19. Septem diebus separabitur. Heb. *Septem diebus erit in ſeparatione ſua*. Quidam explicant: *in menſtruo ſuo*, quod ſanguis ille impurus & immundus naturaliter ſeptem diebus ſeparari & fluere ſoleat a mulieribus. Alii, *in ſeparatione ſua*, quod propter immunditiam menſtruam ſeparata & ſegregata eſſe debebat a conſortio reliquorum hominum, etiam mariti; ita ut neque concuberent, neque veſcerentur cum ea, neque illam attingerent, ut ſequentia explicant: & maxime ſeparata eſſe debebat ab ingreſſu tabernaculi, atque contactu rerum ſacrarum, & mundarum. Vide cap. XII. verſ. 2. & 4. Feſtus: *Ancunulentæ feminæ menſtruo tempore appellantur: unde trahitur inquinamentum*. In veteri Gloſſario, *Ancodata περὶ ἱερὰ θ̓ῆσα*. Ioſephus Scaliger & Bonaventura Vulcanius emendant, *ancunulenta*. Per hoc verbum omnia ſpurca & ſordida expreſſerunt veteres Latini; quaſi dicas *Inquinatæ*.

V. 24. Si coierit cum ea vir. Heb. *Et ſi concumbendo concubuerit vir cum ea*; id eſt, ſi omnino concubuerit, pleno & patrato concubitu. Exponunt, imprudens, puta cum imprudente: nam alioqui pœna in eum qui ſciens, prudens fecerit, indicta eſt infra cap. XX. verſ. 18. Tempore sanguinis menstrualis. Heb. *Et fuerit ſeparatio eius*, ſcilicet mulieris, *ſuper eum*. Aliqui explicant: Id eſt, & ſupervenerit menſtruum mulieri, dum homo dormit cum ea. Nonnulli illud: *Et ſeparatio eius*, ita accipiunt; Id eſt, cuius cauſa ſeparatur a conſortio hominum; vel id quod natura eiicit & ſeparat ab ea, nempe ſanguinem menſtruum.

V. 25. Non in tempore menstruali. Quidam reddunt, *præter tempus ſeparationis ſuæ*, id eſt menſtruorum; quod ſeptidiale erat, ſup. verſ. 19. & cap. XII. verſ. 2. Quasi sit in tempore menstruo. Heb. *Sicut diebus ſeparationis ſuæ*; hoc eſt, eadem immunditiæ lege tenetur, qua cum ordinarium menſium fluxum patitur: de quo ſupra verſ. 19. & ſeqq.

V. 28. Fluere cessaverit. Heb *Et ſi munda fuerit a profluvio ſuo*, videlicet

cet ordinario; non autem extraordinario, nam de hoc iam cavit Moſes verſ. 25. SEPTEM DIES, nimirum ab initio profluvii ſui ordinarii.

V. 31. DOCEBITIS ERGO FILIOS ISRAEL UT CAVEANT IMMUNDITIAM. Heb. *Et ſeparare facietis filios Iſrael de contaminatione eorum*. Verbum נזר *nazar* aiunt ſignificare, *devotione ſive religione, ſanctimonia, aut voto ſingulari, vel reverentia aut dignitate ſeparari ab aliis*. Unde quidam vertunt: *Religioſe ergo prohibeatis filios Iſrael ab immunditiis ſuis*. Formula Hiphil hic ſignificatum intendit; quaſi dicat: Curabitis ut quam maxime ſeparentur, & quamlongiſſime abſint ab omni genere immunditiæ & impuritatis, ut ſint omnino puri, mundi, caſti, ſancti, ut populum Dei decet. Nonnulli reddunt: *Et diſſeretis*, id eſt ſeparabitis, *filios Iſrael ab immunditia eorum*. Propius: *Et aſſeretis, vindicabitis, abſtinebitis filios Iſrael, &c.*

MENOCHII.

Verſ. 2. QUI PATITUR FLUXUM SEMINIS, ſcilicet perdurantem, per morbum gonorrhææ, ut vocant medici, qui oritur ex debilitate naturæ, & potentiæ retentivæ.

Verſ. 8. LAVABIT VESTIMENTA SUA, is qui conſpurus eſt.

V. 9. SAGMA, id eſt ſella, vel ſtratum. Chald. *Omnis equitatura ſuper quam equitaverit, erit immunda*. LXX. verterunt, *ſtragulum aſini*.

V. 15. FACIET, immolabit. PRO PECCATO, legali ſcilicet ad legalem immunditiam expiandam; & etiam pro peccato vero, & proprie ſumpto, ſi quod habeat nondum expiatum. A FLUXU SEMINIS SUI, ab immunditia legali per ſeminis fluxum contracta.

V. 16. SEMEN COITUS, ſive legitimo in matrimonio, ſive illegitimo, & illicito extra matrimonium. *Semen coitus* dicitur, id eſt quale ſolet in coitus. LAVABIT AQUA. Hæc expiatio poſt coitum ſtatim poſtero mane fieri debebat. USQUE AD VESPERAM: non propter peccatum quod potuit non interveniſſe, ut ſi cum uxore congreſſus eſt, ſed propter immunditiam legalem.

V. 19. FLUXUM SANGUINIS, menſtrui. SEPARABITUR, non extra caſtra, ſed a communione hominum per ſeptem dies.

V. 20. OMNIS QUI TETIGERIT EAM, IMMUNDUS ERIT, ſi ſit grandior, & compos rationis: nam infantes excuſat ætas, neceſſitas, & naturæ pietas.

V. 23. OMNE VAS, omne inſtrumentum.

V. 24. IMMUNDUS ERIT SEPTEM DIEBUS, ſi res lateat, tunc enim occulte expiari poterit; ſi autem res prodatur, ipſeque accuſetur, & convincatur, una cum femina occidendus eſt, infra cap. XX. 18.

V. 25. FLUXUM SANGUINIS, hemorrhoides.

V. 27. TETIGERIT EA, ſtratum ſcilicet, & vas.

V. 30. FACIET: immolabit ſacerdos turturem unum, vel pullum columbæ. PRO PECCATO: non quod menſtruorum fluxus ſit peccatum; ſed quod ſit legalis immunditia. ET PRO FLUXU IMMUNDITIAE EIUS: ut ſcilicet liberetur ab immunditia legali, quam ex hoc fluxu contraxit.

V. 31. CAVEANT IMMUNDITIAM: caveant immundi ingredi tabernaculum meum. ET NON MORIANTUR IN SORDIBUS SUIS: alioqui ego eos puniam propter ſordes eorum, cum quibus, nondum expiati ad ſacra loca acceſſerint.

TIRINI.

Verſ. 9. SAGMA SUPER QUO SEDERIT, id eſt ephippium, ſeu quidquid equo vel iumento inſternitur ad equitandum. Hinc *ſagmarius equus* apud Lampridium *a*, & *mulæ ſagmariæ* apud Rhodiginum.

Nota, non eſſe hic ſermonem niſi de fluxu ſeminis, qui *Gonorrhæa* vocatur; eſtque morbus, cum invito ſemen quaſi continue defluit ex naturæ debilitate, & facultatis retentivæ imbecillitate. Nam de voluntaria emiſſione in actu coniugali, infra agitur verſ. 16. de caſuali in ſomno, Deut. XXIII. verſ. 10. nam utraque etiam immundum hominem faciebat. Voluntaria autem extra actum coniugalem, non im-

mun-

Digitized by Google

mundum modo, ſed & deteſtabilem Deo reddebat.

Tropologice ſeminiflui ſunt doctores impuri. Ita S. Greg. & Radulph. Addit Theod. idcirco voluiſſe Deum etiam actum matrimonii quantumvis licitum, inſtar peccati ſeu immunditiæ legalis haberi, & aqua vivente, id eſt fluviali, vel fontana (quia hæc quaſi more viventium ſe movet) ad veſperam expiari; ut aſſiduitatem frequentiamque actus matrimonii cohiberet, purificandi ſui pigritia: atque ita ad honeſtam decentemque continentiam petulantiores induceret

(a) Lamprid. in Heliogabalo.

GORDONI.

Verſ. 8. NIhil eſt quod cogat interpretem immorari in hac materia. De ſeminifluo, ſeu gonorrhæo, ſeu cui ſemen continue fluit, ſive ex naturæ infirmitate, ſive aliunde, textus clarus eſt. Quod ponitur verſ. 9. SAGMA, idem eſt ac epiphippium. Septuaginta, *epiſagma*, quo ſternuntur iumenta.

V. 15. FACIET, ſacrificabit.

CAPUT XVI.

Quando, & quomodo ſacerdos ingredi debeat Sanctuarium, ipſumque expiare una cum tabernaculo & altari, emiſſarium caprum abigere, & feſtum expiationum celebrare.

1 LOcutuſque eſt Dominus ad Moyſen (a) poſt mortem duorum filiorum Aaron, quando offerentes ignem alienum interfecti ſunt: 2. & præcepit ei, dicens: Loquere ad Aaron fratrem tuum, (b) ne omni tempore ingrediatur Sanctuarium, quod eſt intra velum coram propitiatorio quo tegitur arca, ut non moriatur (quia in nube apparebo ſuper oraculum)
3. niſi hæc ante fecerit: Vitulum pro peccato offeret, & arietem in holocauſtum. 4. Tunica linea veſtietur, feminalibus
lineis verenda celabit: accingetur zona linea, cidarim lineam imponet capiti: hæc
enim veſtimenta ſunt ſancta: quibus cunctis, cum lotus fuerit, induetur. 5. Suſcipietque ab univerſa multitudine filiorum Iſrael duos hircos pro peccato, & unum arietem in holocauſtum. 6. Cumque obtulerit vitulum, & oraverit pro ſe
& pro domo ſua, 7. duos hircos ſtare faciet coram Domino in oſtio tabernaculi teſtimonii: 8. mittenſque ſuper utrumque ſortem, unam Domino, & alteram
capro emiſſario: 9. cuius exierit ſors Domino, offeret illum pro peccato: 10. cuius autem in caprum emiſſarium, ſtatuet eum vivum coram Domino, ut fundat
preces ſuper eo, & emittat eum in ſolitudinem. 11. His rite celebratis, offeret
vitulum, & rogans pro ſe & pro domo ſua, immolabit eum: 12. aſſumptoque thuribulo, quod de prunis altaris impleverit, & hauriens manu compoſitum thymiama in incenſum, ultra velum intrabit in ſancta: 13. ut poſitis ſuper ignem
aromatibus, nebula eorum & vapor operiat oraculum, quod eſt ſupra teſtimonium, & non moriatur. 14. Tollet quoque de ſanguine vituli, & aſperget digito ſepties contra propitiatorium ad orientem. 15. Cumque mactaverit hircum
pro peccato populi, inferet ſanguinem eius intra velum, ſicut præceptum eſt de
ſan-

ſanguine vituli, ut aſpergat e regione oraculi, 16. & expiet ſanctuarium ab im-
munditiis filiorum Iſrael, & a prævaricationibus eorum, cunctiſque peccatis.
Iuxta hunc ritum faciet tabernaculo teſtimonii, quod fixum eſt inter eos in me-
dio ſordium habitationis eorum. 17. (c) Nullus hominum ſit in tabernaculo,
quando pontifex ſanctuarium ingreditur, ut roget pro ſe & pro domo ſua, &
pro univerſo cœtu Iſrael, donec egrediatur. 18. Cum autem exierit ad altare
quod coram Domino eſt, oret pro ſe, & ſumptum ſanguinem vituli atque hirci
fundat ſuper cornua eius per gyrum: 19. aſpergenſque digito ſepties, expiet, &
ſanctificet illud ab immunditiis filiorum Iſrael. 20. Poſtquam emundaverit San-
ctuarium, & tabernaculum, & altare, tunc offerat hircum viventem: 21. & po-
ſita utraque manu ſuper caput eius, confiteatur omnes iniquitates filiorum Iſrael,
& univerſa delicta atque peccata eorum: quæ imprecans capiti eius, emittet il-
lum per hominem paratum, in deſertum. 22. Cumque portaverit hircus omnes
iniquitates eorum in terram ſolitariam, & dimiſſus fuerit in deſerto, 23. rever-
tetur Aaron in tabernaculum teſtimonii, & depoſitis veſtibus, quibus prius indu-
tus erat cum intraret Sanctuarium, relictiſque ibi, 24. lavabit carnem ſuam in lo o
ſancto, indueturque veſtibus ſuis. Et poſtquam egreſſus obtulerit holocauſtum
ſuum ac plebis, rogabit tam pro ſe quam pro populo: 25. & adipem, qui ob-
latus eſt pro peccatis, adolebit ſuper altare. 26. Ille vero, qui dimiſerit caprum
emiſſarium, lavabit veſtimenta ſua & corpus aqua, & ſic ingredietur in caſtra.
27. Vitulum autem & hircum, qui pro peccato fuerant immolati, & quorum
ſanguis illatus eſt in ſanctuarium ut expiatio compleretur, aſportabunt foras ca-
ſtra, (d) & comburent igni tam pelles quam carnes eorum ac fimum: 28. & qui-
cumque combuſſerit ea, lavabit veſtimenta ſua & carnem aqua, & ſic ingrede-
tur in caſtra. 29. Eritque vobis hoc legitimum ſempiternum: (e) Menſe ſepti-
mo, decima die menſis, affligetis animas veſtras, nullumque opus facietis, ſive in-
digena, ſive advena qui peregrinatur inter vos. 30. In hac die expiatio erit ve-
ſtri, atque mundatio ab omnibus peccatis veſtris: coram Domino mundabimini.
31. ſabbatum enim requietionis eſt, & affligetis animas veſtras religione perpetua.
32. Expiabit autem ſacerdos, qui unctus fuerit, & cuius manus initiatæ ſunt ut
ſacerdotio fungatur pro patre ſuo: indueturque ſtola linea & veſtibus ſanctis, 33.
& expiabit ſanctuarium & tabernaculum teſtimonii atque altare, ſacerdotes quo-
que & univerſum populum. 34. Eritque vobis hoc legitimum ſempiternum, ut oretis
pro filiis Iſrael, & pro cunctis peccatis eorum ſemel in anno. Fecit igitur ſicut
præceperat Dominus Moyſi.

(a) Sap. x. 1. (b) Exod. xxx. 10. Hebr. ix. 7. (c) Luc. 1. 10. (d) Hebr. xiii. 11. (e) Infr. xxiii. 27. & 28.

COMMENTARIA

S A.

Verſ. 2. SANCTUARIUM, id eſt ſancta ſanctorum. NUBE, forte illa quæ fiebat ex thymiamate, de quo infra.

Verſ. 3. FECERIT, ſcilicet ſemel in anno menſe ſeptembri.

V. 4. TUNICA LINEA VESTIETUR, &c. His ſolis veſtibus induebatur, non reliquis pontificalibus, quod eſſet mæroris dies & afflictionis, quod ad expiationis officium attinebat; alioqui eodem die ſuis induebatur, ut infra dicitur.

V. 6.

V. 6. Obtulerit, ſcilicet Deo poſtea immolandum. Oraverit. Hebr. *Expiaverit*.

V. 7. Tabernaculi, id eſt atrii.

V. 8. Emissario, pro emittendo, ſcilicet poſtea.

V. 10. Fundat preces. Hebr. *Expiet*: itidem intellige inf. in locis ſimilibus, ne ſit opus ſæpe repetere.

V. 12. Altaris, ſcilicet holocauſtorum, ſecundum quoſdam; ſecundum alios, thymiamatis.

V. 13. Testimonium, id eſt arcam teſtimonii. Moriatur, ſcilicet ita faciendo; quaſi dicat: Aliter faciens morietur.

V. 14. Ad Orientem, id eſt ad illam eius partem quæ reſpicit orientem, ſcilicet priorem.

V. 16. Immunditiis, id eſt peccatis, quibus quodammodo pollui videtur. Tabernaculo, id eſt tentorio, ſeu atrio. Sordium, id eſt impuritatum.

V. 17. Tabernaculo, id eſt atrio, vel ea parte tabernaculi quæ vocatur ſancta.

V. 18. Altare, ſcilicet thymiamatis.

V. 20. Offerat, ſcilicet Domino.

V. 22. Portaverit. Plane Chriſti figura: hircus enim quomodo portare poterat?

V. 29. Affligetis, ſcilicet ieiunando. Animas, id eſt vitas, ſeu corpora.

V. 31. Sabbatum enim requietionis; quaſi dicat, Quies quietis, id eſt ſumma quies, ſcilicet corporis & animæ. LXX. *Sabbata ſabbatorum*. Perpetua, id eſt perpetuo obſervanda.

ESTII.

Verſ. 10. Cuius autem in caprum emissarium. Per caprum Chriſtus ſignificatur, propter ſimilitudinem carnis peccati. Fit autem hic mentio duorum caprorum: alterius qui immolatur in tabernaculo; alterius autem qui emittitur in deſertum a feris devorandus: quorum uterque Chriſtum ſignificat. Prior Chriſtum paſſum in civitate Ieruſalem, nempe clamoribus, & accuſationibus Iudæorum; poſterior Chriſtum paſſum & crucifixum extra civitatem, idque manibus Gentilium, tamquam ferorum ac barbarorum hominum. Alii aliter allegoriam explicant, per hircum immolatum Chriſti humanitatem intelligentes (Chriſtus enim paſſus eſt ſecundum humanam naturam;) per hircum emiſſarium vero eiuſdem divinitatem, quia ſecundum naturam divinam, paſſionem & mortem ſubire non potuit; & tamen ſecundum eamdem naturam portavit ſecum omnes iniquitates hominum, quia inquantum Deus, delet iniquitates noſtras: id quod facere non potuiſſet, ſi tantum homo fuiſſet.

V. 16. Et expiet sanctuarium ab immunditiis filiorum Israel. Expiari dicitur ſanctuarium, tabernaculum, & altare ab immunditiis filiorum Iſrael, non quod ſanctuarium proprie aliquo peccato inquinetur, ſed quia cenſetur quodammodo pollui peccatis ſacerdotum, & populi, ſicut & Eccleſiæ Chriſtianorum contaminari, & profanari dicuntur per certa quædam peccata in iis commiſſa. Quemadmodum ergo Chriſtianorum Eccleſiæ poſt profanationem repurgantur, ac velut reconciliantur; ita in lege veteri tabernaculum quoque, ſanctuarium, & altare expiari debebant a multiplicibus peccatis filiorum Iſrael, in quorum medio erant conſtituta.

V. 21. Confiteatur omnes iniquitates filiorum Israel, et universa delicta atque peccata eorum. Hæc ſacerdotis pro univerſo populo peccatorum confeſſio non ita fiebat in genere, ut tantum profiteretur populum peccaſſe: hoc enim non eſſet confiteri omnes iniquitates filiorum Iſrael & univerſa delicta atque peccata eorum. At neque tamen confeſſio illa ita particularis erat, ut ſingulorum peccatorum a ſingulis commiſſorum enumerationem contineret: neque enim ea omnia ſcire poterat ſacerdos, & fuiſſet ea ſacerdotis confeſſio nimis longa, nec unius diei; ſed fiebat enumeratione peccatorum ſecundum ſpecies eorum quæ ſciret in populo regnare.

V. 31. Et affligetis animas vestras religione perpetua. Nota. Igitur ieiunium eſt actus religionis: quod noſtri negant hæretici.

MARIANAE.

Verſ. 2. APPAREBO SUPER ORACULUM, *ſuper propitiatorium*: ſic Sept. eademque vox *chaphoreth* eſt Hebr. quam Noſter paulo ante eodem verſu vertit *propitiatorium*.

V. 8. ALTERAM CAPRO EMISSARIO. Sic Sep. & Pagnin. ceterum Hebraice eſt *ghazazel*: vox compoſita a *ghez*, id eſt *capro*, & *azel*, monte ſic dicto, in quem caper mittebatur; ac ſi dicat, *Caprum montis Azel*.

V. 29. MENSE SEPTIMO. Hic eſt Tiſri: quia quoad feſta, Niſan eſt anni initium. AFFLIGETIS ANIMAS VESTRAS, nempe ieiunio anniverſario, quod decima die eius menſis Tiſri notatur in Kalendariis Hebraicis.

MALVENDAE.

Verſ. 1. LOCUTUSQUE EST DOMINUS, &c. Notant quidam regreſſionem eſſe qua reſpondet Deus ad quæſtionem Aaronis propoſitam, An infirmus & peccati conſcius ſacerdos peccatum populi poſſit comedere, ſupra cap. x. verſ. 19. id quod verba contextus docere putant, cum dicitur: *Poſtquam mortui ſunt*, &c. quando offerentes ignem alienum, &c. Habes totam hanc hiſtoriam ſupra cap. x.

V. 2. SANCTUARIUM. Intelligit Sanctum ſanctorum, ſacratiſſimum ſacrarium, penitius adytum, ubi erat arca, & propitiatorium, intra tertium velum. QUIA IN NUBE APPAREBO SUPER ORACULUM. Hebr. *ſuper propitiatorium*. Id eſt, aſpectabili ſpecie in ſplendida nube reſideo, & conſpiciendam exhibeo maieſtatem meam ſuper propitiatorium: ac proinde non debet ſacerdos ullus, niſi raro ac trepide (idque vocatus) accedere cum reverentia. Vide Exodi III. verſ. 5.

V. 3. NISI HAEC FECERIT. Hebr. *In hoc veniet Aaron ad ſanctuarium*. Semel tantum in anno menſe ſeptembri in die expiationum, ſolus ſummus ſacerdos ingrediebatur Sanctum ſanctorum, ſeu ſacratiſſimum adytum, ut dicitur inf. verſ. 29. & ſeqq.

V. 4. TUNICA LINEA VESTIETUR, &c. Obſervant eſſe ſynecdochen, videlicet cum rationali, ephod, pallio, & omni ornatu pontificio, ex lege Exodi XXVIII. verſ. 34. Similis autem ſynecdoche habetur infra verſ. 23. Alii volunt, tunc abſtinuiſſe pontificem a pretioſioribus & ſacratioribus veſtibus; & tantum intraſſe in lineis more inferiorum ſacerdotum: vel ob reverentiam præſentiæ divinæ, cui ea moderatione deferebat; vel quod feſtum illud eſſet luctus & mæſtitiæ, pœnitentiæ, & afflictionis ad expianda peccata: ut nunc in die paraſceves Romanus Pontifex, & Epiſcopi deponunt auguſtiores veſtes, & alias inferiorum ordinum aſſumunt.

V. 6. ET ORAVERIT PRO SE ET PRO DOMO SUA, uti præſcribitur infra verſ. 11.

V. 8. MITTENSQUE SUPER UTRUMQUE SORTEM. Exponunt: Id eſt, cognoſcite per ſortem iudicium Dei, utrum illorum ſibi mactari, & utrum dimitti cum populi peccatis velit. CAPRO EMISSARIO. עזאזל *ghazazel*, quidam notant compoſitum ex nomine עז *ghez*, *caper*, & verbo אזל *azal*, *ablatum*, *abreptum eſt*; quaſi dicas *caper abreptitius*, ſeu, ut Græci & Noſter dixerunt, *emiſſarius*. Conveniunt ferre Hebræi, & Noſtri, vocem eſſe compoſitam ex *ghez*, *caper*, & *azal*, *abiit*; ac ſi dicas *caper abiens*, & *aberrans*, quia emiſſus a ſacerdote caper ſine cuſtode, libere huc illuc oberrabat, veluti expoſitus: quod genus ſacræ pecudis, ut notant quidam, Græci ἄφετον ζῶον, id eſt *dimiſſum*, *liberum animal*, dixerunt: & Svetonius in Iulio Cæſare, cap. XVIII. appellat conſecratum ac vagum, & ſine cuſtode. De quo genere animalium dimiſſorum, ac Deo conſecratorum, plura annotata invenies in Henrici Stephani Tomo I. pag. 1661. & in Animadverſionibus Iſaaci Caſauboni ad Svetonium. Hebræorum nonnulli aiunt, *ghazazel* eſſe nomen proprium montis prærupti & alti, atque horridi in deſerto, prope montem Sinai, dictum ab hirco illo, quod eo hircus ille amandaretur: unde hic exponunt *pro Azazel*, id eſt pro capro qui abducendus erat in montem Azazel, qui mons ſitus erat in deſerto prope montem Sinai. Nec deſunt qui reddant *caprum depulſorem*, ſeu *averruncatorem*,

rem, ſcilicet malorum. De quo inf. verſ. 10. 20. 21. 22. 26.

V. 12. Compositum thymiama in incensum. Hebr. *Suffitum odoramentorum*, *aromatum*, *gracilem*. דקה *dakkah*, id eſt *tenuem*, *comminutum*. Quidam pro imperativo capiunt, redduntque: *Plenoſque pugillos ſuos ſuffitu aromatum comminuito*, nimirum ex maſſa odoramentorum. Exodi xxx. verſ. 34.

V. 14. Contra propitiatorium ad orientem. Hebr. ſic reddunt. I. *Contra faciem propitiatorii ad orientem*: *coram propitiatorio*, inquam, *aſperget ſeptem vicibus de ſanguine illo*, *digito ſuo*. Exponuntque, quaſi dicat: Aſperget partem anteriorem ſpectantem ad orientem, & poſteriorem ſpectantem ad occidentem. II. *Inſpergite digito ſuo ſuperficiem ipſius operculi propitiatorii orientem verſus*; id eſt, ſuperficiem anteriorem propitiatorii: *ante illud autem operculum propitiatorium inſpergito ſeptem vicibus de illo ſanguine digito tuo*. Quem locum in hunc modum intelligunt, ut illud *ſeptem vicibus* accipiant de parte ſolum anteriore, id eſt de loco ſancto intra velum, ante propitiatorium: nam operculum ipſum pro pitiatorium, vel ſuperficies ipſius anterior, ſeu orientalis, tantum inſpergebatur ſemel, ut hoc verſu & ſeq. dicitur. Quocirca quod Hebr. dicitur *ſuper facies propitiatorii*, intelligitur ſuperficies ipſa propitiatorii ipſi inhærens, anterior, orientem reſpiciens; illud vero *&* *faciebus*, ſeu *ad facies propitiatorii*, accipiendum de loco ſacrarii intra velum, exteriore a propitiatorio, ſed ante ipſum propitiatorium.

V. 16. Ab immunditiis filiorum Israel: nimirum purgando illud ab immunditia, quæ a circumſtantibus filiis Iſrael immundis loco ſancto inferebatur.

V. 17. Nullus hominum sit in tabernaculo. Intelligunt, ne ullus etiam ex ſacerdotibus aliis inferioribus: ob reverentiam divinæ maieſtatis, quæ tum manifeſtius apparebat.

V. 18. Ad altare. Exponunt altare thymiamatis, ſeu ſuffitus, ex analogia eorum quæ dicuntur ſupra cap. iv. 4. de altari holocauſti, & ex adminiſtrationis totius ordine, qui ſummatim ponitur verſ. 20.

V. 21. Et posita utraque manu super caput eius. De hoc ritu vide quæ notavimus Exodi xxix. verſ. 10. Confiteatur omnes iniquitates filiorum Israel. Verbum התודה *bituadah* in Hithpahel, ſingularem ſignificandi modum refert: *Et confiteri ſe faciet ſuper illud omnes pravitates filiorum Iſrael*; hoc eſt, ſe reum confeſſum ſtatuet pro toto cœtu filiorum Iſrael: nomine omnium filiorum Iſrael, totius populi perſonam induens, confitebitur omnes iniquitates eorum. Aliqui vertunt: *Et iaciet*, *proiiciet*, *iaculabitur ſuper eum*, hircum, vel *ſuper illud*, caput hirci, *omnes iniquitates*; vel *&* *proiicere faciet ſuper illud*, &c. quod a genuina verbi ſignificatione non abludit. Per hominem paratum. עתי *ghitti*, *temporaneum*, *tempeſtivum*, *comodum*, *opportunum*, *promptum*. Quidam exponunt: *Per hominem diuturnum in deſerto*; id eſt, qui ex diuturna habitatione in deſerto, notitiam habeat locorum, & ſciat ducere hircum ad intima deſerti. Alii: *Per manum viri qui diu conſuevit ire in deſertum*, vel qui diu verſatus fuerit in deſerto. Aliqui, *Per manum viri temporis*, vel *temporarii*, id eſt multi temporis, nempe ſenis.

V. 22. In terram solitariam. Diverſimode Hebræa convertunt. I. *In terram deciſionis*; id eſt, quæ ab aliis erat determinata: extra terminos & fines regionis. II. *In terram deciſam*, ſeu *inhabitabilem*; id eſt, quæ, quia non habitatur, a parte habitabili velut deciſa eſt. III. *In terram ſolitudinis*: quæ גזרה *ghezerah* Hebr. dicitur, eo quod ſit ſucciſa, & veluti abſciſſa ab hominum habitatione, & vacua germinibus quibuſvis IV. *In terram ſeiunctionis*, ſeu *ſeparatam*, id eſt remotam.

V. 23. Cum intraret Sanctuarium, id eſt ſacratiſſimum ſacrarium, in quo erat arca, & propitiatorium.

V. 24. In loco Sancto, ubi erat altare holocauſti, & concha, ſeu labrum ſacerdotibus abluendis.

V. 25. Super altare, proculdubio holocauſti: nam de altari thymiamatis ſeu ſuffitus, manifeſte interdictum erat Exodi xxx. verſ. 9.

V. 26. Et sic ingredietur in castra; id eſt, poſtquam ſe abluerit; quaſi dicat: Non erit neceſſe ut remaneat

Digitized by Google

extra caſtra ad veſperam uſque: quod tamen in aliis contaminationibus obſervabatur. Sic verſ. 28.

V. 27. Quorum sanguis illatus est in sanctuarium, ut expiatio compleretur. Hebr. *Quorum illatus eſt ſanguis eorum ad expiandum in ſanctitate*. Volunt hic traiectionem eſſe verborum, & ordinem hunc eſſe: Quorum ſanguis illatus fuit in ſanctuarium ad expiandum: quem ſenſum Noſter ſecutus eſt. Alii: *Quorum ſanguis illatus fuit ad expiationem faciendam in ſancto*, ſeu *ad expiandum ſanctuarium*.

V. 29. Affligetis animas vestras. Poſſit reddi: *Reprimetis*, *comprimetis*, *flatus*, *halitus*, *anhelitus*, *ſpiritus veſtros*, ſeu *reſpirationes veſtras*. Alii: *Affligitote vos ipſos*, videlicet abſtinendo ab omni cibo & potu, unctione, & aliis delectationibus; macerando carnem, & utendo aliis pietatis exercitamentis ad finem iſtum accomodatis. Vide Druſium cap. lvi. in Leviticum.

V. 30. Expiatio erit vestri. Hebr. *Expiabit ſuper vos*. Quidam ſubaudiunt ſacerdos ſummus, e verſu 32. Alii tertiam perſonam activam pro paſſiva ſeu imperſonali more Hebraico capiunt: *Expiabitur*, *expiatio fiet ſuper vos*. Quod Noſter ſecutus eſt.

V. 31. Sabbatum enim requietionis est. Hebr. *Sabbatum ſabbaton*. Quidam reddunt, *ceſſatio ceſſationis*, *quies quietis*; vel *ceſſatio ceſſatio*, *quies*, *quies ipſa*; id eſt, ſumma quies eſt, quietiſſima & tranquilliſſima quies; quaſi dicat: Animo, & corpore vobis ceſſandum & quieſcendum eſt. Vide Exodi xvi. verſ. 23. & cap. xxxv. verſ. 2.

V. 32. Sacerdos qui unctus fuerit. Notant eſſe periphraſim ſummi & maximi ſacerdotis, qui ſolus ungebatur. Vide ſupra cap. iv. verſ. 3. & Exodi xl. verſ. 15. Cuius manus initiatae sunt. Heb. *Cuius implebit manum eius*. Quidam: *Cuius conſecraverit miniſterium*, nempe Deus. De ritu implendi manum, pro conſecrare, initiare, vide Exodi xxviii. verſ. 41.

MENOCHII.

Verſ. 1. Post mortem duorum filiorum Aaron, quæ occaſio fuit inſtituendi feſti quod Hebræi vocant כפורים *chippurim*, id eſt *expiationis*, de quo hic agitur. Finis feſti huius fuit ut ſanciretur reverentia ſacrorum, & tabernaculi nominatim.

V. 3. Sanctuarium quod est intra velum, Sancta ſanctorum. Super oraculum, ſuper propitiatorium.

V. 3. Nisi haec ante fecerit: Vitulum pro peccato offeret, et arietem in holocaustum. Illud, *ante*, & illud, *offeret*, intellige partim immolando, ut vitulum pro peccato (huius enim ſanguinem inferre debet in Sanctum ſanctorum) partim Deo ſiſtendo, ut arietem: hic enim aries non ante, ſed poſt pontificis in Sanctum ſanctorum ingreſſum, & rurſum egreſſum, immolabatur in holocauſtum. Vitulum pro peccato, pro ſuis, & familiæ ſuæ peccatis toto anno ſcienter, aut per ignorantiam admiſſis, ut patet num. 6. nam pro peccatis populi non vitulum, ſed hircum offerebat, ut patet num. 7. & 15.

V. 4. Tunica linea vestietur, &c. non pontificalibus veſtibus amictus, ſed cultu tantum minorum ſacerdotum: erat enim feſtum hoc non lætitiæ & exultationis, ſed pœnitentiæ & mæroris.

V. 5. Duos hircos pro peccato. Hæc eſt hoſtia pro peccatis totius populi, toto anno ſcienter, vel ignoranter admiſſis.

V. 6. Pro domo sua, pro tota familia ſacerdotum omnium, & levitarum: nam hi non continentur nomine populi, ſed ad pontificis domum pertinent.

V. 9. Cuius exierit sors. Qui modus ſervaretur in his ſortibus, incertum eſt.

V. 10. Caprum emissarium. Pro *emiſſarium*, in Hebr. eſt עזאזל *azazel*, de qua voce multi multa. Breviter dico caprum azazel idem eſſe quod caprum *abeuntem*, vel *emiſſarium*, & ut vocant LXX. ἀποπομπαῖον χίμαρρον: nam ig

ex

Digitized by Google

ez caprum ſignificat; אזל *azal* vero *abiit*, ſeu *ablatus eſt*. UT FUNDAT SUPER EO PRECES: ut ſcilicet confiteatur peccata ſua, & populi, Deumque roget ut illa transferat in hircum: erat enim hircus hic quaſi piaculum populi, cui peccata populi imponerentur; ut ille iis onuſtus, ea ſecum extra caſtra efferret in deſertum.

V. 11. OFFERET VITULUM. Non erat hæc vitula rufa, de qua Numer. XIX. illa enim extra caſtra pro peccato populi; hic vero in tabernaculo pro peccatis ſacerdotum immolabatur.

V. 12. COMPOSITUM THYMIAMA, cuius compoſitio deſcribitur Exod. XXX. 34. & 35. INTRABIT IN SANCTA, in Sanctum ſanctorum.

V. 13. QUOD EST SUPRA TESTIMONIUM, ſupra arcam, in qua eſt teſtimonium, id eſt tabulæ legis. ET NON MORIATUR, ob neglectas ſacras cæremonias.

V. 14. ASPERGET..... CONTRA PROPITIATORIUM; ita tamen ut ſanguis illud non tangeret. AD ORIENTEM, verſus anteriorem partem, quæ orientem reſpicit.

V. 15. INTRA VELUM. Intra Sanctum ſanctorum inferet ſanguinem, ſimul cum ſanguine vituli de quo num. 11. & 14. alioqui bis eodem die debuiſſet pontifex ingredi Sancta ſanctorum, cum tantum ſemel id ei liceret, ut patet Hebr. IX. 7.

V. 17. IN TABERNACULO, id eſt in priori tabernaculi parte, quæ Sanctum dicitur; nam in Sancto ſanctorum nulli prorſus umquam aditus patebat, quam pontifici.

V. 18. EXIERIT AD ALTARE, thymiamatis.

V. 20. POSTQUAM EMUNDAVERIT SANCTUARIUM: non quod ſanctum per ſe expiatione indigeret; ſed quod ipſum peccatis populi in cuius medio erat, toto anno commiſſis, quaſi pollutum, & contaminatum videretur.

V. 21. IMPRECANS CAPITI EIUS, ut ſcilicet peccatorum pœna in illum transiret. IN DESERTUM, ubi hic caper emiſſarius devoretur a feris, atque ita piaculum ſit populi, & hoc modo peccatis debitas pœnas in ipſum translatas luat.

V. 23. REVERTETUR IN TABERNACULUM: emittens enim hircum erat extra illud, ad oſtium ſcilicet tabernaculi.

V. 24. LAVABIT CARNEM SUAM, totum ſcilicet corpus, ut hæc lotio ſymbolum ſit munditiei per expiationem iam peractam adeptæ. IN LOCO SANCTO, in atrio tabernaculi ad labrum ſive mare æneum. INDUETURQUE VESTIBUS SUIS, pontificiis: nam deinceps ſolemnitas hæc erat læta, & cum expiatione tranſierant ſigna luctus.

V. 26. LAVABIT, &c. ad abluendam immunditiam legalem, quam contraxit ex contactu hirci tot peccatis, & imprecationibus onuſti.

V. 27. ASPORTABUNT FORAS CASTRA, ob cauſam dictam cap. IV. num. 12.

V. 28. QUICUMQUE COMBUSSERIT EA, &c. quicumque ex populo, cui hoc munus committebatur: neque enim hoc faciebant ſacerdotes.

V. 29. LEGITIMUM SEMPITERNUM, lex perpetua, ſemper obſervanda. MENSE SEPTIMO, &c. Hinc, & ex num. 32. patet hoc feſtum expiationis, eiuſque cæremonias peractas fuiſſe decimo die menſis ſeptimi, quando ſcilicet Iudæi frugibus iam collectis otium habebant Deo vacandi, ſe expiandi, Deoque gratias agendi. AFFLIGETIS ANIMAS VESTRAS, tum ieiunando, tum aliis modis carnem macerando.

V. 30. SABBATUM ENIM REQUIETIONIS EST. Hebr. eſt, *ſabbatum ſabbati*, ſive *quies quietis*, id eſt ſumma quies; quare nec licebat in hoc feſto cibos apparare, cum in aliis feſtis liceret, ut patebit cap. XXIII. 37.

V. 32. SACERDOS, QUI UNCTUS FUERIT. Pontifex.

V. 34. UT ORETIS, &c. vos o Pontifices deinceps futuri. Soli enim pontifices poterant expiare, & ſolemniter orare hac die.

T I R I N I.

Verſ. 2. & 3. NE OMNI TEMPORE INGREDIATUR Aaron SANCTUARIUM...... NISI ANTE HAEC FECERIT; id eſt, ne umquam ingrediatur pontifex Sanctum ſanctorum, etiam

etiam cum licebit illi ingredi, niſi cæremonias iſtas præmiſerit. Porro non niſi ſemel in anno, idque ſolo Expiationis die, ſcilicet decimo die ſeptimi menſis, nec niſi ſemel illo die, licuiſſe pontifici eo ingredi ſub pœna capitis, certiſſime patet ex libro Exodi, epiſtola ad Hebræos, Philone, Ioſepho *a*, & aliis. Erat autem feſtum iſtud unum e tribus celeberrimis totius anni, quo (ſi verum eſt quod Hebræi tradunt) Moyſes de monte Sinai cum tabulis ſecundis deſcendens, lætum Hebræis nuntium attulit peccati idololatriæ illorum iam expiati, & condonati a Deo. Quo item fiebat quotannis expiatio ſolemnis omnium peccatorum, quæ toto anno fuerant a populo admiſſa, & forſan nullo alio particulari ritu expiata. Denique expiabatur & ſanctuarium, adeoque & ipſum Sanctum ſanctorum, quaſi polluta peccatis populi, & ſacerdotum. Sed ante omnia ſe expiare debebat ipſe ſummus pontifex, oblatis ſuo ſumptu vitulo pro peccato ſuo, & ariete in holocauſtum. Quia vero tum perſonam rei ſuſtinebat, eratque actus pœnitentiæ, & humiliationis coram Deo, in reverentiam quoque divinæ maieſtatis, in Sancto ſanctorum quaſi in ſolio ſuo reſidentis, non induebatur tum temporis aurea ſtola, rationali, lamina aurea, aliiſve ornamentis pontifici propriis, ſed ſolis veſtibus lineis, ſeu byſſinis vulgarium ſacerdotum, ut notant Abulenſis, Caietanus, Lyranus, Sa, & Ribera *b*. Fiebat autem ea expiatio partim immolatione victimarum hic præſcriptarum, puta vituli, arietis & hirci; partim oratione pontificis & precibus ad Deum; partim aſperſione ſeptena ſanguinis victimarum iam dictarum; partim denique *c* afflictione animarum, ſeu publico totius populi ieiunio uſque ad veſperam, teſte etiam Ioſepho, & ſancto Hieronymo *d*, & Rabbinis: qui addunt, abſtinendum eo die omnibus fuiſſe non tantum a cibo, ſed & a potu, ab uxoribus, a balneis, ab unguentis.

V. 20. TUNC OFFERAT HIRCUM VIVENTEM, alterum ſcilicet pro emiſſario reſervatum. *Offerat*, non immolando, ſed coram Deo, & tabernaculo vivum ſiſtendo.

Nota, populum pro expiatione peccatorum a ſe commiſſorum toto anno, in communi debuiſſe ære publico duos deferre pontifici hircos, vel capros. Huic utrique pontifex ſortes iaciebat. Ille cuius ſors Domino exierat, immolabatur Deo pro peccato. Super alterum, in quem ſors capri emiſſarii ceciderat, confitebatur omnes iniquitates filiorum Iſrael, nomine totius populi agnoſcens publice coram Deo, ſæpius & in multis & graviter peccatum fuiſſe, ſeque egere divina miſericordia, veniam rogare, &c. Tum peccata omnium, id eſt peccatorum pœnas, imprecabatur capiti hirci, devovendo illum debito omnibus ſupplicio, Deumque orando ut exitium illius pro populi exitio admittere vellet. Mox per certum hominem ad id paratum hircus, quaſi publicum catharma, piaculum, & anathema, luiturus omnium pœnas, extra caſtra in deſertum abducebatur a fera primum obvia dilaniandus.

Allegorice, duo iſti hirci ſunt Chriſtus, & Barabbas, inquit Origenes, & ſanctus Hieronymus. Vel Chriſti humanitas, & divinitas, ut Heſychius & Theodoretus. Vel, ſecundum ſanctum Paulum *e*, Chriſtus ut cruenta, & ut incruenta hoſtia, peccatis noſtris onuſta a Patre. Tropologice boni omnes, & mali. Anagogice, electi & reprobi in die iudicii declarandi ſorte prædeſtinationis, vel reprobationis æternæ. Ita Beda, & Radulphus. Reliquæ etiam cæremoniæ expiationis iam dictæ figura erant ſpiritalis animarum emundationis non ſolum annue, ſed ſæpius, immo quotidie, nobis procurandæ.

Nota ſecundo, dæmonem ut ſimium Dei, ſimilem ſubinde expiationem ſuis iniunxiſſe ſacrificulis: nam, teſte Herodoto *f*, ſolebant AEgyptii imprecationes & maledicta congerere in caput victimæ ad id delectæ; ut ſi quid ſibi, vel AEgypto adverſi impenderet, id omne in caput victimæ converteretur. Tum illud vel in Nilum demergendum præcipitabant; vel Græco, ſeu profano alicui homini in foro venale proponebant, credo ut in illius ventrem omnia illa maledicta derivarent.

(*a*) Exod. xxx. verſ. 10. Hebr. ix. verſ. 7. Philo Lib. II. de Monarchia & Lib. de Leg. ad Caium. Ioſeph. Lib. VI. Belli cap. vi.
(*b*) Ribera Lib. III. de Templo cap. xiv.
(*c*) Levit. xxiii. verſ. 32.
(*d*) Ioſeph. ſup. Hieron. Lib. II. cont. Iovinianum.
(*e*) Hebr. ix. verſ. 12. & cap. ult. verſ. 3. & 14.
(*f*) Herod. in Euterpe.

GOR-

Digitized by Google

GORDONI.

Verſ. 1. HIc feſtum expiationis inſtituitur, ut habetur verſ. 30. & 34. Feſtum כפורים *kippurim*, *expiationum*: verſ. 3. יכפר *iecaper*, *expiabit*. Et Septuag. ἐξιλάσεται. Occaſio feſti putatur, ut fieret generalis expiatio omnium peccatorum toto anno commiſſorum; ſicut apud Chriſtianos in paſchate. Fiebant huius feſti cæremoniæ die decimo menſis ſeptimi; ſed poſt adventum in terram promiſſionis: nam poſt dedicationem tabernaculi nulla ulterius in deſerto oblata ſunt ſacrificia; & tamen hoc feſto offerri iubentur. Vide cap. XXI. verſ. 1. Oraculum, Propitiatorium, Sancta ſanctorum, vide Exod. cap. XXV.

V. 2. & 3. INTRA VELUM. Intellige, intra velum ſecundum: erant enim duo vela. Quod verſ. 3. dicitur OFFERRE, non eſt immolare, ſed dare immolandum.

V. 8. & 13. De ſorte, & quæ ſit licita, dictum alibi. *Caper emiſſarius* Hebraice עזאזל *hhazazel*, ex Hieronymo *caper emiſſarius*: עז *hhez*, eſt *caper*; אזל, *abiit*; *receſſit*. Quod additur v. 13. ORACULUM, eſt propitiatorium: de quo vide Exod. cap. XXV. & XXXV.

V. 12. ALTARIS: an holocauſti, an thymiamatis, certatur.

V. 16. Duplex hic expiatio proponitur, ſcilicet ſanctuarii, & anterioris partis tabernaculi: quæ cenſebantur morali æſtimatione pollui, ex hominum ingreſſu, & peccatis. Sic Deus commendat venerationem loci.

V. 29. AFFLIGETIS ANIMAS, vitam, & corpora ieiunio, ſcilicet anniverſario: idque decimo die menſis Tiſri.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 12. COMPOSITUM THYMIAMA. Modus compoſitionis Exod. XXX. verſ. 34. IN SANCTA, in Sanctum ſanctorum.

V. 20. Sanctum non erat pollutum, ſed æſtimatione, & peccatis populi cenſebatur pollui.

V. 24. IN LOCO SANCTO, in atrio tabernaculi.

CAPUT XVII.

Nuſquam niſi ad oſtium tabernaculi ſacrificandum, atque a ſanguine & morticino abſtinendum.

1 ET locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens: 2. Loquere Aa-
ron & filiis eius, & cunctis filiis Iſrael, dicens ad eos: Iſte
eſt ſermo quem mandavit Dominus, dicens: 3. Homo qui-
libet de domo Iſrael, ſi occiderit bovem aut ovem, ſive ca-
pram, in caſtris, vel extra caſtra, 4. & non obtulerit ad
oſtium tabernaculi oblationem Domino, ſanguinis reus erit:
quaſi ſi ſanguinem fuderit, ſic peribit de medio populi ſui.
5. Ideo ſacerdoti offerre debent filii Iſrael hoſtias ſuas, quas
occident in agro, ut ſanctificentur Domino ante oſtium tabernaculi teſtimonii,
& immolent eas hoſtias pacificas Domino. 6. Funditque ſacerdos ſanguinem ſu-
per altare Domini ad oſtium tabernaculi teſtimonii, & adolebit adipem in odo-
rem ſuavitatis Domino: 7. & nequaquam ultra immolabunt hoſtias ſuas dæmo-
nibus, cum quibus fornicati ſunt. Legitimum ſempiternum erit illis & poſteris
eorum. 8. Et ad ipſos dices: * Homo de domo Iſrael, & de advenis qui pere-
gri-

grinantur apud vos, qui obtulerit holocauſtum ſive victimam, 9. & ad oſtium tabernaculi teſtimonii non adduxerit eam, * ut offeratur Domino, interibit de populo ſuo. 10. Homo quilibet de domo Iſrael, & de advenis qui * peregrinantur inter eos, ſi comederit ſanguinem, obfirmabo faciem meam contra animam illius, & diſperdam eam de populo ſuo, 11. quia anima carnis in ſanguine eſt: & ego dedi illum vobis, * ut ſuper altare in eo expietis pro animabus veſtris, & ſanguis pro animæ piaculo ſit. 12. Idcirco dixi filiis Iſrael: Omnis anima ex vobis non comedet ſanguinem, nec ex advenis qui peregrinantur apud vos. 13. Homo quicumque de filiis Iſrael, & de advenis qui peregrinantur apud vos, ſi venatione atque aucupio ceperit feram vel avem, quibus veſci licitum eſt, fundat ſanguinem eius, & operiat illum terra. 14. (a) Anima enim omnis carnis in ſanguine eſt: unde dixi filiis Iſrael: Sanguinem univerſæ carnis non comedetis, quia anima carnis in ſanguine eſt: & quicumque comederit illum, interibit. 15. Anima quæ comederit morticinum, vel captum a beſtia, tam de indigenis, quam de advenis, lavabit veſtimenta ſua & ſemetipſum aqua, & contaminatus erit uſque ad veſperum: & hoc ordine mundus fiet. 16. * Quod ſi non laverit veſtimenta ſua & corpus, portabit iniquitatem ſuam.

(a) Gen. ix. 4. Sap. vii. 26.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 8. *Homo de domo Iſrael*. Quidam libri, pro *domo*, ſcribunt *filiis*, male.

V. 9. *Ut offeratur Domino*. Paſsivum *offeratur* dedit Interpres, non activum *offerat*.

V. 10. *Qui peregrinantur inter eos*. Sic & hebraice legitur, pronomen tertiæ perſonæ *eos*, pro pronomine ſecundæ perſonæ *vos*, quod eſt in pleriſque Latinis Libris, hic ut ſupra verſ. 8.

V. 11. *Ut ſuper altare in eo expietis*. Pro duabus voculis *in eo*, quidam libri habent unicam *meum*: neutrum hebraice legitur, prius autem eſt congruentius.

V. 16. *Quod ſi non laverit veſtimenta ſua & corpus*. Non mutes coniunctiva & cum disiunctiva *vel corpus*.

COMMENTARIA

SA.

Verſ. 3. OCCIDERIT, ſcilicet cauſa ſacrificii.

V. 4. OBTULERIT, ſcilicet per ſacerdotes immolanda. SANGUINEM, ſcilicet humanum. PERIBIT; id eſt, occidetur a me, ut dicitur infra; vel dignus eſt morte.

V. 5. OCCIDENT; pro, occidere ſolent; vel quaſi dicat; quas alioqui occiderent: nec enim in agro occiſas offerri vult.

V. 10. OBFIRMABO, &c. id eſt, iraſcar valde.

V. 11. ANIMA, id eſt vita: Aug. in Lev. qu. LVII. IN SANGUINE EST; id eſt, præcipue e ſanguine pendet, ſine ipſo enim perit animal.

V. 15. VEL, pro & utrumque enim lavandum.

V. 16. PORTABIT INIQUITATEM, id eſt punietur.

ESTII.

Verſ. 4. SANGUINIS REUS ERIT: QUASI SI SANGUINEM FUDERIT, SIC PERIBIT DE MEDIO POPULI SUI. Vide hic Hieronymum ab Oleaſtro. Hinc probare quidam nituntur, etiam paſchalem agnum debuiſſe mactari opera ſacerdotum, & levitarum ad oſtium tabernaculi: de qua re vide Exod. XII.

V. 11.

V. 11. Quia anima carnis in sanguine est. Quidam ſic intelligunt: Anima, id eſt ſpiritus vitalis, ſedem habet in ſanguine. Spiritus enim vitales puriore ſanguinis parte in vapores calore nativo reſoluta nutriuntur. Unde ſpiritus illi in ſanguine ſedem habere dicuntur, quia ſine ſanguine conſiſtere non poſſunt. Et quidem Scripturam loqui dicunt tantum de animalibus ratione carentibus. Auguſtinus autem putat quod hic dicitur etiam ad animam hominis pertinere, & hoc modo explicat: Vita iſta temporalis maxime & potiſſimum ſanguine continetur in corpore, ut per animam vita temporalis intelligatur, ſive connexio animæ cum corpore. Quod ſi animam proprie accipias, ſimilis ſenſus reddi poteſt hoc modo: Anima etiam humana potiſſimum ſanguinis præſentia in corpore continetur. Et D. Auguſtini ſenſus videtur Scripturæ maxime conformis. Quod enim ſententia etiam ad hominis animam pertineat, apparet ex eo quod poſtea univerſaliter dicitur: *Anima enim omnis carnis in ſanguine eſt.*

Redditur autem per hanc ſententiam ratio quare prohibeatur eius ſanguinis. Cum enim anima ſit in ſanguine, crudelitatis ſpeciem quamdam habet comedere ſanguinem. Et videtur hoc præceptum non mere eſſe cæremoniale, ſed ex parte etiam morale, quod ſtatim quoque a diluvio datum eſt Noe & filiis eius Geneſ. IX. De hoc divus Thomas I. II. quæſt. CII. art. III. ad 8. *Sanguis*, inquit, *eſt maxime neceſſarius ad vitam, ratione cuius dicitur anima eſſe in ſanguine.* Vide etiam Ambroſ. lib. de Noe & arca cap. XXV. referentem ſententias Philoſophorum de anima; ex quibus Critias animam dixit eſſe ſanguinem, Ariſtoteles entelechiam, alii aliud: & exponit, quo ſenſu anima ſit in ſanguine.

MARIANAE.

Verſ. 3. Si occiderit bovem. Sept. *immolaverit*: neque de promiſcua occiſione loquitur. Vult Deus, quæ bona ſunt, bene fieri; & per manum ſacerdotis, quo obedientia commendatur.

V. 4. Sanguinis reus erit. Hebr. *Sanguis imputabitur viro illi qui extra templum immolarit*; hoc eſt, perinde erit ac ſi humanum ſanguinem effudiſſet.

V. 7. Nequaquam ultra immolabunt hostias suas daemonibus. Vox שעירים *ſchirim* ſignificat *piloſos*, & *hircos*, a denſis pilis: inde ad ſignificandum dæmones traducitur, quod ea forma appareant, aut quia horripilare faciant quibus apparent.

V. 11. Anima carnis in sanguine est, hoc eſt vita, quæ ſine ſanguine non conſtat. Porro Deo vitæ rei ſumus multis nominibus, eoque ſanguinem ſibi ſervat, ut eo effuſo debitum teſtemur: neque comedi a quoquam vult.

MALVENDAE.

Verſ. 3. Si occiderit. Hebr. *Qui mactabit, iugulabit:* nimirum oblaturus ex iis oblationem Domino, e verſu 4. qui huic omnino coniungendus eſt. Hæc enim non de mactatione quæ ad eſum fit, intelligenda ſunt, ſed de mactatione ſacrificiorum.

V. 4. Sanguinis reus erit. Hebr. *Sanguis imputabitur viro ipſi.* Hoc eſt, perinde habebitur ac ſi homicidium perpetraſſet, hominiſque innoxii ſanguinem effudiſſet; quaſi dicat: Cædis ac mortis reus iudicabitur. Cauſam reddit verſ. 11. Peribit de medio populi sui. Hebr. *Et exſcindetur vir ipſe de intimo populi ſui.* Vide quæ notavimus de hac phraſi Geneſ. XVII. verſ. 14.

V. 5. Quas occident in agro. Quidam reddunt, *In plantie campi*, id eſt ubivis locorum; exponuntque: Id eſt ſacrificia, quæ huc uſque conſueverunt ſacrificare ubivis locorum ante erectum tabernaculum, vel quæ alioquin ubivis locorum eſſent ſacrificaturi, niſi lex prohiberet. Heb. *Adducent filii Iſrael ſacrificia ſua, quæ ii (iſti) ſacrificantes ſuper faciem agri*, &c. Illud, *ii, iſti*, poſſit referri ad AEgyptios, vel ad gentes idololatras; quaſi dicat: Filii Iſrael non ut AEgyptii, & gentes, ſacrificabunt in agris, ſed in tabernaculo veri Dei. Vide verſ. 8. Et immolent eas hostias pacificas; quaſi dicat, Ac multo magis ſacrificent reliqua ſanctiora ſacrificia coram Deo. Sic enim profitentur ipſi Iſraelitæ Ioſue XXII. verſ. 26.

V. 7. Et nequaquam ultra immmolabunt hostias suas daemonibus. שעירם *ſeghirim* aiunt, proprie ſignificare *piloſos*, *villoſos*, *hirſutos*, *hiſpidos*, *hircos*, *capros*, quod hirſuti ſint. Aliqui, *horridos*, *horrentes*, *horrificos*, quia horridi ſunt ipſi, & horrorem ſeu horripilationem iis incutiunt quibus apparent: nam horrifica hircorum ſpecie colendos ſeſe magis, cultoribuſque ſuis ſolent exhibere, uti plenius qui magica conſcripſerunt, produnt. Nonnulli, confine voce, *Satyros*, & *Faunos*, ſeu *Silenos* reddunt hic, & Iſaiæ xiii. verſ. 21. & cap. xxxiv. verſ. 14. Miror cur quidam *ſimias* voluerint interpretari. AEgyptios hircos pro diis coluiſſe notum eſt, quod & nomen urbis *Tmuεos* ſatis oſtendit: ut non mirum ſi ab iis didicerint Iſraelitæ. Chaldæi, & Noſter *dæmones* intellexere aptiſſime. Alii *dæmones ſilveſtres* convertunt. Quidam obſervant, hic ſacrificare dæmonibus ſignificare alio loco, aut ritu & modo ſacrificare, quam præſcripſit Dominus. Vide Deuter. xxxii. verſ. 17. & I. Corinth. x. verſ. 20. atque hoc modo feciſſe Iſraelitas in AEgypto, & in itinere, oſtendiſſe Moſen Exodi xxxii. in adoratione vituli, & hoc ipſo verſu, cum voce *deinceps*. ſive *amplius*, vel *ultra*, utitur: & Stephanum hoc Iudæis obiicere Actorum vii. verſ. 42. Hæc autem omnia de ordinario ſacrificiorum uſu dici, quem mutare homini eſt nefas. quia huic obſequio ſe Deus adfore pollicetur. Extra ordinem vero Deum ſibi ius ſoli ſervaſſe, altaria & ſacrificia imperandi arbitratu ſuo. Nec tamen propterea contra legem veniſſe; ſed quia lex hominibus & propter homines data fuit, eadem lege excepiſſe hanc auctoritatem ſibi, cum dixit: *Quocumque in loco iubebo celebrari memoriam nominis mei, veniam ad te, & benedicam tibi*: Exodi xx. verſ. 24. Quamobrem Eliam extra ordinem altare extruxiſſe, & ſacrificantem minime peccaſſe, I. Regum xviii. ut neque peccavit Abraham mactaturus filium, Geneſ. xxii. quia uterque id Deo iubente fecerit. Cum quibus fornicati sunt. Heb. *Quos is meretricantes poſt eos*. Quidam: *Poſt quos ſcortati ſunt*. Alii: *Quos ſectantur iſti ſcortando*; vel *poſt quos ipſi ſcortantur*, videlicet AEgyptii, & Gentes. Notant verbum זון *zun*, vel זנה *zanah*, ſignificare *proſtare laſciviendi gratia*, *proſtituere ſe mercedis cauſa*, *mereri corpore*, ut laſcivientes & petulantes feminæ ſe aliis proſtituunt, & corpore merent: *fornicari*, *meretricari*, *ſcortari*, *laſcivire* exponunt. Transferri autem plerumque, præſertim in prophetis, ad ſignificandum ſpiritualem proſtitutionem & ſcortationem, qua idola, & idololatrici cultus, neglecto vero Deo & verbo eius, & poſthabitis veris cultibus a Deo inſtitutis, ex petulantia carnis & laſcivia fidem ſuam conſtuprant, idolaque & falſos cultus amant, & amplectuntur. Ac ſingulariter quando id verbum cum præpoſitione אחרי *acbare*, *poſt*, conſtruitur, ut hic, ſignificare ſpiritualiter ſpreto & relicto Deo vero & vivo, ac verbo & cultu eius legitimo, idola, & idololatricos cultus petulanter ſequi, & amplecti; fidem alienare a vero Deo, & deficere ad alios deos; fide abnegata priore, & violato fœdere prius cum Deo inito, ſe idolis proſtituere.

V. 11. Quia anima carnis in sanguine est; id eſt, anima carnalis, ſive animalis qua vivimus, habet ſedem in ſanguine: eſt enim ſanguis ſedes animæ. Vide Geneſ. ix. verſ. 4. Notant poni hoc verſu duas cauſas interdicti eius ſanguinis: prior eſt quod ſanguis ſedes ſit animæ, & qui edit ſanguinem, videtur animam, ſeu vitam, aut animal vivum ferino more comedere ac vorare; poſterior, quod eum ſibi reſervat Deus, ut eo fiat expiatio pro anima offerentium, ac ſi anima pro anima dederetur noxæ. His rudimentis apud veterem populum Chriſtum adumbratum volunt, & expiationem factam in cruce per ſanguinem ipſius. Et sanguis pro animae piaculo sit. Heb. *Quia ſanguis is eſt qui pro anima expiationem facit*, vel *qui animam expiat*. Paulus Hebræor. ix. 22. *Et omnia pene in ſanguine ſecundum legem mundantur: & ſine ſanguinis effuſione non fit remiſſio*. Mirum quam receptum fuerit apud gentes, ſanguine mactatarum pecudum fieri expiationes, & luſtrationes. Virgilius II. AEneidos:

Sanguine placaſtis ventos.....

Et III.

Sanguinis & ſacri pateras.....

V. 13. Quibus vesci licitum est.

Digitized by Google

EST. Heb. *Quæ comedetur*; id eſt, quam lege liceat comedere, ut traditum eſt ſupra cap. XI. & Deut. XIV.

V. 14. ANIMA ENIM OMNIS CARNIS IN SANGUINE EST. Hebr. ipſe verbo: *Quia anima omnis carnis ſanguis eius, in anima eius ipſe*. Quidam ſic reſolvunt: *Quia anima cuiuſcumque carnis eſt ſanguis eius, qui eſt in anima ipſa*, vel *qui eſt coniunctus animæ ipſi*, vel *qui eſt una cum anima*. Alii: *Eſt enim anima cuiuſcumque carnis, ſanguis eius, pro anima eius*; id eſt, ſanguis eius eſt illi pro anima eius. Notant id ſeorſim intelligi de animabus brutorum, quia ſubſtantiæ eorum quantitativæ ſunt; de hominibus vero minime, quorum animæ deſoris a Deo veniunt, & ſunt immortales.

V. 15. QUAE COMEDERIT MORTICINUM, &c. Exponunt, imprudens ſcilicet: nam prudens, ſciens ſi comedit Iſraelita, aut peregrinus receptus in populum Dei, contra legem venit quæ eſt Deuter. XIV. verſ. 21.

V. 16. PORTABIT INIQUITATEM SUAM; id eſt, reus, & obnoxius culpæ, & pœnæ erit. Vide ſupra cap. V. verſ. I.

MENOCHII.

Verſ. 3. OCCIDERIT BOVEM, AUT OVEM. Senſus eſt: Quicumque immolaverit, & ſacrificaverit ovem, bovem, aut capram extra tabernaculum, reus eſt mortis: quia ſcilicet cum ſit laicus, ſacerdotale munus occupat; & quia extra locum ad ſacrificia deſtinatum hoc facit. Deo tamen inſpirante, aliqui extra tabernaculum immolarunt, ſic Manue Iudic. XIII. 19. Samuel I. Reg. VII. 9. XI. 15. & XVI. 2. & David II. Reg XXIV. 18. & Elias III. Reg. XVIII. 23.

V. 4. SANGUINIS REUS ERIT: morte plectetur a iudice, ſi res conſtet; ſi lateat, Deum vindicem habebit. QUASI SI SANGUINEM FUDERIT: occidetur perinde ac homicida occiditur. Ob hanc legem Iſraelitæ bellum apparârunt contra Rubenitas, qui aliud altare erexerant, Ioſue XXII. 12.

V. 5. IDEO SACERDOTI OFFERRE DEBENT, &c. ne rei fiant ſanguinis, & mortis. QUAS OCCIDENT IN AGRO. quas more aliarum gentium occidere, & immolare ſolent in agro; idque non Deo, ſed dæmonibus, ut dicitur num. 7. vel quas alias in agro occiderent, & immolarent, niſi lex vetaret. SANCTIFICENTUR: offerantur, & conſecrentur. HOSTIAS PACIFICAS. Sub pacificis, & holocauſta, & victimas pro peccato intellige. Meminit tamen pacificarum tantum, nam tales fere dæmonibus immolabant.

V. 6. SANGUINEM SUPER ALTARE, per circuitum altaris, ut patet cap. III. 2.

V. 7. DAEMONIBUS. Hebr. *piloſis*, vel *ſatyris*, quibus more gentium ſacrificabant. CUM QUIBUS FORNICATI SUNT, quibus adhæſerunt. Fornicationis nomine frequentiſſime in Scriptura idololatria ſignificatur. Hinc patet Iudæos ante hæc tempora, cum adhuc in AEgypto agerent, coluiſſe idola, & dæmonibus ſacrificaſſe. Idem patet ex Ezech. XVI. 22. & ſeqq.

V. 10. HOMO DE DOMO ISRAEL, homo Iudæus. ET DE ADVENIS, de proſelytis ad Iudaiſmum converſis. QUI PEREGRINANTUR, qui morantur, habitant. OBFIRMABO FACIEM MEAM, vehementer iraſcar.

V. 11. ANIMA IN SANGUINE EST: præcipue e ſanguine pendet, ſine ipſo enim perit animal. Vide Gen. IX. 4.

V. 13. OPERIAT ILLUM TERRA. Ratio huius rei eſt, ne beſtiæ ſanguinem lamberent.

V. 15. MORTICINUM, per ſe mortuum. CAPTUM A BESTIA, a fera aliqua diſcerptum, & præguſtatum. LAVABIT VESTIMENTA SUA, ſi ignorans tale quid comederit (nam ſi ſciens comediſſet, gravius multatus fuiſſet.) Inſuper offeret ſacrificium præſcriptum cap. IV. 27. HOC ORDINE, hiſce cæremoniis.

V. 16. PORTABIT INIQUITATEM SUAM: pœnas luet iniquitatis, & inobedientiæ.

TIRINI.

Verſ. 3. HOMO SI OCCIDERIT BOVEM, AUT OVEM EXTRA CASTRA. Loquitur de occiſione non profana ad eſum, quia hæc poterat

erat quovis loco fieri; ſed de ſacra, nempe ad ſacrificium, quæ non poterat fieri niſi in atrio tabernaculi vel templi; nec niſi a ſacerdotibus. Ratio inhibitionis hujus erat, prima, ne quis laicus ſacrificandi munus ſibi arrogaret; ſecunda, ne idololatriæ pateret via, & ne more Gentilium ſacrificaretur in excelſis montibus, lucis, aut cavernis. Unde ceſſantibus his cauſis, cenſet ſanctus Auguſtinus *a*, aliquos Prophetas licite, quin & inſpirante Deo, alibi ſacrificaſſe: verbi gratia Samuelem *b* in Maſphat, Eliam *c* in monte Carmeli.

Tropologice, extra atrium templi, id eſt extra veram Eccleſiam, nullum ſacrificium, aut martyrium Deo placere poteſt, inquit Radulphus.

V. 11. ANIMA CARNIS IN SANGUINE EST, puta tamquam in ſede ſua. Nam ſanguis eſt proximum alimentum quo anima, ſeu vita animalis fovetur, & conſervatur; eſtque inſtrumentum neceſſarium animæ ad functiones illius vitales. Defert enim ſanguis per totum corpus ſpiritus vitales, ſine quibus actio vitalis exerceri nulla poteſt, ſed illis interceptis anima prorſus iners & inepta eſt ad omnes functiones. Et hæc eſt prima ratio cur ſanguis hic prohibeatur comedi: nempe ſpecies crudelitatis eſt, vitam cum animali comedere, & quaſi vivum animal devorare. Id enim facere videtur qui ſanguinem comitem animæ neceſſarium, & in quo tamquam in ſede anima conquieſcere ſolet, quique illi ad functiones vitales unicum & neceſſarium eſt inſtrumentum, edit, & abſumit. Altera quoque hic ratio additur, quod ſanguis Deo ſpeciatim dicatus ſit & divina lege ſancitum, ut is in expiationem peccatorum humanorum fundatur, ut ſic ſanguis, & mors animalis ſuppleat vicem hominis, qui per peccatum mortem promeritus erat. Plures cauſas vetiti eſus ſanguinis protuli Geneſ. IX. verſ. 4.

(*a*) Aug. qu. LVI. in Levit.
(*b*) I. Reg. VII. verſ. 9.
(*c*) III. Reg. XVIII. verſ. 23.

G O R D O N I.

Verſ. 3. QUI OCCIDERIT, ſcilicet ad modum ſacrificii. Septuag. *Immolaverit*: debet enim hoc fieri per manum ſacerdotis. Debent bona bene fieri, & cum obedientia, Deo iubente.

V. 4. SANGUINIS REUS ERIT, ac ſi hominem occidiſſet. PERIBIT: morte dignus eſt.

V. 5. QUAS OCCIDENT, quas occidere vellent, IN AGRO. Hoc prohibet.

V. 7. NON DAEMONIBUS. Hebr. שעירים *webbirim*, a voce שער *wabbar*, *pilus*. Varie Interpretes vocem Hebraicam שעיר *wabbir* interpretantur, ut ſit hircus vel capra, nempe piloſum animal: & in Scripturis ubi aliquoties reperitur, Interpretes dant nunc *dæmones*, ut hic; nunc *piloſum*, nunc *ſatyros*. Caietanus dedit *hircos*, vel *deos ſilveſtres*. Certe hic recte Noſter *dæmones* poſuit; quos antiquitas *Faunos* appellavit, & *Satyros*. Vide Iſa. cap. XXXIV. Num. XI.

V. 11. ANIMA CARNIS IN SANGUINE EST. Sanguis anima eſt, non quidem animalis, ſed carnis, ut hic ſatis exprimitur. Certe, manente ſanguine in animali, occidi & mori poteſt, ubi nihil poſtea eſt quod animet: vocatur ergo anima carnis, quia eſt proximum alimentum quo ſic vita fovetur, unde vita pendet, & quo ſpiritus vitales deferuntur per corpus. Ceterum ratio cur prohibeatur eſus ſanguinis eſt vel ob ſpeciem crudelitatis, vel quia nimius eſus iſte nocet; ac demum, ut pleraque alia, ad exercitum virtutis, & obedientiæ Deo debitæ: immo, ut hic, quia eſt dicatus Deo.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 1. & 5. Deſignatur locus immolationis in agro, nec alibi, nec aliter, quam a ſacerdote, nec extra tabernaculum; tamen interdum Deo diſpenſante, aliter factum legimus a Samuele I. Reg. cap. VII. verſ. 9. & II. Reg. XXIV. 18. & alibi. QUAS OCCIDENT IN AGRO. Ideo, inquit, qui ſalvus eſſe vult, faciat, ut dictum eſt, per ſacerdotem occiſionem, qualem ſolent in agro homines facere.

V. 15. MORTICINUM, per ſe mortuum.

CA.

Digitized by Google

C A P U T XVIII.

Gradus coniugii illiciti , ad gentium opera fugienda in varia carnali turpitudine.

1 LOcutus eſt Dominus ad Moyſen , dicens : 2. Loquere filiis
Iſrael, & dices ad eos: Ego Dominus Deus veſter: 3. iux-
ta conſuetudinem terræ AEgypti, in qua habitaſtis , non
facietis : & iuxta morem regionis Chanaan, ad quam ego
introducturus ſum vos, non agetis, nec in legitimis eorum
ambulabitis. 4. Facietis iudicia mea, & præcepta mea ſer-
vabitis, & ambulabitis in eis. Ego Dominus Deus veſter .
5. (*a*) Cuſtodite leges meas atque iudicia, quæ faciens ho-
mo, vivet in eis. Ego Dominus. 6. Omnis homo ad proximam ſanguinis ſui non
accedet, ut revelet turpitudinem eius. Ego Dominus. 7. Turpitudinem patris tui
& turpitudinem matris tuæ non diſcooperies: mater tua eſt, non revelabis turpi-
tudinem eius. 8. Turpitudinem uxoris patris tui non diſcooperies: turpitudo enim
patris tui eſt . 9. Turpitudinem ſororis tuæ ex patre, ſive ex matre, quæ domi
vel foris genita eſt, non revelabis . 10. Turpitudinem filiæ filii tui vel neptis ex
filia non revelabis: quia turpitudo tua eſt. 11. Turpitudinem filiæ uxoris patris
tui, quam peperit patri tuo, & eſt ſoror tua, non revelabis. 12. Turpitudinem
ſororis patris tui non diſcooperies: quia caro eſt patris tui . 13. Turpitudinem
ſororis matris tuæ non revelabis , eo quod caro ſit matris tuæ . 14. Turpitudi-
nem patrui tui non revelabis, nec accedes ad uxorem eius , quæ tibi affinitate
coniungitur. 15. Turpitudinem nurus tuæ non revelabis, quia uxor filii tui eſt,
nec diſcooperies ignominiam eius. 16. * Turpitudinem uxoris fratris tui non re-
velabis: quia turpitudo fratris tui eſt. 17. Turpitudinem uxoris tuæ & filiæ eius
non revelabis . Filiam filii eius, & filiam filiæ illius non ſumes, ut reveles igno-
miniam eius: quia caro illius ſunt, & talis coitus inceſtus eſt . 18. Sororem u-
xoris tuæ in pellicatum illius non accipies , nec revelabis turpitudinem eius ad-
huc illa vivente. 19. Ad mulierem quæ patitur menſtrua , non accedes, nec re-
velabis fœditatem eius. 20. Cum uxore proximi tui non coibis, nec ſeminis com-
mixtione maculaberis. 21. (*b*) De ſemine tuo non dabis ut conſecretur idolo
Moloch, nec pollues nomen Dei tui. Ego Dominus. 22. Cum maſculo non com-
miſcearis coitu fœmineo, quia abominatio eſt . 23. Cum omni pecore non co-
ibis, nec maculaberis cum eo. (*c*) Mulier non ſuccumbet iumento, nec miſce-
bitur ei: quia ſcelus eſt. 24. Nec polluamini in omnibus his , quibus contami-
natæ ſunt univerſæ gentes, quas ego eiiciam ante conſpectum veſtrum , 25. & qui-
bus polluta eſt terra: cuius ego ſcelera viſitabo, ut evomat habitatores ſuos. 26.
Cuſtodite legitima mea atque iudicia , & non faciatis ex omnibus abominationi-
bus iſtis , tam indigena quam colonus qui peregrinantur apud vos. 27. Omnes
enim execrationes iſtas fecerunt accolæ terræ, qui fuerunt ante vos, & pollue-
runt eam. 28. Cavete ergo ne & vos ſimiliter evomat , cum paria feceritis, ſic-
ut

Digitized by Google

ut evomuit gentem, quæ fuit ante vos. 29. Omnis anima, quæ fecerit de ab-
ominatiomnibus his quippiam, peribit de medio populi ſui. 30. Cuſtodite manda-
ta mea. Nolite facere quæ fecerunt hi qui fuerunt ante vos, & ne polluamini in
eis. Ego Dominus Deus veſter.

(a) Rom. x. 5. Ezech. xx. 11. Gal. III. 12. (b) Infr. xx. 2. (c) Infr. xx. 16.

BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO.

V. 16. *Turpitudinem uxoris fratris tui non revelabit*. His verbis non eſt præmittendum *& uxorem fratris ſui nullus accipiat*, utpote illorum interlinearis expoſitio.

COMMENTARIA

S A.

Verſ. 3. LEGITIMIS, id eſt ritibus. Hebr. *ſtatutis*. LXX. *legibus*.

V. 4. ET PRAECEPTA. Explicatio præcedentis. Dicuntur autem Dei præcepta, *iudicia*, quaſi decreta, ſummoque facta iudicio: quamquam *iudicia* quidam intelligunt iudicialia præcepta; *præcepta* vero, quæ ad mores pertinent, ſeu moralia. EGO, ſcilicet qui præcipio; quaſi dicat: Puniam niſi obediatis.

V. 5. VIVET, ſcilicet æterna vita, ſi faciet, ut par eſt; nempe cum fide & charitate.

V. 6. TURPITUDINEM: alii *nuditatem*: alii *verenda*, quæ per antiphraſim nuditas dicuntur, quod nudari non debeant; *Turpitudo* autem, quod ea nudari turpe ſit.

V. 7. ET TURPITUDINEM; pro, id eſt turpitudinem. DISCOOPERIES, ſcilicet rem habendo, etiam matrimonii prætextu: ſcilicet prohibitum cum iis etiam matrimonium.

V. 8. UXORIS, ſcilicet novercæ tuæ. PATRIS; id eſt, ad patrem pertinet, ſcilicet diſcooperire, quia uxor eſt.

V. 10. TUA EST; quaſi dicat: Quia tibi conſanguinea eſt.

V. 12. CARO EST; id eſt, *propinqua eſt*, ſeu *conſanguinea*, ut verterunt Chald. & LXX. ſic & infra.

V. 14. NEC ACCEDES. Explicatio eſt præcedentis.

Verſ. 16. FRATRIS TUI, ſcilicet liberos relinquentis.

V. 17. IGNOMINIAM. Hebr. *nuditatem*, ſeu *turpitudinem*. INCESTUS EST. Hebr. *Nefas*, ſeu *ſcelus eſt*. LXX. *Impietas eſt*.

V. 18. IN PELLICATUM; quaſi dicat, ut ſit pellex eius. Chald. *ad tribulationem eius*: alii, *ad æmulationem*, ſeu *afflictionem eius*.

V. 20. NEC SEMINIS, &c. Explicatio præcedentis.

V. 21. CONSECRETUR, ſcilicet combuſtione. MOLOCH. Saturnum quidam putant.

V. 23. NEC MISCEBITUR. Explicatio præcedentis. SCELUS. Heb. *confuſio*. alii *abominatio*.

V. 25. VISITABO, id eſt puniam. EVOMAT; id eſt, a ſe eiiciat, ſcilicet per mortem.

V. 28. EVOMUIT, pro evomet.

V. 29. PERIBIT; id eſt, dignus eſt morte per Iudicem inferenda; vel, a me occidetur.

E S T I I.

Verſ. 5. QUAE FACIENS HOMO, VIVET IN EIS. Sermo ad litteram, ut videtur, tantum eſt de obſervatione legis, quæ ſufficiebat ad comminationes eius evadendas, & de vitæ huius temporalis felicitate; ſed myſtice agitur de vera obſervatione, & de vita æterna. Vide ad Rom. x. ubi Apoſtolus aperte hoc diſcrimen indicare videtur.

Verſ. 6. OMNIS HOMO AD PROXIMAM

MAM SANGUINIS SUI NON ACCEDET. Præcepta hæc quæ ſequuntur uſque ad finem capitis non cæremonialia ſunt, ſed moralia; & quidem talia, ut propter ea non ſervata deleti fuerint incolæ terræ Chanaan, ut ſub finem capitis dicitur. Igitur eadem ratione ad nos quoque pertinent. Unde tamen non eſt conſequens, quod volunt Hæretici, non poſſe Eccleſiam in ullo eorum diſpenſare. Multa enim ſunt morum præcepta ex fontibus legis naturæ deducta, quæ tamen non prorſus ſunt immobilia, ſed diſpenſationem & exceptionem interdum admittunt. Immo tale eſt hoc ipſum, quod hic verſ. 16. dicitur: *Turpitudinem uxoris fratris non eſſe revelandam*; hoc eſt, eam non eſſe in uxorem ducendam. Nam ipſa lex Deut. cap. xxv. in eo facit exceptionem, non tantum permittens, ſed etiam præcipiens, ut frater uxorem fratris ſui ſine liberis mortui ducat, ut ſuſcitet ſemen fratri defuncto. Compenſatur enim, & tollitur honeſtate ſeminis fratri defuncto ſuſcitandi, turpitudo quæ tali coniugio & coniunctioni alioqui ineſſe potuit.

V. 16. TURPITUDINEM UXORIS FRATRIS TUI NON REVELABIS. Quærit Auguſtinus, utrum hoc vivente fratre ſit accipiendum, an mortuo. Et utrovis modo reſpondeatur, occurrit incommodum. Nam ſi fratre vivo, prohibebatur hoc generali præcepto: *Non mœchaberis*: ſin mortuo, igitur fratri ſine liberis defuncto non erit a fratre ſuſcitandum ſemen, quod tamen præcipitur Deuteron. xxv. Denum reſpondet divus Auguſtinus, & recte, præceptum iſtud intelligendum de non accipienda uxore fratris defuncti, cum hac tamen exceptione (quam alio loco, nempe Deut. xxv. Scriptura expreſſit) niſi frater ſine liberis defunctus ſit. Addit tamen Auguſtinus, nequaquam etiam licuiſſe uxorem fratris accipere, ſi a fratre vivo per repudium diſceſſiſſet.

V. 19. AD MULIEREM QUAE PATITUR MENSTRUA NON ACCEDES. Vide ſupra cap. xv. verſ. 24.

MARIANAE.

Verſ. 6. OMNIS HOMO. Heb. *Homo homo*; ſed idem eſt quod *omnis homo*. AD PROXIMAM SANGUINIS. Hebr. *carnis ad carnem*: ſed vocem שאר *ſeer* Chald. & Sept. *proximam* verterunt; aliqui *reliquias*: *Ad reliquias carnis ſuæ non accedet*. Poteſt & *carnem carnis* reddi, ſicut Hebræi vertunt, & verba ſonant: & verſ. 12. pro eadem voce *ſeer* ponit Hieronymus, *quia caro eſt patris tui*. Ergo hac ſignificatione ſenſus erit „ Ad carnem carnis tuæ, id eſt propinquam nempe quæ carnis tuæ pars eſt, non accedes. UT REVELET TURPITUDINEM EIUS. ערוה *h ruah* plerique *turpitudinem* explicant. alii *nuditatem*, ſed certe pro pudendis ſumitur tum hoc loco, tum Exod. xxviii. verſ. 42.

V. 18. SOROREM UXORIS TUAE IN PELLICATUM. Hebr. *Uxorem cum ſorore eius non accipias ad affligendum*. Itaque de coniugio agit: quod quia nullum erat, recte *pellicatus* vocatur. Ergo NON ACCIPIES... ILLA VIVENTE: nam mortua uxore, licebat eius ſororem ducere, præſertim ſi prior uxor obierat ſine filiis, argumento ex Deuter. xxv. 5. ubi fratris ſine filiis mortui uxorem defuncti frater accipit. Alioqui in ſacris libris nihil præterea de hac re expreſſum video.

V. 21. DE SEMINE TUO, id eſt de filiis. NON DABIS UT CONSECRETUR IDOLO MOLOCH. Hebr. *Ad tranſire faciendum*. Ritus erat ut inter duas pyras puer traduceretur. Hieronymus ſententiam reddidit. An *Moloch* eſt Saturnus? de quo alio loco III. Reg. xi. verſ. 7.

V. 23. MULIER NON SUCCUMBET IUMENTO. Vox לרבעה *leribbah*, ut ait Rabbi Iona, ſignificat *coire*, non quocumque modo, ſed quatuor innixam pedibus; ac ſi dicat: Mulier non ſtabit coram beſtia, ad quadrandum illi. Rabbi Kimhi ſimplicius id verbum inter alia ſignificare ait idem quod *cubare*, idque confirmat ex Pſalm. cxxxviii. verſ. 3. *Semitam meam, & cubitum meum inveſtigaſti*, ut pro *cubitu* Hebraice eſt illud verbum.

MALVENDAE.

Verſ. 2. EGO DOMINUS DEUS VESTER. Heb. *Ego* IHUH *Elohim veſter*. Quidam id dictum putant, nem-

nempe, Ego ſum auctor, effector, & vindex conſtantiſſimus, atque certiſſimus mearum legum. Sic deinceps, & Exodi xx. verſ. 2.

V. 5. QUAE FACIENS HOMO, VIVET IN EIS. Quidam exponunt: Id eſt, qui publicis legibus obſequitur, vivit in eis; id eſt, non punitur a magiſtratu, ſed ducit vitam tranquillam. Rom. XIII. 3. *Vis autem non timere poteſtatem? Bonum fac, & habebis laudem ex illa*. Sed nemo melior huius loci interpres Chriſto Matthæi XIX. verſ. 17. *Si autem vis ingredi ad vitam æternam*, e verſ. 16. *ſerva mandata*. Vide Roman. x. 5. Ergo hic de tota & perfecta legis obedientia, & de vita æterna loquitur Deus; ac ſi dicat: Homo quicumque legem impleverit, vitam æternam adipiſcetur.

V. 6. AD PROXIMAM SANGUINIS SUI. שאר *ſcheer*, proprie *reliquum*, *reſiduum*, *reliquitas*, *reliquia*. Et hic in lege Moſis de conſanguinitate notant ſignificare *propinquum ſecundum carnem*, & carnis propagationem, quaſi reliquum, reſiduum eiuſdem carnis, vel ex eadem carne: abſtracte vertunt *concarneitatem*, *conſanguinitatem*, *propinquitatem*. Sic Paulus Rom. XI. verſ. 14. vocat Iudæos *ſuam carnem*, id eſt propinquos & conſanguineos. Quidam hic reddunt *reliquiatum*. NON ACCEDET, ex his videlicet, qui infra aut ſpeciatim nominantur uſque ad verſ. 17. Huius autem legis duas præcipuas afferunt cauſas: unam iuris naturalis, omnium gentium mentibus impreſſi, ut fiant inexcuſabiles; alteram humanitatis, quæ amicitiam per affinitates & coniunctiones ſanguinis iubet propagari ut oſtenditur verſ. 9. UT REVELET TURPITUDINEM EIUS. Hebr. *Ad revelandum*, *diſcooperiendum*, *retegendum nuditatem*, id eſt pudendas partes, per euphemiſmum. Vide quæ notavimus Gen. IX. verſ. 22. Senſus eſt: Nullo iure aut iuris ſpecie tibi licet cum ullo, ullave quæ tibi gradibus hiſce attingit, concubitu ſeminis, intra, vel extra matrimonium copulari.

V. 7. TURPITUDINEM PATRIS TUI. Quidam hic *turpitudinem*, ſeu *nuditatem patris*, active capiunt; id eſt, cum ea, cuius pudenda nudavit pater tuus, ne concumbas; & intelligit matrem: unde mox tamquam expoſitionis gratia additur, *Et nuditatem matris tuæ non revelabis*, ut poſterior ſententia ſit prioris declaratio; & coniunctio *&*, ponatur pro *id eſt*. Alii aptius exponunt: Id eſt, neque tu filia cum patre tuo concumbes, neque tu fili cum matre. Notant eſſe eclipſim relati, ut cap XXI. verſ. 24, per antitheſim ſtatuendam. Hanc legem expreſſit Deus adverſus nefandos quorumdam gentium mores, quæ cum filiabus & matribus coniugia inibant. S. Hieronymus Lib. XI. in Iovinianum: *Perſæ*, *Medi*, *Indi*, *Æthiopes*, *regna non mediocria*, *& Romano Imperio paria*, *cum matribus*, *& magi cum filiabus copulantur*. Vide Briſſonium Lib. XI. de Regno Perſarum. MATER TUA EST. Aiunt ætiologiam eſſe alterius partis, altera etiam intellecta: pro eo quod eſt ille tibi pater, hæc tibi mater. Sed exiſtimo cauſam potius ſecundæ partis expreſſam, quod inceſtus cum matre ſit longe ſceleratior & turpior quam cum filia.

V. 8. TURPITUDINEM UXORIS PATRIS TUI, id eſt novercæ, tu fili videlicet: & analogice, neque tu filia nuditatem vitrici tui. Exemplum huius inceſtus memorat Paulus I. Cor. v. verſ. 1. TURPITUDO ENIM PATRIS TUI, vel *nuditas patris tui* EST; id eſt, rem habuit pater tuus cum ea, & cum ea conſuevit. Id videtur addidiſſe, quod is inceſtus fœdiſſimus ſemper habitus ſit inter gentes, ut Paulus ait: quem Ruben perpetravit, & patris execrationem meruit.

V. 9. EX PATRE, SIVE EX MATRE. Intelligunt etiam ex altero parente tantum. QUAE DOMI, VEL FORIS GENITA EST. Quidam exponunt: Quæ ex legitimo matrimonio nata ſit, vel extra matrimonium, ex pellice vel concubina, quæ domi non eſt, ſed foris. Alii Hebr. reddunt, *cognationis domeſticæ*, *aut exteræ cognationis*. Cognationis domeſticæ ſunt liberi ex eodem parente, exteræ vero ex altero nati: nam liberi patris familiam ſequuntur.

V. 10. FILIAE FILII TUI, VEL NEPTIS EX FILIA, id eſt neptis tuæ ex filio, filiave: ſic abneptis, proneptis, & ſequentium analogice. Alii nolunt extendi legem extra neptem. QUIA TURPITUDO TUA EST. Hebr. *Ipſæ*, id eſt

pro-

procreatæ ex illa cum qua rem habuiſti.

V. 11. TURPITUDINEM FILIAE UXORIS PATRIS TUI, QUAM PEPERIT, &c. Quidam exiſtimant hanc legem omnino eamdem eſſe cum ea quæ exprimitur verſ. 9. aut certe partem eius; ſed neceſſario hic repeti ad retundendam licentiam & pronitatem hominum ad connubia cum ſororibus non uterinis ineunda; ut indicant verba Abrahami Geneſ. xx. 18. & Thamaris II. Samuel. XIII. 13. tunc enim talia coniugia non penitus cenſebantur illicita. Ad extinguendam itaque funditus huiuſmodi connubiorum licentiam, non ſatis fuiſſe Moſi ut tamquam pars legis verſ. 9. ſed etiam tamquam propria per ſe lex hoc verſu promulgaretur interdictum eiuſmodi coniugiorum. Alii in hunc modum Heb. convertunt: *Nuditatem filiæ uxoris patris tui, cognationis patris tui, &c.* ſeu *nuditatem filiæ natæ ex noverca tua, cognata patris tui*. Notant eſſe appendicem ſuperiorum ex hypotheſi. Multi ſunt, inquit Dominus, qui in AEgypto uxores duxerunt ſanguine coniunctiſſimas contra ius, ſed recepto more: quamobrem horum liberos nolo inter ſe connubia iungere, ut documentum extet, palam hoc genus coniugii improbari mihi, ne ius naturæ ſæpius oppugnetur. Hanc interpretationem verba ipſa, exempla, naturamque confirmare exiſtimant: itemque ſequentem rationem SOROR TUA EST; quaſi dicat: Eſt ſanguinis & cognationis tuæ, cuius auctoritatem dignitatemque nova affinitate minuerunt parentes tui; tu vero nequaquam id facito. Arguta nimis & ſubtilis explanatio.

V. 13. SORORIS MATRIS TUAE. materteræ. Hic verſus præcedenti verſui coniungendus, ne quis minus virium maternæ cognationi, quam agnationi paternæ ineſſe putet.

V. 14. NEC ACCEDES AD UXOREM EIUS. Expoſitio eſt præcedentis membri.

V. 16. TURPITUDINEM UXORIS FRATRIS TUI NON REVELABIS. Excipe, ſi defuncto fratre primogenito ſine liberis, fuerit excitandum ſemen ad ſucceſſionem benedictionis, & facultatum ipſius: Deut. xxv. 5. Ergo hæc lex intelligenda de uxore fratris viventis, vel mortui cum liberis.

V. 17. ET TALIS COITUS INCESTUS EST. Hebr. זמה *zimmah*, *ipſa*, vel *eſt*. Voci *zimmah* omnia iſta ſubſunt, *excogitatum*, *conceptum animo malum*, *cogitatio prava*, *malo affectu perpetratum malum*, *præmeditatum ſcelus*, *audax facinus*, *machinatio*, *vafrities*, *nefas*. Putant Lucam Actor. VIII. verſ. 22. ἐπίνοιαν reddidiſſe, cum de Simone mago ait: *Si forte remittatur tibi cogitatio cordis tui*. *Præſumptionem* quiddam reddunt.

V. 18. SOROREM UXORIS TUAE IN PELLICATUM ILLIUS NON ACCIPIES, &c. Omnes intelligunt hoc verſu interdici coniugium cum duabus ſimul ſororibus vivente utraque. Sed quidam ſingulari interpretatione volunt hic interdici digamiam, ſeu polygamiam, ideſt pluralitatem uxorum ſimul; & præcipi monogamiam, id eſt unius cum ſola una connubium. Unde quod Hebr. legitur: *Et viram ad ſororem eius non accipies, ad coanguſtare, ad revelare nuditatem eius ſuper eam, in vita eius*; ita accipiunt: *Item mulierem unam ad alteram ne aſſumito, in anguſtia affecturus* hanc, *retegendo nuditatem illius* ductæ *ſuper hanc in vita ipſius*. Equidem *vir & frater eius*, *mulier & ſoror eius*, Hebraica phraſi ſæpius ſumuntur pro uno & altero, vel pro una & altera; tametſi vere fratres, aut ſorores non ſint, exemplis paſſim obviis, ut Geneſ. XXVI. 31. Exod. XXVI. 3. 5. 6. Ezech. I. verſ. 9. & 23. Ioelis II. 8. & alibi ſæpius. Ergo volunt hanc legem eſſe de recta iuſtaque monogamia ex inſtituto Dei, Gen. II. verſ. 24. Confirmant ſuam interpretationem aliquot rationibus. I. Quia connubium cum ſorore uxoris, ſupra verſ. 16. per analogiam prohibetur. II. Quia coactum eſt & violentum plane, ſi eas cauſas quæ hic exprimuntur, aliter interpreteris. III. Quia ſecundas digamorum, aut polygamorum uxores Scriptura angentes, æmulaſque vocat, ut I. Samuel. I. verſ. 6. & hic etiam. IV. Quia alias nuſquam in lege Dei digamia, aut polygamia cuiquam interdiceretur, niſi Regi, Deut. XVII. 16. Poſtremo quia fideliſſimi ſunt interpretes, & teſtes voluntatis & iuſtitiæ Dei, Chriſtus Matth. XIX. 5. Paulus I. Corinth. VI. verſ. 16. & cap. VII. verſ. 2. qui monogamiam ex divina lege ſtatuunt. Item & Chaldæus paraphraſtes

Ruth IV. verſ. 6. Auctores huius interpretationis extitiſſe Hebræos, qui dicti ſunt *Karaim*, id eſt *ſcripturarii*, *textuales*, dicitur in Hebraico commentario Pheſictha, a quibus proculdubio acceperunt Immanuel Tremelius & Franciſcus Iunius, ex quibus nos eam hic deſcripſimus. De Hebræis Karaim vide Nicolaum Serarium Lib. I. Trihæreſii, cap. IV. & in Minervali Lib. III. cap. X. & XI. Ioſephum Scaligerum in Elencho Trihæreſii cap. II. Ioannes Druſius in Notis ad Levitic. cap. LXI. eam explanationem primum improbavit; deinde dubium, ac animi pendentem ac fluctuantem ſe præbet. Inter optimos quoſque Theologos iam convenit, polygamiam & iure naturæ, & divino, etiam ante Evangelium, ab ipſo iam mundi exordio interdictam; ſed multis Patribus veteris teſtamenti, tum etiam ante legem, divina diſpenſatione permiſſam. Quod vero hoc verſu prohibeatur, omnino incertum: & quamvis non penitus eam Karæorum expoſitionem repudiandam dixerimus; at communem illam aliam & receptam præferendam eſſe, non eſt dubium.

V. 20. CUM UXORE PROXIMI TUI, &c. Quidam hunc verſum dilucidius ex Hebr. ita reddunt: *Uxori proximi tui non dabis concubitum tuum in ſemine, ut polluaris cum ea*. Alii: *Uxorem proximi tui proiectione ſeminis tui ne contamines*. Nonnulli: *Item cum uxore proximi tui ne committite ut concumbas ad ſemen, polluendo te cum ea*, vel *ut impurus fias cum ea*, ſeu *ad temerare*, vel *taminare eam*.

V. 21. DE SEMINE TUO NON DABIS UT CONSECRETUR IDOLO MOLOCH. Hebr. *Et de ſemine tuo non dabis ad tranſire facere ipſi Molech*. Notant *Molech* ſignificare *regem*, ſeu *deum regium*, vel *aſtrum regium*, & habens regnum & dominium. Quidam *Iovem* putant, quod hunc regem deorum Gentiles conſtituerent. Alii *Priapum*: nonnulli *Mercurium*. deducentes a לאך *laach*, quod is nuntius & interpres divum haberetur. Melior ſententia *Saturnum* exiſtimat, cui humanas hoſtias Gentilitas immolabat: deum Ammonitarum fuiſſe dicitur I. Reg. XI. 7. De ritu quo ei Gentes filios ſuos, & filias ſuas ſacrificabant, diximus abunde in Antichriſto Lib. XI. cap. VIII. inde pete. Quidam hic *ſemen*, non pro prole aut ſobole, id eſt filiis, ſed pro materia, & inſtrumento generationis accipiunt, quod hic inter alias humanas ſeminationes illicitas prohibeatur: modum autem quomodo hæc tranſitio, ſeu conſecratio humani ſeminis fieret idolo Molech, neſciri: niſi forſan immanis aliqua ſpurcities eſſet ſimilis ei Gnoſticorum, de qua S. Epiphanius Hæreſi XXVI. Sed refellitur hæc expoſitio manifeſtiſſime: nam quod hic dicitur *ſemen*, II. Reg. XXIII. 10. diſerte exponunt *Filium ſuum, aut filiam ſuam*: & II. Reg. XVI. verſ. 3. & II. Paralip. XXVIII. verſ. 3. NEC POLLUES NOMEN DEI TUI. חלל *chalal* reddunt & *non profanabis*, *commune facies*, *pollues*, *violabis*, *contaminabis*, *fœdabis*, *dehoneſtabis*, *fiſtulabis*, quaſi illatis vulneribus, ſeu ulceribus, fiſtulato & perfoſſo eo, *nomen Dei tui*. Emphatica verbi ſignificatio.

V. 23. NEC MISCEBITUR EI. Verbum רבע *rabagh* notant proprie eſſe *quaternare*, *quadrare*; & ſignificare cubitum, ſeu actum, vel operationem, qui quatuor innixis pedibus more quadrupedum veneris exercendæ cauſa perficitur: atque a quaternario numero ſignificationem accepiſſe talem ſubactionem; quaſi dicas, *quadrupedare*. Verbum hic plerique cum Noſtro ad mulierem referunt, *ad quadrupedare illud*, vel *ei*; id eſt, ei animali mulier more quadrupedis ad coitum ſe ſupponat, ut de Paſiphae tauro ſuppoſita canunt Poetæ. Hebræi vero ad animal referunt, *ad quadrupedare eam*, ſcilicet mulierem; id eſt, ut quadrupes eam ineat. Utrumque ſenſum Hebræa admittunt. QUIA SCELUS EST. תבל *tebel*, *permixito*, *confuſio* illicita, præternaturalis, nefanda. Unde quidam, *ſcelus*, *nefas*, vertunt; quaſi dicat, divinæ ordinationis, & naturæ confuſio & perturbatio eſt, & facinus confuſione dignum.

MENOCHII.

Verſ. 3. NEC IN LEGITIMIS EORUM AMBULABITIS. Gentium ritus, & cæremonias quibus ipſi colunt ſua idola, & dæmones, averſabimini.

V. 4. IUDICIA MEA, præcepta iudicialia, quæ iuſtitiam, & honeſtum convi-

victum inter te & proximum ſtatuunt. ET PRAECEPTA, cæremonialia, quibus rite colatis me.

V. 5. VIVET IN EIS. Servans has leges a me vita diuturna, & proſpera donabitur, ut diu per eas, & in earum obſervatione vivat.

V. 6. AD PROXIMAM SANGUINIS SUI, &c. nimirum iuxta ea quæ hic ſtatuentur. UT REVELET TURPITUDINEM. Turpitudo vocantur membra inhoneſta: & revelare turpitudinem mulieris eſt cum ea congredi, ſive in matrimonio, ſive extra illud. EGO DOMINUS, qui hæc præcipio, & cui a vobis debetur obſequium.

V. 7. TURPITUDINEM PATRIS TUI, &c. Vetatur matrimonium, & copula cum patre, & matre: olim enim barbari aliqui, contra naturalem in huiuſmodi perſonas reverentiam, patri, aut matri miſcebantur.

V. 8. UXORIS PATRIS TUI; quaſi dicat: Non habebis rem cum noverca tua. TURPITUDO ENIM PATRIS TUI EST. Hebr. *Nuditas enim patris tui eſt*; quaſi dicat: Eam nudavit, & cognovit pater tuus; itaque omnino indecens eſt ut tu eam cognoſcas.

V. 9. SORORIS TUAE EX PATRE: quæ eumdem tecum habet patrem, ſed aliam matrem. SIVE EX MATRE: quæ eamdem tecum habet matrem, ſed alium patrem. QUAE DOMI, VEL FORIS NATA EST, qualis illa eſt quam mater de primo marito ſuſcepit, & cum qua in domum venerat quando ſecundo huic marito nupſit; quaſi dicat: Uterinam ſororem, etiam foris, & extra domum natam, nemo ducet.

V. 10. QUIA TURPITUDO TUA EST: quia ſcilicet a te recta linea deſcendit neptis, ideoque tecum quaſi una cenſetur, ut ſi eius turpitudinem reveles.

Verſ. 11. FILIÆ UXORIS PATRIS TUI; quaſi dicat: Filiam novercæ tuæ, quæ tibi quaſi eſt ſoror agnata, non duces, nec cognoſces.

V. 12. SORORIS PATRIS TUI, amitæ tuæ. CARO EST PATRIS TUI: quia eſt conſanguinea patris tui, & ab uno parente, eademque carne cum patre tuo deciſa.

V. 14. TURPITUDINEM PATRUI TUI NON REVELABIS, ut ſcilicet uxorem eius ducas, aut cognoſcas, ipſo etiam mortuo: nam verba ſequentia, NEC ACCEDES AD UXOREM EIUS, explicant quid ſit patrui turpitudinem revelari. Ubi notandum, in veteri lege matrimonium cum amita vetari, non autem cum patruo: cauſa eſt, quia cum vir ſit caput uxoris, ſi nepos duceret amitam, oporteret eam ſubeſſe nepoti; hoc autem indecens eſt: in altero autem, patruo ſubeſt neptis, quod decentius eſt.

V. 15. NURUS TUAE, uxoris filii tui, etiam eo mortuo.

V. 16. UXORIS FRATRIS TUI: excipe, niſi frater moriatur ſine liberis: tunc enim non tantum poteſt, ſed etiam debet eam ducere, ut ſuſcitet ſemen, & liberos fratri ſuo, ut præcipitur Deut. xxv. 5.

V. 17. UXORIS TUAE, ET FILIAE EIUS: ita ut vel ſimul, vel ſucceſſive utramque habeas uxorem. QUIA CARO ILLIUS SUNT: quia ſcilicet coniunctæ ſunt, & ſanguine proximæ uxori tuæ; ac proinde omnino indecens eſt ut earum turpitudinem reveles. INCESTUS EST. LXX. *Impietas eſt*. Hebr. *Nefas eſt*.

V. 18. SOROREM UXORIS TUAE. Vetatur ne quis ſimul duas uxores habeat, cum tamen prius fuiſſet licitum, ut diſcimus ex facto Iacob, qui Liam & Rachelem ſorores duxit. IN PELLICATUM ILLIUS. Hebr. additur, *ad affligendam illam*, ſi videlicet videat ſororem ſibi ſuperinduci velut pellicem, itaque oriatur inter eas ſimultas & æmulatio. ADHUC ILLA VIVENTE: quia mortua illa poterant accipere ſororem in coniugem.

V. 21. IDOLO MOLOCH, deo Ammonitarum, cui infantes comburebantur, aut ſaltem traducebantur per ignem in eius honorem. NEC POLLUES NOMEN DEI TUI: hoc enim mihi, meoque nomini eſſet dedecori, ſi me relicto, coleres idola, ac præſertim Moloch tam infami cultu.

V. 23. CUM OMNI PECORE, cum pecore cuiuſcumque generis ſit.

Verſ. 24. NE POLLUAMINI IN OMNIBUS HIS; id eſt, in nullo horum polluamini. SCELERA VISITABO; puniam.

V. 26. TAM INDIGENA QUAM COLONUS. Colonus vocatur hic incola, qui in Hebræorum coloniam, & legem tranſiit,

ſit, & inter eos peregrinatur, id eſt habitat.

V. 28. Et vos similiter evomat, a ſe eiiciat. Evomuit. Loquitur de futuro quaſi de præterito prophetice; ſenſus ergo eſt, Certo, & brevi evomet. Terra dicitur evomere tropice, quaſi corruptos mores, & impietatem non ferens; ſic Sap. v. dicitur; *Excandeſcet in illos aqua maris*.

TIRINI.

Verſ. 16. Turpitudinem uxoris fratris tui non revelabis; id eſt, rem cum illa non habebis: ſupple, ſi frater defunctus liberos ex uxore reliquerit. Nam ſi abſque liberis decederet, non tantum poterat frater, ſed etiam lege cogebatur, ſub pœna infamiæ, uxorem fratris defuncti ducere, & ſemen illi ſuſcitare, Deuter. xxv. verſ. 25. Hinc patet, non omnes gradus hoc cap. vetitos iure naturæ illicitos eſſe, & irritare matrimonium. Nam Doctores communiter id reſtringunt ad omnes & ſolos gradus in linea recta, etiam probabiliter in infinitum; idque propter ſubiectionem, tamquam effectus ad ſuam cauſam & principium, quam deſcendens & inferior debet aſcendenti & ſuperiori ſuo; in tranſverſa vero linea non extendunt illud ultra primum conſanguinitatis gradum: ceteros ſolo iure poſitivo ſeu divino olim, ſeu eccleſiaſtico nunc, matrimonium dirimere volunt; ac proinde poſſe per Eccleſiam in iis diſpenſari. Ita Tridentinum *a* & Doctores Scholaſtici. Et vero quæ iure naturæ hic vetita dixi, turpia admodum eſſe, & rectæ rationi adverſari, non ſolum exemplo Gentilium, etiam barbarorum, ſed & brutorum & ferarum, probant Ariſtoteles, Albertus Magnus *b*, Pierius, Plinius, AElianus, Catullus, & alii apud Alexandrum ab Alexandro, Tiraquellum, Ioannem Lopez, & Sanchez de Matrimonio.

Porro maioris lucis cauſa adnotavi in ſubiecta tabella gradus omnes hoc cap. prohibitos. Adnotavi ſecundo qui & quales contra hæc aliquando peccarint. Tertio denique, quinam ex gradibus in nova Chriſti lege prohibiti, quinam permiſſi ſint.

Levitici xviii. vetatur coniugium.

Verſu 7. Filii cum matre.
Filiæ cum patre. (1)
V. 8. Privigni cum noverca (2) vel ſecundaria (3) conioge parentis, ſi is plures ſimul uxores habeat.
17. Vitrici cum privigna, ſeu cum filia uxoris ex priore illius marito concepta.
9. & 11. Fratris cum ſorore, ſive ex utroque (4) parente, ſive ex altero (5) tantum progenita.
10. Avi cum nepte, ſive ex filia, ſive ex filio procreata.
Aviæ cum nepote ſimili. Idem coniugium Romanis quoque † legibus vetatur inter deſcendentes, non ſolum uſque ad neptes, ſed in infinitum in linea recta.

Et hæc omnia vetita ſunt etiam iure naturæ.

12. Nepotis ex fratre cum amita.
13. Nepotis ex ſorore cum matertera.

Hæc ſolum lege poſitiva vetabantur.

Contra hoc peccarunt.

(1) Filiæ Loth, *Geneſ.* xix. *verſ.* 33. *&* 35. Ptolemæus, Phiſcon, & Philometor cum Cleopatra, *Chron. cap.* xxxix. Semiramis cum filio, *Iuſtin. Lib.* I. Et id conſuetum fuiſſe apud Perſas docet * Theodor. & Plutarch.

(2) Ille ab Apoſtolo excommunicatus, I. *Corinth.* v. *verſ.* 1. *&* 5.

(3) Rubeo cum Bala concumbens, *Geneſ.* xxxv. *verſ.* 22.

(4) Aſſyrii, teſte †† Luciano; Perſæ, teſte Herodoto, Curtio & Plinio; AEgyptii, teſtibus Diodoro & Theocrito; Indi, AEthiopes, Medi, teſte S. Hieronymo; & alii Barbari, de quibus Alexander ab Alexandro; & ſubinde etiam Romani, inquit S. Gregorius.

(5) Amnon cum Thamar, II. *Reg.* xiii. *verſ.* 14. Nero Imper. cum Octavia, *Tacit. Lib.* XV. *& in noſtro Chronico cap. ult. ad annum* 8. *Neronis*.

In nova Chriſti lege, ſeu in Eccleſia Chriſtiana.

Vetantur primo quæcumque olim primis quinque verſiculis vetabantur, utpote iuris naturæ.

Vetantur item quæ reliquis 7. verſic. vetabantur. Non quod legibus illis ceremonialibus obſtringamur, quas conſtat abolitas eſſe; ſed quod Eccleſia novis legibus eadem omnia inhibuerit: neque ſolum in ſecundo gradu, ut olim; ſed uſque ad quartum gradum incluſive. Ita definitum ſub Innocentio III. in Concilio Lateranenſi. Et habetur cap. *Non debet*, de conſangu. & affinib.

Neque permittit coniugium neptis, abneptis, vel proneptis, cum patruo, vel avunculo.

Neque fratris cum fratria, etſi frater ſine liberis defunctus fuerit.

Denique neque cum ſorore uxoris defunctæ. Nam, ut dixi, affinitas omnis, ut & conſanguinitas, dirimit uſque ad quartum gradum. In his tamen quæ ſolius iuris poſitivi ſunt, diſpenſare poteſt Eccleſia, ut definit Tridentin. ſeſſ. xxiv. can. 3.

An etiam neptis cum patruo vel avunculo?

Affirmare videtur S. Ambroſius, ** Lyranus, Abulenſis, & Bonfrerius. Sed reſpondeo negative cum Caietano, a Lapide, Sanchez, & aliis ab eo citatis. Et patet ex praxi Hebræorum tum ante, tum poſt hanc legem latam: Na-

chor.

chus enim duxit Melcham, Abram Sarai, Amram matrem Moyſis, ſinguli neptem ex fratre. Et uſque hodie uſitatiſſimum iſtud apud Iudæos.

24. Nepotis cum uxore patrui.
25. Soceri cum nuru (6). Et pari modo generi cum ſocru. Quod etiam Romanis turpe viſum, teſte Tiraquello.
26. Fratris cum fratria, ſeu cum uxore: (7) ſupple, ſi frater ſuperſtes ſit; vel defunctus liberos ex uxore reliquerit. Nam ſi nullos reliquit, tenebatur frater (8) ſub pœna infamiæ, ducere uxorem defuncti, *Deut.* xxv. *verſ.* 5.
27. Vitrici cum filia privigni, vel privignæ.
28. Cum ſorore uxoris adhuc viventis. Id ante hanc legem licuiſſe patet ex Iacobi exemplo, *Geneſ.* xxix. qui duas ſorores Liam & Rachelem ſimul habuit. Mortua uxore, licebat ſororem illius ducere.

Hæc ſola lege poſitiva vetabantur

(6) Thamar cum Iuda, *Geneſ.* xxxviii.

Antiochus Sedetes Aſiæ rex cum Cleopatra fratris ſui captivi uxore, *Chronici cap.* xl.

(7) Herodes Antipas cum Herodiade, *Marci* vi. *verſ.* 18.

(8) Propinquus Booz, *Ruth* iv. *verſ.* 6.

V. 21. DE SEMINE TUO, id eſt de filiis tuis, NON DABIS UT CONSECRETUR IDOLO MOLOCH. Erat hæc immanis & barbara idololatria, quæ ab Ammonitis & vicinis Phœnicibus primum inventa, & ad Chananæos propagata, etiam apud Iudæos, non obſtante tam ſevera prohibitione hoc & xx. cap. pene ſemper locum invenit, ut paſſim ex libris Regum *c*, ex Pſalmis *d*, & Prophetis *e* conſtat. Porro idolum *Moloch* non aliud fuiſſe quam Saturnum, filiorum etiam propriorum voracem, ex Platone, Macrobrio, Tertulliano, Lactantio, Euſebio, Cyrillo, Auguſtino, Oroſio, Plutarcho, Minutio Felice, & aliis bene probat Bonfrerius. Et ex Hebræorum traditione narrant Lyranus, Abulenſis, Oleaſter, & Adrichomius, & Torniellus *f*, idolum Moloch fuiſſe æneum & concavum, capite vitulino, reliquo corpore hominis forma, regiis inſignibus ac regio in throno conſidens, brachia ac manus protendens, quibus pueros oblatos exciperet, quos pyra intus accenſa miſerum horrendumque in morem concremabat: &, ne puerorum ululatus in diris illis cruciatibus audirentur, atque his parentum animi tangerentur, ſacerdotes idoli tympana quatiebant. Similem per omnia ſtatuam, & ſimilem puerorum carnificinam noſtro quoque ſæculo in Inſula Carolena a Barbaris factitatam ſcribit Ludovicus Vives *g*: ut ſatis appareat, dæmonem ſemper ſui manere ſimilem, & æque ſemper ſitientem ſanguinis humani.

(*a*) Trid. ſeſſ. xxiv. cap. iii.
(*b*) Ariſt. Lib. de Admirandis cap. ii. & Lib. IX. Hiſt. animal. cap. xlvii. Alb. Magn. de Animalib. Lib. VIII. tract. v. cap. ii. Pierius in Hierogl. cameli. Pli. Lib. VIII. cap. xlii. AElian. Lib. III. cap. ult. Catullus in Gellium Alex. Genial. I. cap. xxiv. Tiraquellus de legibus connub. Lib. VII. num. 32. Lopez de matr. & leg. Sanchez de Matr. Lib. VII. diſp. xv. num. 6. & 7.
† Inſtitut. de Nuptiis § *Ergo non omnes*, & Lib. *Nuptia conſiſtere*, & Lib. ult. ff. de ritu nuptiarum
* Theod. in Levit. xviii. quæſt. xxiv. Plutarchus in Artaxerxe.
†† Luc. Lib. de Sacrificiis. Herod. in Cambyſe. Curtius Lib. VIII. Plinius Lib. VI. cap. viii. Dio. Lib. I. cap. 21. Theoc. in Ptol. Philadelphu. Hier. Lib. II. cont. Iovin. Alex. Gen. dierum Lib. I. cap. xiv. & ib. Tir. Greg. ad interrogata Aug. cap. vi.
** Ambroſ. Epiſt. lxvi. Lyr. Abul. Bonfr. in Lev. xviii. Caiet. A Lapide ibid. Sanchez de Matr. Lib. VII. diſput. lii. num. 2. & 6. Tiraq. de legibus connubial. Lib. IX. num. 104.
(*c*) IV. Reg. xvi. xvii. xxi. xxiii.
(*d*) Pſal. cv. verſ. 37. &c.
(*f*) Adrich. in ſua Ieruſ. Turn. ad annum 346.
(*g*) Vives in VII. de Civit. Dei cap. xix.

GORDONI.

Verſ. 4. & 5. FACIETIS IUDICIA, hoc eſt præcepta mea. Quæ autem hoc capite dantur, partim ſunt moralia ac naturalia; partim iudicialia, ac ſolum accedente lege prohibita. Vivet vero homo, ſi hæc cuſtodiat. Eſt temporalis vitæ hæc promiſſio, quam carnalis ille populus potiſſimum reſpiciebat.

V. 6.

Digitized by Google

V. 6. Omnis homo. Conſanguinei, quaſi ſanguinis eiuſdem partes ſunt: & hic eſt naturalis quædam reverentia vetans concubitum, ſaltem uſque ad certum terminum. Et cum lex naturalis determinet primum ſaltem gradum, lex poſitiva determinabit inſequentes: ſic ſane matrimonium matris cum filio, naturali ratione prohibetur; immo etiam patris cum filia, licet hoc ſecundum non ſit expreſſum: nam eſt eadem utrobique ratio, & colligi poteſt ex verſ. 10.

V. 7. Turpitudinem. Deſignat membra inhoneſta; & nuditas vocantur per antiphraſin, quia minime nuda eſſe debent. Ceterum puto hic prohiberi explicite matrimonium filii cum matre; & ſaltem implicite connubium filiæ cum patre: nam eſt ſimilis ratio; & ius naturæ ab utroque abhorret.

V. 8. Certum eſt omni iure prohiberi matrimonium cum uxore patris, patre vivente, I. Cor. cap. v. At quid licet iſti privigno poſt mortem patris? Putant aliqui iure naturæ eſſe prohibitum ex citato loco Pauli. Nec eſt hoc improbabile. Fuit quidem gentibus in horrore tale matrimonium: Spartianus in Caracala. Quid in his factum ſit, initio mundi, dixi in Apparatu ad Geneſin, anno *3.*

V. 9. Cum ſorore ex utroque parente eſt prohibitum matrimonium iure naturæ, quidquid ſit quod de aliqua barbara natione, ut de Perſis, aliqui narrant. Initio quidem mundi Deus reddidit talia matrimonia, ob neceſſitatem, licita, auferendo ex parte materiæ, & circumſtantiarum, ea quæ impediebant huiuſmodi connubia, ut de ſimilibus docent Theologi. At quid de ſorore ex altero parente? Sane probabilius eſt iure quoque naturæ hoc prohiberi, ut conſentit Hieronymus in Qq. Hebr. ad cap. xx. Geneſ. Quod ſi verum eſt, oportet dicere Saram (de qua Geneſ. cap. xx.) non fuiſſe ſororem Abrahæ ex alia matre (ut plerique docent) ſed ex fratre neptem; ut dixi Geneſ. xx. verſ. 12. Thamar quidem II. Reg. xiii. verſ. 13. dicebat Davidem permiſſurum matrimonium hoc cum Amnone; ſed ignorabat eſſe illicitum.

V. 10. Turpitudinem filiae, &c. Matrimonium avi cum nepte vetitum eſt iure naturæ, quia hæc eſt velut pars carnis deciſa. Immo per totam lineam deſcendentium: quod præter rationem a ſubiectione petendam, docuerunt gentium leges. Inſtit. tit. de Nupt. §. *Ergo non omnes.*

V. 12. & 13. Prohibetur matrimonium nepotis ex fratre, vel ſorore, cum amita, vel matertera. Sed quid de matrimonio patrui, vel avunculi cum nepte fratris, vel ſororis. Hic quidem de hoc nihil dicitur. Multi tamen putant a ſimili, prohiberi implicite, quod ſatis probabile eſt, ex natura huius legis. Si autem Sara fuit neptis Abrahami ex fratre, non ſtabat tunc hæc prohibitio, quia nondum hæc lex fuit lata. Sed de Abrahamo alibi.

V. 14. Deinceps de gradibus affinitatis, in linea tum recta, tum laterali, ut hic vides, & verſ. 16. 17. & 18.

V. 16. Uxoris fratris tui. Intelligendum eſt hoc vetari, niſi frater moriatur ſine liberis. Nam alioqui ſi proles nulla relicta eſt, tenebatur frater fratris uxorem accipere, ut ſemen ſuſcitet. Deut. cap. xxv. verſ. 5. Vide Auguſtinum qu. lvii. Sane ex hoc loco Deuteronomii ſatis clarum eſt, non eſſe contra ius naturæ, ſi frater uxorem mortui fratris ducat. Et manifeſtum eſt ex Concilio Tridentino, ſeſſ. xxiv. can. *3.*

V. 19. & 21. Non eſt ſine peccato hic concubitus per ſe loquendo: idque ob varia damna, de quibus Philo Lib. de ſpecialibus legibus. Quod eſt hic de idolo Moloch, reponitur Ierem. xlix. vide Ioſeph. Lib. IX. Antiquit. cap. xii. Septuaginta Interpretes Moloch vertunt ἄρχοντα, *principem*, quod gentiles idolum Moloch, deorum maximum putarent. Infra etiam cap. xx. prohibetur hæc idololatria. Erat autem hæc idololatria, feminis, hoc eſt filiorum, immolatio huic idolo, ut faciebant Ammonitæ. Vide Pſal. cv. verſ. *37.*

Ex Eiusdem Auctario

V. 18. Sororem uxoris tuae, &c. Hoc ante Moſen fuit licitum, ut in Iacob de duabus ſororibus.

V. 26. Tam indigena. Colonus hic vocatur qui tranſiens in legem Hebræorum habitat inter eos.

C. A-

Digitized by Google

C A P U T XIX.

Varia præcepta moralia ac iudicialia.

1 LOcutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens: 2. Loquere ad o-
mnem cœtum filiorum Iſrael, & dices ad eos: (a) Sancti
eſtote, quia ego ſanctus ſum, Dominus Deus veſter. 3. Unuſ-
quiſque patrem ſuum, & matrem ſuam timeat. Sabbata mea
cuſtodite. Ego Dominus Deus veſter. 4. Nolite converti ad
idola, nec deos conflatiles faciatis vobis. Ego Dominus Deus
veſter. 5. Si immolaveritis hoſtiam pacificorum Domino,
ut ſit placabilis, 6. eo die quo fuerit immolata, comedetis
eam, & die altero: quidquid autem reſiduum fuerit in diem tertium, igne com-
buretis. 7. Si quis poſt biduum comederit ex ea, profanus erit, & impie-
tatis reus: 8. portabitque iniquitatem ſuam, quia ſanctum Domini polluit, * &
peribit anima illa de populo ſuo. 9. (b) * Cum meſſueris ſegetes terræ tuæ,
non tondebis uſque ad ſolum ſuperficiem terræ: nec remanentes ſpicas colliges.
10. Neque in vinea tua racemos & grana decidentia congregabis, ſed pauperibus
& peregrinis carpenda dimittes. Ego Dominus Deus veſter. 11. Non facietis fur-
tum. Non mentiemini, nec decipiet unuſquiſque proximum ſuum. 12. (c) Non
periurabis in nomine meo, nec pollues nomen Dei tui. Ego Dominus. 13. (d)
Non facies calumniam proximo tuo, nec vi opprimes eum. (e) Non morabi-
tur opus mercenarii tui apud te uſque mane. 14. Non maledices ſurdo, nec co-
ram cæco pones offendiculum: ſed timebis Dominum Deum tuum, quia ego
ſum Dominus. 15. Non facies quod iniquum eſt, nec iniuſte iudicabis. (f) Non
conſideres perſonam pauperis, nec honores vultum potentis. Iuſte iudica proxi-
mo tuo. 16. Non eris criminator, nec ſuſurro in populo. Non ſtabis contra
ſanguinem proximi tui. Ego Dominus. 17. (g) Non oderis fratrem tuum in cor-
de tuo, ſed publice argue eum, ne habeas ſuper illo peccatum. 18. (h) Non
quæras ultionem, nec memor eris iniuriæ civium tuorum. (i) Diliges amicum
tuum ſicut teipſum. Ego Dominus. 19. Leges meas cuſtodite. * Iumentum tuum
non facies coire cum alterius generis animantibus. Agrum tuum non feres diver-
ſo ſemine. Veſte quæ ex duobus texta eſt, non indueris. 20. Homo ſi dormie-
rit cum muliere coitu ſeminis, * quæ ſit ancilla etiam nubilis, & tamen pretio non
redempta, nec libertate donata: vapulabunt ambo, & non morientur, quia non
fuit libera. 21. Pro delicto autem ſuo offeret Domino ad oſtium tabernaculi te-
ſtimonii arietem: 22. orabitque pro eo ſacerdos, & pro peccato eius coram Do-
mino, & repropitiabitur ei, dimitteturque peccatum. 23. Quando ingreſſi fueri-
tis terram, & plantaveritis in ea ligna pomifera, auferetis præputia eorum: po-
ma quæ germinant, immunda erunt vobis, nec edetis ex eis. 24. Quarto autem
anno omnis fructus eorum ſanctificabitur laudabilis Domino. 25. Quinto autem
anno comedetis fructus, congregantes poma quæ proferunt. Ego Dominus Deus
veſter. 26. * Non comedetis cum ſanguine. Non augurabimini, nec obſervabitis
ſo-

Digitized by Google

ſomnia. 27. Neque in rotundum attondebitis comam: nec radetis barbam. 28.
Et ſuper mortuo * non incidetis carnem veſtram, neque figuras aliquas aut ſtig-
mata facietis vobis. Ego Dominus. 29. Ne proſtituas filiam tuam, ne conta-
minetur terra & impleatur piaculo. 30. Sabbata mea cuſtodite, & ſanctuarium
meum metuite. Ego Dominus. 31. Non declinetis ad magos, nec ab ariolis aliquid
ſciſcitemini, ut polluamini per eos. Ego Dominus Deus veſter. 32. Coram ca-
no capite conſurge, & honora perſonam ſenis: & time Dominum Deum tuum.
Ego ſum Dominus. 33. (*k*) Si habitaverit advena in terra veſtra, & moratus
fuerit inter vos, non exprobretis ei: 34. ſed ſit inter vos quaſi indigena; & dili-
getis eum quaſi voſmetipſos: fuiſtis enim & vos advenæ in terra AEgypti. Ego
Dominus Deus veſter. 35. Nolite facere iniquum aliquid in iudicio, in regula, in
pondere, in menſura. 36. Statera iuſta, & æqua ſint pondera, iuſtus modius,
æquuſque ſextarius. Ego Dominus Deus veſter, qui eduxi vos de terra AE-
gypti. 37. Cuſtodite omnia præcepta mea, & univerſa iudicia, & facite ea,
Ego Dominus,

(*a*) Sap. XI. 44. I. Pet. I. 16. (*b*) Infr. XXIII. 22. (*c*) Exod. XX. 7. (*d*) Eccli. X. 6. (*e*) Deut. XXIV. 14. Tob. IV. 15. (*f*) Deut. I. 17. & XVI. 19. (*g*) I. Ioan. II. 11. & III. 14. Eccli. XIX. 15. (*h*) Luc. XVII. 3. (*i*) Matth. V. 44. XXII. 40. Rom. XIII. 9. (*k*) Exod. XXI. 21.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 8. *Et peribit anima illa de populo ſuo*. Non mutes *populo ſuo* cum *medio populi ſui*.

V. 9. *Cum meſſueris ſegetes terræ tuæ*. Interpres non addidit copulativam *cumque*.

V. 19. *Iumentum tuum non facies coire cum alterius generis animantibus*. Alii ſcribunt numero plurali *iumenta tua*.

V. 20. *Quæ ſit ancilla etiam nubilis*. Inſignis loci reſtitutio, qua pro *nobilis*, hoc eſt genere clara, quod prius fere legebatur, repoſitum eſt *nubilis*, quod eſt apta viro, ſeu potius promiſſa nuptui. Nam alii ex Hebræo vertunt *deſponſata viro*; LXX. *Servata homini*.

V. 26. *Non comedetis cum ſanguine*. Merito ablata eſt vox *carnem*, quæ a quibuſdam additur.

V. 28. *Non incidetis carnem veſtram*. Non eſt commutandus numerus ſingularis cum plurali *carnes veſtras*.

NOTATIONES.

V. 16. *Non eris criminator*, *nec ſuſurro in populo*. Multi codices habent *in populis*, quomodo & Radulphus Flaviacenſis legit, qui ante annos 550. myſticos in Leviticum Commentarios ſcripſit. Hebraice eſt: *Non incedes detractor in populis tuis*. Unicam vocem רכיל, Interpres duabus expoſuit, *criminatore*, & *ſuſurrone*. Significat autem proprie negotiatorem, & hinc ducta ſimilitudine detractorem, quod hinc inde rapiat, quod aliis narret. Accipitur & pro fraudulento: quamobrem LXXII. reddiderunt: *Non ambulabis dolo in gente tua*; quomodo & Noſter vocem hanc interpretatus eſt Proverb. XI. verſ. 13. & alibi.

V. 26. *Non comedetis carnem cum ſanguine*. Vox *carnem* ab antiquis manuſcriptis (id quod etiam Epanorthotes teſtatur) & Bibliis Regiis non additur: in Hebræo, Chaldæo, & Græco non legitur: Radulphi Commentario adiunctus textus habet, ſed Radulpho non lectam ipſe Commentarius loquitur. Subauditur autem a quibuſdam, & recte. Quamquam non tantum carnem cum ſanguine, verum etiam cuicumque ſanguis admixtus eſſet, comedere Iudæis minime licuerit. Sunt qui certum ſuperſtitionis genus hic prohibitum putent. LXXII. verterunt: *Non comedetis in montibus*. Quod enim Hebraice eſt על הדם, ipſi על הרם legerunt. Intellexerunt autem idololatriam prohibitam: in montibus enim idola colebantur, & idolothyta comedebantur. Quamobrem Ezech. XVIII. inter prima flagitia numeratur, in montibus comedere. „ Comedere ſuper montes (ait I-
„ ſychius in hunc ſcribens locum] quod
„ LXX. poſuerunt pro eo quod noſtra edi-
„ tio habet, *Non comedetis cum ſanguine*

„ pro-

„ propter eos qui idolorum feſtivitatibus con„ ſueti ſunt, prohibuit. Hoc enim & Oſee „ cap. IV. verſ. 12. 13. accuſans populum „ Iudæorum, dixit: *Spiritus fornicationum decepit eos, & fornicati ſunt a Deo ſuo „ ſuper vertices montium incenſum adolebant, „ & ſuper colles ſacrificabant.* "

COMMENTARIA

SA.

Verſ. 5. UT SIT PLACABILIS. Hebr. *Ad voluntatem veſtram immolabitis illam*, id eſt *voluntarie* ut Chald. interpretatur; vel *ad beneplacitum veſtrum*, ut alii. Noſter accepit, quaſi dictum eſſet, ad veſtri acceptationem a Deo.

V. 7. PROFANUS ERIT; id eſt, rem profanam fecerit, ut Hebr. indicant. Chald. *Abominatio erit*. IMPIETATIS REUS. Hebr. Chald. & LXX. *Non erit acceptum*.

V. 8. INIQUITATEM, id eſt pœnam iniquitatis. POLLUIT. Chald. & LXX. *Profanavit*. PERIBIT, id eſt interficietur, vel non habebitur a Deo tamquam Iſraelita.

V. 9. SOLUM. Hebr. *angulum*; quaſi dicat, Relinques pauperibus aliquot ſpicas.

V. 10. RACEMOS, ſcilicet relictos a vindemiatoribus.

V. 11. MENTIEMINI: ſic & LXX. at Hebr. & Chald. *Negabitis*, ſcilicet depoſitum.

V. 12. POLLUES, ſcilicet falſum iurando.

V. 13. FACIES CALUMNIAM. LXX. *Lædes*. Hebr. *Vim inferes*. VI OPPRIMES, ſcilicet *rapiendo*, ut eſt Heb Chald. & apud LXX. NON MORABITUR; quaſi dicat, ſolves operarum mercedem. MANE, id eſt diem ſequentem.

V. 15. NEC INIUSTE. Explicatio eſt præcedentis. NON CONSIDERES, &c. quaſi dicat. nullius reſpectu iniuſte iudices.

V. 16. CONTRA SANGUINEM; quaſi dicat, ne ſis cauſa quod occidatur.

V. 17. SUPER ILLO, id eſt cauſa illius, ſcilicet odiendo.

V. 18. MEMOR, ſcilicet cum odio, aut ira, ut indicant Chald. & LXX. AMICUM Hebr. Chald & LXX. *proximum*.

V. 19. IUMENTUM TUUM, &c. Gloſ. ordin. negat hæc ad litteram intelligenda. Ego id non auſim dicere. EX DUOBUS, ſcilicet *lana, & lino*, ut interpretatur Chald. Vide Deuter. XXII. Videtur autem per hæc indicari, vitandam rerum confuſionem.

V. 20. ETIAM NUBILIS. Hebr. & Chald. *Et viro deſponſata*. DONATA: tunc enim eſſet lapidanda.

V. 21. PRO DELICTO. Nota, aliud eſſe iuſtitiæ publicæ ſatisfacere, aliud Deo.

V. 23. PRAEPUTIA, &c. quaſi dicat, primos fructus trium annorum quaſi immundos proiicietis: id enim indicant Heb. Chald. & LXX.

V. 24. SANCTIFICABITUR, &c. id eſt, conſecrabitur Domino ad eius laudem. Chald. *Erit ſanctificatus*: ſcilicet a ſolis ſanctificatis ſeu Deo conſecratis edi poterit, nempe ſacerdotibus, & levitis.

V. 25. CONGREGANTES. Hebr. *Ut augeantur*, ſcilicet Dei beneficio, ſi prædicta obſervaveritis: idque etiam indicant Chaldæus & LXX.

V. 26. CUM SANGUINE, ſcilicet prius effundendus erat. SOMNIA. LXX. *tempora*: ſcilicet prohibet prædictiones vanas futurorum, vel ſuperſtitiones gentilitias in delectu temporum ad aliquid agendum.

V. 27. ROTUNDUM, id eſt gyrum, ſcilicet more ſacerdotum AEgypti, qui ſic idola colebant; itemque raſa barba: forte radi prohibet. Vide cap. XXI.

V. 28. SUPER MORTUO, id eſt propter mortuum, ſcilicet more AEgyptiorum.

V. 30. METUITE; id eſt, reveremini.

V. 31. MAGOS. Hebr. *Pythones*. LXX. *Ventriloquos*: & ſic etiam cap. ſeq.

V. 33. EXPROBRETIS. Alii, *Vim inferatis*. LXX. *Affligatis*. Chald. *Decipiatis*.

V. 35. REGULA. Gloſ. interl. putat eſſe id genus ſequentium menſurarum. Alii volunt intelligi menſuram longitudinis rerum, ut ulnam, aut cubitum: atque id Hebr. indicant.

V. 36. MODIUS, AEQUUSQUE SEXTARIUS. Chaldæus *menſura*, & *mo-*

& *modius*. Hebræus *epha*, & *hin*. LXX. *menſura*, & *ſextarius*.

V. 37. IUDICIA, id eſt leges.

ESTII.

Verſ. 17. NON ODERIS FRATREM TUUM IN CORDE TUO, SED PUBLICE ARGUE EUM, NE HABEAS SUPER ILLO PECCATUM. Laborant nonnulli, quomodo doceant id quod hic præcipitur non eſſe contra ordinem correptionis fraternæ, Matth. XVIII. in Evangelio præſcriptæ, nempe ut primo fratrem quis corripiat inter ſe & ipſum ſolum. Sed ſciendum eſt, neque in Hebr. neque in Chald. neque apud LXX. legi *Publice*; ſed omnes tantum habent, *Corripiendo corripies*, vel *arguendo argues*; id eſt, omnino argues, ne ſilentio tuo particeps efficiaris peccati eius. Quod autem nos habemus, *publice*, poteſt accipi pro *aperte*. Vatablus habet *plane*. Eſt autem ſermo de fratre etiam qui in te peccavit, nam illud indicat vox illa: *Non oderis fratrem tuum*; quaſi dicat, Non viciſſim oderis. Unde hic etiam patet, præceptum dilectionis inimicorum fuiſſe in veteri lege: nempe correptio fraterna eſt actus dilectionis ſive caritatis.

V. 18. DILIGES AMICUM TUUM SICUT TEIPSUM. Per amicum omnis proximus intelligitur, etiam inimicus; ut patet non ſolum ex parabola evangelica Lucæ X. de eo qui incidit in latrones, ſed etiam ex eo quod Exod. XXIII. præcipitur: *Si occurreris bovi inimici tui, aut aſino erranti, reduc ad eum*. Immo vox Hebræa, quam hic Interpres noſter *amicum* vertit, ſignificat *proximum*, uti Pagninus vertit; vel *ſocium*, ut eam vertit Arias. Scimus quidem vocem Hebræam hoc loco diverſam eſſe ab ea qua alibi ſæpe proximus ſignificatur, etiam hoc ipſo capite paulo ſuperius; verum & iſta vox quæ hoc loco ponitur ad idem ſignificandum quoque paſſim uſurpatur, & LXX. Interpretes utramque vocem ſemper uno modo verterunt πλησίον, id eſt *proximum*. Vatabli Verſio quoque ubique *proximum* reddidit. Denique nomine proximi, ut hic accipitur, omnem omnino hominem intelligendum eſſe, etiam ſecundum legem Moyſi, ex eo oſtendi videtur, quia hoc eodem capite de advena quoque dicitur: *Diligetis eum quaſi voſmetipſos*: & capite ſequenti: *Si mœchatus quis fuerit cum uxore alterius, & cum coniuge proximi ſui, adulterium perpetraverit*, &c. ubi pro eodem accipiuntur proximus, & quicumque alius vel alter.

V. 27. NEQUE IN ROTUNDUM ATTONDEBITIS COMAM, NEC RADETIS BARBAM. Solent hæc obiicere Hæretici contra ritum eccleſiaſticum, quo ſacerdotes ac monachi barbas radunt, & coronam in capite gerunt. Sed facile diluitur hæc eorum calumnia, ſi videamus quæ ſit prohibendi cauſa. In Hebræo eſt: *Ne in gyrum attondeatis angulum, vel finem capitis veſtri, nec corrumpes angulum barbæ tuæ*: & quidem quando anguli tolluntur, fit rotunditas. Sed in primis inſpicienda eſt ratio præcepti, quæ duplex redditur. Una ut moneantur contenti eſſe naturalibus ornamentis, ne videantur creatorem accuſare, tamquam imperfectum opus fecerit. Altera, & præcipua, ut ab huiuſmodi ritibus abſtineant in deteſtationem idololatrarum: nam ſolent hæc & ſimilia fieri ab idololatris, a quorum cæremoniis voluit ſuos Dominus longiſſime abeſſe. Sed cæremoniale tantum fuit præceptum. Unde cum per ſe malum non ſit, & conſtet non fieri in honorem idolorum a ſacerdotibus Chriſtianis, non male illi certæ cuiuſdam rei ſacræ ſignificandæ cauſa, tales ritus aſſumpſerunt. Deinde neque proprie in rotundum comam attondent, ſed ad imitationem ſpineæ coronæ dominicæ tantum coronam exprimunt. Barbam etiam radunt noſtrates magis ex antiqua conſuetudine, quam ex lege, aut canone. De barba vide Bedam, ſi placet, ſuper I. Eſdr. IX.

MARIANAE.

Verſ. 4. NOLITE CONVERTI AD IDOLA. Vox Hebraica, *Elilim*, *vana*, & *inutilia* ſignificat. Septcap. XVII. verſ. 7. pro *dæmonibus* poſuerunt *vanis*, quæ vox in hunc locum magis quadraret: ſed idola dæmones ſunt.

V. 5. UT SIT PLACABILIS. Hebr. *ſecundum voluntatem veſtram*: nam huic ſacrificio nullum erat tempus lege ſtatutum. Loquitur de hoſtia pacificorum,

quam

Digitized by Google

quam pro voluntate quiſque offerebat. Melius cap. XXIII. verſ. 11.

Verſ. 7. PROFANUS ERIT, ET IMPIETATIS REUS. Hebr. ad carnem ſacrificii potius refertur, *Abominatio eſt*; id eſt, contaminatum non placebit. Sed & ad hominem poteſt referri.

V. 10. RACEMOS ET GRANA DECIDENTIA, &c. Heb. *Non racemabis, &* *botros* (nempe qui ex paucis granis conſtant) *non colliges*: nempe ſecundam vindemiam relinques pauperibus.

V. 17. NON ODERIS FRATREM TUUM IN CORDE TUO, SED PUBLICE ARGUE EUM. Sept. *Corripiendo corripies eum*: ſic Hebraice. Et adverte odii remedium, querelæ & offenſæ explicatio, qua ulcus aperitur.

V. 19. VESTE QUAE EX DUOBUS TEXTA EST, NON INDUERIS. Vox Hebr. שעטנז *ſabatnez*, *ex lino & lana textum* ſignificat. Deus ſimplicitatem amat.

Verſ. 20. QUAE SIT ANCILLA ETIAM NUBILIS, id eſt deſponſa: ſic legendum, non, ut antea, *nobilis*. Nempe agit de ancilla deſponſata viro, ut eſt in Hebræo. Quæ niſi accepit pretium redemptionis, & libera facta eſt, qui ad eam accedebat non erat reus mortis; ſignificat autem iis verbis, quæ nondum nupta erat: nam vir & uxor mutuo ſe emebant iure antiquo. Ergo niſi ſponſus dedit ei dotem, & per eam libertatem non dedit, qui violavit, mortis reus non eſt. VAPULABUNT AMBO. Hebr. *Flagellatio erit*: non explicat an utrique, an alteri. Hebræi & Chald. referunt id ad ſolam mulierem; ſed quoniam ſequitur, NON MORIETUR, melius eſt ut flagellatio referatur ad utrumque, quod fecit Hieronymus.

V. 23. AUFERETIS PRAEPUTIA EORUM. *Præputia* vocantur quæ ſuperflua ſunt, & reſecari debent in arboribus. Deeſtque in Vulgata *tribus annis*, quod eſt in Hebr. & Sept. Tribus annis fructus arboris non comedebatur.

V. 27. NEQUE IN ROTUNDUM ATTONDEBITIS COMAM. Hebræi ad cincinnos & calamiſtros referunt. Eſt enim Hebraice: *Non circum gyrabitis angulos capitis veſtri*. NEC RADETIS BARBAM. Hebr. *Nec corrumpes angulum barbæ tuæ*. Hebræus פאת זקנך הוא שבלת הזקן, *Angulus barbæ tuæ eſt ſpica barbæ*, quam, meo iudicio, ut comam non vult in rotundum tonderi.

V. 33 NON EXPROBRETIS EI. Heb. *Non affligatis*: ſic Sept. ſcilicet advenam.

V. 34. SED SIT INTER VOS QUASI INDIGENA. Hebr. *indigena* אזרח *æzrah*, *ab ortu ſolis* dicitur: ſic vocatur indigena, quod clarus & notus omnibus ſit, ſolis inſtar orientis, ipſe & proſapia. Nos etiam claros *Nobiles* dicimus.

V. 35. IN REGULA, IN PONDERE, IN MENSURA. Hoc diſcrimen ponito inter מדה *midah*, & משורה *meſurah*; ut *midah* ſit menſura longitudinis, *menſurah* ſit aridorum, & liquidorum. Hieronymus pro *midah*, *regulam* vertit, eodem reſpiciens.

V. 36. IUSTUS MODIUS. Pro ephi ponit *modium*, cum ephi cori decima contineat tres modios. Pro hin etiam reddit *ſextarium*, cum hin capiat duodecim loghim Hebraicos; octo ſextarios Romanos nihilo minus: ſed menſurarum nomina facile permutantur. Et ſententia conſtat, qua menſuras iuſtas eſſe vult, amoveri fraudes.

MALVENDAE.

Verſ 3. TIMEAT. Hebr. *Timebitis*, id eſt coletis, venerabimini: eodem tenore hoc verbum de Deo dicitur, quaſi parentes ita ſint a nobis honorandi, & obſervandi, ut veluti cultu quodam religioſo & ſacro eos colere ac venerari debeamus, tamquam nobis cariſſimos & ſacroſanctos, atque qui ſint nobis tantum non ut dii quidam.

V. 4. IDOLA. אלילים *elilim*. De hac voce pleniſſime diſſeruimus in Antichriſto Lib. X. cap. XXXIII. quæ hic non tranſcribimus. Illud veriſimilius, eſſe ab אל *al* geminato, id eſt non; quaſi dicas, *extremæ nihilitates*, *omnimodæ nullitates*. Quo reſpexit Paulus I. Corinth. VIII. 4. *Scimus quod idolum nihil ſit in mundo*. Alii *deiculos*, *deaſtros*, per contemptum exponunt.

V. 5. UT SIT PLACABILIS. Hebr. לרצנכם *lirtzonechem*, conſtructum cum nota dativi, *gratiæ*, *favori*, *acceptationi*, *beneplacito*, *bonæ voluntati*, *propenſioni veſtræ*. Quidam active accipiunt: *Ad*, *ſecun-*

cundum, *beneplacitum veſtrum*, *pro bona voluntate veſtra*, id eſt ſponte veſtra, ultro, voluntarie: nam pacifica conceptiva erant, non imperata, ut ſupra cap. VII. verſ. 11. & ſeq. Alii paſſive, *ad acceptationem*, *gratiam*, *&c. veſtri*, ut ſint accepta & gratioſa Deo; ut ſint grata & beneplacita Deo veſtra ſacrificia, ut per ea vos Deus gratos & acceptos habeat, reddaturque erga vos placabilis; animo propenſo ac benevolo ſit adverſum vos; ad conciliandum vobis gratiam, favorem, benevolentiam Dei. Vide Exod. XXVIII. 38. & Levitici I. verſ. 3.

V. 9. NEC REMANENTES SPICAS COLLIGES. Heb. *Et collectionem decurtationis*, ſeu *meſſis tuæ*, *non colliges*. Quidam: *Et ſpicilegium meſſis tuæ ne colligito*, aut facito. Collectionem vocat ſpicas quæ remanſerint a tergo meſſoribus, & illis deciderint, quod illæ poſtea a pauperibus colligantur.

Verſ. 10. NEQUE IN VINEA TUA RACEMOS. Hebr. *Et vineam tuam non racemabis*. Verbum עולל *gholel* exponunt contraria ſignificatione: *Non incommodabis*, *defraudabis*, *iniuria afficies*, *dehoneſtabis*; quod quaſi dehoneſtetur, defraudetur, iniuria afficiatur vinea, ultimis racemis præciſis a domino, dum contra legem ſuo iure privantur, & fraudantur pauperes. Quidam: *Et vineam tuam non facies in contemptum*, aut *non afficies contemptu*: quod racematione vinea ita afficitur, ut iam ſuo ornatu ſpoliata, veluti contemptui exponatur. Alii: *Et vineam tuam non corrumpes*, *abrumpes racemando*. Racemandi ſignificato omnia iſta complectuntur. Nec deſunt qui: *Et vineam tuam non conficies*; id eſt, non penitus vindemiabis. Vide Deut. XXIV. 21. ET GRANA DECIDENTIA. פרט *peret*, ſingulare, ſed collective ſignificare aiunt *baccas*, ſeu *grana avulſa*, ſeu *decerpta*, aut *decidentia*. Quidam, *particularitates*, ſeu *ſingularitates*, vel *acinos deciduos*, quaſi uvarum particularitates. Alii *acinorum reliquias*. Ego exiſtimo eſſe ſingulares, & reſiduos botros, & paucos, parvoſque racemos relictos, uti aſſolet, poſt vindemiam.

V. 13. OPUS MERCENARII, id eſt merces: nam quod hic dicitur *opus*, Deut. XXIV. verſ. 15. vocatur merces. Sic Pſalm. CVIII. verſ. 20.

V. 14. SED TIMEBIS DOMINUM DEUM TUUM; hoc eſt, timore & reverentia Dei ductus, abſtinebis a malo in ſurdum, & cæcum, &c. inferendo.

V. 15. QUOD INIQUUM EST. עול *ghavel* aiunt eſſe *iniuſtitiam*, *iniuriam*, *iniquitatem*, *pravitatem*, *perverſitatem*, *fraudem*, *fraudulentiam*, & generaliter *omne malum* quod eſt contra caritatem proximi, contra honeſtatem & iuſtitiam politicam, contra publica iura, ſtatuta, & leges, quodcumque ex malo cordis theſauro, vel in verba, vel in ipſum opus externum aſcendit, atque prorumpit, ut ſit a verbo עלה *ghalah*, *aſcendere*. Quo reſpexiſſe putant Chriſtum Matthæi XV. verſ. 19. *De corde enim exeunt cogitationes malæ*, *homicidia*, *adulteria*, *fornicationes*, *furta*, *falſa teſtimonia*, *blaſphemiæ*. Exiſtimant etiam Ioannem VII. verſ. 18. per ἀδικίαν, id eſt *iniuſtitiam*, reddidiſſe. Hic reddunt: *Ne exercetote perverſitatem*, *iniuſtitiam*, *iniuriam in iudicio*, nimirum ſive teſtes, ſive iudices in ullius cauſa. Vide infra verſ. 35. NON CONSIDERES PERSONAM PAUPERIS. Hebr. *Non levabis faciem pauperis*. De hac phraſi vide quæ notavimus Gen. XIX. verſ. 21. pro ea Exodi XIII. verſ. 3. dicitur: *Exhauſtum non pulchre facies in cauſa eius iudiciali*.

V. 16. CRIMINATOR, NEC SUSURRO. Duabus vocibus unam expreſſit רכיל *rachil*: aliqui ſubſtantive capiunt, id eſt *delatio*, *detractio*: alii adiective, *delator*, *detractor*. Notant verbum רכל *rachal* proprie eſſe *mercari*, *negotiari*, *numdinari*; ſeu deferre hinc inde merces lucri & commodi cauſa. Inde eſſe רוכל *rochel*, *delatorem mercium*, *inſtitorem*, qui merces uno ex loco in alterum transfert: & רכיל *rachil*, *delator*, verborum ſcilicet, qui hinc inde verba, ut mercator lucri cauſa merces, ſic ipſe ut inde forſan aliquid commodi referat, huc illuc defert; ſed ſæpe levitate quadam aut curioſitate. Noſter hic *criminatorem*, *ſuſurronem*; Ezechiel. XXII. 9. *detractorem*; alibi ſemper *fraudulenter*, nam notant adverbiaſcere. Varie ergo hic reddunt. I. *Non obambulabis delator in populis*. II. *Non ibis detractor in populos tuos*. III. *Non incedes fraudulenter in populis tuis*. IV. *Ne incedas mercator* (id eſt impoſtor, ſeu obtrectator) *in populis tuis*. Aliqui notant, mercatorem hic po-

ni

Digitized by Google

ni pro impoſtore: nam frequenter mercatores technis & artibus homines circumveniunt. Significarique putant homines dolosos, ſubdolos, qui rem ſuam cum iactura proximi augent, ſycophantas, delatores, qui niſi mentiantur nihil habent. V. *Non ambulabis* ut *detractor*, vel in *detractione in populis tuis*; quaſi dicas, detractorie: *Non te geres detractorie.* VI. *Ne ambulato cum detractione per populares tuos*, tamquam ſi nundineris verba, honoremque proximi tui; famæ & honoris proximi nundinator: quod Hebræa voce proprie ſignificatur. VII. *Non ibis explorator in populis tuis:* quia curioſe explorare aliorum vitam, eſt pervertere pacem & requiem communem. NON STABIS CONTRA SANGUINEM PROXIMI TUI. Quidam exponunt: *Ne fueris cauſa cædis alterius*, vel *ut alius occidatur*; quaſi dicat: Nedum non occides proximum tuum, ſed nec etiam cædis illius cauſa fueris. Alii: *Ne inſtato contra ſanguinem proximi tui*. Hebræi explicant: *Non ſtabis iuxta ſanguinem proximi tui*, ut ſcilicet videas eum innocenter occidi, a beſtia lacerari, aut in aqua ſubmergi: quod certe inhumanitatis eſſe videtur.

V. 17. SED PUBLICE ARGUE EUM. Hebr. *Arguendo argue eum*, id eſt libere, ſtrenue. Alii: *Fraterne argue illum.* Hoc eſt quod Chriſtus repetit Matth. XVIII. verſ. 15. Verbum יכח *iachach* in Hiphil eſt, *coram arguit*, *redarguit*, *obiurgavit*, *corripuit*, *reprehendit*, *caſtigavit*, *argumentis & rationibus oppoſuit ſe alteri*, *contradixit*, *diſceptavit*. NE HABEAS SUPER ILLO PECCATUM. Verbum נשא *naſcha*, *levare*, *elevare*, hic varie convertunt. I. *Et non elevabis ſuper illum peccatum*; id eſt, neque falſum crimen illi adſcribas, vel *& non impinges illi crimen*. II. *Et ne feras*, *portes*, *ſuſtineas*, *propter ipſum peccatum*, ne te reum peccati conſtituas; propterea quod officii tui oblitus, peccatum in proximo diſſimulaſti, & non arguiſti, aut correxiſti. III. *Et non feres, ſufferes, ſuſtinebis ſuper eum peccatum*; id eſt, non tolerabis, non patieris ut maneat ſuper proximum tuum, peccatum; ſed tua correptione & correctione amovebis illud. IV. *Et non elevabis ſuper ipſum peccatum*; id eſt, mora tua, aut ceſſatione redarguendi, non creſcere aut augeri facies peccatum proximi. Nam multi perſtant ac perſeverant, creſcuntque in peccatis defectu correptionis. V. *Et non elevabis ſuper eum peccatum:* Latina phraſi; id eſt, quando eum corripueris, non elevabis, extenuabis, diminues gravitatem & fœditatem peccati eius; ſed iuſte, & ſerio gravitatem peccati illi expendes, ut agnita culpa, facilius reſipiſcat. VI. *Neque ferto in eo peccatum*; id eſt, ne diſſimulato in eo ullum peccatum, quod non corripias. VII. *Et non ſines eum peccare*. VIII. *Ut non accipias eius cauſa reatum*, ſeu *pœnam peccati*, ne te puniat Deus.

V. 18. NEC MEMOR ERIS INIURIAE CIVIUM TUORUM. Hebr. *Et non obſervabis filios populi tui*. Notant verbum נטר *natar*, *ſervare*, *obſervare*, *cuſtodire*, ſumi plerumque in malum pro obſervare aliquem, ut in eum commodo tempore effundas iram, & vindictam. Unde hic varie reddunt. I. *Et non reſervabis odium contra filios populi tui*. II. *Neque reſervabis iniuriam illatam erga filios populi tui*. III. *Neque iram aſſervato in populares tuos*. IV. *Et non obſervabis filios populi tui*; id eſt, non curioſe & anxie inquires in vitam & mores illorum, unde perturbatur quies Reipublicæ. V. *Et non ſervabis filiis populi tui*: ut ſit pulcherrimus Hebraiſmus, & Hiſpaniſmus, *no ſela guardaras*, cum quis odium & vindictam in pectore ſervat, ut per occaſionem præmeditatum malum in alium effundat. Noſter per *comminari* id verbum reddidit Pſalm. CII. 9. quod hic recte quadrat: *Et non comminaberis filiis, &c.* DILIGES AMICUM TUUM. Notant, quando verbum אהב *ahab* poſt ſe habet nomen cum Lamed, ut hic, tum ſignificare *caritatem*, *amorem*, *ſeu dilectionem exercere erga aliquem*: unde hic reddunt: *Sed dilectionem exerce erga proximum tuum*. Vide infra verſ. 34.

V. 19. CUM ALTERIUS GENERIS ANIMANTIBUS. כלאים *cilaiim* aiunt eſſe duale, & ſignificare *duarum rerum diverſarum mixturam* prohibitam, id eſt diverſas mixturas, duo prohibita heterogenea. Unde vertunt 1. *Cum altero genere*, vel *heterogenea*; 2. *promiſcuis*; 3. *mixtim*; 4. *duo genera*, vel *duobus generibus*; 5. *diverſemixtura*; 6. *mixturarum*. QUAE EX DUOBUS TEXTA EST. שעטנז

שעטנז *ſchaghatnez*, nomen quinque litterarum, communiter exponunt, *contextam ex lana & lino*, vel *cannabe*. Hebræi componunt ex שעע *ſchaghagh* Chaldæo, *lenire*, *lævigare*, vel *pexere*; & ex טוה *tavah*, *filare*, & ex נוז *nuz*, *torquere*, vel *intertexere fila*. Unde hic exponunt: *Et veſtis in mixtura*, *pectinata*, *neta*, *torta*, vel *intertexta non aſcendat ſuper te*: alii, *Et veſtis intertexturarum lanæ & lini*, *&c.* quidam: *Et veſtis heterogeneorum diverſemixtura*, *contexta ex lana & lino*, &c. nonnulli: *Et veſtimentum duorum generum varie commixtum*, id eſt polymitum, & ex materia differente contextum. Verum alii putant *Schaghatnez* nomen eſſe exoticum & peregrinum veſtis AEgyptiacæ, ſeu alterius gentis, quam ex lana & lino contexebant, a Deo populo Iudaico prohibitæ, ne veſtibus cum exteris gentibus communicarent: atque fruſtra ei etymon in lingua ſancta quæri. Nec deſunt qui ſuſpicentur eſſe quam *Tabinum* Itali appellant. Vide Deuteron. XXII. verſ. II.

V. 20. QUAE SIT ANCILLA ETIAM NUBILIS. נחרפת לאיש *necherepheth leiſch*, Hebræi communiter exponunt *deſponſata viro*, palam ſcilicet, ut ſolet deſponſatio fieri: qui hunc locum de ancilla Chananæa, ſeu alienigena intelligunt, quæ ſervo Hebræo deſponſata, partim ſerva eſt, partim ingenua; ſic accipiunt alterius argumento legis Exod. XXI. verſ. 8. Alii reddunt, *divulgata*, *publicata*, *aſſignata viro*. Quidam *deſponſatam*, *aſſignatam viro* interpretantur, quæ non eſt libera uxor, ſed concubina: ſic enim vocabatur ſerva, ſeu ancilla, cum qua quis habebat coniugii conſuetudinem. Nonnulli reddunt, *ancilla deſpecta alicui*, vel *probo cuiuſque expoſita*. Al qui, *ſuſpectæ pudicitiæ viro*, id eſt quæ ſit in poteſtate alicuius viri cum iactura famæ. Alii, *vituperata viro*. Plerique, *probris perfoſſa*, *probroſe perfoſſa*, *violata*, *vitiata*, *dehoneſtata a viro*; id eſt, cuius flos virginitatis violatus eſt; quæ prius perfoſſa, ſeu deflorata eſt: ſermonem enim eſſe aiunt de illa quæ violata eſt, nec tamen ducta in uxorem. Itali vocant *Svergognata*; Hiſpani *Desbonorada*. Ergo חרף *charaph* conferunt cum tranſpoſito חפר *chaphar*, *fodere*, *infodere*, *perfodere*, *confodere*; quaſi dicas *necherepheth*, *foſſam*, *perfoſſam*, ſeu *defloratam*. NEC LIBERTATE DONATA. חפשה *chupſchah* quidam non pro nomine, hoc eſt *libertas*, *manu miſſio*, ſed pro participio paſſivo exponunt, *liberata*, *libertate donata*, *manumiſſa*; atque Hebr. ſic reddunt: *Nec libertate donata*; *non detur ei*, ſcilicet libertas. VAPULABUNT AMBO. בקרת *bikkoreth*. Semel tantum hæc vox reperitur in Scriptura, quam quidam pro participio femineo, alii pro nomine ſubſtantivo capiunt: & mirum quam varie eius ſignificatum diſtrahant. Ponam loci varias interpretationes. I. *Vapulatio*, *verberatio*, *flagellatio erit*. Sic dicta *bikkereth* a בקר *bakar*, *bove*, quod ea flagellatio fieret ferula bovina, id eſt nervo, ſeu loro bubalico, aut flagello facto ex corio bovino. Sic Plautus in Sticho: *Monumentis vos commonefaciam bubulis*. II. *Flagelum erit*, ſeu ſcutica, quæ ex corio bovis fit. Italice, *ſcoriata*, eleganti Hebraiſmo, pro flagellis vapulent: Hiſpanice, *ande el açote*. III. *Animadverſio erit*, id eſt punientur. IV. Quidam Hebræorum putant in *bikkoreth* Beth eſſe loco Phe, quod ſint litteræ eiuſdem exitus, & labiales: & הפקר *hephker* eſt *dimiſſio* in lingua Rabbinica: & Rabbinis *rephker* dicitur *lupanar*, quod liberum & expoſitum ſit omnibus. Et בקר *beker* Chaldaice, & Rabbinice eſt *dimittere*, *liberare*: & הבקר *hebker*, *dimiſſio*, *libertas*. Unde hic exponunt: *Dimiſſio*, *libertas erit*; id eſt, libera eſt, cuivis eam ducere volenti expoſita eſt. V. *Inquiſitio*, *inſpectio*, *viſitatio erit*, a verbo בקר *bikker* in Pihel, *inquirere*; ac ſi dicat, diligens & accurata inquiſitio cauſæ fiat, & exacta examinatio. VI. *Diſcreatio erit*; id eſt, diſcernetur cauſa apud iudices, ut ſciatur qua ſit pœna mulctandus: unde LXX. verterunt: *Conſideratio erit illis*. VII. *Verberata*, *flagellata erit*, nempe mulier. Hebræorum plerique, mulierem tantum, non virum flagellandum eſſe inde colligunt, quod verbum *erit*, Hebraice eſt femineum: inepto argumento, cum poſſit ſuppoſitum verbi *erit* eſſe *flagellatio*, nempe *flagellatio erit utrique*: quod Noſter intellexit. VIII. *Inquiſita erit*; id eſt, arbitrio ſacerdotis punietur. QUIA NON FUIT LIBERA. Nam de libera lex eſt Exod. XXII. verſ. 16.

V. 23. AUFERETIS PRAEPUTIA EORUM. וערלתם ערלתו את פריו *vaghararta*

raltbem, *gharelatho*, *eth pirio*. Gemino ſenſu contrario hæc verba accipiunt, & varie locum vertunt. Primo, ſenſu poſitivo. I. *Et obturabitis*, *præputiabitis*, *obturationem*, *præputium eius*, *fructum eius*; id eſt, arborem ipſam obturatam, & præputiatam habebitis, relinquetis in ea fructus eius, tamquam præputia; arborem ipſam immundam & impuram, & fructus eius pollutos & abominabiles cenſebitis, æſtimabitis: ſicut præputium obturans membrum virile vobis impurum & immundum habetur. Non decerperis, aut colligetis fructus arboris ad eſum; ſed eos tamquam immunda præputia in arbore relinquetis, ut iis arborquaſi præputiata, vobis immunda ſit. Unde quidam vertunt: *Dimittetis præputium cuiuslibet una cum fructu eius*. Alii: *fructus earum ac ſi præputium haberent*, *cenſebitis*. Hunc ſenſum ſequuntur Rabbi Selomoh, Munſterus, Clarius, Leo Iudas, Avenarius, Oleaſtrius, Buxtorfius: quem ſequens clauſula Hebraica confirmat. II. *Et claudetis clauſuram*; id eſt, corticem arboris claudetis, & operietis, ſeu ſervabitis, ut natura vacet augmento arboris, & non luxuriet in inania & infructuoſa virgulta. Secundo, ſenſu privativo: *Et depreputiabitis præputium eius*, *fructum eius*; id eſt, præputium & luxuriam arborum excutietis, vel abſcinderis. Volunt enim, legem iubere ut groſſos quos arbores luxuriantes protrudunt, tribus annis excutiant, nec creſcere ſinant fructus; quaſi dicat: Auferetis præputium eius, fructusceu impuros decutietis. Quidam exiſtimant, legem præcipere ut flores, & horum folliculi trium primorum annorum excutiantur, decerpantur, & abiiciantur tamquam immunda præputia, nec ſinantur fructus creſcere. Hunc ſenſum amplexi ſunt LXX. & Chaldæi Interpretes, Noſter, Sanctes, Forſterus, Vatablus, Mercerus, Tremellius, Iunius, Marinus, Schindlerus. Unde hic quidam vertunt: *Et circumcidetis præputium eius*, *fructum eius*. Tremellius & Iunius: *Putando putate*, vel *omnino putabitis præputium eius*: inepte, & falſo, cum nulla verbi geminatio ſit Hebraice. Illud, *præputium eius*, *fructum eius*, quidam appoſitive, ſeu expoſitive accipiunt, *Præputium eius*, id eſt *fructum eius*, vel *quod eſt fructus eius*: quaſi fructus trium primorum annorum reputentur tamquam præputia impura, & abiicienda, velut hominis præputium. Impuri autem & immundi dicuntur eiuſmodi fructus, quia his veſci licitum non erat, ut ſtatim dicit. Alii ſubaudiunt coniunctionem &: nempe erit vobis arbor immunda, tamquam ſi præputium haberet; & immundi erunt etiam fructus eius, tamquam præputiati. Quidam reddunt, *Præputium eius*; *præputium fructus eius*. Nec deſunt qui vocem *fructus* ſequentibus annectant: *Fructus eius tribus annis erit vobis*, &c. ſed repugnat accentus *Athanach* voci *fructus* appoſitus. IMMUNDA ERUNT VOBIS. Hebr. *Erit vobis præputiati*, incircumciſi; vel ſingulæ arbores *erunt vobis præputiatæ*. ערלים *gharelim* quidam collective accipiunt pro *præputio*, *præputiatu*, ſicut בתולים *bethbulim*, *virginitas*, & נעורים *neghurim*, *iuventus*: *Erit vobis præputium*, *præputiatura*, *præputiatio*, *præputiatus*.

V. 24. SANCTIFICABITUR LAUDABILIS DOMINO. Hebr. *Sanctitas laudum Domino*; id eſt, conſecrabitur Domino in laudem eius: vel *ſancta res laudationum Iehovæ*; id eſt, Deo offeruntur in ſignum gratiarum actionis.

V. 26. NON AUGURABIMINI תנחשו *tenachaſchu*, quia Hebræis ſerpens dicitur נחש *nachaſch*, quidam reddunt, *Non ſerpentiabitis*, aut *ſerpentabitis*: & putant ſuperſtitionem aliquam per ſerpentes prohiberi, nobis incognitam. Forſan incantationem ſerpentum intelligit. Vide Notas Geneſ. III. verſ. 1. & Cæſarem Bulengerum Lib. II. adverſus magos, cap. LIII. Et quia *nachaſch* æs quoque ſignificat, poſſit hic intelligi lecanomantia, quam Plinius Lib. XXX. cap. II. *divinationem ex pelvibus* appellat: de qua plura Bulengerus Lib. III. de divinationis ratione cap. V. vel axinomantia, *divinatio ex ſecuribus*, cuius meminit Plinius eod. loco, & Lib. XXXVI. cap. XIX. Nonnulli hic vertunt, *Non ominabimini*: alii, *Non curioſe obſervabitis*: nonnulli, *Ne utimini coniectationibus*: aliqui, *Ne magicam exerceatis*. NEC OBSERVABITIS SOMNIA. עונן *ghonen*, in Pohel varie elucidant. I. ab עין *ghaiin*, *oculus*, quaſi *oculare*, *oculis obſervare*: voluntque eſſe obſervare horas, dies, menſes, annos, & tempora negotiis agendis idonea, & opportuna, ut fa-

faciunt, mathematici, aſtrologi iudiciarii, genethliaci, de quibus Paulus ad Galatas IV. verſ. 10. *Dies obſervatis, & menſes, & tempora, & annos*. Curioſi enim aſtrologi ſunt, qui ex aſtrorum diſpoſitione & operatione certos dies, horas, & tempora bonorum vel malorum, triſtium aut lætorum, proſperorum vel adverſorum conſtituunt. II. Ut ſit *tenere, ac preſtringere oculos*, ut falſum pro vero videant: unde hic reddunt, *Non præſtigiabimini*, aut *præſtigias exercebitis*; vel *non utemini præſtigiis*. III. Deducunt ab עונה *ghonah*, quam vocem *tempus*, vel *horam* interpretantur, de qua diximus Exod. XII. verſ. 10. quare hic convertunt: *Non temporabitis*, vel *non obſervabitis tempora*, aut *non horoſcopabitis*; vel *nec tempus obſervationi plus æquo tribuite*. IV. Derivant ab ענן *ghanan, nubes*; ut ſit, ex inſpectione, aſpectu, contemplatione cæli, aut nubium, earumque colore, & motu hariolari, coniectare, futura prædicere: redduntque, *Neque ex nubibus conicite*. Alii: *Et non obnubilabitis, obnubetis, nubem obducetis*; id eſt, ne præſtigiis utamini ad obnubilandum oculos intuentium. V. Remotius quidam acerſunt a *ghanan, reſpondere*: *Et non quæretis reſponſa*; id eſt, non conſuletis oracula deorum, nec ab iis reſponſa petetis. Forſan *oculare*, id eſt aſpectu oculorum nocere, id eſt *faſcinare*.

V. 27. NEQUE IN ROTUNDUM ATTONDEBITIS COMAM. Hebræa hic plurifariam exprimunt. I. *Non facietis gyrare angulum capitis veſtri*. Quidam putant prohiberi hic ſuperſtitionem ſectorum, quæ gyrabant capita celebrantium ſacra deorum: coronati enim circulo hederæ, ſacra Bacchi celebrant gyrantes, II. Machab. VI 7. II. *Non gyrabitis, circumdabitis*; id eſt, non in gyrum aut in rotundum ſeu in orbem aut in circuitu attondebitis angulum. ſeu comam capitis veſtri. Hebræi intelligunt de æquatione capillorum ad tempora poſt aurem, & ad frontem quæ novacula fit, aut forcipe: ut anguli capitis, id eſt tempora, non ſint ſic tondenda poſt aures, ut eorum raſura, ſeu tonſio fronti æquetur, & caput hemiſpheræ habeat figuram: qua ratione tondentur apud nos religioſi converſi, ut tonſura referat formam caſſidis. III. *Non circumcidetis* pilos ad *latus capitis veſtri*. Exiſtimant prohiberi hic immoderatum luctum, quo gentes in funeribus deradebant capita. Vide de eo more Hadrianum Iunium Commentario de Coma cap. V. Hanc expoſitionem confirmari volunt e cap. XXI. verſ. 5. IV. *Non decidetis, circumcidetis angulum capitis veſtri*: quidam *latus, plagam, extremitatem capitis veſtri*: nonnulli *regionem, alam, comam capitis veſtri*. Forſan interdicit ne capita radant ad cutem uſque more AEgyptiorum, de quibus Herodotus Lib. XI. num. 36. *Deorum ſacerdotes alibi comati ſunt; in AEgypto deraſi*: & Lib. III. cap. XII. *AEgyptii ſtatim a pueris radere capita incipiunt, & os capitis ad ſolem redditur compactum; quæ eadem cauſa eſt non calveſcendi: nam ex omnibus hominibus pauciſſimos quis AEgyptios calvos videat*. V. LXX. Interpretes: *Non facietis ſiſoem ex coma capitis veſtri*. De *Siſoe* vide hic Explanatores, & Notas Romanas ad LXX. editionem: *cirrum, cincinnum, plexum*, interpretantur. Fortaſſe innuit *cirrum* illum quem Turcæ & Saraceni in vertice capitis relinquunt, deraſo reliquo capite; quemque interdum circum caput gyrant & circumvolvunt. Quidam hunc locum conferunt cum illo Ieremiæ IX. verſ. 26. *Et ſuper omnes præciſos, præſectos, extrematos angulo*: de quo ibidem dicemus. NEC RADETIS BARBAM. Hebr. *Et non corrumpes, deſtrues, perdes*, ſcilicet funditus, & ad imum *angulum barbæ tuæ*. Nonnulli ſic exponunt, ut prohibeatur totalis raſio angulorum barbæ; & appellari angulos barbæ ſupremas partes barbæ, quæ iunguntur temporibus; vetarique hic ſuperſtitionem aliquam: nam uſque hodie Hebræi piloſos ſervant hos angulos, quamvis reliquum barbæ radant. Quidam Hebræorum angulos barbæ intelligunt genam ſuperiorem, & inferiorem, in dextro & ſiniſtro latere; & finem barbæ ipſum mentum; quaſi dicat: Ne pilos tollas a genis. & in ſolo mento nutrias. Alii duos angulos barbæ accipiunt duas extremitates utriuſque labii vel rictus: ut interdicat Deus myſtacem demoliri aut diſſipari. Aliqui reddunt: *Neque diſſipabis extremitatem barbæ tuæ*, id eſt mentum: quaſi Deus nollet Iudæos mentum radere, quod barba deceat viros.

V. 28. ET SUPER MORTUO NON INCIDETIS CARNEM VESTRAM.

Heb.

Hebr. *Et conciſionem*, *inciſionem*, *cæſuram*, *lacerationem animæ*, ſeu *pro anima*, *non dabitis in carne veſtra*. Animam hic plerique pro *mortuo* accipiunt metonymice; vel pro *corpore exanimi*, ſeu *cadavere*, catechreſtice; vel pro *anima*, ſeu vita exciſa, & extincta. Alii pro funere, ſeu officio ſolemni, quod in honorem animæ defuncti fiebat, metonymice; vel pro anima revera, quia id prodeſſe animæ a corpore abeunti credebant, uti ſtatim ex Servio notabimus. Vide infra cap. XXI. ver. I. Interdicitur hic mos Gentium in funeribus corpus incidentium & lacerantium: quem morem ſequentia illuſtrant. Herodotus Lib. IV. num. 71. de Scythis in funere Regum: *Scythæ auris partem amputant*, *crinem circumtondent*, *brachia circumcidunt*, *frontem naſumque conſauciant*, *ſiniſtram manum ſagittis traiiciunt*. De barbarorum in morte ſuorum luctu Plutarchus in conſolatione ad Apollonium: *Quidam vero barbarorum etiam corpora ſua naribus*, *auribus*, *aliiſve partibus amputandis fœdant*, *gratificari ſe aliquo defunctis putantes*. Servius in III. AEneidos: *Varro quoque dicit*, *mulieres in exequiis & luctu ideo ſolitas ora lacerare*, *ut ſanguine oſtenſo inferis ſatisfaciant*. In Legibus Duodecim Tabularum, de Funere, apud Ciceronem Lib. XI. de Legibus: *Mulieres genas ne radunto*, *neve leſſum funeris ergo habento*. Vox *leſſum*, vel *læſum*, quam nec veteres nec Cicero intellexerunt, fortaſſe indicet cæſuram, ſeu inciſionem, aut læſionem genarum. Plautus in Truculento *leſum facere* dixit. Ea ipſa lex priſca ſcribendi ratione apud Fulvinum Urſinum ita incipitur: *Molieres faciem nei carpento*, *neive cenas radunto*, *neve leſom foneris ergo habento*. Vide Deuter. XIV. I. AUT STIGMATA FACIETIS VOBIS. De generibus ſtigmatiarum diximus abunde in Antichriſto Lib. IX. cap. XXXI. Quaſdam gentes nobilitatis inſigne notas quaſdam & ſtigmata faciebus, ſeu corporibus inuſſiſſe conſtat. De Thracibus Herodotus Lib. V. num 6. *Punctas notis eſſe frontes*, *nobile iudicatur*; *non eſſe notas punctis*, *ignobile*. Divus Chryſoſtomus oratione 14. quæ eſt de ſervitute: *Quid? fuiſtine umquam in Thracia? Equidem fui. Vidiſti igitur illic mulieres liberas ſtigmatum plenas*, *& tanto plura habentes*, *magiſque varia ſtigmata*, *quanto honeſtiores*, *& honeſtioribus natæ?* Plinius Lib. XXII. cap. I. *Mareſque etiam apud Dacos & Sarmatas corpora ſua inſcribunt*. De Gelonis Scythiæ populis Claudianus Lib. I. in Rufinum:

> *Membraque qui ferro audet pinxiſſe Gelonus*.

Et Virgilius II. Georgicorum.

> *Eoaſque domus Arabum*, *pictoſque Gelonos*.

Ubi Servius: *Pictos*, *id eſt ſtigmata habentes*. Mauros Africanos, & Indos novi orbis facies, & corpora ſtigmatis compungere ſolitos, nemo neſcit: & AEthiopes Abyſſinos notas indelebiles frontibus imprimere ſolitos, auctor Franciſcus Alvareſius, de Rebus AEthiopicis cap. XXII. Sacerdotes quoque, vel cultores deorum apud Gentes notis & ſtigmatis ſe fulcaſſe, ſcribit Aurelius Prudentius, Periſtephanon, Hymno XIV. verſ. 1076.

> *Quid? Cum ſacrandus accipit ſphragitidas?*
> *Acus minutas ingerunt fornacibus*,
> *His membra pergunt urere*, *ut igniverint*,
> *Quamcumque partem corporis fervens nota*
> *Stigmaverit*, *hanc ſic conſecratam prædicant*.

Lucianus de cultoribus Deæ Syriæ: *Certis autem notis compunguntur omnes*, *alii quidem in vola manus*, *alii autem in cervice*: *& inde eſt*, *quod cuncti Aſſyrii notas inuſtas habent*. Hic locus mirifice hunc Levitici illuſtrat.

V. 29. NE PROSTITUAS FILIAM TUAM, &c. Quidam hoc verſu putant prohiberi lenocinium patris erga filiam; alii publica lupanaria interdici volunt: de qua re diſputant Theologi, & multi in ea ſunt ſententia, non eſſe permittenda. Nec deſunt qui hic agi de ſpirituali fornicatione, id eſt idololatria, exiſtiment: ut ne quis filiam ſuam falſum & idololatricum cultum edoceat, quo ipſa alios perdat, ut ſolent mulieres facile alios in vanos cultus inducere.

V. 31. AD MAGOS. אובות *oboth*, cuius ſingulare eſt אוב *ob*, aiunt vocem eſſe peregrinam; & quantum ex locis Scripturæ, & eorum circumſtantiis colligitur, in quibus ſcripta eſt, eſſe *ſpiritum in ſepulcris mortuorum*, *& locis ſubterraneis*, qui

Digitized by Google

qui ſciſcitatus, voce ſtridula reſponſa edit: deinde etiam *eiuſmodi ſciſcitatorem, qui talem artem exercet, atque etiam umbras & manes evocat*, iſto nomine dici, ſive vir ſit, ſive mulier. Græcos, & Latinos appellaſſe pythonem a ſciſcitando, quod de futuris, occultiſque, & ignotis conſulerentur. Et quia Iob XXXII. verſ. 19. *oboth*, *utres*, vel *lagunculas* ſignificat: *Sicut utres novi rumpetur*: ex iſto loco quidam non levi coniectura arbitrantur pythones ab utribus dictos, quod qui tali ſpiritu afflati eſſent, ore clauſo, ex ventre, perinde ac ſi ex utre, aut lagena, reſponſa ſeu oracula depromerent. Hinc Græci *Engaſtrimythos*, id eſt ventriloquos eſſe appellatos exiſtimant. Hebræi aiunt, *Ob* eſſe *ſpiritum, aut dæmonem, qui ex iuncturis, aut axillis loquitur*. Alii notant, *Ob* dici *ſpiritum malum*, qui replens virum, vel mulierem, turgidos eos, & tumentes tamquam utres redderet, & ex eis quaſi ex utre reſponſa daret. Suidas: *Engaſtrimythos, quaſi dicas ventriloquus; & engaſtrimantis, quaſi dicas ventrivates, id eſt qui dæmonem in ventre habet interroganti reſponſa dantem, quem quidam nunc pythonem vocant. Sophocles vero Sternomantim, quaſi dicas pectoreum vatem: vatem qui dæmonem in pectore habet vaticinantem. Plato vero philoſophus Euryclem vocat, a quodam Eurycle huiuſmodi vate. Ariſtophanes in veſpis: Imitatus Euryclis vaticinium, & mentem, in alienos ventres penetras ad comica multa verba profundendum. Philochorus vero in tertio de Vaticinio, quaſdam etiam mulieres ventriloquas fuiſſe tradit. Hæ defunctorum animas ex inferis evocabant. Una vero ipſarum uſus eſt Saulus, quæ Samuelis Prophetæ animam evocavit ad ſuperos*. Hæc Suidas. Huc ſpectat Pythia vates Delphici Oraculi, de qua tam multa Scriptores: ſeorſim Diodorus Siculus Lib. XVI. num. 523. 524. Strabo Lib. IX. Ariſtophanis in Pluto Scholiaſtes hæc annotat: *Pythia inſidens tripodi, & diducens femora, malum inferne ſpiritum, per verenda naturæ excipiebat, & capillo ſoluto ſpumam ex ore expuens, & furens, vaticinia, vel verius deliramenta effundebat*. Origenes Lib. VII. contra Celſum: *Memoriæ proditum eſt de Pythia, quod oraculum ceteris nobilius videtur, eam cum eſſet Apollinis interpres, & Caſtaliæ oſtium inſideret, ſpiritum per interfeminium accepiſſe, quo plena, oracula, quæ veneranda & divina illi autumant, effatur. Vide an non ex his impurum & profanum ingenium ſpiritus illius deprehendatur, qui non per tenues, & inaſpectabiles meatus, & longe puriores quam ſint feminarum loca, in animam fatidicæ ſe inſinuet; ſed per eos, quos ab homine temperanti & caſto videri nefas ſit, aut tangi, aut appellari*. S. Ioannes Chryſoſt. Hom. XXIX. in I. Epiſt. ad Corinthios: *Dicitur hæc Pythia, cum eſset mulier, inſediſſe aliquando tripodi Apollinis dividens tibias, deinde malus inferne emiſſus ſpiritus, & ſubiens per partes eius genitales, furore replere mulierem, & ea deinde ſolvere capillos, bacchari, & ſpumam ex ore emittere, & tamquam temulenta furoris verba effari*. Strabo Lib. IX. pag. 419. *Aiunt, Pythiæ nomen factum a percunctando, quod eſt* πύθεσθαι, *producta prima ſyllaba, quod in aliis factitatur vocabulis*. Noſter *pythones* reddere ſolet, de quibus haud ſemel incidet mentio: interdum *magos*. Et quia *oboth*, *lagenas* nonnulli in Iob interpretantur, forſan intelligit hic malos ſpiritus, quos magi in lagenis vitreis aut ampullis aſſervant, unde & reſponſa edunt. NEC AB ARIOLIS. ידענים *iiddeghonim* Noſter *hariolos*, aut *divinos* interpretari ſolet: alii *augures, aruſpices, futurorum preſcios vates*. Quidam notant *Iiddeghonim* vocem eſſe peregrinam, & a gentibus ſumptam, cuius ſi etymologiam conſideraveris, a notitia ſeu ſcientia appellationem habere, qui multa ſcit, aut novit, quaſi *multiſcium*, quem *gnoſtem*, ſeu *prognoſtem* transferre licebit. Nec deſunt qui *polinoſtem*; alii *ſciolum*; nonnulli *magum*. Poni autem aliquando pro ipſo *pravo ſpiritu, qui reſponſa dabat ſciſcitantibus*, ut Levitici XX. ver. 27. Interdum vero pro ipſo *viro*, vel *muliere reprobatam eam artem exercente*, ut I. Samuelis XXVIII. verſ. 9. & alibi, uti ſuis locis videbimus.

V. 35. IN IUDICIO. Quidam exponunt, *In munere, officio, ex lege præſcripto*; in functione publica. IN REGULA. מדה *middah* eſt ipſiſſimum Hiſpanicum *midа, medida*. Quidam aiunt eſſe proprie *menſuram continuorum*, ſeu *quantitatis continuæ*, ut agrorum, ſpatiorum, &c. Alii vo-

volunt eſſe menſuram magnam, ſeu maiorem. Hic reddunt, *in menſione*, *in dimenſione*, vel *in menſura magna*. IN MENSURA. משורה *meſchurah* ipſum eſt Hiſpanicum *menſura*: notant proprie eſſe *menſuram diſcretorum*, ſeu *quantitatis diſcretæ*, nimirum tam aridorum, quam liquidorum, ſeu diſcretorum; ut dudum dicebamus *middah* eſſe menſuram continuorum. Aliqui aiunt eſſe menſuram parvam, ut *middah* magnam.

MENOCHII.

Verſ. 2. SANCTI ESTOTE, mundi & puri ab omni immunditia carnis, & ſpiritus, ab omni peccato, noxaque legali.

V. 3. TIMEAT, revereatur.

V. 4. DEOS CONFLATILES: eſt ſynechdoche, nam conflatilium nomine omnia prohibet idola, ſive fuſilia, ſive ductilia, ſive ſculptilia.

V. 5. UT SIT PLACABILIS: ut ſit vobis placatus, & propitius.

V. 7. POST BIDUUM COMEDERIT EX EA, hoſtia pacifica. IMPIETATIS REUS: quia hanc ſacram cæremoniam a Deo ſancitam violavit.

V. 8. PERIBIT, ſententia iudicis, ſi res conſtet, alioqui Deo vindicante.

V. 9. NON TONDEBIS, &c. Hebr. *Non conſummabis metere angulum*, vel *extremitatem agri tui*; quaſi dicat: Non ſecabis omnes fruges, ſed dimittes aliquid in extremitate, vel angulo agri tui, ut pauperes illud colligere poſſint.

V. 10. NEQUE IN VINEA TUA RACEMOS, poſt vindemiam remanentes, CONGREGABIS. Heb. *Ne facias racemationem vindemiæ tuæ*. LXX. *Non revindemiabis vinetum tuum*.

V. 11. NON MENTIEMINI. Hebr. *Non negabitis*, ſcilicet veritatem in depoſito, credito, aliove quovis contractu, ac debito.

V. 12. IN NOMINE MEO, per nomen meum. NEC POLLUES NOMEN DEI TUI, quantum in te eſt: nam alioqui nomen Dei in ſe pollui nequit.

V. 13. NON MORABITUR OPUS MERCENARII, merces operis, APUD TE USQUE MANE; ſed eadem die ante noctem ei perſolves: quia operarii fere pauperes adeo ſunt ut in diem vivant.

V. 14. NON MALEDICES SURDO: quia hoc valde inhumanum eſt, ut ei qui ſe defendere nequit, iniuriam irroges.

V. 15. NON CONSIDERES, in iudicio, PERSONAM PAUPERIS, ut iniqua eius miſeratione commotus iudicium pervertas.

V. 16. CRIMINATOR, SUSURRO, in Heb. eſt una tantum vox רכיל *rachil*, id eſt *detractor*, *ſuſurro*. NON STABIS. LXX. *Non conſpirabis*. CONTRA SANGUINEM PROXIMI TUI, ut iniuſte eum occidentes iuves.

V. 17. SED PUBLICE ARGUE EUM. Ne odium ſoveas occultum; ſed ſi in aliquo læſus es, & ius tuum proſequi velis, palam per iudices cura ut tibi ſatisfiat. NE HABEAS SUPER ILLO PECCATUM, ei perniciem aliquam occulte machinando.

V. 18. NON QUAERAS ULTIONEM. Ne privata auctoritate iniuriam ulciſcaris; nec per iudicem libidine ultionis. NEC MEMOR ERIS INIURIAE. Chal. *Non ſervabitis inimicitias*. SICUT TEIPSUM. Vox *ſicut*, non æqualitatem, ſed ſimilitudinem ſignificat. EGO DOMINUS, qui ſcilicet idipſum, licet arduum, iure meo exigo, & præcipio.

V. 19. IUMENTUM TUUM, &c. Accipienda lex ut ſonat. Muli ergo quos Hebræi habuerunt, vel caſu geniti, vel aliunde adducti. Ita præceptum quia volebat Deus Hebræos ſanctiſſime iuxta naturam inſtitui; congreſſus autem animalium diverſæ ſpeciei eſt contra naturam. II. quia nolebat Deus animalium ſpecies confundi ac permiſceri. III. ne Hebræi talia curantes, & ſectantes congreſſum illum animalium, ſimilia diſcerent, & imitarentur. NON SERES DIVERSO SEMINE. Videtur voluiſſe Deus hac, & ſequenti lege, Hebræis commendare ſimplicitatem in victu, & veſtitu, omnique alia re. EX DUOBUS TEXTA, lana ſcilicet & lino.

V. 20. VAPULABUNT AMBO. Heb. *Vapulatio erit eis loris bubulis*.

V. 22. REPROPITIABITUR EI, ne eum puniat in hac vita: per gratiam et-

iam, & infuſionem caritatis, ſi vere contritus hoc ſacrificium obtulerit.

V. 23. AUFERETIS PRAEPUTIA EORUM. Præputia vocat primos trium annorum fructus. Voluit Deus hac cæremonia coli perinde ac puerorum circumciſione, congrue tamen ad arborum naturam: nam earum fructus primi magis aquoſi, & indigeſti, ideoque inſalubriores ſunt poſterioribus. POMA QUAE GERMINANT, quæ producunt, ſcilicet ipſæ arbores.

V. 24. OMNIS FRUCTUS SANCTIFICABITUR LAUDABILIS DOMINO. Quarto anno fructus conſecrabitur Domino in laudem eius, ut ſcilicet offeratur ſacerdotibus ſicut primitiæ & decimæ, & in eorum ius cedat: quarto ergo anno hoſce fructus comedere poterant ſacerdotes, non laici.

V. 26. NON AUGURABIMINI, non exercebitis Magiam, aut magicam divinationem.

V. 27. NEQUE IN ROTUNDUM ATTONDEBITIS COMAM. LXX. habent: *Non facietis σισόην (rotunditatem) ex coma veſtra*. Etiamnum aliquæ gentes totum caput tondent, aut radunt, particula dumtaxat intonſa relicta, vel in vertice, vel in ſincipite, ex qua cirrus capillorum exſtit. Illum aliqui vocant vernaculo vocabulo, *Laſi ſora*. Hic mos fuit vetuſtus, & a Gentilibus, AEgyptiis præſertim uſurpatus, ideoque a Domino Hebræis interdictus. NEC RADETIS BARBAM. Hebr. *Non deſtrues extremitatem barbæ tuæ*, quaſi dicat: Tondere permitto, radere uſque ad extremam cutem interdico. Ita præcepiſſe videtur Deus, ut barba appareret, quæ eſt virilitatis inſigne.

V. 28. NON INCIDETIS CARNEM VESTRAM. Mos hic erat Gentilium in funeribus, qui lanceolis, aut gladiolis brachia, aut alias corporis partes certis notis compungebant, & ſanguinem eliciebant in mortuorum honorem, & in mæroris argumentum. Vide Deut. XIV. 1. & V. Reg. XVIII. 28.

V. 30. SABBATA MEA CUSTODITE. Sabbatum hic quodlibet feſtum ſignificat. SANCTUARIUM MEUM METUITE: reveremini, nec accedentes immundi, nec curioſe ſcrutantes, nec illud ingredientes cum fas non eſt.

V. 31. AD MAGOS. Heb. *ad pythones* qui dæmonem habent familiarem, maxime ventriloquum, ex ventre ſcilicet quaſi ex utre confuſo ſono loquentem. NEC AB ARIOLIS, &c. Arioli proprie vocantur qui ex victimis immolatis divinant.

V. 32. ET TIME DOMINUM, præcipientem ut ſenes honore afficiantur.

V. 33. ADVENA, circumciſus, proſelytus factus.

V. 35. IN REGULA, qua ſcilicet menſuratis, qualis eſt ulna; quaſi dicat: Iuſta menſura utimini in menſurando.

V. 36. AEQUA SINT PONDERA. Hebr. *AEqui ſint lapides*: his enim olim pro ponderibus utebantur, unde Proverb. XVI. 11. hæc pondera vocantur *Lapides ſacculi*.

TIRINI.

Verſ. 19. AGRUM TUUM NON SERES DIVERSO SEMINE. In agro conſerendo, in veſte conſuenda, & in iumentis committendis, non vult Deus commiſceri quæ diverſæ ſint ſpeciei.

Litteraliter ad deteſtandam omnem avaritiam, ex nimis crudeli plurium ſimul fructuum exactione; petulantiam, ex inſolito veſtium apparatu; ſpurciciem, ex adſpectu violenti coitus animantium. Ita Philo, Ioſephus, S. Thomas *a*. Moraliter ut doceat, cum una & ſincera fidei doctrina aliam hæreticam aut erroneam non eſſe admittendam, crudelitatem, & omne genus tyrannidis erga ſubditos & ſervos fugiendum, non ferendas diſcordias, tollendam omnem duplicitatem, nullam ineundam familiaritatem cum diſſimilibus hominum ingeniis, maxime qui nobis nocere poſſint. Ita Cyrillus, Oleaſter, Caietanus.

Petes: Unde ergo Iudæis muli & mulæ, quarum tanta apud ipſos copia? Reſpondeo primo: Poterant ex aliis regionibus importari: nam ut equi, ſic etiam muli ad nundinas devehebantur, ut conſtat ex V. Reg. X. verſ. 28. & Ezechielis XXVII. verſ. 14. Reſpondeo ſecundo: Poterant non ex vario aſinorum & equarum concubitu, ſed

ex

ex ſuimet generis animantibus naſci: nam mulas parere, maxime in Syria Iudææ vicina, itemque in Cappadocia, vulgo notiſſimum eſt, & docet Ariſtoteles, Plinius, Forſterus, Conradus Kircherus, Pineda, Sanctius, & alii *b*.

V. 23. AUFERETIS PRAEPUTIA arborum. Hebraice: *Depræputiabitis præputium eius, fructum eius*. Ergo metaphoricum præputium arboris nihil eſt aliud, quam trium primorum annorum fructus præcoces, ſi quos forte arbor proferebat, qui revellendi erant ab arbore, & velut profanum atque immundum corporis præputium abiiciendi. Ita LXX. Chaldæus, & Ioſephus *c*: & patet ex hic ſequentibus eodem verſu. *Proderat*, inquit Philo *d*, *ea res ipſis arbuſculis: proderat & hominibus, quibus ii fructus, utpote nimis aquoſi, & indigeſti, ſalubres eſſe non ſolent. Et Deo, cui primitiæ fructuum debentur, non decebat offerri quod intempeſtivum atque imperfectum adhuc eſſet.*

Verſ. 24. QUARTO AUTEM ANNO OMNIS FRUCTUS SANCTIFICABITUR... DOMINO. Id eſt, ut idem Ioſephus explicat, debebat in ſanctam civitatem deferri, & poſtquam oblatus eſſet Deo cum decimis aliorum fructuum, debebat in epulum dari eum orphanis, & viduis, ſed cui etiam amici poterant adhiberi. Pro quo nota, præter primitias quæ ſacerdotibus dabantur, & vulgatas decimas quæ levitis, & decimas decimarum quas levitæ dabant ſacerdotibus, fuiſſe ulterius alias duplicis generis decimas Iudæis præſcriptas. Unum genus fuit etiam annuarum decimarum, cuius mentio fit Deut. XII. verſ. 12. & 17. & cap. XIV. verſ. 22. Et ex his epulum ſacrum Ieroſolymis *e* fiebat, cui adhibendi erant levitæ, & orphani, & viduæ, ſed poterant inſuper adhiberi etiam domeſtici, & amici. Et his decimis accenſebantur hæ fructuum primitiæ, de quibus iam dixi. Alterum erat genus decimarum, quod tertio quoque anno iuxta decreta Deut. cap. XIV. verſ. 28. & cap. XXVI. verſ. 12. & Tobiæ I. verſ. 7. ſeparabatur, ſed in uſum & epulas ſolorum pauperum, viduarum, orphanorum, & advenarum indigentium, itemque levitarum: unde & pauperum decimas vocat S. Hieronymus. Et hæ non Ieroſolymis, ut illæ priores, ſed in propria cuiuſque urbe ſeponebantur *f* & abſumebantur.

V. 27. NEQUE IN ROTUNDUM ATTONDEBITIS COMAM, more Gentilium (Ieremiæ IX. verſ. ult.) vos ipſos hoc ritu idolis devoventes; vel ſaltem vana ſuperſtitione formantes & alentes cincinnos, ſuo tempore detondendos, & idolis offerendos, ut adoleſcentuli excedentes ex ephebis ſolebant detonſæ comæ primitias Apollini conſecrandas Delphos mittere, teſte Plutarcho *g*; vel diis fluminibus, vel deabus Horis, vel AEſculapio, vel Syriæ Deæ, vel aliis, teſte Homero, Luciano, Martiali, Papinio *h*. Et Feſtus Pompeius ſcribit, etiam Romæ capillarem arborem fuiſſe, ſic appellatam quod ex ea iuvenes detonſum ſibi capillum deo conſecratum ſuſpenderent. Neque vero capitis comam tantum, ſed & barbam, ac maxime primam barbæ lanuginem, diis conſecrabant, teſtibus iam dictis, atque inſuper Svetonio, Petronio *i*, & aliis. Quo ſenſu etiam hic vetat Deus Iudæis ne barbam radant, utique ex ſimili ſuperſtitione, & more Ethnicorum: ut ſic nulla pateret illis ad idololatriam feneſtra. Nam uti in præcedenti verſ. & ſequenti, ita etiam hoc intermedio totus eſt in prohibendis ſuperſtitioſis Gentilium ritibus. Ita Theodoretus, Scoliaſtes, Eugubinus, Gloſſa ordinaria, & fere Lyranus, Abulenſis, Vatablus, Caietanus, & Emmanuel Sa.

Nota, peculiari inſuper præcepto vetuiſſe Deum ſacerdotibus Aaronicis in luctu funebri radere caput, aut barbam: Levit. X. verſ. 6. & cap. XXI. verſ. 5. Idque, quia id ſapiebat immodicum animi affectum, qui a ſacerdote præcone & exemplo patientiæ, debet eſſe remotiſſimus; & quia volebat Deus ſacerdotes ſuos a profanis illis Gentilium ſacerdotum ritibus prorſus abſtinere. Alioqui licuiſſe ceteris Iudæis, laicis etiam, in luctu funebri abradere pilos omnes & capitis, & barbæ, & reliqui corporis totius, ex Scriptura *k* paſſim conſtat: neque niſi ex ſuperſtitione *l* vetabatur, ut iam dixi. Quare nihil hinc eruere hæretici poſſunt contra clericorum aut monachorum tonſuram, quam pie ſuſcipiunt in unius veri Dei honorem, exemplo Chriſti ſpinis coronati, & principis Apoſtolorum ſic in vertice abraſi ſoliti, in ſpeciem regalis ſa-

cer-

Digitized by Google

cerdotii novi teſtamenti. Vide Radulphum, & alios.

(a) Philo Lib. de Creatione principis. Ioſeph. Lib. IV. Antiqu. cap. VIII. S. Thom. I. II. q. CII. art. 6. ad 8.
(b) Ariſtot. Lib. I. Hiſt. animal. cap. VI. & Lib. VI. cap. XXIV. & cap. XXXVI. Plin. Lib. VIII. cap. XLIV. ex Theophraſt. Forſter. in Dictionario Kircher. in Concordantia. Pineda in Salom. prævio Lib. II. cap. V. Sanctius in II. Reg. XVIII. verſ. 9.
(c) Ioſeph Lib. IV. Antiq. cap. VIII.
(d) Philo ſup.
(e) Deut. XII. verſ. 28.
(f) Deut. XIV. verſ. 28.
(g) Plutarc. in Theſeo.
(h) Hom. Iliad. in Achille. Lucian. in Dea Syria. Mart. Lib. I. epigrammat. & Lib. IX. epigr. XVII. & XVIII. Papin. in Silvis.
(i) Svetonius in Nerone cap. XII. Petronius de Trimalcione.
(k) Levit. XIV. verſ. 8. 9. Numer. VIII. verſ. 7. Ierem. XLI. verſ. 5. I. Eſdræ IX. verſ. 3.
(l) Deut. XIV. verſ. 1. Baruch VI. verſ. 30. & Ezech. XLIV.

GORDONI.

Verſ. 4. AD IDOLA. Hebr. אלילים *elilim* inutilia & vana deſignat.

V. 5. SI IMMOLAVERIS. Agitur de victima pacifica cap. VII. Ea duplex erat. Hic tantum de illa quæ eſt ad aliquid impetrandum: nam quæ eſt pro agendis gratiis, comeditur eodem die.

V. 7. PROFANUS ERIT, id eſt non placebit.

V. 9. Hic, & per aliquot inſequentes verſiculos, commendat miſericordiam, & benignitatem in pauperes, dum non vult Deus omnia ad noviſſimum reſervari. Hinc illa etiam de mendacio, calumnia, mercede illius qui locat operam ſuam, & ſimilibus: denique verſ. 14. de non danda afflictione afflicto.

V. 18. Prohibetur hic ultio, ſcilicet propria & privata auctoritate. Sed quid eſt illud præceptum de diligendo amico; idque SICUT TEIPSUM DILIGES? Docent Theologi in explicando ordine caritatis, *τὸ ſicut* non deſignare æqualitatem, ſed in quadam ſimilitudine ordinem, ita ut eadem deſideres proximo, licet non eodem ordine. At quis amicus? Iudæi tempore Chriſti excludebant inimicos; ſed Chriſtus Matth. V. falſam interpretationem phariſæorum damnans, docuit etiam inimicos diligendos.

V. 19. IUMENTA, &c. Caietanus vult per hæc ſymbolice intelligi vitandas eſſe novitates, ſchiſmata, & pugnantia in rebus de religione. Sit ita; ſed non videtur recte aſſerere, hunc ſenſum ſymbolicum eſſe litteralem, ac primario intentum. Ille potius litteralis eſt quem voces hic ſine tropo deſignant; allegoricus eſt de vitanda confuſione. Reſtat illud de agro. Certe idem ager fert alicubi vitem & fruges, immo & arbores, ubi maritantur vitibus ulmi, ut ait Poeta. Sed forte lex iſta habet, ne promiſcue permiſceantur: quidquid ſit, habet etiam lex ſuum ſenſum allegoricum. Nec hinc abeſt prohibitio veſtis ex lana & lino contextæ, quod explicatur Deuteron. XXII. verſ. 11. Excipiuntur veſtes pontificis, quæ varietatem habebant.

V. 20. NOBILIS. Belle hic *nubilem* reſtituerunt Sixtiana Biblia, non autem nobilem. Hinc Heb. *deſponſata viro*. Septuag. *διαπεφυλαγμένη*, *aſſervata viro*. Conditio ſervitutis ancillæ hic minuit ſupplicium: alioqui talis fornicatio cum libera plectitur morte, Deuter. XXII. verſ. 23.

V. 23. Fructus arboris qui tribus primis annis naſcuntur, abiiciendi tamquam immundi: fructus quarti anni ſunt Deo conſecrandi. PRAEPUTIA iam hic vocantur trium primorum annorum fructus, nempe amputandi, tamquam immundi. Adverte has cæremonias, & pleraſque alias inſtitutas a Deo, tum ad avertendum populum a ritu gentilium, tum ob ſenſum moralem, aut etiam typicum futurorum: ערל *hharal*, *præputium auferre*, *ἀκροβυστία præputium*.

V. 24. QUARTO AUTEM ANNO OMNIS FRUCTUS EORUM SANCTIFICABITUR. An ſacerdotibus nomine primitiarum, an levitis nomine decimarum, non ſatis conſtat; tamen Ioſephus Lib. IV. Antiq. cap. VIII. ſcribit dandos amicis, orphanis, & viduis.

V. 26. & 27. Prohibet hic auguria, & omnem ſuperſtitioſam divinationem. Sept. habent οἰωνιεῖσθε. Vide Geneſ. cap. XLIV. verſ. 5. & 15. & Delrio Lib. IV. diſquiſit. Magic. cap. III. Somniorum etiam obſervatio eſt ſuperſtitioſa, quando non ſunt ex revelatione. Quod eſt verſ. 27. NEQUE ATTONDEBITIS COMAM, variam habet interpretationem. Quidam hoc referunt ad ve-

ti-

titos criſpos crines (quod delicatulorum eſt) aut calamiſtratos. Rectius forte ad vitandum quemdam ſuperſtitionis modum in nutrienda coma. Ita Caietanus, Sa, Vatablus, Abulenſis, Lyranus, & alii. Ergo nihil habent Novatores contra tonſuram clericorum, ubi nec mollities, nec ſuperſtitio eſt; ſed refert vel Chriſti ſpineam coronam, vel regale ſacerdotium, vel ſpecialem dedicationem perſonæ ad Dei cultum, ut olim in Nazaræis. Ex his etiam facile concluditur vetari ſimiliter in barba ſuperſtitionem: de qua lege Hadrianum Iunium de coma, cap. v. & Homerum Iliad. ψ de funere Patrocli.

V. 28. Et super mortuo non incidetis carnem. Ethnicorum hæc conſuetudo erat, qui gladiolis ſe incidebant. Lege Herodotum Lib. IV. ubi de Scythis. Crudelitatem hoc referebat: unde etiam vetantur inuſta ſtigmata. *Super mortuo*, id eſt propter mortuum.

V. 33. & 35. Per advenam hic intelligε proſelytum ex Septuaginta: Hebr. vocatur גר *ger*. Regula vero recte intelligitur menſura in dimenſione agrorum, vel panni. De alienigena, cap. xxii.

V. 36. Menſuræ apud Iudæos olim fuere Ephi, Hin, Modius, & Sextarius; de quibus alibi. Vide Exod. xvi. Menſuræ Hebraicæ, Græcæ, & Latinæ non ſatis ſibi reſpondent, ac proinde in expreſſione poteſt diverſitas aliqua contingere.

Ex Eiusdem Auctario.

V. 13. Non morabitur opus mercenarii. Merces operis perſolvatur eodem die.

V. 14. Surdo. Iniuria eſt in eum qui ſe tueri non poteſt.

V. 17. Non habeas, &c. Argue, ſi opus eſt, coram iudice: non hæreas in odio oculto, ne hoc te impellat ad occultam fratris perniciem, & ſic habeas ſuper eo peccatum.

CAPUT XX.

Morte plectendi ſunt qui de ſemine ſuo Moloch offerunt, qui magos aut ariolos conſulunt, qui parentibus maledicunt, qui varios exercent coitus illicitos.

1 LOcutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens: 2. Hæc loqueris fi-
liis Iſrael: Homo de filiis Iſrael, & de advenis qui habitant
in Iſrael, (*a*) ſi quis dederit de ſemine ſuo idolo Moloch,
morte moriatur: populus terræ lapidabit eum. 3. Et ego
ponam faciem meam contra illum: ſuccidamque eum de me-
dio populi ſui, eo quod dederit de ſemine ſuo Moloch, &
contaminaverit ſanctuarium meum, ac polluerit nomen ſan-
ctum meum. 4. Quod ſi negligens populus terræ, & quaſi
parvipendens imperium meum, dimiſerit hominem qui dedit de ſemine ſuo Mo-
loch, nec voluerit eum occidere: 5. ponam faciem meam ſuper hominem il-
lum, & ſuper cognationem eius, ſuccidamque & ipſum, & omnes qui conſen-
ſerunt ei † ut fornicaretur cum Moloch, de medio populi ſui. 6. Anima, quæ
declinaverit ad magos & ariolos, & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem
meam contra eam, & interficiam illam de medio populi ſui. 7. (*b*) Sanctifica-
mini & eſtote ſancti, * quia ego ſum Dominus Deus veſter. 8. Cuſtodite præ-
cepta mea & facite ea. Ego Dominus qui ſanctifico vos. 9. (*c*) Qui maledixe-
rit patri ſuo, aut matri, morte moriatur: * patri, matrique maledixit, ſanguis
eius

Digitized by Google

eius ſit ſuper eum. 10. (*d*) Si mœchatus quis fuerit cum uxore alterius, & adulterium perpetraverit cum coniuge proximi ſui, morte moriantur & mœchus & adultera. 11. Qui dormierit cum noverca ſua, & revelaverit ignominiam patris ſui, morte moriantur ambo: ſanguis eorum ſit ſuper eos. 12. Si quis dormierit cum nuru ſua, uterque moriatur, quia ſcelus operati ſunt: ſanguis eorum ſit ſuper eos. 13. Qui dormierit cum maſculo coitu femineo, uterque operatus eſt nefas, morte moriantur: ſit ſanguis eorum ſuper eos. 14. Qui ſupra uxorem filiam, duxerit matrem eius, ſcelus operatus eſt: vivus ardebit cum eis, nec permanebit tantum nefas in medio veſtri. 15. Qui cum iumento & pecore coierit, morte moriatur: pecus quoque occidite. 16. (*e*) Mulier quæ ſuccubuerit cuilibet iumento, ſimul interficietur cum eo: ſanguis eorum ſit ſuper eos. 17. Qui acceperit ſororem ſuam, filiam patris ſui, vel filiam matris ſuæ, & viderit turpitudinem eius, illaque conſpexerit fratris ignominiam: nefariam rem operati ſunt: occidentur in conſpectu populi ſui, eo quod turpitudinem ſuam mutuo revelaverint, & portabunt iniquitatem ſuam. 18. Qui coierit cum muliere in fluxu menſtruo, & revelaverit turpitudinem eius, ipſaque aperuerit fontem ſanguinis ſui, interficientur ambo de medio populi ſui. 19. Turpitudinem materteræ & amitæ tuæ non diſcooperies: qui hoc fecerit, ignominiam carnis ſuæ nudavit, portabunt ambo iniquitatem ſuam. 20. Qui coierit cum uxore patrui, vel avunculi ſui, & revelaverit ignominiam cognationis ſuæ, portabunt ambo peccatum ſuum abſque liberis morientur. 21. Qui duxerit uxorem fratris ſui, rem facit illicitam, turpitudinem fratris ſui revelavit: abſque liberis erunt. 22. Cuſtodite leges meas, atque iudicia, & facite ea: ne & vos evomat terra, quam intraturi eſtis & habitaturi. 23. Nolite ambulare in legitimis nationum, quas ego expulſurus ſum ante vos. Omnia enim hæc fecerunt, & abominatus ſum eas. 24. Vobis autem loquor: Poſſidete terram eorum, quam dabo vobis in hereditatem, terram fluentem lacte & melle. Ego Dominus Deus veſter, qui ſeparavi vos a ceteris populis. 25. Separate ergo & vos iumentum mundum ab immundo, & avem mundam ab immunda: ne polluatis animas veſtras in pecore, & avibus, & cunctis quæ moventur in terra, & quæ vobis oſtendi polluta. 26 (*f*) Eritis mihi ſancti, quia ſanctus ſum ego Dominus, & ſeparavi vos a ceteris populis, ut eſſetis mei. 27. (*g*) Vir, ſive mulier, in quibus pythonicus, vel divinationis fuerit ſpiritus, morte moriantur: lapidibus obruent eos: ſanguis eorum ſit ſuper illos.

(*a*) Sup. XVIII. 21. (*b*) I. Pet. I. 16. (*c*) Exod. XXI. 17. Matth. XV. 4. Marc. VII. 10. (*d*) Ioan. VIII. 5. Deut. XXII. 22. (*e*) Sup. XVIII. 23. (*f*) I. Pet. I. 16. (*g*) Deut. XVIII. 11. I. Reg. XXVIII. 7.

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

V. 7. *Quia ego ſum Dominus Deus veſter.* Non eſt addenda vox *ſanctus*: *Quia ego ſanctus ſum* &c.

V. 9. *Patri, matrique maledixit, ſanguis eius ſit ſuper eum.* Ita legendum eſt *maledixit*, non *qui maledixerit*.

Lectionum Varietas.

V. 5. *Ut fornicaretur cum Moloch.* Alii boni libri ſcribunt numerum pluralem *fornicarentur*.

COM-

COMMENTARIA

S A.

Verſ. 2. DEDERIT DE SEMINE; id eſt, filium obtulerit. Vide ſupra.

V. 3. PONAM FACIEM, id eſt iraſcar.

V. 7. EGO SUM, ſcilicet quem imitari debetis.

V. 8. SANCTIFICO VOS: ſubaudi, id quod impeditis non ſervando mea præcepta.

V. 9. MATRIQUE, pro aut matri. SANGUIS EIUS, &c. quaſi dicat: Reus eſt mortis, vel interficiatur.

14. CUM EIS, id eſt cum ea quam poſt alteram duxit; quamquam Hebr. Chald. & LXX. dicunt ipſas etiam comburendas, ſcilicet utramque: quod intellige, ſi ſimul ductæ ſceleris conſciæ. Vel ipſas, id eſt illam ex eis quæ alteri ſuperducta.

V. 15. PECUS QUOQUE OCCIDITE: ſcilicet ne flagitii memoriam refricet. Auguſtinus.

V. 17. INIQUITATEM, id eſt iniquitatis pœnam. Auguſtinus.

V. 18. APERUERIT FONTEM SANGUINIS SUI; quaſi dicat: Pudenda detexerit, unde ſanguis ille fluit.

V. 20. IGNOMINIAM COGNATIONIS. Hebr. *nuditatem patrui ſui*.

V. 21. FRATRIS SUI, ſcilicet qui filios reliquit. ILLICITAM. Hebr. *fœdam*, ſeu *abominandam*. LXX. *immundam*.

V. 22. EVOMAT, id eſt eiiciat, ſcilicet e vita per mortem.

V. 26. MIHI. Chaldaice *coram me*.

V. 27. SIT SUPER ILLOS, id eſt interficiantur.

E S T I I.

Verſ. 10. SI MOECHATUS QUIS FUERIT CUM UXORE ALTERIUS, ET ADULTERIUM PERPETRAVERIT CUM CONIUGE PROXIMI SUI, MORTE MORIANTUR ET MOECHUS ET ADULTERA. Lex iſta non omnes tamen adulteros complectitur, ſed eos ſolum qui adulteraverint uxorem alterius, non autem viros uxoratos qui rem habuerint cum muliere ſoluta. Quod planum eſt ex verbis legis; tum etiam quod in eumdem ſenſum eadem lex repetitur Deut. XXI. his verbis: *Si dormierit vir cum uxore alterius, uterque morietur, id eſt adulter & adultera*. Ratio eſt, non quod pares non ſint, quo ad actum coniugii, vir & mulier; ſed quia multo gravior eſt iniuria quæ coniugio infertur ex adulterio mulieris quam viri, propter prolis & poſteritatis incertitudinem.

Cum uxore alterius, & ... cum coniuge proximi ſui. Qui alterum dicunt intelligi quemcumque hominem, proximum vero amicum vel fratrem, id eſt Iſraelitam, ineptam faciunt ſententiam, ut cuius poſterius membrum iam contineatur in priori; ſed more Hebræo eiuſdem eſt repetitio, & inculcatio, ut diſcamus proximum intelligi omnem hominem, quod capite præcedenti verſ. 18. monuimus. Et ſimilis repetitio eſt in ſententia præcedenti his verbis: *Qui maledixerit patri ſuo, aut matri, morte moriatur: patri, matrique maledixit, ſanguis eius ſit ſuper eum*.

V. 13. QUI DORMIERIT CUM MASCULO COITU FEMINEO, UTERQUE OPERATUS EST NEFAS, MORTE MORIANTUR. Apud multos quidem Gentiles non caſtigabatur hæc abominatio ſodomitica pœna capitis; tamen eſſe illam contra naturam, & merito debuiſſe ab omnibus morte puniri, docent nos etiam quæ habentur in rebus Indiæ novæ occidentalis, ubi narratur Lib. II. cap. LXXXVII. in provincia dicta *Tezcico* (credo Mexico) pœnam huius criminis fuiſſe capitalem, & in Nicaraga lapidatos fuiſſe ſodomitas, ut habetur Lib. VI. cap. XI.

V. 18. QUI COIERIT CUM MULIERE IN FLUXU MENSTRUAS. Vide ſupra cap. XV. verſ. 24.

V. 27. VIR, SIVE MULIER, IN QUIBUS PYTHONICUS, VEL DIVINATIONIS FUERIT SPIRITUS, MORTE MORIANTUR. Quæritur quomodo iuſtum ſit hoc ſupplicium, cum hoc ſit genus obſeſſionis dæmoniacæ; dæmoniaci autem non ſunt occidendi, ſed curandi, ſi fieri poteſt, cum patiantur, non agant.

Reſpondeo, duplex eſſe genus eorum qui pythonem habent: alii qui diabolico operi cooperantur, ut mulier illa I. Reg. penult. quæ Samuelem ſuſcitabat. Huiuſmodi erant & vates apud Gentiles, ſeu viri, ſeu feminæ, qui certis quibuſdam adhibitis cæremoniis, provocabant dæmonem ad reddendum oraculum, & poſtea eodem dæmone agitati loquebantur quæ dæmon vellet. Atque hoc genus e medio tollendum eſt, ſicut & recte fecerat Saul, qui omnes divinos, & ariolos, ut ibidem dicitur, eraſerat de terra. Unde & illa mulier ſibi ab illo vehementer metuebat, tamquam eodem ſupplicio digna. Sed & alii ſunt qui tantum patiuntur, & vocantur ἐνεργούμενον, cuiuſmodi erat puella illa pythoniſſa Act. XVI. quam, eiecto dæmone, reſtituit Paulus. Septuaginta reddunt *Ventriloquus*. Alioqui pythonicus & pythoniſſa dicuntur a pythone, id eſt ſpiritu divinatore: Python enim ab Apolline Pythio. Vide Lexicon Græcum ex Plutarcho ad πύθων.

MARIANAE.

Verſ. 3. PONAM FACIEM MEAM. Chald. *iram meam*: nimirum ira in facie oſtenditur. Sic p.r faciem ira intelligitur, quam minatur cultori Moloch.

V. 5. UT FORNICARETUR CUM MOLOCH. Fornicationem vocat cultum religionis impiæ.

V. 12. SCELUS OPERATI SUNT. תבל *thebel* potius eſt *confuſio*.

V. 14. VIVUS ARDEBIT CUM EIS. Sic Hebraica ſonant, ſic Sept. & Chald. vertunt: debetque intelligi, quando utraque matre, & filia, conſentiente, cum matre uxoris quis coit. Sed quoniam id rarum eſt, Hebræus quidam vocem אתהן *aethhen*, id eſt *ipſas*, explicat *unam ex ipſis*, ut illud: *Sepultus eſt in urbibus*, id eſt in una urbium: ſcilicet eam quæ conſenſit occidetis, ſcilicet matrem, cui is poſt filiam adhæſit.

V. 15. PECUS QUOQUE OCCIDITE. Quid deliquit? ſed ne fœditatis veſtigium aut memoria ſuperſit. Auguſtinus.

V. 17. NEFARIAM REM OPERATI SUNT. Hebr. vox חסד *heſed*, quæ hic ponitur, ex iis eſt quæ in utramque partem ſumuntur: ſignificat ergo miſericordiam frequenter, ſed & piaculum miſericordia certe dignum, ſeu miſerabile.

V. 21. QUI DUXERIT UXOREM FRATRIS SUI. Heb. *Acceperit*: & ſic Septuag. & Chald. REM FACIT ILLICITAM. Hebr. *procul ipſa*, ſupple, eſſe debet: ſed ſententia reddita eſt.

MALVENDAE.

Verſ. 5. ET SUPER COGNATIONEM EIUS. Heb. *Et in familia eius*. Quidam hic *familiam eius* intelligunt populum illius terræ, qui ſcelus illud diſſimulabit: ut ſit ſynechdoche. Sic accipi notant *familiæ* nomen Ieremiæ VIII. 3. Mich. II. verſ. 3. quo etiam modo ſumitur *genus* Marci VII. verſ. 26. & πατριὰ, id eſt *familia*, Actor. III. verſ. 25. & alibi paſſim: populares enim familiæ uni accenſebantur olim, tamquam ſi ex illius propagine ſinguli deſcendiſſent, ut Gen. x. quam rem oſtendit Ariſtoteles Polit. Lib. I.

V. 9. SANGUIS EIUS SIT SUPER EUM; id eſt, reus eſt mortis; capitali pœna dignus eſt; culpa, reatus, cauſa cædis ſuæ ſit in ipſo; meretur mori. Sic in ſequentibus verſibus. Hebræi annotant, quoties in Scriptura dicitur *morte morietur*, & additur *ſanguis eius ſuper eum*, intelligi de lapidationis morte, qua ſic contunditur corpus lapidibus, ut ſanguis fere totus in eo maneat; cum vero ſimpliciter dicitur *morte morietur*, de ſuffocatione ſeu ſtrangulatione accipi, quod leviſſimum genus mortis erat apud Hebræos. Vide Druſium cap. LXIX. Notarum in Leviticum.

V. 17. NEFARIAM REM OPERATI SUNT. Hebr. חסד *cheſed*, *ipſe*, vel *ipſum*. De hac voce Forſterus in hunc modum diſſerit: *Habet hæc vox Cheſed in aliquot Scripturæ locis ſignificationem priori plane contrariam. Nam ut aliquoties* στοργὴν φυσικὴν, *id eſt affectum naturalem pietatis aut caritatis parentum erga liberos, & rurſus liberorum erga parentes, fratrum erga fratres, amicorum erga amicos, & conſanguineorum erga conſanguineos, &c. ſignificat: ita rurſum idem Hebræis ſignificat, quod Græcis* ἀστοργία, *impietatem, maleficium, immiſericordiam, crudelitatem, affectum & cupiditatem, ſeu factum legi*

na-

Digitized by Google

naturæ, publicæ boneſtati, reverentiæ quæ coniunctioni ſanguinis debetur, & a qua ipſa natura abhorret, omnino contrarium inceſtum: ut Levitici xx. 17. Qui acceperit ſororem ſuam, filiam patris ſui, aut filiam matris ſuæ, & viderit verenda illius, inceſtus eſt, & exterminetur utrumque in conſpectu filiorum populi ſui. Ubi Chaldæus reddidit קלנא *kelana, id eſt ignominia, opprobrium; licet hæc vox Cheſed, alias Chaldæis ſignificet idem quod Hebræis* חרפה *Cherphah, probrum, ignominia, ſicut teſtantur loca Geneſ. xxx. Iudicum VIII. I. Samuel. XI. Pſ. CII. & plerique alii. Sic quoque Rabbi Salomo expoſuit: & addit etiam Syris ſignificare Cherphah. Quod vero in hac ſignificatione accipienda ſit vox, cogunt omnes circumſtantiæ huius loci, atque etiam legum præcedentium cauſæ, quæ ſingulis aſſignantur, cur prohibeantur, & cur in tranſgreſſores animadverti debeat: quia vel* זמה *zimmah, nefanda cogitatio, vel* תועבה *togbabah, abominatio, vel* תבל *tebel, confuſio; ſic quoque tandem huic ſcleri pœnæ cauſa eſt annexa, quia Cheſed, impietas eſt. Quare errant qui aliter exponendum contendunt, nec volunt admittere alteram hanc, & contrariam huius vocis ſignificationem. Inſuper duo alii ſunt loci qui ſimiliter contrariæ huius vocis ſignificationi patrocinantur, in quibus pari ratione Cheſed ſignificat immiſericordiam, ſeu potius maleficium, pœnæ ſeu ſupplicii immiſericordiam, hoc eſt atrox & crudele exitium, implacabile, ſeu irreparabile exterminium, exitium ſine ulla commiſeratione. Nam ut in prima notat gratiam, pietatem, benignitatem, beneficium, beneficentiam; ita in ſecunda ſignificatione ſignificat contrario modo, immiſericors, ut ita dicam, maleficium, impietatem, crudelitatem, ineluctabilem pœnam, hoc eſt malum, ſeu pœnam omnino crudelem, & contrariam caritati. Proverb. XIV. verſ. 34. Iuſtitia exaltat gentem: ſed exterminium populi eſt ipſum erratum; vel ſic: ſed exterminium populi erratum. Proverb. XXVIII. verſ. 22. Qui feſtinat diteſcere, & aliis invidet, ignorat quod immiſericordia eveniet ei. Et licet in hoc loco alii legant* חסר *cum Reſch, defectus, ſeu penuria; ut ſit ſententia: Qui feſtinat diteſcere, & aliis invidet, ignorat quod penuria ſibi ſit adventura; habeantque pro ſe translationem Chaldaicam; tamen Rabbi Kabunalzi, & Rabbi Salomo legunt Cheſed. Præterea exemplaria Venetiis excuſa habent, & retinent conſtanter Daleth, ut putem ab aliquo indocto ſcriba utramque vocem, & Hebraicam & Chaldaicam eſſe depravatam. Denique Apoſtolus Paulus Hebraicæ linguæ peritiſſimus magiſter, Scripturæque ſacræ obſervantiſſimus lector, ac mirificus & tacitus veteris teſtamenti interpres, haud dubie id quod I. Timoth. IX. ſcribit, inde ſumpſit: Qui volunt (inquiens) diteſcere, incidunt in tentationem, & laqueum, & cupiditates multas, ſtultas, ac noxias, quæ demergunt homines in exitium & interitum: ſiquidem radix omnium malorum eſt ſtudium pecuniæ, &c. ac illis duabus vocibus, in exitium, & interitum, voluit hanc vocem Hebræam reddere; quaſi dicat, in exitium ſine commiſeratione, & ineluctabile. Ac quidem mirum non eſt, neque inſolens, aut novum, etiamſi hæc vox contrariam habeat ſignificationem, & nunc pro virtute, nunc pro vitio accipiatur: ſiquidem* קדש *kadaſch, alias in bonam, alias in malam partem accipiatur: ſicut in lingua Latina ſacer, item nobilis:* דשן *deſchen, pinguedo, & cinis, quo nihil eſt ſiccius: & id genus alia multa.* Hactenus Forſterus. Quæ non in omnibus Mercero probantur: ſed de utroque Proverbiorum loco dicemus ibidem opportunius. Quidam hic *cheſed* per antiphraſim exponunt, *Impietas eſt*. Alii, *Probrum, opprobrium eſt*. Nonnulli ironice, & ſatis eleganter, *Pietas eſt*; ſcilicet, quaſi dicat, nihil minus. Aliqui, *Scelus immane ipſum*. Alii, *Execratio*, vel *execrabile, eſt hoc*. Pauci, *Crimen, ingratitudo eſt*. Nec deſunt qui, *Ignominia eſt*, nimirum res illicita, fœda, nefanda, ſcelus atrox, inceſtus nefarius. Quidam, *Miſericordia hoc*, id eſt res miſerabilis, digna miſericordia; ac ſi dicat: Miſeria magna eſt hoc. Aliqui, *Gratia eſt*; id eſt, gratiam ſui corporis, id eſt copiam, uterque fecerunt. Frigida expoſitio.

V. 18. QUI COIERIT CUM MULIERE IN FLUXU MENSTRUO, ſciens, prudens: nam de eo qui per imprudentiam coivit, altera lex eſt ſupra cap. XV. verſ. 24.

MENOCHII.

Verſ. 2. ET DE ADVENIS, proſelytis. IDOLO MOLOCH. Vide ſup. cap. XVIII. 21. POPULUS TERRAE, plebs.

V. 3. SUCCIDAMQUE EUM, &c. ſi videlicet iudices eum plectere, & lapidare neglexerint: quod clarius explicatur n. 4 ſequenti. CONTAMINAVERIT SANCTUARIUM MEUM: quaſi contaminatum iudicaverit, religiones meas negligendo, & idola eis præferendo. AC POLLUERIT, &c. nomen meum, ac leges meas, quantum in ipſo eſt, profanaverit

V. 5. PONAM FACIEM MEAM, iraſcar.

V. 6. AD MAGOS ET ARIOLOS. Vide cap. XIX. num. 31. FORNICATA FUERIT, eis adhæſerit.

V. 8. EGO DOMINUS QUI SANCTIFICO VOS: qui iubeo, & volo vos eſſe ſanctos.

V. 9. SANGUIS EIUS, reatus, & pœna ſanguinis, hoc eſt mortis quam meruit; quaſi dicat: Sua culpa pereat, & morte puniatur per iudicis ſententiam.

V. 10. MORTE MORIANTUR: lapidibus obruantur. ut patet Deu. XXII. XXIII. & XXIV. Pœna enim lapidationis quæ ſtatuitur in dantes ſemen Moloch, ad ſequentes caſus referri videtur.

V. 11. IGNOMINIAM PATRIS SUI. Vide dicta cap. XVIII. 8. SANGUIS, pœna ſanguinis, id eſt mortis.

V. 14. VIVUS ARDEBIT CUM EIS, ſi utraque conſenſit ut altera ſuperinduceretur.

V. 15. PECUS QUOQUE OCCIDITE, ne ſcilicet ſceleris memoriam refricet.

V. 17. SOROREM SUAM, etiam ex altera tantum parente, quod ſequentia ſtatim declarant. VIDEBIT TURPITUDINEM, tetigerit, & concubuerit. INIQUITATEM SUAM, iniquitatis ſuæ pœnam.

V. 18. APERUERIT FONTEM SANGUINIS SUI; id eſt, membrum genitale, per quod ſanguis menſtruus fluit, detexerit. INTERFICIENTUR AMBO. Cauſam legi dedit quod congreſſus hic ſit inhoneſtus, & proli noxius. Et lege poſitiva Dei Hebræis data, peccatum lethale erat ad menſtruatam accedere: alioqui non videtur eſſe plus quam culpa venialis. Vide Sanchez de matrimonio Lib. IX. diſp. XI.

V. 19. CARNIS SUAE, conſanguineæ ſuæ, *materteræ vel amitæ*, ut patet ex Heb. & Chald.

V. 20. COGNATIONIS SUAE, patrui ſcilicet, vel avunculi. ABSQUE LIBERIS MORIETUR. Hi inceſtuoſi non ſinentur in hoc ſcelere permanere donec liberos habere poſſint, ſed occidantur. S. Auguſtinus ita explicat: *Si qui eis nati fuerint filii, ſpurii reputentur, non filii; & nullo iure parenti ſuccedant.*

V. 23. LEGITIMIS NATIONUM, legibus, & moribus Gentilium.

V. 24. FLUENTEM LACTE, ET MELLE, fertiliſſimam, uberrimam.

V. 25. IUMENTUM, animal, vel pecus. MUNDUM AB IMMUNDO, de quibus actum cap. XI. NE POLLUATIS, inobedientiæ crimine, aut legali noxa.

V. 26. SANCTI. Vide cap. XXIX. 2.

V. 27. SIT SUPER ILLOS: interficiantur.

TIRINI.

Verſ. 9. PATRI, MATRIQUE MALEDIXIT, SANGUIS EIUS SIT SUPER EUM; id eſt, pœna ſanguinis, ſeu morte multetur; quaſi dicat: Aliud facinus, aliam mortis cauſam ne require: ſatis eſt hæc una, quod patri vel matri maledixerit. Et veroſimile eſt [a] lapidatione necari debuiſſe, quod ſupplicii genus apud Iudæos uſitatiſſimum erat: uti & vivi combuſtio in inceſtis, & peccatis contra naturam, verſ. 14. & ſeq. Suſpenſionis in patibulo meminit Scriptura Deut. XXI. verſ. 22. Pro homicidis, inquit Philo [b], his tribus capitalium ſuppliciorum generibus, quæ ſola fere apud Iudæos in uſu eſſe ſolebant, acceſſit poſterioribus temporibus, exemplo Romanorum, etiam decollatio, qua Iacobus Maior Act. XII. ab Herode Agrippa de medio ſublatus eſt. Poſt capitalia ſupplicia fuit unica mitior pœna flagellatio de qua capit. XIX. verſ. 20.

Notat Petrus Damianus, & Abulenſis [c], Iudæos ad maius probrum nudos conſueviſſe tum lapidari, tum ſuſpendi.

V. 18.

V. 18. Ipsaque aperuerit fontem sanguinis sui; hoc eſt, membra genitalia (ex quibus tamquam ex fonte profluvium ſanguinis manat) aperuit, ſcilicet, ad concubitum voluntarium.

Nota, accedere ad menſtruatam hic prohiberi ſub pœna mortis, quia valde inhoneſtum id eſt, & noxium tum accedenti, propter tabem, & infectionem ex menſtruis; tum proli, quæ fere leproſa, vel monſtruoſa, vel ſaltem debilis, ex tali coitu naſci ſolet. Non tamen ſola lege naturæ, ſed & poſitiva, & cæremoniali tam grave tum erat: ſicut & eſus adipis, & ſanguinis ſimili præcepto mortalis erat. Unde ſublatis illis in lege gratiæ, iam non niſi veniale peccatum cenſent Theologi accedere ſine urgente cauſa ad menſtruatam. Vide Navarrum, & Sanchez *d*.

(*a*) Ex ſimili caſu Deuteronom. XI. verſ. 20. filii contumacis.
(*b*) Philo Lib. de Specialibus legibus.
(*c*) Petr. Damian. ſerm. de S. Steph. Abul. hic.
(*d*) Navar. cap. XVI. Manual. num. 32. Sanchez de Matrimon. Lib. IX. diſp. XXI.

GORDONI.

Verſ. 2. DE ſemine, & idolo Moloch, vide cap. XVIII. Decernitur hic gravis pœna immolantium ſemen, ſeu filios.

V. 3. Ponam faciem, id eſt iram: quippe quæ in facie oſtenditur.

V. 5. Fornicatio, hoc eſt cultu impiæ religionis.

V. 9. & 20. De maledictione patris Exod. XXI. verſ. 17. Mori ſine liberis, hic deſignat ſterilitatem, aut mortem liberorum ante mortem parentum. Septuag. ἄτεκνοι. In Hebræo etiam eſt ערירים *hharirim*, *ſteriles*, vel *orbi liberis*.

V. 15. Pecus quoque. Sane non peccat brutum; ſed vult tolli abominationis veſtigium.

V. 27. Pœna eſt conſulentium pythoniſſas, & divinos. Hebr. אוב *ob* pythonem ſignat: אובת *oboth*. Apollo Pythius dictus a pythone ſerpente occiſo. Hinc oracula Pythia.

Ex Eiusdem Auctario.

V. 10. Morte moriatur, lapidetur, ex Deut. XXII. 23.

V. 11. Sanguis, pœna ſanguinis, mortis.

V. 17. Viderit turpitudinem. Notat concubitum.

V. 18. Aperuerit fontem sanguinis. Deſignat concubitum.

V. 21. Absque liberis: non ſinantur vivere donec liberos habeant: occidantur.

V. 25. Ne polluatis, per inobedientiam.

CAPUT XXI.

Quibus funeribus intereſſe poſſint ſacerdotes, & quales ducere uxores; quive inepti ſint ad ſacerdotium: & de filia ſacerdotis fornicante.

1 DIxit quoque Dominus ad Moyſen: Loquere ad ſacerdotes filios Aaron, & dices ad eos: Ne contaminetur ſacerdos in mortibus civium ſuorum,
2. niſi tantum in conſanguineis, ac propinquis, id eſt ſuper patre, & matre, & filio, & filia, fratre quoque,
3. & ſorore virgine quæ non eſt nupta viro:
4. ſed nec in principe populi ſui contaminabitur.
5. (*a*) Non radent caput, nec barbam, neque in carnibus ſuis facient inciſuras.
6. Sancti erunt Deo ſuo, & non polluent nomen eius: incenſum enim Domini, & panes Dei ſui offerunt, & ideo ſan-

ſancti erunt. 7. (*b*) * Scortum & vile proſtibulum non ducent uxorem, nec eam quæ repudiata eſt a marito: quia conſecrati ſunt Deo ſuo, 8. & panes propoſitionis offerunt. Sint ergo ſancti, quia & ego ſanctus ſum, Dominus, * qui ſanctifico eos. 9. Sacerdotis filia ſi deprehenſa fuerit in ſtupro, & violaverit nomen patris ſui, flammis exuretur. 10. Pontifex, id eſt ſacerdos maximus inter fratres ſuos, ſuper cuius caput fuſum eſt unctionis oleum, & cuius manus in ſacerdotio conſecratæ ſunt, veſtituſque eſt ſanctis veſtibus, caput ſuum non diſcooperiet, veſtimenta non ſcindet: 11. & ad omnem mortuum non ingredietur omnino: ſuper patre quoque ſuo & matre non contaminabitur. 12. Nec egredietur de ſanctis, ne polluat ſanctuarium Domini, quia oleum ſanctæ unctionis Dei ſui ſuper eum eſt. Ego Dominus. 13. (*c*) Virginem ducet uxorem: 14. Viduam autem & repudiatam, & ſordidam, atque meretricem non accipiet, ſed puellam de populo ſuo: 15. ne commiſceat ſtirpem generis ſui vulgo gentis ſuæ: quia ego Dominus qui ſanctifico eum. 16. Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens: 17. Loquere ad Aaron: Homo de ſemine tuo per familias qui habuerit maculam, non offeret panes Deo ſuo, 18. nec accedet ad miniſterium eius: ſi cæcus fuerit, ſi claudus, ſi parvo, vel grandi, vel torto naſo, 19. ſi fracto pede, ſi manu, 20. ſi gibbus, ſi lippus, ſi albuginem habens in oculo, ſi iugem ſcabiem, ſi impetiginem in corpore, vel hernioſus. 21. Omnis qui habuerit maculam de ſemine Aaron ſacerdotis, non accedet offerre hoſtias Domino, nec panes Deo tuo: 22. veſcetur tamen panibus qui offeruntur in ſanctuario, 23. ita dumtaxat, ut intra velum non ingrediatur, nec accedat ad altare, * quia maculam habet, & contaminare non debet ſanctuarium meum. Ego Dominus qui ſanctifico eos. 24. Locutus eſt ergo Moyſes ad Aaron, & ad filios eius, & ad omnem Iſrael, cuncta quæ fuerant ſibi imperata.

(*a*) Sup. xix. 27. Ezech. xliv. 20. (*b*) Sup. xix. 29. (*c*) Ezech. xliv. 22.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 2. *Super patre, & matre, & filio, & filia, fratre quoque, & ſorore virgine.* Sextum caſum ubique dedit Interpres, ſi antiquis libris creditur, non quartum.

V. 7. & 8. *Scortum & vile proſtibulum non ducent uxorem ..... quia conſecrati ſunt Deo ſuo, & panes propoſitionis offerunt. Sint ergo ſancti.* Alii libri, numero ſingulari habent, *ducet, conſecratus eſt, offert, ſit ergo ſanctus.* Hebræum quædam plurali, quædam ſingulari numero legit.

V. 8. *Qui ſanctifico eos.* Hæc lectio reſpondet græcæ interpretationi ſeptuaginta duorum virorum: altera, quæ eſt plerorumque latinorum librorum, pro tertiæ perſonæ pronomine *eos*, ſcribentium ſecundæ *vos*, reſpondet Hebræo.

V. 23. *Quia maculam habet.* Retinenda eſt coniunctio *quia*, non vertenda in pronomen *qui*.

COMMENTARIA

S A.

Verſ. 1. NE CONTAMINETUR SACERDOS IN MORTIBUS CIVIUM SUORUM, ſcilicet tangendo cadaver, aut curando funus.

V. 4. NEC IN PRINCIPE, &c. Heb. indicant, nec principem debere contaminari in funere popularium: atque ita Chal. interpretatur.

V. 5. RADENT, ſcilicet *ſuper mortuo*, ut addit Chald. INCISURAS, ſcili-

Digitized by Google

licet lacerando faciem unguibus, more gentilium, in alicuius funere.

V. 6. DEO. Chald. *Coram Deo*.

V. 7. SCORTUM, &c. quaſi dicat, nec publicam, nec privatam meretricem.

V. 8. OFFERUNT, ſcilicet ſingulis ſabbatis: erat id minorum ſacerdotum.

V. 10. CAPUT SUUM, &c. quaſi dicat: Ne faciant quæ ſolent qui mortuos lugent.

V. 11. MORTUUM, id eſt domum, ubi ſit cadaver. SUPER PATRE, id eſt ne ſuper patre quidem.

V. 12. EGREDIETUR, ſcilicet ea cauſa. SANCTIS. Heb. *Sanctuario*, ſcilicet tabernaculo, aut atrio. POLLUAT, ſcilicet ex mortuo rediens.

V. 14. SORDIDAM, id eſt ſecretam meretricem. MERETRICEM, ſcilicet publicam. PUELLA. Hebr. Chald. & LXX. *Virginem*.

V. 15. VULGO, ſcilicet vilem, vel quam non debet ducere.

V. 17. MACULAM, ſcilicet conſpicuum corporis vitium.

V. 18. PARVO: alii, *depreſſo*.

V. 20. HERNIOSUS. Heb. & Chald. *compreſſis* ſeu *contuſis teſticulis*: LXX. *unius teſticuli*.

V. 22. PANIBUS, ſcilicet propoſitionis; vel quaſi dicat, de cibis oblatis in tentorio.

V. 23. VELUM, ſcilicet primum: vel ſi de ſecundo loquitur, ſignificat non poſſe fieri Pontificem ſummum.

ESTII.

Verſ. 6. INCENSUM ENIM DOMINI, ET PANES DEI SUI OFFERUNT, ET IDEO SANCTI ERUNT. Panes intelligit, qui quotidie recentes offerebantur ſuper menſam propoſitionis. Itaque ſicut ſacrificia illa typica erant, & umbram dumtaxat habentia futurorum, ita & ſanctitas illa de qua Scriptura hic loquitur, non aliud eſt quam externa quædam & legalis munditia. At vero in novo teſtamento utrumque verum ac proprium intelligendum eſt. Nam & ſacrificium quod offertur a ſacerdotibus novi teſtamenti, non typicum eſt, ſed res per illa antiqua ſacrificia ſignificata, ipſum videlicet corpus Domini, quod in ara crucis pependit; ipſe ſanguis, qui ibi effuſus eſt. Ideoque & ſanctitas requiritur, non ea quæ in legali munditia conſiſtit, ſed quæ ſita eſt in vera pietate ac puritate animi: ſine qua quiſquis ad hæc tremenda myſteria accedit, immundus accedit, & iudicium ſibi ſumit non remedium.

Verſ. 13. VIRGINEM DUCET UXOREM. Innocentius Papa epiſt. XXII. ex hoc loco probat ſacerdotem novi teſtamenti non poſſe eſſe bigamum, aut viduæ maritum. Quæ probatio quomodo valeat, cum lex vetus ſit abrogata, declarat Leo Papa in epiſt. LXXXVII. Eſtque notandum, ea quæ hic præcipiuntur de uxore ſacerdotis veteris legis, non tam cæremonialia eſſe, quam præcepta ad honeſtatem vitæ ſacerdotalis, ipſorumque ſacerdotum honorem pertinentia. Qua ratione transferri potuerunt ex his aliqua ad ſacerdotes novi teſtamenti.

Quæres, an uxore mortua, licitum eis fuerit aliam ducere. Reſpondeo: Nuſquam legitur eis prohibitum fuiſſe, tametſi nec facti reperitur exemplum.

At inſtas: Si ex uxore defuncta nullam ſuſcitaſſet ſobolem, tunc ſaltem neceſſe ei fuit aliam ducere cauſa propagandi generis. Reſpondeo fratres, aut fratrum filios potuiſſe ſuccedere.

MARIANAE.

Verſ. 1. NE CONTAMINETUR SACERDOS IN MORTIBUS CIVIUM SUORUM. Hebr. *in anima*; ſed animam ſumit pro mortuo, ſic Chald. vertit; aut pro cadavere, tum hic, tum verſ. 11.

V. 2. NISI TANTUM IN CONSANGUINEIS. Heb. *Niſi in carne ſua propinqui ſui*. Quod autem ſequitur, SUPER PATRE, &c. explicatio eſt propoſitionis univerſæ: ideo Hieronymus bene addidit particulam, *id eſt ſuper patre, & matre*, quorum funeri ſacerdos poterat intereſſe.

V. 4. SED NEC IN PRINCIPE. Hebraica potius videntur dicere, *Non contaminabitur princeps*: ſicque Chald. & Pagnin. vertunt. Sed quoniam hic de ſacerdotibus tantum agitur, bene ſuppletur præpoſitio *in*, aut *ſuper principe*. Ita non vult ſacerdotes ad funus principis accedere.

V. 12.

V. 12. QUIA OLEUM SANCTAE UNCTIONIS. Hebr. *Quia corona oleum unctionis Dei ſui ſuper eum:* ſic Chald. ſcilicet unctio illa inſtar diadematis eſt.

V. 15. NE COMMISCEAT STIRPEM GENERIS SUI VULGO, Pontifex ſcilicet. Hebr. *Et non profanabit ſemen ſuum in populo ſuo*, nimirum ducendo aliquam ex iis quæ ſuperius ſunt vetitæ; aut cum vulgo miſcendo ſanguinem: quod Hieronymus eſt ſecutus.

V. 17. QUI HABUERIT MACULAM, NON OFFERET PANES. Per *panes* carnes etiam intelligit, & omnia ſacrificia, & oblationes: ſic Hieron. ver. 21. pro *pane* quod eſt in Hebræo, dixit, *Non accedet offerre hoſtias Domino*.

V. 18. SI PARVO, VEL GRANDI, VEL TORTO NASO. Hebr. tantum eſt *barum*, id eſt *ſimus*, & *ſarvah*, id eſt *excreſcens*, id eſt grandis, ſcilicet naſi.

MALVENDAE.

Verſ 1. IN MORTIBUS CIVIUM SUORUM. Hebr. *Super anima, pro anima, non contaminabit ſe in populis ſuis.* Notant hic נפש *nepheſch*, *animam*, per catachreſim poni pro corpore exanimi, ſive mortuo, aut cadavere in quo fuit anima, ut qui illud tetigiſſet, funus eius curaſſet, pollueretur. Sic capi volunt Levitici XIX. verſ. 18. *Cæſuram ob animam non facietis*. Numer. v. 2. *Et omnem contaminatum ob animam*. Num. VI. 6. *Super animam mortui non veniet*: & verſ. 11. *De quo peccavit ſuper anima*. Num. VI. 9. *Contaminati ob animam*. Aggæi II. verſ. 14. *Si tanget contaminatus animæ*. Alii contra pertendunt, his, & ſimilibus locis *animam* non pro corpore exanimi, ſeu cadavere, ſed per ſynechdochen pro homine mortuo; vel potius per metonymiam, pro hominis mortui funere ſumi, pro cuius anima fiebat ſupremum illud officium: ubi myſterium eſſe volunt curæ antiquæ vivorum pro mortuis, & mortuorum animabus. Moſen enim animam appellare officium ſupremum peractum pro mortuo; neque reſpicere corpus, ſive cadaver, quoniam eius cauſa illa parentalia non tam ſolemniter fuiſſent peracta. Atque ita hunc locum exponunt: Ne contaminetur ſacerdos ob hominis mortui funus & exequias, in quibus pro anima eius parentabatur. Similiter illud Levitici XIX. verſ. 28. *Inciſionem ob animam non facietis in carne veſtra*, id eſt pro mortui anima: nam Amorrhæi pro requie animarum ſe incidebant, putantes id ipſis prodeſſe. Ego non dubito hanc interpretationem ſubtilem, & alienam eſse: nam hic Moſes nedum interdicit ſacerdoti funeris præſentiam, aut procurationem; ſed etiam ne tangat, aut intret ad cadaver. Unde recte hic S. Auguſtinus qu. LXXVIII. *Nomen rectricis animæ etiam corpus accepit anima deſtitutum*. Vide infra verſ. 11. & Eccli. XVI. verſ. 28. *Sacerdos* non eſt in Hebræo; ſed Noſter intellexit ex eo quod proxime præceſſit, *Loquere ad ſacerdotes*: & eſt proculdubio totus hic peculiaris ſermo ad ſacerdotes inferiores a verſ. 1. uſque ad. 10. ubi, & ſex ſequentibus verſibus ſummum ſacerdotem alloquitur. Quidam hic eſſe reddunt: *Super animam non contaminabit ſe* quiſquam veſtrum *in populis ſuis*. Alii: *Super anima nullus veſtrum contaminet ſeſe in populo ſuo*. Hic anima pro cadavere ponitur, quaſi dicat: Nullus ex vobis ratione mortui alicuius in populo ſuo reddat ſe impurum, tangendo ſcilicet cadaver Iſraelitæ, aut curando funus eius: multo minus curando funus extranei. Nonnulli: *Propter funus nemo funeſtetur in populis ſuis*.

V. 3. SORORE VIRGINE. Hebr. addunt *propinquæ ſibi*, vel *proximæ iunctæ*; id eſt ſororem germanam, ex utroque parente: quod additum volunt, ut hoc nomen ad agnatos & affines non extendatur, ut ſæpe alibi evenit. QUAE NON EST NUPTA VIRO. Hebr. addunt *ei*, vel *ſuper eam contaminabit ſeſe*; id eſt, poterit tangere cadaver, vel intereſſe funeri ſororis ſuæ germanæ, ex utroque parente, ſi illa obierit virgo. *Contaminari* hic, ut verſ. 1. & 11.

V. 4. SED NEC IN PRINCIPE POPULI SUI CONTAMINABITUR. Intelligunt ſacerdotem non debere intereſſe funeri principis, aut domini in populo. Sed quia voci בעל *baghal*, *princeps*, nulla Hebraice præpoſitio Beth præfigitur, varie hunc locum reddunt. I. *Non contaminabit ſe princeps in populis ſuis ad profanare ſeſe*; id eſt, ipſe ſacerdos, cum ſit princeps, vel qui eſt princeps in populis,

non

non debet ſeipſum contaminare profane. Unde quidam vertunt: *Non polluet ſe qui*, vel *quia, vir eſt magnus in populo ſuo, ut ſeſe profanet*. II. Alii *bachal* hic diſtributive capiunt, ut איש *iſch, vir*, pro *aliquis*: *Non contaminetur quiſquam in populo ſuo, ut polluat ſe*. III. Nonnulli *bachal* pro *marito* hic, ut alibi ſumunt: *Ne polluito ſe maritus* pro uxore ducta *in populis ſuis, ita ut profanet ſeſe*, id eſt pro uxore quam duxit e populis ſuis, ut infra verſ. 14. Aiunt eſſe hic eclipſin nominis relati: quam eclipſin Scriptura ſacra frequentem habet, ut I. Reg. XIII. verſ. 11. Proverb. V. verſ. 19. Iſaiæ XXXI. verſ. 5. & alibi.

V. 5. NON RADENT CAPUT. Heb. *Non decalvabunt calvitium in capite ſuo*. קרחה *karechah* aiunt eſſe *calvitium* manu, aut forcipe factum, quod erat indicium & ſignum luctus & mæſtitiæ, in quo differt a קרחת *karachath*, *calvitie* naturali, ſeu fortuita, quando naturalis, vel ex morbo pili deflunt: quare Latinis vocibus etiam diſtinguunt, nam *karechah* vocant *calvitium*, & *karachath calvitiem*. NEQUE IN CARNIBUS SUIS FACIENT INCISURAS. Hebr. *Et in carne ſua non conſcindent, convellent, conciſionem, cæſuram, convulſionem, lacerationem*. שרטת *ſaretet*, idem quod שרט *ſeret* ſupra cap. XIX. verſ. 28. id eſt *conciſio, inciſio, convulſio*. Ad hanc carnis conciſionem putant alluſiſſe Paulum Philippenſ. III. verſ. 2. ubi pſeudo apoſtolorum circumciſionem, quam ſtatuebant ad iuſtitiam eſſe neceſſariam, vocat *conciſionem carnis*. *Cavete canes, cavete malos operarios, cavete* κατατομὴν, id eſt *conciſionem*. *Nos enim ſumus circumciſio, qui ſpiritu Deum colimus, & gloriamur in Chriſto Ieſu, & non confidimus in carne*. Vide quæ ſupra cap. XIX. verſ. 28. notavimus.

V. 6. PANES DEI SUI OFFERUNT. Hebr. *Panem Dei ſui offerunt*. De panibus propoſitionis intelligunt. Quidam reddunt: *Cibum Dei ſui offerunt*. Alii: *Carnem Dei ſui offerunt*. Notant enim, לחם *lechem* & *cibum*, & *carnem* ſignificare. Atque hic Hebræi interpretantur victimas, & ſacrificia ex carnibus animalium, quæ erant velut cibus quidam Dei; item primitias, & donaria, quæ præter victimas offerebantur. Verum illud *Et carnem Dei ſui offerunt*, myſterium ſacri Euchariſtiæ ſacrificii continere pie exiſtimamus. Vide Numer. XXVIII. verſ. 2. ET IDEO SANCTI ERUNT. Hebr. *Et erunt ſanctitas*. Mira profecto ſententia, quod ſacerdotes nedum ſancti eſſe debeant, ſed ipſa ſanctitas, id eſt ſanctiſſimi, puriſſimi, incorruptiſſimi.

V. 7. SCORTUM ET VILE PROSTIBULUM. Hebr. זונה *zonah*, & חללה *chalalah*. Diſcrimen conſtituunt aliqui, quod *zonah* ſit *meretrix* publice proſtituta ad merendum corpore; *chalalah*, *conſtuprata, violata*; id eſt, cui illatum eſt ſtuprum vi, aut alio modo, id eſt ſcortum non publicum, ſed privatum. Alii e contra, quod Noſter ſecutus eſt, ita diſtinguunt inter *zonah* & *chalalah*, uti Latini inter meretricem & proſtibulam. Nonius: *Inter meretricem & proſtibulam hoc intereſt, quod meretrix honeſtioris loci eſt, & quæſtus: nam meretrices a merendo dictæ ſunt, quod copiam ſui tantummodo noctu facerent: proſtibula, quod ante ſtabulum ſtet quæſtus diurni, & nocturni cauſa. Plautus Ciſtellaria manifeſtiſſime diſcrevit: Intro ad bonam meretricem, aſtat ea in via ſola, Proſtibula ſane eſt*. Feſtus: *Proſedas meretrices Plautus appellat, quod ante ſtabula ſedeant: eædem & proſtibulæ*. Idem Fellus: *Alicariæ meretrices appellabantur in Campania, ſolitæ ante piſtrina alicariorum verſari quæſtus gratia; ſicut eæ quæ ante ſtabula ſedebant, dicebantur proſtibulæ*. Et quidem etymon *chalalah* recte congruit: nam ſignificat *publicatam, communem, profanam*: apte reddes *proſedam, proſtibulam, alicariam*. Vide verſ. 14. ubi eadem vox, nec alibi habetur. Quidam hic vertunt *inceptam, initiatam*, quam alius videlicet incepit, ſeu vitiavit. Hiſpanice, *Enceto*. Nec abludit etymon verbi, de quo diximus Gen. IX. verſ. 20.

Verſ. 12. NEC EGREDIETUR DE SANCTIS, NE POLLUAT SANCTUARIUM DOMINI. Quidam exponunt: Id eſt, relicto ſanctuario, ſeculo ſacro, aut templo, non ingredietur domum funeſtam, etiam in funere patris: pollutum enim fuiſſet templum Dei a ſacerdote, ſi ingreſſus fuiſſet illud poſtquam intraverat domum funeſtam funere patris, aut matris. Quidam, *Neque e loco ſancto exito*, pro eo quod eſt: *Locum impurum luctus cauſa, ne pro parente quidem ingreditor*.

V. 14. DE POPULO SUO, id eſt non ex-

externam, ſed e ſuo genere, vel ſaltem ex aliqua tribu. Quamobrem neque Ioiadah contra legem venit cum Ioſabeth filiam regis Ioram uxorem duxit, II. Paralip. XXII. II. neque ille Berzellai, cuius habetur mentio I. Eſdræ II. ver. 61. cum Berzellai Galahaditæ filiam adiunxit ſibi.

V. 17. De semine tuo. Tam ſummus ſacerdos quam quivis ex inferioribus ſacerdotibus.

V. 18. Parvo, vel grandi, vel torto naso. Hebr. duæ ſunt dictiones difficilis ſignificatus. Prior חרום *charum*, quam varie explicant. I. *Simus naſo*; id eſt, qui naſum habet profundum inter duos oculos, ſeu retortum, aut reduncum, ita ut uterque eius oculus tamquam unus appareat. II. *Reſimus*, qui ſurſum verſus depreſſas habet nares, *deſolatus naſo*. III. *Anathematizatus*, *excommunicatus*, *devotus*, *proſcriptus naſo*: qui habeat non communem naſum, ſed præter communem modum & proportionem repandum, reſimum, intortum, & brevem. IV. *Depreſſus naſo*. V. *Exciſus*, *ſucciſus naſo*; id eſt, cui naſus ſit ſucciſus: quæ eſt inſignis deformitas. VI. Quidam hoc in nomine nullam naſi mentionem includi putant: exponuntque, *deſtructus*, *curtus*, *imminutus*, *inciſus*, *deciſus*, *mutilus*, ſcilicet membris; id eſt, cui aliquod membrum ſucciſum, aut imminutum fuerit. Tantum hic hæc vox reperitur in Scriptura. Altera eſt שרוע *ſaruagh*, quam aiunt ſignificare *excedentem*, *exceſſivum*, *extenſivum*, *excretum*, *ſuperfluum*, *enormem*, ſcilicet *membris*, hominem, vel pecus monſtroſum, qui, vel quod monſtroſum aliquod membrum habet, excedens iuſtam proportionem, & magnitudinem; vel qui aliquod membrum ſuperfluum habeat, aut unum membrum altero maius. Hebræi aiunt *eum eſſe cuius femur luxata coxendice diſtenſum eſt, ideoque trahit pedem alterum*, utpote redundantem & excreſcentem. Unde hic vertunt, *prælongus*, *diſtentus*, *excretus*, *auctus*, *redundans*, *ſuperfluus membris*. Alii, *monſtroſus*, ſeu *enormis*.

V. 20. Si gibbus. גבן *gibben*, voce conſentiente, *gibbum*, *gibboſum*, *gibberoſum* omnes ferme exponunt. De qua voce Reuchlinus hæc annotat: *Gibben, gibbus, ſeu gibberoſus, tractum ſo, taſſe a dorſi altitudine: ſic enim Hieronymus traduxit. Quamquam Thargum Ieroſolymitanum intelligat hoc vocabulum de his, quibus in utroque oculorum ſinu ſuperciliorum pili excreſcunt: quod nunc communiter ſequuntur Iudæi, exponentes eamdem dictionem de homine, cuius oculos ſupercilia obnubunt, atque condenſant, quem ego dicerem Superciliosum.* Eadem Forſterus, Mercerus, Marinus, Schindlerus. Alibi hæc vox non invenitur. Si lippus. דק *dak*, proprie *tenuis*, *gracilis*, *minutus*, *ſubtilis*. Hebræi hic accipiunt pro homine cuius oculus panniculo, vel tenuiſſima membrana aut pellicula obductus eſt: alii de homine qui tenues, molles, infirmos, & fluentes habet oculos. Recte Noſter dixit *Lippum*. Quidam de homine, qui plus nimio gracili & ſubtili corpore præditus eſt. Nec deſunt, qui *phthiſicum* intelligunt, qui attenuatur. Si albuginem habens in oculo. תבלל *teballul*, voce conſona, *albuginem* plerique reddunt. Sed diverſimode locum convertunt. I. *Aut mixtio, confuſio in oculis eius*; id eſt, ſi eſt aliquid quod confundat, & turbet aſpectum nigredinis pupillæ. II. *Aut ſuffuſio in oculis eius*. III. *aut luſcioſitas in oculis eius*: vitium oculorum, quo viſus confunditur, aut oculi turbati, nec uniformes. Nos dicimus, *La viſta atraverſada*. Si iugem scabiem. גרב *garab* aiunt eſſe *ſcabiem purulentam*, & *malignam*. Hebræorum aliqui volunt eſſe *ulcus extrinſecus humidum*. Alii *ſcabiem malignam intus & foris ſiccam*. Nos *Scabiem canicam* appellamus. Nonnulli vertunt *pſoram*. Aliqui docent eſſe *pruriginem*, ſeu potius *porriginem*, nempe ſcabiem ſiccam: &, ut Cornelius Celſus Lib. VII. cap. II. ſcribit. ubi inter pilos quædam quaſi ſquamulæ ſurgunt, eæque a cute reſolvuntur, & interdum madent, multo ſæpius ſiccæ ſunt. Idque evenit, modo ſine ulcere, modo exulcerato loco: hinc quoque modo malo odore, modo nullo accedente; fereque id in capillo fit, rarius in barba, aliquando etiam in ſuperciliis. Putant ex *garab* per inverſionem litterarum factum Latinum *porrigo*, quæ ſicca eſt, & ardet ſcalpendi libidine, ſeu deſiderio. Si impetiginem. ילפת *ialephet*, Hebræi aiunt eſſe ſpeciem *ulceris*, ſeu *ſcabiei purulentæ & fœtidæ Ægyptiacæ*. Quidam *ſcabiem ſanioſam* vertunt. Alii volunt eſſe *ſcabiem fluentem*. Nonnulli arbitrantur ductum hoc nomen a לפת *la-*

la-

Digitized by Google

laphat, quod *apprehendere aliquid concuſſione* quadam ſignificat, unde *impetiginem*, qua quis mordicus corripitur, quæque proxima quæque corripit, & occupat. Aliqui, quod apprehendat, & adhæreat, ſerpatque uſque ad diem mortis: unde *ſcabiem perpetuam* exponunt. Nec deſunt qui putent eſſe *ſcabiem foris humidam*, *& intus ſiccam*. Pauci notant eſſe fœdationem cutis cum pruritu, quam alii *ſcabiem ſiccam*, *aſperam*, *& prominentem* intelligunt: alii morbum ſimilem ſcabiei, ſquamoſum, corpuſque dehoneſtantem, *impetiginem*, *lichenem*, *mentagram* convertunt. Quatuor impetiginis ſpecies numerat Celſus Lib. V. VEL HERNIOSUS. מרוח אשך *meroach eſchech*, exponunt, *aut compreſſus*, *attritus*, *contuſus*, *conquaſſatus teſte*, ſeu *teſticulo*. Alii, *aut alligatur*, *faſciatus*, *cataplaſmatus teſticulo*. Hebræi explicant, cuius teſticuli ſunt compreſſi, & facti tamquam unus, vel ſunt inflati. Aliqui *meroach* pro nomine ſubſtantivo capiunt, *aut contuſio teſticuli*. Nonnulli, *thladias*, vel *thlibias teſte*. Thladian, vel thlibian Suidas & Heſychius ſpadonem ſeu eunuchum interpretantur; ſed is eſt proprie cui contuſi ſunt ſeu eliſi teſticuli, qui ita per compreſſionem fiebat eunuchus. Puer adhuc infans in aquæ calidæ ſolio collocabatur, deinde ubi eius corpus eo ſolio fuerat relaxatum, digitis teſticuli comprimebantur, uſquedum abolerentur, & evaneſcerent, ac diſſoluti non amplius ad tactum ſublevarentur, uti ex Paulo AEgineta Lib. VI. conſtat. Noſter hic *hernioſus* dixit: pro quo citat veterem interpretem e libro manuſcripto, qui *ponderoſus* habet. Herniam veteres pondus inguinum, aut genitalium dixere. Plautus in Querolo *pondus Neſtoris* appellavit, quod Iuvenalis Satyra VI. *Neſtoris herniam* dixit. Arnobius Lib. VII. adverſus Gentes: *Ingentium herniarum magnitudine ponderoſi*. S. Auguſtinus Lib. ult. de Civit. Dei cap. VIII. *Quidam ab informi pondere genitalium ſalvus effectus eſt*.

V. 22. VESCETUR TAMEN PANIBUS, &c. Hebr. *Panem*, vel *cibum Dei ſui de ſanctitatibus ſanctitatum*, *& de ſanctitatibus comedet*. Exponunt: Id eſt, e rebus ſanctioribus & ſacratioribus, ut erant panes facierum, piaculum, erratum; ſive minus ſanctis, ut erant pacifica, primitiæ, decimæ.

V. 23. INTRA VELUM. פרוחת *parochet*, *aulæum*, quod diſcriminabat Sanctum ſanctorum a Sancto de quo egimus Exod. XXVI. v. 13. & 36. qua ratione ſi hic legamus *Intra*, tantum ſermo erit de ſummo ſacerdote maculoſo: nam aliis etiam immaculatiſſimis non licebat ingredi intra velum. At Hebraicum אל *el* plerique hic exponunt *ad velum*: & tunc comprehendet etiam inferiores ſacerdotes, nam ad velum, ſeu ante velum neceſſe erat venire eos qui ſacra faciebant, ſacerdotes, cum inferiores, tum ſummos. Nam is locus erat Sanctum.

MENOCHII.

Verſ. 1. SACERDOTES FILIOS AARON, minores ſacerdotes. NE CONTAMINETUR SACERDOS IN MORTIBUS CIVIUM SUORUM. tangendo cadaver, aut luctum faciendo, aut domum mortui ingrediendo. *In mortibus*. Hebr. *ſuper anima*, id eſt ſuper cadavere.

V. 2. NISI TANTUM IN CONSANGUINEIS, excipiuntur a lege lata pater, mater, filius, filia, frater, & ſoror ſi ſit virgo innupta: hos ergo defunctos lugere poterat ſacerdos; non autem uxorem, nepotem, aut neptem, quia hic illi non excipiuntur.

V. 4. SED NEC IN PRINCIPE; quaſi dicat: Etiamſi vir primarius in populo, aut etiam qui toti Reipublicæ præeſt moriatur, eius tamen funeri non intererit.

V. 5. NEQUE IN CARNIBUS SUIS FACIENT INCISURAS: hæc enim vetita ſunt Iudæis etiam laicis, ut vidimus ſup. cap. XIX. 27. & 82.

V. 6. SANCTI ERUNT DEO SUO, ſcilicet remoti ab omni contaminatione, immunditia, rituque Gentilium. NON POLLUENT NOMEN EIUS, dignitatem ſacerdotalem, ipſiuſque Dei tamam, cuius miniſtri ſunt, & ſacerdotes. INCENSUM. Hebr. *ignitiones*. LXX. *ſacrificia*: id quod igne incenditur, & adoletur. PANES, propoſitionis. IDEO SANCTI ERUNT. Hebr. *ſanctitas*, id eſt ſanctiſſimi, ſanctitas ipſa.

V. 7. PROSTIBULUM, meretricem proſtitutam.

V. 8. QUI SANCTIFICO VOS, qui

 ſan-

ſanctitatem meam vobis communico; vel qui vos ſanctos eſſe iubeo.

V. 9. VIOLAVERIT NOMEN PATRIS SUI: quia ſornicatione ſua gravem inuſſit notam, & ignominiam patri ſacerdoti, ideo comburetur. Reliquas non ſacerdotum filias ſornicantes non fuiſſe punitas colligitur Exod. XXII. 26. niſi ſe venditaſſent ut virgines, & ſponſum decepiſſent: tunc enim re comperta lapidabantur ſicut adulteræ, ut patet Deut. XX. 20.

V. 10. NON DISCOOPERIET. LXX. *ἐκ ἀποκιδαρώσει, non decidarabit*; id eſt, cidari ſua non nudabit.

V. 11. AD OMNEM MORTUUM, ad nullum mortuum. Non ingredietur domum, in qua eſt cadaver. SUPER PATRE QUOQUE, &c. Ne in obitu quidem parentum planget eos pontifex exteriori ritu, & ſigno, nec funus eorum proſequetur.

V. 12. NEC EGREDIETUR DE SANCTIS, de ſanctuario, ſi quando ibi conſtitutus eſt contingat mori patrem, aut matrem eius. NE POLLUAT SANCTUARIUM DOMtNT. ne iniuriam inferat ſanctuario, illud deferendo. & ſuper mortuo indecenter plangendo. Vel *ne polluat*, quia ſi ipſe pollutus ſuper mortuo rediret ad ſanctuarium, pollueret illud.

V. 13. VIRGINEM DUCET, ob honeſtatem, & dignitatem ſummi ſacerdotii. non enim decuiſſet ab alio vitiatam, & cognitam ducere.

V. 14. SORDIDAM, vitiatam, pollutam. PUELLAM DE POPULO SUO; non tamen videtur neceſſe fuiſſe ut e tribu Levi ſumeretur: nam ex hiſtoriis ſacris conſtat, ſolitos fuiſſe pontifices ducere filias Principum, & Regum, qui erant ex tribu Iuda; ſic Ioiadas duxit Ioſabeth filiam Ioram regis Iuda, ut teſtatur Ioſephus Lib. IX. antiq. cap. VII. & habetur II. Paral. XXII. 11.

Verſ. 15. NE COMMISCEAT STIRPEM, &c. quaſi dicat: Non accipiat uxorem de vulgo, ſed nobilem. LXX. vertunt, *Non profanabit ſemen ſuum in populo ſuo*, idque 1. ob dignitatem ſacerdotii: 2. ut pontifex reges, & principes, quibuſcum affinitate iungitur, tanto liberius, & melius cultum Dei, & veram religionem edoceat. QUI SANCTIFICO EUM. Vide num. 8.

V. 17. MACULAM, conſpicuum corporis vitium. PANES, propoſitionis, quos minores etiam ſacerdotes per ſingula ſabbata offerunt recentes, ablatis prioribus.

V. 18. PARVO: alii *depreſſo*, vel *ſimo*. Hebr. eſt חרום *charum*, cuius vocis radicem ſi ſp:ctes, proprie non naſum, nec ſimum, ſed *exciſum* ſignificat.

V. 20. LIPPUS. Hebr. דק *daq*, qui tenuibus, vel tenerioribus oculis eſt. ALBUGINEM HABENS IN OCULO, qui cum pupillæ nigredine mixtam maculam albam habet. IUGEM SCABIEM. LXX. *ſcabiem agreſtem*: alii *ſcabiem purulentam* IMPETIGINEM, &c. Impetigo genus eſt ſcabiei ſiccæ, per cutem cum pruritu proſerpens. HERNIOSUS. Hebr. & Chald. videntur ſonare *contuſum*, vel *compreſſum habens teſticulum*. LXX. habent *μόνορχις unius teſticuli*. Herniotus ergo hic vel eſt is qui hernia laborat. vel is cui, ut ab hernia curaretur, detractus fuit unus teſticulus.

V. 21 OMNIS QUI HABUERIT MACULAM aliquam ex dictis.

V. 22. VESCETUR TAMEN PANIBUS, &c. id eſt. comedet de carnibus, & ſacrificiis Deo oblatis.

V. 23. INTRA VELUM, intra tabernaculum, vel ſanctum. NON INGREDIATUR, ut adoleat thymiama. accendat lucernas, & ponat in menſa panes propoſitionis. NEC ACCEDAT AD ALTARE holocauſtorum, ut offerat victimas.

TIRINI.

Verſ. 1. NE CONTAMINETUR SACERDOS IN MORTIBUS, id eſt per cadavera CIVIUM, ſeu popularium SUORUM. tangendo ſcilicet cadaver, vel ingrediendo domum in qua iacuerit mortuus, feretrum, vel ſepulcrum tangendo, funeri aſſiſtendo, vel illud ſequendo, vel aliud faciendo quod ad planctum luctumve funebrem pertineret: nam his omnibus modis contrahebatur immunditia ſuper *a* mortuo: uti etiam contrahebatur cæde hominis, etiam licita in bello *b*, etiam caſuali.

Nota, diſcrimen hic duplex conſtitui inter ſummum pontificem & alios vulgares ſacerdotes. Primo, quod vulgaribus

Digitized by Google

bus ſacerdotibus liceret intereſſe funeri proximorum ſaltem conſanguineorum, puta patris, matris, filii, filiæ, fratris, & ſororis innuptæ; verum ſummo pontifici nullo caſu liceret ulli funeri intereſſe, aut quidquam circa ullum mortuum, ne proprium quidem patrem ſuum, facere ex omnibus iis quæ iam dixi contaminare ratione funeris: nam id hic verſu 10. & ſequentibus expreſſe illi vetatur, adeo ut nec caput quidem diſcooperire, aut cidari ſpoliare poſſit ratione funeris aut luctus; nec veſtimenta ſua ſcindere in funere, vel ex luctu; nec de atrio ſancto pedem efferre, cauſa mortui, liceret. Aliis vero de cauſis hæc ipſi vetita non erant. Ratio quoque additur tam rigidæ inhibitionis, quia ſpecialis unctio qua unctus eſt, ſpecialem quoque munditiam in eo, reverentiamque ſacrorum quæ continuo tractat, exigit: cumque populo debeat ipſe eſſe exemplar perfectionis, & omnibus prælucere maxime conſtantia & animi fortitudine, ad fidem aliis faciendam reſurrectionis, & vitæ æternæ, debet a luctu, & curatione funebrium quam longiſſime abeſſe, & a cadaveribus, quæ ſymbola ſunt peccati & mortis, prorſus abhorrere. Hunc ritum etiam dæmon, ut ſimius, æmulari voluit in ſuis Romæ, & alibi pontificibus, & Flaminibus Dialibus, ut teſtes ſunt Servius, Gellius, Feſtus & Tacitus *c*. Secundum diſcrimen erat quoad matrimonium, quod vulgares ſacerdotes, licet non poſſent in uxorem ducere ante ab alio corruptam aut repudiatam, ſed neque ſervam vel cauponariam, inquit Ioſephus, & Philo *d*, licet converſam & mundatam, quod illæ omnes de pudicitia ſint fere ſuſpectæ; poterant tamen ducere viduam, vel ignobilem, dummodo Hebræa eſſet, & de ſtirpe Iſraelitica. Verum ſummus pontifex vetatur hic *e* aliam quam virginem ducere, & nobilem ſeu ex illuſtri familia: quin nec ſtirpi ſuæ, id eſt filiis ſuis, poterat e vulgo aut fæce populi uxores accipere, quod hoc in contemptum & ignominiam pontificiæ dignitatis cedere videretur. Poterat tamen ex alia quam Levitica tribu, dummodo ex illuſtri familia, quamcumque vellet uxorem accipere. Patet exemplo Ioiadæ ſancti pontificis, qui uxorem duxit Ioiabeth de tribu Iuda, filiam regis Ioram, I. Paralip. xxii. verſ. 11.

Moralia huius capitis vide apud Sanctum Gregorium *f*.

(*a*) Levit. x. Num. xix. Philo & Ioſephus ſupra paſſ.
(*b*) Num. xxxi. verſ. 19. & Philo de Vita Moyſis, Lib. I. &c.
(*c*) Servius ad vi. AEneidos. Gell. Lib. X. cap. xv. Feſtus Lib. VI. Tacitus Lib. I. Levit. xxi. 7.
(*d*) Ioſeph Lib. III. Antiq. cap. x. Philo Lib. II. de Monarchia.
(*e*) verſ. 13. 14. 15.
(*f*) Greg. 1. p. Paſtor cap. ult.

GORDONI.

Verſ. 1. CAEremoniales hæ leges, ut multæ aliæ, proponuntur ſervandæ ſuo tempore. Vide ſupra cap. xvi. verſ. 1. In deſerto non fuit ſacrificatum per 40. annos, niſi in monte Sinai, de quo Exod. xvi. nec habebant thus, mel, vinum, & animalia, quæ iuſſit Deus offerri: veſcebantur omnes manna. Abulenſis obſervat, in deſerto tantum obligaſſe leges iudiciales, & morales: nam cæremoniales tantum erant in ordine ad ſacrificia; nec ſervabantur tunc, excepta aliqua expiatione, de qua Num. cap. v. verſ. 2. Nec in deſerto ſervabant feſta ulla, niſi ſabbatum.

V. 2. Inter alias leges ſacerdotales, prohibetur hic ne ſacerdotes in funeribus contaminentur, ſeu contrahant immunditiam. Recenſentur autem hic ſex caſus, in quibus licebat minoribus ſacerdotibus intereſſe funeribus. Vide Ioſephum Lib III. Antiq. cap. x.

V. 4. Vatablus hic ſecutus textum Hebraicum interpretatur hunc verſum, ne princeps populi ſe ſic contaminet; recte tamen noſter textus eſt de principe ſacerdotum, ut revera totum caput de ſacerdotibus eſt: ac proinde in Hebræo ante vocem בעל *babhal*, *princeps*, debet intelligi על *hhal*, *ſuper principe populi ſui*, ſcilicet non adſit ſacerdos.

V. 5. & 7. Prohibetur ſacerdotibus, ne cauſa funeris barbam radant: gentilitium hoc erat. Similia ſupra cap. x. Verſu ſeptimo oſtenditur, quales debeant eſſe inferiorum ſacerdotum uxores.

V. 10. Summus ſacerdos cauſa funeris non aperiet caput, nec ſcindet veſtimenta, ut ſupra capit. x. verſ. 6. Caiphas ex

ex alia cauſa ſcidit veſtimenta.

V. 11. Non contaminabitur, tangendo mortuos.

V. 12. Non egredietur de sanctis, ſeu ſanctuario, ſcilicet cauſa funeris: verum cum non habitaret in ſanctuario, licebat ex alia cauſa egredi.

V. 15. & 17. Novum præceptum eſt de ſumenda ſibi, & filiis honorata uxore, ex illuſtri familia, non autem e fæce populi. Verſu inſequente 17. ſermo eſt de ſacerdotibus qui ob maculas arcentur a miniſterio. *Macula* Heb. מום *mum*, Græce μῶμος: forte ut irregularitates apud nos.

V. 21. Nec panes, ſcilicet propoſitionis.

Verſ. 23. Intra velum non ingrediatur. Si de ſecundo velo loquitur, ſignificat non poſſe ſummum ſacerdotem.

Ex Eiusdem Auctario.

V. 9. Violavit nomen, notam, inuſſerit.

V. 17. 18. 20. Notatur hic macula; ſed accipe conſpicuam. Parvo naso, depreſſo, aut ſimo. Albuginem habens, in pupillæ nigredinem habens inſertam maculam albam.

CAPUT XXII.

Ab eſu ſanctificatorum qui abſtinere debeant, & quæ debeant offerri.

1 LOcutus quoque eſt Dominus ad Moyſen, dicens: 2. Loque-
re ad Aaron & ad filios eius, ut caveant ab his quæ con-
ſecrata ſunt filiorum Iſrael, & non contaminent nomen ſan-
ctificatorum mihi, quæ ipſi offerunt. Ego Dominus. 3. Dic
ad eos, & ad poſteros eorum: Omnis homo, qui acceſſerit
de ſtirpe veſtra ad ea quæ conſecrata ſunt, & quæ obtule-
runt filii Iſrael Domino, in quo eſt immunditia, peribit co-
ram Domino. Ego ſum Dominus. 4. Homo de ſemine Aa-
ron, qui fuerit leproſus, aut patiens fluxum ſeminis, non veſcetur de his quæ
ſanctificata ſunt mihi, donec ſanetur. Qui tetigerit immundum ſuper mortuo,
& ex quo egreditur ſemen quaſi coitus. 5. & qui tangit reptile, & quodlibet
immundum, cuius tactus eſt ſordidus, 6. immundus erit uſque ad veſperum, &
non veſcetur his quæ ſanctificata ſunt: * ſed cum laverit carnem ſuam aqua, 7.
& occubuerit ſol, tunc mundatus veſcetur de ſanctificatis, quia cibus illius eſt.
8. (*a*) Morticinum, & captum a beſtia non comedent, nec polluentur in eis.
Ego ſum Dominus. 9. Cuſtodiant præcepta mea, ut non ſubiaceant peccato, &
moriantur in Sanctuario, cum polluerint illud. Ego Dominus qui ſanctifico eos.
10. Omnis alienigena non comedet de ſanctificatis, inquilinus ſacerdotis & mer-
cenarius non veſcentur ex eis. 11. Quem autem ſacerdos emerit, & qui verna-
culus domus eius fuerit, hi comedent ex eis. 12. Si filia ſacerdotis cuilibet ex
populo nupta fuerit: de his quæ ſanctificata ſunt, & de primitiis non veſcetur. 13.
Sin autem vidua, vel repudiata, & abſque liberis reverſa fuerit ad domum patris
ſui: ſicut puella conſueverat, aletur cibis patris ſui. Omnis alienigena comeden-
di ex eis non habet poteſtatem. 14. Qui comederit de ſanctificatis per ignoran-
tiam, addet quintam partem cum eo quod comedit, & dabit ſacerdoti in San-
ctuarium. 15. Nec contaminabit ſanctificata filiorum Iſrael, quæ offerunt Domi-
no: 16. ne forte ſuſtineant iniquitatem delicti ſui, cum ſanctificata comederint.

Ego

Digitized by Google

Ego Dominus qui ſanctifico eos. 17. Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, di-
cens: 18. Loquere ad Aaron, & filios eius, & ad omnes filios Iſrael, diceſque ad
eos: Homo de domo Iſrael, & de advenis qui habitant apud vos, qui obtu-
lerit oblationem ſuam, vel vota ſolvens, vel ſponte offerens, quidquid illud ob-
tulerit in holocauſtum Domini, 19. ut offeratur per vos, maſculus immaculatus
erit ex bobus, & ovibus, & ex capris: 20. ſi maculam habuerit, non offeretis,
neque erit acceptabile. 21. (b) Homo qui obtulerit victimam pacificorum Do-
mino, vel vota ſolvens, vel ſponte offerens, tam de bobus quam de ovibus im-
maculatum offeret, ut acceptabile ſit: omnis macula non erit in eo. 22. Si cæ-
cum fuerit, ſi fractum, ſi cicatricem habens, ſi papulas, aut ſcabiem, aut im-
petiginem: non offeretis ea Domino, nec adolebitis ex eis ſuper altare Domini.
23. Bovem & ovem, aure & cauda amputatis, * voluntarie offerre potes, vo-
tum autem ex eis ſolvi non poteſt. 24. Omne animal, * quod vel contritis, vel
tuſis, vel ſectis ablatiſque teſticulis eſt, non offeretis Domino, & in terra veſtra
hoc omnino ne faciatis. 25. De manu alienigenæ non offeretis panes Deo veſtro,
& quidquid aliud dare voluerit: quia corrupta, & maculata ſunt omnia: non
ſuſcipietis ea. 26. Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens: 27. Bos, ovis,
& capra, cum genita fuerint, ſeptem diebus erunt ſub ubere matris ſuæ: die au-
tem octavo, & deinceps offerri poterunt Domino. 28. Sive illa bos, ſive ovis, non
immolabuntur una die cum fetibus ſuis. 29. Si immolaveritis hoſtiam pro gra-
tiarum actione Domino, ut poſſit eſſe placabilis, 30. eodem die comedetis eam,
non remanebit quidquam in mane alterius diei. Ego Dominus. 31. Cuſtodite
mandata mea, & facite ea. Ego Dominus. 32. Ne polluatis nomen meum ſan-
ctum, ut ſanctificet in medio filiorum Iſrael. Ego Dominus qui ſanctifico vos,
33. & eduxi de terra AEgypti, ut eſſem vobis in Deum. Ego Dominus.

(a) Exod. XXII. Sup. XVII. 15. Deut. XIV. 21. Ezech. XLIV. 31. (b) Deut. XV. 20. Eccli. XXXV. 8.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 6. *Sed cum laverit carnem ſuam aqua*. Alii pro *carnem ſuam* ſubſtituunt *corpus ſuum*, minus recte.

V. 23. *Voluntarie offerre potes*. Non mutes activum cum paſſivo, nec ſecundam perſonam cum tertia, *offerri poteſt*.

V. 24. *Quod vel contritis, vel tuſis*. Male ſcribunt plerique *tonſis*, quod eſt a tondeo, ſecundæ coniugationis: ſcribendum eſt enim *tuſis*, vel certe *tunſis*, a tundo, tertiæ coniugationis.

COMMENTARIA

S A.

Verſ 3. CAVEANT, ſcilicet quando ſunt impuri. HIS QUAE CONSECRATA SUNT, id eſt oblationibus. NOMEN SANCTIFICATORUM, id eſt ſanctificata.

V. 3. ET AD POSTEROS; quaſi dicat, id quod etiam ad poſteres pertinet IMMUNDITIA, ſcilicet aliqua ex ſequentibus. PERIBIT, id eſt occidetur, vel dignus fiet morte.

V. 9. IN SANCTUARIO, id eſt cauſa ſanctuarii, ſcilicet ob profanatum ſanctuarium.

V. 10. ALIENIGENA; id eſt, qui non ſit de gente ſacerdotali. Vide Num. III. & XVI. vel qui non ſit Iſraelita.

V. 12.

Digitized by Google

V. 12. Ex populo, id eſt non ſacerdotali genere: eſt enim Hebr. idem verbum quod proxime vertit *alienigenam*, id eſt extraneum.

V. 19. Ut offeratur per vos. Hebr. potius ſignificatur, *ut acceptum ſit*, ſcilicet Deo: & ſic explicat Chald.

V. 22. Papulas, id eſt verrucas, ſeu puſtulas.

V. 23. Aure et cauda amputatis. Chald. *ſuperfluum*, *vel diminutum.* Alii *enormibus membris*, *aut nimis parvis*.

Verſ. 24. Contritis, id eſt confractis.

V. 25. Alienigenae, id eſt gentilis, ſeu infidelis. Panes, id eſt ſacrificium: erat enim velut Dei cibus, præſertim holocauſtum. Intellige vero non poſſe offerri in propria ſpecie: nam ex pecunia a gentili data poterat emi quod offerretur.

V. 30. Non remanebit. Vide ſup. cap. VII.

V. 32. Polluatis, ſcilicet faciendo ut male propter vos audiat.

ESTII.

Verſ. 23. Bovem et ovem, aure et cauda amputatis, voluntarie offerre potes; votum autem ex iis ſolvi non potest. Videtur hoc contrarium iis quæ proxime præcedunt: nam ibi verſu 21. ſic legitur, *Homo qui obtulerit .... vel vota ſolvens*, *vel ſponte offerens*, *tam de bobus quam de ovibus*, *immaculatum offeret*; id eſt, quod vitium non habeat, & integrum ſit, ut eſt in Hebræo. Sed reſpondeo, hic tantum permitti ut ſacerdoti ſponte offeratur, qui id vel in ſuos uſus neceſſarios convertere poſſit, vel vendere, & pretium in uſum templi, vel ſacrificiorum impendere; non autem ut votum ex iis ſolvatur; id eſt, ut Deo in ſacrificium offeratur.

Verſ. 25. De manu alienigenae non offeretis panes Deo vestro, et quidquid aliud dare voluerit. Senſus eſt, alienigenam qui circumciſus non eſt, prorſus repelli ab omni oblatione per ſe facienda, etiamſi immaculata offerre vellet, quales erant alioqui panes. Immo de omnibus generaliter quæ eius ſunt, Scriptura loquitur, & cauſam addit: Quia corrupta et maculata sunt omnia: quod mox plenius explicabimus. Deinde alienigenæ offerre prohibebantur, nempe quia qui offerebant aliquid, intrabant atrium tabernaculi, ubi erat altare holocauſtorum: nefas autem erat Gentes eo admittere. Id ergo quod dicitur, *Quia corrupta & maculata ſunt omnia*, hunc habet ſenſum: Gentiles ipſi immundi ſunt, quia idolorum cultores, vel ſaltem incircumciſi, & proinde omnis eorum oblatio haberi debet tamquam immunda. Et videtur Apoſtolus Paulus ad Titum I. ad hunc locum alludere quando dicit: *Coinquinatis*, *& infidelibus nihil eſt mundum*, *ſed inquinatæ ſunt eorum & mens & conſcientia*: nempe eæ partes ſeu vires, quibus ſpirituales oblationes offeruntur. Eccleſia etiam aliquid ſimile obſervat. Nam ſicut ſacerdotes veteris teſtamenti prohibentur hic ſuſcipere oblationem omnem Gentilium, ita & Eccleſia vetat ſuſcipi oblationes excommunicati, uſurarii, aut cuiuſcumque manifeſti peccatoris, ſcilicet ad ſignificandum ſpirituales talium oblationes nondum Deo gratas eſſe, quamdiu in tali ſtatu permanent.

MARIANAE.

Verſ. 2. Ut caveant. Hebr. *Ut ſeparentur*: ne cum immundi ſunt ſacerdotes, ſacrificia contingant, & polluant.

Verſ. 4. Qui tetigerit immundum super mortuo. Hebr. *immundum animæ*: & *animam* ſumit pro cadavere. Ergo *immundum animæ* eſt cadaver immundum.

V. 9. Et moriantur in sanctuario. Vox *in ſanctuario* redundat. Verum quia dicit, *Ut non ſubiaceant peccato*, *& moriantur in eo*, Noſter pro *eo*, ſupplevit *ſanctuario*. Sept. *Moriantur propterea*, id eſt propter peccatum.

V. 12. Cuilibet ex populo nupta fuerit. Hebr. *Cum fuerit nupta alienigenæ*: ſic Sept. ſcilicet filia ſacerdotis non comedet ex iis quæ ſanctificata ſunt.

V. 14. In sanctuarium. Hebr. *in ſanctitatem*: nimirum ut inter ſanctificata ſit

ſit mulcta illa de qua agit, neque ad uſus profanos vertatur.

V. 19. UT OFFERATUR PER VOS. Hebr. *ad voluntatem veſtram*, nimirum quod vos probetis: nempe id holocauſtum ſubiectas conditiones habeat.

V. 22. SI CICATRICEM HABENS. Hebr. *mutilum*.

V. 25. DE MANU ALIENIGENAE NON OFFERETIS PANES DEO VESTRO. *Panes* pro *donis*, aut *oblationibus* accipiunt Sept. & Chald. *Nec reiicit dona omnia alienigenæ*, quod indicat verſio Hieronymi; ſed in quibus ſit aliqua ex ſupradictis maculis, ut docent Hebraica.

V. 29. UT POSSIT ESSE PLACABILIS. Hebr. *Ad beneplacitum veſtrum ſacrificabitis*, nimirum nulla lege cogente. Agit de hoſtia pacificorum, quam quiſque pro voluntate, & non coactus offerebat. De hoc cap. XIX. verſ. 5. ſed melius cap. XXIII. verſ. 11.

MALVENDAE.

Verſ. 2. UT CAVEANT. Hic Vau ut converſivum accipimus, *Et ſeparati fuerunt*, ut certitudo præteriti vim ſententiæ intendat; quaſi dicat: Cumprimum eis voluntatem meam denuntiaveris, certiſſime iuſſa faciant, abſque ulla mora, aut tergiverſatione. Hic נזר *nazar*, *ſeparari*, *ſegregari*, *abſtinere*, *ex ſanctimonia*, *reverentia*, *religione* ſignificat. Atque exponunt, *Ut ſeparent ſe*, nimirum cum ex aliqua impuritate ſunt immundi, de qua verſ. 4. & ſeqq. aut ſunt inepti quocumque modo, cuius generis multa capite præcedenti, & deinceps plura exponuntur. AB HIS QUAE CONSECRATA SUNT. Heb. *a ſanctitatibus*, id eſt de conſecratis Deo, ab iis quæ Deo oblata ſunt. Sic deinceps toto capite.

V. 3. IN QUO EST IMMUNDITIA, nempe impuritas aliqua ex iis de quibus leges habentur iam inde a cap. 11. & deinceps.

V. 4. AUT PATIENS FLUXUM SEMINIS, gonorrhœa laborans. IMMUNDUM SUPER MORTUO. Heb. *Contaminatus animæ*, id eſt propter tactum mortui, aut quia curavit funus, aut funeri interfuit. Vide cap. XXI. verſ. 1.

V. 5. QUODLIBET IMMUNDUM, CUIUS TACTUS EST SORDIDUS. Heb. *Omni contaminationi eius*, vel *ſecundum omnem impuritatem eius*; id eſt, quacumque tandem impuritate ſit ille impurus.

V. 7. ET OCCUBUERIT SOL. Heb. *Et venit, ingreſſus eſt ſol*. Vide Geneſ. XV. 12. & Geneſ. XXVIII. 11.

V. 9. CUSTODIANT PRAECEPTA MEA, &c. Hunc verſum aliquanto obſcurum, & ambiguum in Hebræo, varie elucidant. I. *Et cuſtodiant cuſtodiam meam, & ne portent peccatum propter illud, & moriantur propter illud cum polluerint illam*. *Cuſtodiam meam* intelligunt præcepta & leges meas, quas volo obſervari. *Et ne portent peccatum propter illud*; id eſt, ne dent pœnas propterea quod tranſgreſſi fuerunt cuſtodiam meam. *Cum polluerint eam*, ſubaudi cuſtodiam, id eſt leges meas. II. *Obſervent igitur obſervationem meam, ne accerſant ſibi noxam, & moriantur in ea*, ſubaudi noxa, *ſi profanaverint illam*, ſubaudi obſervationem meam, id eſt leges. III. *Sic obſervabunt obſervationem meam, ut non importent in illam* rem ſanctam *peccatum, ac moriantur in eo, qui profanaverint illam*. Exponuntque, *obſervationem meam*, id eſt cuſtodiam & obſervantiam ſanctuarii mei, & totius loci ſancti, ut ſequentia verba commonſtrant accipi oportere. Quidam annotant, præcipi hic ut ſoli ſacerdotes mundi & puri agerent cuſtodias tabernaculi, ita quod mundos oportebat eſſe ſacerdotes tempore quo erant in cuſtodia tabernaculi, ſeu templi, a quo munere cuſtodiendi excludebantur ſacerdotes immundi: per vices enim cuſtodias exercebant. Nec intelligunt, quod propterea nocturnis vigilias agerent, ut fit in arcibus, & præſidiis militaribus; ſed quod die noctuque aliqui ſacerdotes tabernaculo adeſſent ad ſacrificia, & cuſtodiam tabernaculi. QUI SANCTIFICO EOS. Hebr. *Sanctificans eos*. Quidam, *Sanctificator eorum*, videlicet rerum ſanctarum, eas a profanatione vendicans, quia oblatas mihi pro ſanctis habeo.

V. 10. ALIENIGENA. Heb. *alienus*, *extraneus*, id eſt qui non eſſet de genere ſacerdotali: unde excluduntur Levitæ, & omnes alii Iſraelitæ, ut ex verſ. 12. maniſeſte apparet. Sic זר *zar* capitur etiam verſ. 12. INQUILINUS SACERDO-

tis. Quidam accipiunt de ſervo ſacerdotis acquiſito in perpetuum, cuius auricula ſubula perforata fuerit, poſt donatam ſibi libertatem, & noluerit abire. Alii univerſe de eo qui apud ſacerdotem degit, ſive advena, ſive civis, ſive liber, ſeu ſervus fuerit non emptus eius pecunia, aut non vernaculus eius, ut in ſequenti verſu excipiuntur. Et hoc eſt rectius.

V. 14. In sanctuarium. Heb. poſſunt reddi, *ad ſanctitatem*. Aliqui, *cum ſanctificato*; id eſt cum æquivalenti eius quod comedit. Alii: *Reddetque ſacerdoti rem ſanctam*: fortaſſe quæ ſuperfluit.

V. 16. Ne forte sustineant iniquitatem delicti sui, &c. Heb. *Et elevare facient eos iniquitatem delicti*, ſubaudiunt negationem ex præcedenti verſu: *Neque portare facient eos iniquitatem delicti*; id eſt, non efficient, aut non erunt in cauſa ut plebs peccet exemplo eorum; quaſi dicat: Non erunt ſcandalo plebi. Quidam Hebræorum reddunt: *Et non facient ſeipſos ferre iniquitatem ſuam*. Alii: *Neque ſinant eos*, nimirum qui præter legem veſcentur ſacris, *ferre pœnam reatus*. Quidam: *Ne ſibi adſciſcant iniquitatem*, id eſt pœnam, vel culpam.

V. 18. De Advenis. Heb. *De peregrino*. Proſelytum intelligunt: nam infidelium oblationem nullam Deo gratam eſſe, infra verſ. 25.

V. 19. Ut offeratur per vos Heb. *beneplacito*, vel *in*, *ad*, *beneplacitum veſtrum*, vel *veſtri*. Vide hanc phraſim explanatam ſupra cap. xix. verſ. 5. ſic etiam infra verſ. 20. 21. 29. Quidam, *in placationem* pro *vobis* ut placeatur vobis Deus: alii, *ut grati ſitis*: nonnulli, *ut accepta ſit vobis* oblatio: aliqui, *ſponte veſtra*, *pro voluntate*, aut *beneplacito veſtro* offeretis. Et ovibus. Heb. *Ex agnis*: quidam ſynechdochen eſſe volunt, pro *ex ovibus*. Alii כשבים *ceſabim* nomen eſſe ſpeciei recte obſervant, ut oves & agnos complectatur. Sic infra verſ. 27.

V. 22. Si cicatricem habens. חרוץ *charutz*, *conciſum*, *inciſum*, *reſectum*. Aliqui *mutilum*; alii *ſciſſuram habens*, quod ſcilicet habet vel labium, vel palpebram ſciſſam, aut ſupercilium: quidam reddunt *ſemifractum*. Si papulas. יבלת *iabbeleth* aiunt eſſe *verrucam*, *tuberculum*, id eſt concretam & confuſam carnem, a בלל *balal*. Quidam a יבל *iabal* deducunt, quaſi *productionem*, & *excreſcentiam carnis*. Nonnulli *inflationem* reddunt. Alii *fluxum*, *bullam fluentem*, *papillam producentem fluxum*. Noſter *papulam* dixit. A בול *bul*, vel נבל *nabal*, poſſis reddere *marcorem*, *marciditatem*, *flacciditatem*, ab eiſdem radicibus. Quidam hoc nomen, & duo ſequentia adiective reddunt, *verrucatum*, vel *verrucoſum*, *ſcabioſum*, *impetiginoſum*. Sed vere in Hebræo omnia ſunt ſubſtantiva, *verruca*, *ſcabies*, *impetigo*. Sic eleganti Hebraiſmo dicta animalia plena verrucis, aut ſcabie, aut impetigine.

V. 23. Aure et cauda amputatis. Heb. *Excretum*, *prælongum*, *exceſſivum*: שרוע *ſaruagh*, de qua voce diximus cap. xxi. verſ. 18. & קלוט *kalut*, exponunt *contractum*, *curtum*, membro aliquo: aiunt eſſe contrarium *ſaruagh*. Hebræi volunt eſſe illum cuius coxæ, aut pedes ſunt reſtricti, & contracti. Aliqui reddunt *deficiens*, *diminutum*. LXX. & Noſter duas has voces ita acceperunt, quaſi diceret Moſes bovem, & pecudem, cui *excreſcentia*, ſeu *ſuperfluitas*, ſcilicet aurium, & caudæ, *contracta*, ſeu *decurtata*, id eſt amputata fuerit.

V. 24. Testiculis. Non eſt Hebraice, ſed recte intellectum a Noſtro. Hebraice hic verſus generalius concipitur: *Et compreſſum*, infixum, impulſu, & impactu fractum; *& contuſum*, contritum, comminutum; *& ruptum*, avulſum, divulſum, diſſectum, diſcatenatum. Hebræi exponunt, eum eſſe cuius teſticuli manu ſunt evulſi, ita ut ſint rupta fila ſeu funiculi, & venæ, e quibus pendebant; ſed contineantur intra burſam, quæ evulſa non ſit. Aliqui, *eradicatum*, *extirpatum*, *& exciſum*, ſucciſum, amputatum. Et in terra vestra hoc omnino ne faciatis. Quidam reddunt: *Et in regione veſtra ne fieri ſinatis iſtud*; id eſt, vobis nefas eſto contravenientes ferre in Chananæa veſtra. Ex verbo: *Et in terra veſtra non facietis*; id eſt, non ſacrificabitis eiuſmodi.

V. 25. Alienigenae; id eſt, qui genere, & fide alienus eſt a vobis; qui nec gente, nec religione eſt Iſraelita: nam ex peregrino proſelyto licuit accipere, ſupra verſ. 18. Aliqui intelligunt non licuiſſe ab alieno accipere res oblatas in propria qui-
dem

Digitized by Google

dem ſpecie, ſed tamen pecuniam in ſumptus ſacrificiorum licuiſſe accipere, II. Machab. III. 3. & cap. IX. verſ. 16. & Eſdræ VII. verſ. 23. PANES DEO VESTRO. Heb. *Panem*, vel *cibum Dei veſtri*. Notant, ſacrificia, vel oblationes illas, præſertim quæ igne abſumebantur, appellari frequenter in lege panem, & cibum Dei, ut multis locis explicatur. ET QUIDQUID ALIUD DARE VOLUERIT. Hebr. *De omnibus iſtis*, nimirum quæ lege non apta ſunt ad ſacrificium. QUIA CORRUPTA ... SUNT. Heb. *Quia corruptio eorum in eis*. Exponunt: Id eſt, cum qui offerunt, corrupti ſunt ipſi infidelitate ſua; tum oblationes vitioſæ & illegitimæ: ac proinde vos, o ſacerdotes, duobus hiſce nominibus oportet iſtas oblationes iſtorum averſari: id enim a vobis non eſſet acceptaturus Deus. NON SUSCIPIETIS EA. Heb. *Non acceptabuntur* (non placebunt) *vobis*: geminum ſenſum hæc verba habent. I. Non acceptabuntur, non ſuſcipientur a vobis: quem ſenſum Vulgatus expreſſit. II. Non acceptabuntur a Deo, non grata erunt Deo, non placebunt Deo, pro vobis, in gratiam veſtri.

V. 27. SEPTEM DIEBUS ERUNT SUB UBERE MATRIS SUAE: nam propter corporis recentis imbecillitatem ac teneritudinem inepta ſunt ad ſacrificium ante diem octavum.

V. 28. NON IMMOLABUNTUR. Heb. *Non mactabitis*, *iugulabitis*, videlicet ad ſacrificium, nam ad eſum non prohibebatur.

V. 29. UT POSSIT ESSE PLACABILIS. Heb. *In beneplacitum veſtrum*, vel *veſtri*: idem omnino idiotiſmus qui ſupra verſ. 19. Ibi vide.

V. 32. UT SANCTIFICER. Explicant: Id eſt, ut promiſſiones meas in vobis compleam, ad gloriam nominis mei: quas promiſſiones avertit hominum infidelitas ac perfidia. Vide ſupra cap. x. verſ. 3.

MENOCHII.

Verſ. 2. CAVEANT, abſtineant, cum ipſi ſunt immundi. QUAE CONSECRATA SUNT: quæ Deo quomodolibet oblata ſunt. Non eſt ſermo de iis quæ levitis tantum, & ſacerdotibus offeruntur in alimoniam, cuiuſmodi v. g. erant decimæ. NON CONTAMINENT NOMEN SANCTIFICATORUM MIHI: ne mihi oblatis, & ſanctificatis notam impuritatis aſpergant. In Hebr. habetur: *Et non contaminent nomen ſanctum meum in his quæ ſanctificant mihi*.

V. 3. QUI ACCESSERIT, comedendi cauſa. IN QUO EST IMMUNDITIA, quæ explicatur num. 4. ſi ſcilicet ſit leproſus, ſemine pollutus, &c. PERIBIT CORAM DOMINO. Hebr. *Exſcindetur anima illa a facie mea*, id eſt *a me*, ut vertunt LXX.

V. 4. QUI TETIGERIT IMMUNDUM SUPER MORTUO, propter mortuum, occaſione alicuius funeris. LXX. *Qui tetigerit immunditiam*.

Verſ. 5. ET QUODLIBET IMMUNDUM. Hebr. *Et hominem qui contaminare poteſt*, uti eſt leproſus, menſtruata, ſeminiſluus. CUIUS TACTUS EST SORDIDUS, quia eum quem tangit immundum reddit, ita ut non liceat ei de carnibus ſacris comedere.

V. 7. QUIA CIBUS ILLIUS EST; id eſt, quia pertinet ad eum comedere de cibis Deo oblatis.

V. 8. MORTICINUM, quod per ſe ipſum mortuum eſt. CAPTUM A BESTIA, laceratum a feris.

V. 9. MORIANTUR IN SANCTUARIO, occidantur a me in ſanctuario, ut occiſi ſunt Nadab & Abiu.

V. 10. ALIENIGENA, qui non eſt de gente ſacerdotali, nec de ſtirpe Aaron. INQUILINUS SACERDOTIS, ET MERCENARIUS, qui moratur cum ſacerdote, ſed non eſt de ſtirpe eius; moratur autem tamquam hoſpes, mercenarius, aut peregrinus.

V. 11. QUEM AUTEM SACERDOS EMERIT, &c. ſervi, & vernaculi; id eſt, ſervi dominati, qui toti ſunt ſui domini & heri, poterant veſci ſanctificatis, uti dominus ipſe cum ſuis filiis.

V. 12. SI FILIA SACERDOTIS CUILIBET EX POPULO NUPTA FUERIT: DE HIS QUAE SANCTIFICATA SUNT, ET DE PRIMITIIS NON VESCETUR: quia per nuptias iam in aliam familiam popularem commigravit. Uxor vero ſacerdotis iis veſci poterat, quia una caro, & una perſona cenſetur cum mari-

 to

to ſacerdote. *De primitiis*. Primitiæ hic vocantur prima, & electa, quæ Deo offeruntur & ſanctificantur, ut patet ex Hebræo, ſic etiam capitur hæc vox Exod. xxv. 1.

V. 14. ADDET QUINTAM PARTEM, pro iniuria irrogata tabernaculo, vel ſacerdoti debebat etiam dare arietem Deo in ſacrificium, ut dictum eſt cap. v. 15. SACERDOTI IN SANCTUARIUM, ad uſus vel ſacerdotis, vel ſanctuarii. Si ſanctificata ab illo abſumpta pertinebant ad ſanctuarium, ut ſi caput, aut caudam comediſſet, in ſacrificio pro delicto, reſtitutio erat facienda ſanctuario; ſi pertinebant ad ſacerdotem, ſacerdoti.

V. 15. NEC CONTAMINABUNT SANCTIFICATA, comedendo illa, cum non ſint de genere ſacerdotali.

V. 18. DE ADVENIS, proſelytis.

V. 19. QUIDQUID OBTULERIT IN HOLOCAUSTUM, &c. Holocauſti victima ex maſculis tantum; pacifica, vel pro peccato etiam ex femellis offerri poterat.

V. 21. OMNIS MACULA, nulla macula.

V. 22. SI FRACTUM: ſi fractos habeat pedes, vel lumbos, vel oculum. SI PAPULAS, verrucas. ſeu puſtulas.

V. 25. ALIENIGENÆ, Gentilis manentis in ſua ſuperſtitione. PANES, ſacrificia, quæ ſunt quaſi panis, id eſt cibus Dei. LXX. vertunt *Dona*. CORRUPTA ET MACULATA SUNT, eo quod ipſi offerentes corrupti ſint, quia idololatræ.

V. 27. DIE OCTAVO, non prius, quia primis ſeptem diebus fetus eſt nimis tener. Vide dicta Exod. XXII. 30.

V. 28. NON IMMOLABUNTUR UNA DIE CUM FETIBUS SUIS, quia hoc crudele videtur.

Verſ. 32. NE POLLUATIS NOMEN MEUM. Ne per inobedientiam, & corruptos mores faciatis ut gentes blaſphement nomen meum. QUI SANCTIFICO VOS, iubeo vos eſſe ſanctos.

TIRINI.

Verſ. 10. OMNIS ALIENIGENA NON COMEDET DE SANCTIFICATIS, id eſt de carnibus Deo ſacris quæ ex hoſtia pacifica cedebant in partem ſacerdotis. Et in hoc differebant hæ partes ab aliis etiam eiuſdem victimæ partibus quas laici offerentes ſecum domum referebant. Nam ad has laicorum partes abſumendas adhiberi poterant quilibet Hebræi, ſi modo mundi eſſent; ad partes vero quæ ſacerdoti cedebant, puta ad armum dexterum, & pectuſculum, ſolus ſacerdos, & omnes eius domeſtici, uxor, filii, filiæ, ſervi ſeu vernaculi, ſeu emptitii, poterant adhiberi; nullus vero alienigena, ſeu de alia quam ſacerdotali gente, & qui non ſit de familia domeſtica ſacerdotis: nullus item inquilinus, id eſt qui eadem quidem ſacerdotis domo, ſeu eiuſdem domus parte aliqua, tamquam in conducto habitet, ſed aliam familiam conflet; ut ſæpe fit, in eadem domo plures eſſe familias: nullus denique mercenarius, ſeu qui ad tempus operas ſuas locat ſacerdoti. Ratio horum eſt, quia hi omnes, licet aliquo modo videantur ad ſacerdotem pertinere, tamen non ſunt de familia ſacerdotis, cui familiæ ſoli eſus illarum carnium permiſſus fuit: nec potuit commode ulli de familia, etiam ſervo, aut ancillæ, eſus illarum vetari, propter periculum nimis alioqui magnum furti, & ſacrilegii, quod a mercenariis, inquilinis, & aliis ad familiam non ſpectantibus nullum imminebat. Ita Philo, Ioſephus *a* & alii.

V. 21. OMNIS MACULA NON ERIT IN VICTIMA. Per maculam intelligit hic, & alibi paſſim non colorem infeſtum, ſed omne vitium ſeu defectum in ſubſtantia, verbi gratia ſi (vt ſubdit) animal cæcum fuerit, ſi fractum, mutilum vel mancum, ſi cicatricem deformem habens, ſi papulas ſeu verrucas, aut ſcabiem, aut impetiginem, offerri Deo non poterat. Aure, & cauda mutilatum, quod hi defectus cenſerentur exigui eſſe momenti, poterat offerri in ultronea ſeu ſpontanea oblatione; ſed in votiva, ſeu quæ ex voto debebatur, ac proinde debebat merito perfectior eſſe, non poterat offerri.

Tropologice per aurem obedientia, per caudam ſignificatur perſeverantia: quæ licet in opere libero ſæcularium, ut Deo placeat, abeſſe poſſint; certe in iis qui vovent perfectionis ſtatum, abeſſe non poſſunt. inquit Radulphus.

Allegorice mundities illa omnis tum victimarum, tum comedentium victimas antiquæ legis, ſignificabat inſignem puritatem

tem

Digitized by Google

tem ab iis exactum iri in nova lege qui participes futuri eſſent ſacrificii pretioſiſſimi corporis & ſanguinis Chriſti, inquit S. Baſilius *b*.

V. 25 DE MANU ALIENIGENAE NON OFFERETIS PANES DEO, ET QUIDQUID DARE VOLUERIT. Latius hic ſumitur alienigena pro omni eo qui non eſſet de genere, aut religione Iudaica: a quali manu, quia immunda, vetantur hic ſacerdotes ullam oblationem ad altare Dei offerendam accipere. Subintellige. immediate: nam mediate id licuiſſe ſuſe docet Ioſephus *c*, & exemplis S. Scripturæ paſſim comprobatur: nempe pecunias a Gentilibus accipiebant, quibus per Iudæos victimæ coemebantur, etiam pro ipſis Gentilibus offerendæ in templo. Ita II. Machabæorum III. Seleucus Aſiæ rex præſtabat de ſuis redditibus omnes ſumptus ad miniſterium ſacrificiorum neceſſarios. Et de Auguſto Cæſare idem teſtatur Philo *d*, & de aliis Romanis Ioſephus *e*.

(*a*) Philo & Ioſeph. ſup.
(*b*) Baſ. ſer. II. de Baptiſmo cap. II. & III.
(*c*) Ioſeph. Lib. II. Belli cap. XVII.
(*d*) Philo Lib. de Legat. ad Caium.
(*e*) Ioſeph. ſup.

GORDONI.

Verſ. 2. ARcentur immundi ſacerdotes a ſacrificiis. ET NON CONTAMINENT NOMEN SANCTIFICATORUM MIHI; hoc eſt, non contaminent ea quæ mihi ſunt ſanctificata.

Verſ. 4. QUI TETIGERIT IMMUNDUM SUPER MORTUO; hoc eſt, qui eſt immundus, quia tetigit alium ex contactu mortui immundum. Diſtingue reliqua, ita ut non ſit immundus qui tangit eum ex quo egreditur ſemen, ſed ipſemet ex quo eſt decíſum ſemen.

V. 9. IN SANCTUARIO, id eſt ob Sanctuarium profanatum.

V. 10. ALIENIGENA. Hic eſt qui non eſt aliquo modo de genere ſacerdotali. Græce αλλογενής. In Hebr. eſt vox זר *zar*, radix זור *zor*: hic eſt participium tranſiens in naturam nominis: & univerſe deſignat alienum genere, vel religione: Atque hinc aliquando זר *zar*, vocatur qui non eſt de ſtirpe Levi: & interdum pro eo qui eſt de gente & genere Iudæorum. INQUILINUS eſt qui habitat in parte domus ſacerdotalis conducta, ut poſſunt eſſe in una domo plures familiæ. MERCENARIUS eſt qui ad tempus locat operas ſuas.

V. 14. DABIT... IN SANCTUARIUM; hoc eſt, ut rem ſanctam, ſeu ut ſit res ſancta: Nec eſt in Hebræo vox ſignificans proprie ſanctuarium: erit ergo inter ſanctificata, mulcta iſta.

V. 24. OMNE ANIMAL, &c. Recte hic recentiores contra Eugubinum propugnant textum vulgatum: nam ex Pagnino, Caietano, Chaldæa paraphraſi, & Septuaginta, conſtat in noſtro textu recte eſſe, *rò ablatis teſticulis*.

V. 25. Hic per alienigenam intellige eum qui nec eſt de genere Hebræorum, nec communione religionis ad eos pertinet. Nec contra hanc prohibitionem eſt illud II. Mach. cap. III. verſ. 3. *Seleucus Rex dedit ſumptus pro ſacrificiis*: tantum enim mediate offerebat, data fundatione, & reditu. Immo accipi poterat pecunia a gentilibus pro emenda materia ſacrificii.

V. 29. Agitur de hoſtia pacifica quam quiſque libere offerebat.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 1. In his oblationibus quæ prohibentur immundis, non comprehenduntur decimæ, & quæ dari debent ad alimoniam.

V. 12. Primitias hic intellige, ut Exod. XXV. 1. de primis & ſelectis quæ offeruntur Deo.

V. 18. ADVENIS, proſelytis.

V. 22. PAPULAS. Sunt verrucæ, aut puſtulæ.

V. 28. NON IMMOLABUNTUR UNA DIE CUM FETIBUS SUIS. Crudele videretur.

CA-

CAPUT XXIII.

Solemnitates ſabbati, paſchæ, primitiarum, hebdomadarum, meſſis, tubarum, expiationis, ac tabernaculorum, & quibus ritibus peragi debeant.

1 LOcutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens: 2. Loquere fi-
liis Iſrael, & dices ad eos: Hæ ſunt feriæ Domini, quas
vocabitis ſanctas. 3. Sex diebus facietis opus: dies ſepti-
mus, quia ſabbati requies eſt, vocabitur ſanctus: omne o-
pus non facietis in eo: ſabbatum Domini eſt in cunctis ha-
bitationibus veſtris. 4. Hæ ſunt ergo feriæ Domini ſanctæ,
quas celebrare debetis temporibus ſuis. 5. (a) Menſe primo,
quartadecima die menſis ad veſperum, phaſe Domini eſt:
6. & quintadecima die menſis huius, ſolemnitas azymorum Domini eſt. Septem
diebus azyma comedetis: 7. dies primus erit vobis celeberrimus, ſanctuſque: o-
mne opus ſervile non facietis in eo: 8. ſed offeretis ſacrificium in igne Domino
ſeptem diebus: dies autem ſeptimus erit celebrior & ſanctior: nullumque ſervile
opus facietis in eo. 9. Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens: 10. Loque-
re filiis Iſrael, & dices ad eos: Cum ingreſſi fueritis terram, quam ego dabo
vobis, & meſſueritis ſegetem, feretis manipulos ſpicarum, primitias meſſis ve-
ſtræ, ad ſacerdotem: 11. qui elevabit faſciculum coram Domino, * ut accepta-
bile ſit pro vobis, altero die ſabbati, & ſanctificabit illum. 12. Atque in eodem
die quo manipulus conſecratur, cædetur agnus immaculatus anniculus in holo-
cauſtum Domini. 13. Et libamenta offerentur cum eo, duæ decimæ ſimilæ con-
ſperſæ oleo in incenſum Domini, odoremque ſuaviſſimum: liba quoque vini,
quarta pars hin. 14. Panem, & polentam, & pultes non comedetis ex ſegete,
* uſque ad diem qua offeretis ex ea Deo veſtro. Præceptum eſt ſempiternum in
generationibus, cunctiſque habitaculis veſtris. 15. (b) Numerabitis ergo ab al-
tero die ſabbati, in quo obtuliſtis manipulum primitiarum, ſeptem hebdomadas
plenas, 16. uſque ad alteram diem expletionis hebdomadæ ſeptimæ, id eſt quin-
quaginta dies: & ſic offeretis ſacrificium novum Domino 17. ex omnibus habi-
taculis veſtris, panes primitiarum duos de duabus decimis ſimilæ fermentatæ, quos
coquetis in primitias Domini. 18. Offeretiſque cum panibus ſeptem agnos imma-
culatos anniculos, & vitulum de armento unum, & arietes duos, & erunt in
holocauſtum cum libamentis ſuis, in odorem ſuaviſſimum Domino. 19. Facietis
& hircum pro peccato, duoſque agnos anniculos hoſtias pacificorum. 20. Cum-
que elevaverit eos ſacerdos cum panibus primitiarum coram Domino, cedent in
uſum eius. 21. Et vocabitis hunc diem celeberrimum, atque ſanctiſſimum: omne
opus ſervile non facietis in eo. Legitimum ſempiternum erit in cunctis habitacu-
lis, & generationibus veſtris. 22. (c) Poſtquam autem meſſueritis ſegetem terræ
veſtræ, non ſecabitis eam uſque ad ſolum: nec remanentes ſpicas colligetis, ſed
pauperibus & peregrinis dimittetis eas. Ego ſum Dominus Deus veſter. 23. Lo-
cutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens: 24. (d) Loquere filiis Iſrael: Menſe
ſe-

Digitized by Google

ſeptimo, prima die menſis, erit vobis ſabbatum, memoriale, clangentibus tubis, & vocabitur ſanctum: 25. omne opus ſervile non facietis in eo, & offeretis holocauſtum Domino. 26. Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens: 27. (e) Decimo die menſis huius ſeptimi, dies expiationum erit celeberrimus, & vocabitur ſanctus: affligetiſque animas veſtras in eo, & offeretis holocauſtum Domino. 28. Omne opus ſervile non facietis in tempore diei huius: quia dies propitiationis eſt, ut propitietur vobis Dominus Deus veſter. 29. Omnis anima, quæ afflicta non fuerit die hac, peribit de populis ſuis: 30. & quæ operis quidpiam fecerit, delebo eam de populo ſuo. 31. Nihil ergo operis facietis in eo: legitimum ſempiternum erit vobis in cunctis generationibus, & habitationibus veſtris: 32. ſabbatum requietionis eſt, & affligetis animas veſtras die nono menſis. A veſpera uſque ad veſperam celebrabitis ſabbata veſtra. 33. Et locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens: 34. Loquere filiis Iſrael: A quintodecimo die menſis huius ſeptimi (f) erunt feriæ tabernaculorum ſeptem diebus Domino. 35. Dies primus vocabitur celeberrimus atque ſanctiſſimus: omne opus ſervile non facietis in eo. 36. Et ſeptem diebus offeretis holocauſta Domino: dies quoque octavus erit celeberrimus atque ſanctiſſimus, & offeretis holocauſtum Domino: eſt enim cœtus atque collectæ: omne opus ſervile non facietis in eo. 37. Hæ ſunt feriæ Domini, quas vocabitis celeberrimas atque ſanctiſſimas, offeretiſque in eis oblationes Domino, holocauſta & libamenta iuxta ritum uniuſcuiuſque diei: 38. exceptis ſabbatis Domini, doniſque veſtris, & quæ offeretis ex voto, vel quæ ſponte tribuetis Domino. 39. A quintodecimo ergo die menſis ſeptimi, quando congregaveritis omnes fructus terræ veſtræ, celebrabitis ferias Domini ſeptem diebus: die primo & die octavo erit ſabbatum, id eſt requies. 40. Sumetiſque vobis die primo fructus arboris pulcherrimæ, ſpatulaſque palmarum, & ramos ligni denſarum frondium, & ſalices de torrente, & lætabimini coram Domino Deo veſtro. 41. Celebrabitiſque ſolemnitatem eius ſeptem diebus per annum: legitimum ſempiternum erit in generationibus veſtris. Menſe ſeptimo feſta celebrabitis, 42. & habitabitis in umbraculis ſeptem diebus: omnis, qui de genere eſt Iſrael, manebit in tabernaculis: 43. ut diſcant poſteri veſtri, quod in tabernaculis habitare fecerim filios Iſrael, cum educerem eos de terra AEgypti. Ego Dominus Deus veſter. 44. Locutuſque eſt Moyſes ſuper ſolemnitatibus Domini ad filios Iſrael.

(a) Exod. XII. 18. Num. XXVIII. 16. (b) Deut. XVI. 9. (c) Sup. XIX. 9. (d) Num. XXIX. 7. (e) Sup. XVI. 29. Num. XXIX. 7. (f) Ioan. VII. 37.

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

V. 11. *Ut acceptabile ſit*. Neutrum *acceptabile* cum maſculino *acceptabilis* non commutetur.

V. 14. *Uſque ad diem qua offeretis ex ea Deo veſtro*. Futurum indicativi *offeretis* non eſt corrigendum per præſens coniunctivi *offeratis*.

COM-

COMMENTARIA

S A.

Verſ. 2. FERIAE DOMINI, id eſt feſti dies, Domini cultui dicati. VOCABITIS SANCTAS, id eſt ſanctè celebrabitis. Nota, feſta quædam uno die celebrari, ſcilicet quæ inſtituta in memoriam rei uno die geſtæ; alia vero pluribus diebus, quod eſſent in memoriam rerum pluribus diebus geſtarum.

V. 3. OMNE OPUS, ſcilicet etiam ciborum præparationem, quæ in ſabbato prohibita, non in aliis feſtis.

V. 5. AD VESPERUM. Hebr. *inter duas veſperas*, ſcilicet inter occaſum ſolis & noctem. Vide Exod. XII. LXX. *inter veſpertina*.

V. 7. SERVILE. Hic non includuntur ciborum præparationes.

V. 8. SACRIFICIUM IN IGNE, ſcilicet holocauſtum. Vide Num. XXVIII. CELEBRIOR, ſcilicet intermediis, non autem primo; vel pro celeberrimus, ſcilicet ut primus.

V. 10. SEGETEM, ſcilicet hordeaceam: de triticea vide Exod. XXXIV.

V. 11. ELEVABIT, ſcilicet offerendo. ALTERO DIE SABBATI, id eſt poſtridie paſchæ, ſcilicet 16. luna, nam paſcha 15.

V. 13. LIBA, id eſt libamen, ſeu libatio.

V. 14. POLENTAM, ſcilicet ex frumento toſto, aut frixo. Chald. *grana torrefacta*. LXX. *farra toſta*.

V. 15. AB ALTERO, ſcilicet incluſive. Putant autem quidam cum 16. erat ſabbatum, ut tempore paſſionis Chriſti, ſolitum numerari a 17. quia ſabbato non poterant colligi manipuli, & ſiccari, &c. (quamquam alii aliam cauſam reddant) itaque pentecoſtem Iudæorum tunc, & noſtrum in eumdem diem incidiſſe. HEBDOMADAS. Heb. *ſabbata*. Sic Luc. XVIII. *in ſabbato*, in hebdomada. PLENAS, id eſt integras.

V. 16. ALTERAM: quia ſcilicet ſeptem hebdomadæ faciunt dies 49. tantum. EXPLETIONIS, id eſt poſt expletas. NOVUM, id eſt ex novo frumento.

V. 19. FACIETIS, id eſt offeretis, ſeu ſacrificabitis.

V. 21. CELEBERRIMUM. Celebrabatur in memoriam datæ legis in monte Sinai.

V. 22. AD SOLUM. Hebr. *ad angulum*; quaſi dicat: Aliquid relinquite pauperibus. Vide ſup. cap. XIX.

V. 24. SABBATUM, id eſt quies, ceſſatio; quaſi dicat, dies feſtus. MEMORIALE, ſcilicet in memoriam liberati Iſaac ab immolatione ſecundum Hebræos, cæſo pro illo ariete. CLANGENTIBUS, ſcilicet ad præparationem ſcenopegiæ. SANCTUM; quaſi dicat, erit celebre, ſeu ſancte celebrabitur.

V. 27. EXPIATIONUM. Celebrabatur id feſtum in memoriam veniæ datæ a Deo ad preces Moyſis pro adoratione vituli; expiabaturque populus per ieiunium, & ſacrificia. AFFLIGETIS, ſcilicet ieiunando.

V. 30. OPERIS QUIDPIAM. Quidam dicunt nec cibos licuiſſe parare, ut nec in ſabbato.

V. 32. NONO, ſcilicet appetente nocte. LXX. *a die nono*, ſcilicet incipiendo ieiunare. SABBATA, id eſt feſta. Intellige autem veſperam poſt ſolis occaſum. Vide Exod. XII.

V. 36. COLLECTAE, ſcilicet populi ad celebritatem collecti. Hebr. *retentionis*: ſcilicet retinebatur populus.

V. 38. EXCEPTIS SABBATIS; id eſt, præter ea quæ in ſabbatis offeruntur.

V. 40. PULCHERRIMAE, ſcilicet *citri*, ſecundum Hebræos; & ita vertit Chald. SPATULAQUE, id eſt frondes, ſeu ramos. DENSARUM, ſcilicet myrti ſecundum quoſdam. Vide II Eſdr. VIII.

V. 41. FESTA, ſcilicet dicta.

E S T I I.

Verſ. 24. MENSE SEPTIMO. PRIMA DIE MENSIS, ERIT VOBIS SABBATUM, MEMORIALE, CLANGENTIBUS TUBIS. Nota primo, ſabbatum proprie non ſignificare diem ſeptimum, ſed diem quietis, ſive illa

la habeatur die ſeptimo, ſive quocumque alio die. Unde quando Scriptura loquitur de feſtis quibus vacandum erat ab omni opere, omnes eiuſmodi dies vocat ſabbata. Innuit autem ſabbatum, ut attribuitur diei ſeptimo, triplicem quietem. Primo enim revocat in memoriam quietem Dei, id eſt ceſſationem eius ab operibus creationis, poſt opus ſex dierum. Secundo quietem ab hominibus obſervandam ſeptimo die ab omni opere ſervili, ut ſoli Deo, & religionis operibus vacent. Tertio præfigurat quietem futuram poſt hanc vitam, & ſingulorum hominum, & totius ſæculi: quod totum ſex ætatibus, velut ſex diebus volvitur: poſt quod expectatur requies illa ſanctorum, quam Apoſtolus vocat ſabbatiſmum populi Dei: Hebr. IV.

V. 27. Affligetisque animas vestras in eo. Vide ſupra cap. XVI. verſ. 31.

Verſ. 34. A quintodecimo die mensis huius septimi erunt feriae tabernaculorum. Quæritur cur non eodem modo Deus per ſe inſtituit dies feſtos in nova lege. Reſpondeo: Quia dies feſti in veteri lege tales erant inſtituendi, per quos certa myſteria rerum futurarum, puta redemptionis & ſalvationis noſtræ, ſignificarentur, quæ etiam ab iis qui populo præerant in his quæ ad Deum pertinent, valde obſcure cognoſcebantur: *Omnia enim in figura contingebant illis, & lex umbra tantum erat futurorum.* Opus ergo erat auctoritate divina ad huiuſmodi feſtorum inſtitutionem. Feſta vero chriſtiana fere continent commemorationem præteritorum beneficiorum, ac myſteriorum redemptionis noſtræ; ut nativitatis, paſſionis, reſurrectionis Chriſti, & miſſionis Spiritus ſancti. Quæ cum in Eccleſia Chriſti ſint omnibus notiſſima, maxime præfectis ipſius Eccleſiæ, facile ab his inſtitui potuerunt feſti dies pro iſtorum grata recordatione, ut non fuerit hic opus ut a Deo immediate inſtituerentur; præſertim cum Eccleſia ſpiritum ſic acceperit, a quo ſicut docetur omnem veritatem, ita & dirigitur ut ea ſtatuat obſervanda quæ populo Dei ſunt ſalutaria. Hinc etiam factum ut pauciſſimæ leges a Chriſto ſint datæ: cetera enim commiſit Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus, cum quibus futurum ſe promiſit uſque in finem ſæculi.

V. 36. Dies quoque octavus erit celeberrimus...... est enim coetus atque collectae. Quæritur quæ ſit ratio huius nominis. Reſpondeo: Quorumdam ſententia ſic vocatur, quia ea die colligeretur pecunia pro ſacrificiis ordinariis, quæ per totum annum offerenda eſſent in tabernaculo, & pro aliis ad cultum Dei neceſſariis, quæ communibus populi expenſis fieri debebant. Sed alii reſpondent, non propterea hunc diem vocatum diem collectæ: id enim ſecundum Hebræos fiebat primo die menſis duodecimi. Deinde etiam octavus dies paſchæ vocabarur cœtus ſeu collectæ, ut ex Deuteronom. cap. XVI. ſed ſic vocabatur, quia eo die populus debebat colligi & adunari ad vacandum rebus divinis. Unde fere ſemper additur: Omne opus servile non facietis in eo. Chald. paraphraſis ſic habet: *Collecti eritis ad celebrandum feſtivitatem.*

MARIANAE.

Verſ. 3. Sabbati requies est. Hebr. *ſabbatum ſabbati*, id eſt præcipuum inter ſabbata: nimirum præcipua religione is dies obſervabitur.

V. 10. Manipulos spicarum. עומר *homer* ſignificat manipulum, & *gomor* ephi decimam. Priorem ſignificationem ſequuntur Septuaginta, *δράγματα*, & Hieronymus; poſteriorem Hebræi. Sic quidam עימר פירוש מרם *Gomor*, *hoc eſt menſura*. Ergo feretis gomor, cum meſſueritis ſegetem.

Verſ. 11. Ut acceptabile sit: Hebr. *ad voluntatem veſtram*: & videtur ſignificare voluntariam fore eam oblationem primitiarum. Sed quoniam lege præcepta erat, melius vertetur *ad beneplacitum veſtrum*; id eſt, ut per eam oblationem Deus ſit vobis placabilis: quod ſemper ſuperius, ubi ea vox eſt, Hieronymus, & Sept. ſequuntur.

V. 13. Duae decimae similae, nimirum duo gomor: nam gomor eſt ephi decima, quod ſuperius verſ. 10. eſt dictum. Liba quoque vini, ideſt libatio vini quarta pars hin.

V. 15. Numerabitis ergo. Septem

ptem hebdomadæ numerantur a primo die azymorum, quintadecima Niſan, quo menſe erat meſſis in ea regione, ut conſtat Ioſue III. verſ. 15. *Impleverat Iordanis ripas tempore meſſis*. Quod menſe primo accidit ibi cap. IV. verſ. 19.

V. 19. FACIETIS ET HIRCUM, mactabitis.

MALVENDAE.

Verſ. 2. FERIAE. מועדים *moghadim* hic *ſtationes*, *ſacra ſtata*, *feſtivitates*, *ſolemnitates*, *feſta*, *ſacræ feriæ*. Sic dictæ, quod certis & ſtatis anni temporibus recurrerent, ac celebrarentur. Ita hoc nomen ſumitur I. Paralip. XXIII. verſ. 31. & alibi. Quidam hic *conventus* reddunt, non tam aptè. Hinc quoque dictæ videntur *ſtationes* ſacræ, ſeu eccleſiaſticæ, diu iam uſitatæ in Eccleſia, quarum & Tertullianus meminit, & de eis peculiares tractatus ediderunt Onuphrius Panvinius, & Pompeius Ugonius. QUAS VOCABITIS SANCTAS. Hebr. *Quas vocabitis eas*, *vocationes*, *convocationes*, *ſynhodos*, *ſynaxes ſanctitatis*. Quidam: *Quas celebrabitis celebritates ſanctas*. Alii: *Quibus eſtis convocaturi eos*, nempe Iſraelitas, o vos ſacerdotes, ex lege Numer. X. verſ. 10. *convocationes ſanctas*: quod tum populus ad cultum & honorem Dei ſolemniter convocaretur, & congregaretur.

V. 3. IN CUNCTIS HABITATIONIBUS VESTRIS, id eſt domi, foris, ſive in regione veſtra, ſive in extera, ubivis gentium, ubicumque locorum vos contigerit habitare, aut reperiri.

V. 4. TEMPORIBUS SUIS. Hebr. *in ſtationibus ſuis*, id eſt ſtatis ſuis temporibus: ſic vox *moghadim* capitur Geneſ. I. verſ. 14. Pſalm. CIII. 19. & alibi.

V. 20. ET MESSUERITIS SEGETEM. Intelligunt: Id eſt, cum primum falx poterit mitti in ſegetem, ut explicatur Deuter. XVI. verſ. 9. Annotant iſtud fuiſſe in populo Iudæorum tamquam *Floriſertum*, ut priſci Romani olim appellaverunt. Feſtus: *Floriſertum dictum, quod eo die ſpicæ feruntur ad ſacrarium*. Quidam hic ex Ioſepho ſegetem, vel meſſem hordeaceam accipiunt, quæ in Palæſtina martio, aut aprili iam matureſcere incipit: nam triticeam non tam mature provenire. Alii de triticea capiunt propter teporem regionis. Vide Ioſue III. verſ. 15. MANIPULOS SPICARUM. עומר *ghomer*, & ſignificat *menſuram aridorum*, de qua diximus Exodi XVI. verſ. 16. & 36. & etiam *mergitem*, *manipulum*, *faſciculum ſpicarum*: inde forſan quod opera mercenariorum demetiantur, nam verbum *ghamar*, *merceri* ſignificat; aut quod faſciculus ſpicarum unus tot grana contineret quod conficerent unum *ghomer*, id eſt decimam partem ephah. Equidem *ghomer* pro manipulo ponitur Deuter. XXIV. verſ. 19. Ruth II. verſ. 5. Hic pro manipulo capiunt LXX. & Noſter, atque etiam plerique recentiorum. Hebræi potius pro menſura quæ eſt decima pars ephah, & adiiciunt haud contemnendam rationem: nam ſupra cap. II. verſ. 14. 15. 16. præcipitur ut in hac primitiarum oblatione torrerentur ſpicæ, excuſſaque aut tuſa grana, ſuperfuſo oleo, ac thure, adolerentur: unde potius ad menſuram ghomer granorum excuſſorum e ſpicis, & folliculis, aut contuſorum, quam ad ipſum ſpicarum faſciculum hic ritus pertinere videtur. Vide ibi. Ergo quod Noſter hic verſ. 10. 11. 12. 15. *manipulum*, ſeu *faſciculum* vertit, metonymice accipiunt pro menſura ghomer granorum excuſſorum, ſeu contuſorum: tantumdem enim granorum & faſciculus, & menſura continebat.

V. 11. QUI ELEVABIT FASCICULUM. Heb. *Et agitabit*, *ventilabit*, *exaltabit ghomer*. De hoc ritu *tenuphah*, id eſt *agitationis*, ſeu *ventilationis*, vide quæ notavimus Exodi XXIX. verſ. 24. UT ACCEPTABILE SIT PRO VOBIS. Hebr. *In*, *ad beneplacitum veſtrum*, vel *veſtri*. Quidam, *In*, *ad acceptationem veſtri*, vel *ut ſit acceptum pro vobis*. Alii, *ad placationem veſtri*; id eſt, ut reddatur Deus vobis placabilis. Aliqui: *Ut gratus ſit pro vobis*, ſubaudi Deo. Nonnulli, *ad voluntatem veſtram*, vel *pro veſtra voluntate*. Vide ſupra cap. XXII. verſ. 19.

V. 14. POLENTAM. קלי *kali* fere omnes interpretantur *toſtum*, *torrefactum*, *aſſum*, *exuſtum*, ſeu *uſtulatum*, aut *frixum*: de toſtis, aut coctis granis ſpicarum intelligunt, ut clare dicitur ſupra cap. II. verſ. 14. Hebræorum quidam farinam factam ex ſpicis plenis, aut teneris & virentibus, quam in furno ſiccabant,

bant,

Digitized by Google

bânt, exponunt. Noſter *polentam* quæ fiebat communiter ex hordeo aqua perfuſo, & una nocte ſiccato, ac poſtera die fricto, deinde molis fracto. Nonnulli *granatum* exponunt, id eſt cibum ex granis novis fractum.

V. 15. Ab altero die. Hebr. *de craſtino*, vel *poſtridie*, aut *poſtero die*, nempe die decimo ſexto menſis primi, qui eſt dies a paſchate ſecundus, ſeu dies ſecundus maſſarum, ſeu azymorum, ut verſ. 11. Sabbati. Quidam reddunt, *iſtius ceſſationis*, ſeu *quietis*; nempe feſti paſchatis, ſeu azymorum. Alioqui hic *ſabbatum* non pro die ſeptima, ſeu ordinario ſabbato accipitur, cum frequentius paſcha, ſeu primus dies azymorum extra ſabbatum incideret. Diſerte hic Scriptura affirmat initium pentecoſtes, id eſt quinquaginta dierum, qui a paſchate uſque ad feſtum ipſum pentecoſtes interiiciebantur, figendum in craſtina die, ſeu poſtera die, vel poſtridie a paſchate, ſeu a primo die azymorum, nempe 16. menſis Niſan, qui erat ſecundus dies azymorum. Quod etiam Ioſephus affirmat Lib. III. Originum cap. x. Eam diem Ioſephus ipſe, & Hebræi Helleniſtæ, Δέυτεραν τῦ πάσχα, ideſt ſecundam, alteram, poſteram diem, poſtridie paſchatis, appellare ſolebant. Hinc compoſitam volunt vocem ſabbatum, δευτεροπρῶτον, *ſecundo primum*, Lucæ VI. verſ. 1. ex δευτέρα & πρώτον, id eſt ex ſecunda die paſchatis, ſeu azymorum: & eſſe primum illud ſabbatum quod proxime ſubſecutum fuit δευτέραν, ſecundam diem paſchatis. Quæ celebris erat Iudæis, & *Æram ghomer* appellabant. Vide de his Scaligerum Lib. VI. de Emendationibus temporum, in Diatriba de tertio Domini paſchate, & Lib. III. Canonum Iſagogicorum, in Commentario capitis VI. pag. 217. & ſeqq. & Caſaubonum in Exercitationibus Baronianis, exercitatione XIV. Et agemus nos latius in eum locum Lucæ. Septem hebdomadas plenas. Hebr. *Septem ſabbata integra erunt*. Notant ſumi ſabbatum pro hebdomada, quia in unaquaque hebdomada eſt ſabbatum. Ideo dicit integræ erunt, utpote quadraginta novem dierum, quia poſſunt eſſe ſeptem ſabbata, in quibus non erunt ſeptem hebdomadæ dierum quadraginta novem. Vide ſimilem phraſim infra cap. XXV. verſ. 8.

V. 17. Ex omnibus habitaculis veſtris; id eſt, non ex fructibus exteris, ſed e terra quam trado vobis poſſidendam. Simile habetur cap. XXII. verſ. 25. Alii notant, hic præcipi ut quælibet domus offerret duos panes.

V. 19. Facietis; id eſt, ſacrificabitis: ſic verſ. 12. Vide Notas ad cap. XXIX. Exodi verſ. 36.

V. 20. Cum panibus primitiarum, &c. Nonnulla Noſter transferre omiſit in hoc verſu, quæ facile ex antecedentibus intelligi poſſent. Hebr. ita habent: *Super*, *ultra*, *præter duos agnos*, *ſanctitas erunt Domino*, *ſacerdoti*. Poſtremam hanc clauſulam ita quidam clarius reddunt: *Eruntque hæc ſancta Domini*, *ſacerdotis*. Alii: *Res ſancta ſunto Iehovæ pro ſacerdote*. Id eſt, omnia iſta conſecrabuntur Domino, & cedent in uſum ſacerdotis; ſive veſcebatur his ſacerdos.

V. 21. Et vocabitis hunc diem celeberrimum, atque ſanctiſſimum. Varie ex Hebr. convertunt. I. *Et celebrabitis in corpore diei illius*, ſeu *hoc ipſo die* celebritatem: *convocatio ſancta erit vobis*. II. *Et vocabitis hunc ipſum diem*, *ut ſit vobis convocatio ſancta*. III. *Et convocabitis* omnes *eo ipſo die*, *convocatio ſancta eſto vobis*.

V. 22. Poſtquam autem meſſueritis ſegetem. Hunc verſum ſupra expoſitum habes cap. XIX. verſ. 9.

V. 24. Sabbatum. Hebr. *Sabbaton*, id eſt *ceſſatio*, *quies*, *requies*; quaſi dicat: Erit ceſſatio ab operibus ſervilibus inſtar ſabbati. Erit magnum feſtum. Memoriale. Hebr. *Monumentum*. Quidam exponunt, cum ut præmoneretur populus inde incipiendum eſſe annum civilem emptionum, venditionum, ſervitutis, remiſſionis terræ, iubilæi; tum ut ad gratiarum actionem adduceretur, propter beneficia ſuperiore anno accepta; & abnegando peccata ſua, compararetur ad remiſſionem conſequendam proxime venturo expiationis die. Clangentibus tubis. תרועה *terughab*, idem omnino quod רעוה *regho*: de qua voce diximus Exodi XXXII. verſ. 17. Quidam exponunt *triumphum*, *triumphationem*: atque vocem *triumphi* ex Hebræa *terughab* conflatam obſervant: & volunt quidem *terughab* ſignificare *triumphum*, non quidem ut nunc La-

ſui eo vocabulo abutuntur , pro triumphum agere de reportata victoria, & exhibere apparatum, pompam, ſpectaculum victoriæ partæ; ſed quatenus denotat clamorem, acclamationem, iubilum, qualem milites in triumpho edere ſolent, ut *Io triumphe*. Unde hic reddunt , *recordatio triumphationis*. Alii aiunt ſignificare *vociferationem* , *&* interdum *ſonitum tubæ inciſum*, *&* *inæqualem*, *atque adeo contuſum*, *ut cum claſſicum, aut receptui canitur*: vulgo , voce haud abludente, *taratantara*; ut Ennius:

At tuba terribili ſonitu taratantara dixit:

Ergo hic convertunt , *Memoriale vociferationis*, *clangoris*, *ſoni fracti*, *&* *inciſi*, *claſſici*, *taratantara*, *taratantarizationis* , quod eo die populus clangore tubarum , ceu claſſico quodam, ac taratantara excitaretur ad celebranda feſta complura, quæ eo menſe incidebant , & quod eo die annus civilis inciperet . Hebræi hunc diem appellant *feſtum tubarum*, ſeu *clangoris*: voluntque inſtitutum in memoriam liberationis Iſaac ab immolatione : unde & eo die canunt cornu arietino, quod aries pro Iſaac demonſtratus, & immolatus ſit. Sed id tantum pro ſenſu illorum excogitatum. Aliqui annotant , *terughah* non ſolum ſignificare concitatum , fractumque ſtrepitum buccinarum , & aliarum rerum anima carentium fragorem; ſed etiam populi clamorem , præſertim quando illi lætam animi ſui affectionem ſublata voce tumultuaria teſtantur. Græci ἀλαλαγμὸν vocant: & Cæſar *ululatum* dixit. Nonnulli vertunt hic *memoriale iubili*, *gratulationis*, quod eo die novus inciperet annus; unde communis erat apud omnes gratulatio , ut felix fauſtuſque omnibus eſſet novus annus, ut fieri ſolet apud alias nationes.

V. 27. DIES EXPIATIONUM. כפרים *cappurim* exponunt *luſtrationes* , *expurgationes*, *abſterſiones* , *luſtramenta*, *purificationes*, *purgationes*, *purgamenta*, *expiationes* , *piamenta*, *piacula*, *emundationes* , *propitiationes*, *placationes*, *reconciliationes*. Notant, verbum כפר *cipper* in Pihel , a quo *cappurim*, proprie eſſe *texit*, *oblivit* , *operuit*, *abſcondit*, vel immunditiem , vel ſordes , vel culpam , vel reatum , vel iram, vel offenſam amovit a conſpectu, ne amplius ſit aut appareat : & cum hominibus tribuitur , ſignificare actionem , & miniſterium, quo , ablato peccato, aut immunditie expurgata , aut amota ira & offenſa, gratia, favor, reconciliatio, expiatio , mundities quæritur; cum vero de Deo dicitur, tum denotare peccatum, vel reatum peccati , vel iram , vel offenſam tegere , operire, abſcondere, remittere , removere e conſpectu ; quod eſt fieri propitium , placatum, peccatum condonare , remittere, parcere; non ultra imputare, aut punire . Vide verſum ſequentem. Hic dies expiationum erat velut umbra diei qua Chriſtus paſſus eſt pro nobis, morteque & ſanguine ſuo generalem humani generis peccatorum purgationem & expiationem fecit.

V. 30. DELEBO. Verbum אבד *abad*, hic in Hiphil auget ſignificatum : *Funditus* , *penitus diſperdam* , *omnino perire faciam*.

V. 32. SABBATUM REQUIETIONIS. Heb. *Sabbatum ſabbathon*. Vide de hac phraſi ſupra cap. XVI. verſ. 31. Ideſt ſumma & maxima quies , magnum feſtum. A VESPERA USQUE AD VESPERAM, id eſt a veſpera qua novus dies deſinit, ad veſperam uſque illam qua init undecimus.

V. 34. TABERNACULORUM. סכות *ſuccoth* proprie ſunt *abſconſoria* , *cooperimenta*, *tectoria*, *tegumenta*, *latibula* , *tuguria* , *umbracula*. Vide Geneſ. XXXIII. verſ. 17. Quidam hic vocem *tabernaculorum* , aut *tentoriorum*, minus apte convenire putant : nam non erant ex tabulis , aut pannis , aut pellibus , vel e ſindone conſuta , ſed ex frondentibus arborum ramis contexta: vide infra verſ. 40. unde putant ea eſſe quæ Feſtus *umbras* vocat : *Umbræ vocabantur*, inquit, *Neptunalibus caſæ frondeæ pro tabernaculis*. *Trichilas* appellari a Cæſare in Commentariis de bello Pompeiano, Ioſephus Scaliger, Franciſcus Iunius , & alii annotarunt . Vide quæ annotavimus Exodi XXII. verſ. 37. Auctor carminis in Copam:

Et trichila umbriferis frigida arundinibus.

Vide ibi Notas Scaligeri . Sed has frondeas caſas, nedum Neptunalibus, ſed aliis etiam ſolemnibus celebritatibus apud Romanos excitari ſolitas , conſtat: ſubiiciam locum Ovidii e III. Faſtorum , de ſolemni

Digitized by Google

moi Annæ Perannæ, qui hunc Levitici illuſtrat:

> *Plebs venit, ac virides paſſim disiecta per herbas*
> *Potat, & accumbit cum pare quiſque ſua.*
> *Sub Iove pars durat, pauci tentoria ponunt:*
> *Sunt quibus e ramis frondea facta caſa eſt.*
> *Pars ſibi pro rigidis calamos ſtatuere columnis,*
> *Deſuper extentas impoſuere togas.*

Iudaici huius feſti tabernaculorum meminit Plutarchus Lib. IV. Sympoſiacon, problem. v. *Maximæ & perfectiſſimæ Iudæorum ſolemnitatis & tempus & modus cum Bacchi ſacris congruit. Quod enim ipſi vocant ieiunium, id ſic celebrant ut maxime ſervente vindemia proponant menſas, in quibus expoſitæ ſint omnis generis fruges: & ſub tabernaculis deſident, potiſſimum e palmitibus & hedera, quæ contexuntur: & diem quæ feſtum antecedit, tabernaculariam nominant.* Hæc Plutarchus vera falſis immiſcens. Idem feſtum Ioan. vii. 2. dicitur *ſcenopegia*, id eſt *ſixio*, ſeu *compactio tabernaculorum*. Cauſam inſtitutionis huius feſtivitatis notant aſſignari infra verſ. 43. nempe in monumentum quod filii Iſrael ex AEgypto egreſſi, multis annis in tuguriis, umbris, trichilis habitaverint in deſerto: ſed obſervant non ſimpliciter voluiſſe Dominum id tantum recordari filios Iſrael; ſed 1. ut admonerentur de miſera & calamitoſa vita quam maiores eorum in deſerto duxerant, in quo tamdiu erraverunt exules, ſine domo, ſine agro, inter hoſtiles gentes: 2. ut revocarentur in memoriam ingentium miraculorum, quibus eos Deus in deſerto conſervaverat, & tradiderat eis terram Chanaan: 3. ut conferrent præſentem felicitatem cum præterita miſeria; videlicet quod tunc errarint exules in deſerto, nunc autem poſſideant tot regna in terra Chanaan: quod tunc nec domos, nec agros haberent, ſed tuguria, in quibus habitarent, quæque ſubinde mutarent; nunc autem nedum domos, ſed magnificas ædes, adeoque clariſſimas & munitiſſimas urbes incolant, omnibus circumquaque nationibus redditi formidabiles. Hebræi ſecuti Chaldæos Interpretes ſentiunt, hoc feſtum tabernaculorum ob eam cauſam maxime inſtitutum fuiſſe ut admonerentur divinæ protectionis ipſis per nubem in deſerto exhibitæ, ſub qua tamquam ſub umbra tuti proficiſcebantur, & quæ dux itineris erat. Sed prior cauſa verſ. 43. uti diximus, exprimitur. Illud etiam notant, hoc ſolemne non fuiſſe celebratum in deſerto, nam tunc agebatur rei veritas; ſed cum iam habitarent in terra Chanaan. Vide Nehemiæ viii. verſ. 15. & ſeqq. SEPTEM DIEBUS DOMINO. Nam octavus dies immunis erat ab iſta cæremonia habitandi in tabernaculis: quamvis alii poſt meridiem diei octavi Iudæos ex tabernaculis exire, ac domum redire ſolitos autument.

V. 36. EST ENIM COETUS ATQUE COLLECTAE. Duplici voce *cœtus*, & *collectæ*, unam Hebraicam expoſuit. עצרת *ghatzereth* aiunt eſſe *prævaleſcentiam*, ſcilicet hominum, id eſt ſynodum, ſynagogam, coactionem prævalidam, cœtum: deinde quoque hoc nomine dici illam hominum frequentiam quæ ſolemni aliquo feſto cogebatur & concludebatur, uti die ſeptima paſchatis, & die iſta octava tabernaculorum, de quibus peculiariter dicitur. Hebræi dicunt, quod dies octavus feſti tabernaculorum, & ſeptimus paſchæ ſpecialiter hoc nomine vocabantur, eo quod in illis non eſſet quippiam ſingulare a quo cognomen aliquod acciperent, ut erat in ſolemnitatibus infermentatorum, hebdomadarum, tabernaculorum. Nonnulli *ghatzereth* reddunt *conſtrictionem*, *concluſionem*, *incluſionem*, *detentionem*: ac dici notant eleganter de adunatione populi ob aliquam cauſam publicam, & præcipue ob celebrationem feſtorum, quaſi conſtringatur, retineaturque populus, atque in unum colligatur. Hinc quoſdam dies vocatos *ghatzereth*, quod in illis populus cogeretur in templo. Quidam *congregationem*, *collectionem*, *collectam*, a frequentia populi collecti. Alii *prohibitionem*, *retentionem*, ſeu *feſtum prohibitionis*, aut *retentionis*, quod in fine harum feriarum uno adhuc die retineretur cœtus populi, nedum dimitteretur, donec extremum illum diem feſtum tranſegiſſet; vel quod retineretur populus pro contributione facienda

ad neceſſarios ſumptus ſacrificiorum, & tabernaculi; aut potius quia pro retinendis, & parandis per totum annum neceſſariis pro uſu tabernaculi inſtituta erat hæc dies octava. Aliqui docent eſſe *congregationem validam*, ut fit in ſolemnitate, aut feſto, ubi populus prohibebatur a labore, ſed debebat congregari ad celebrandum feſtum Domino. Aliqui exponunt *interdictionem*, *interdictum*, *prohibitionem*, *detentionem*, *diem feriatum*, *feriam*, *cœtum feriantem*. Alii *cœtum*, *collectionem* hominum in unum locum ubi aliquamdiu retinentur, *conventum*; & peculiariter feſtum quo populus ad preces conveniens retinetur, & ab opere ſervili prohibetur. Quidam hic reddunt: *Dies interdicti eſt*, *nullum opus ſervile facitote*; id eſt, quo omni ſervili opere interdicebatur, ſic etiam vocatur ultimus dies paſchatis. Deuteron. XVI. verſ. 8. ex eadem ratione: illud *nullum opus ſervile &c.* hic & aliis locis exegeſim eſſe interdicti. Nec aliene reddes: *Concluſio eſt*, id eſt finis & terminus eius ſolemnitatis. Eo die claudebatur & finiebatur feſtivitas illa tabernaculorum, unde LXX. dixerunt, *Exodium eſt*, id eſt exitus & finis feſti; vel dies egreſſionis e tabernaculis. Aliter: *Prævaleſcentia eſt*, id eſt magna & valida feſtivitas, ſeu ſolemnitas; id eſt, octavus dies feſti tabernaculorum ſolemnitate ac celebritate prævalebit ſex intermediis, & æquabit primum: unde Ioan. VII. verſ. 37. *In noviſſimo autem die illo magno feſtivitatis ſtabat Ieſus*, &c. Nam diem magnum feſtivitatis appellat octavum & ultimum ſcenopegiæ.

V. 39. DIE PRIMO, ET DIE OCTAVO ERIT SABBATUM. Hebr. *In die primo ſabbaton, & in die octavo ſabbaton*; id eſt, utroque die erit maxima ceſſatio & requies, magnum feſtum & ſolemnitas.

V. 40. FRUCTUS. Quidam hic *termitem* reddunt, ſeu ramum ex arbore decerptum cum fructu, aut *ſurculum*: nam etſi vox פרי *peri fructum* communiter ſignificet, at aliquando ſumitur pro *germine*, *ſurculo*, *pullulo*, ut II. Reg. XIX. verſ. 30. Sed Hebræi & Noſtri hic pro fructu accipiunt. ARBORIS PULCHERRIMAE. Hebr. *Arboris decoræ*, *honoratæ*, *ornatæ*. Hebræi ſecuti Chaldæum Interpretem, *Fructum arboris pulcherrimæ*, malum citreum intelligunt, quod alii Medicum, alii Aſſyrium, alii Perſicum vocant. Id Virgilius mire celebravit II. Georgicorum:

Felicis mali, quo non præſentius ullum, &c.

Quidam reddunt, *arborum ſpecioſarum*, ut ſunt fere omnes oleoſæ: quapropter Nehemiæ VIII. pro termitibus aut fructibus ponuntur frondes olivarum, myrti, & oleoſarum arborum. SPATULASQUE PALMARUM. כפות *cappot* Hebræi aiunt ſignificare *frondes palmarum*, quando folia adhuc in ſurculo deliteſcunt, & ſurculus ipſe ſceptri præfefert formam. LIGNI DENSARUM FRONDIUM: myrtos intelligunt Hebræi: non convenit iis quæ traduntur Nehemiæ VIII. verſ. 15. ubi diſtincte arbor denſa ſeparatur a myrto. ET SALICES. Nonnulli volunt adhibitas ſalices, ex quibus vimina fiebant ad colligandos ramos. Hebræi ſummo conſenſu putant hoc verſu 40. præcipi ipſis novum & peculiarem ritum, præter confectionem tabernaculorum, ſeu tuguriorum: quem ipſi intelligunt & uſurpant in hunc modum. Prima die feſti tabernaculorum accipiunt unum pomum, ſeu malum citrium, ſeu citrinum; item unam frondem, ſeu ramum, ſeu ſpatham palmarum, quæ foliis adhuc in ſurculo deliteſcentibus, ſceptri præ ſe formam refert; deinde tres ramos arboris denſæ, quam ipſi myrtum interpretantur; denique duos ramos ſalicis. Omnes itaque quatuor iſtas ſpecies arborum adhibent; ſed ex tribus poſterioribus ſpeciebus, nempe ex ramis palmæ, myrti, & ſalicis, faciunt faſciculum, & hunc dextra, pomum vero citrinum ſiniſtra manu geſtant, & circumferunt mane: nec quidquam comedunt priuſquam circumgeſtaverint. Stante templo, circumgeſtabant in templo omnibus ſeptem diebus, & extra hoc tantum primo die; nunc vero circumferunt in omnibus locis per dies ſeptem tabernaculorum. Et iis ſeptem diebus, ſeptimo præſertim, cantabant ſeu acclamabant cantionem quamdam ſatis prolixam inſtar noſtrarum litaniarum, in qua primum occurrit verſ. 25. e Pſalmo CXVII. אנא יהוה הושיע נא אנא יהוה *Anna* IHUH *hoſchiagh na anna* IHUH. &c. id eſt, *Obſecro, Domine, ſalva, obſecro, obſecro, Domine, &c.* & ad varias precationes ſeu nomina Dei, aut ad alias res quæ recenſentur, ſuccinitur,

Digitized by Google

nitur, & paſſim intercalatur *Hoſann.* Unde faſciculum ipſum, quem dum canunt in manibus geſtant, & ut thyrſos quatiunt, etiam *Hoſana* vocant, a frequenti illa acclamatione Hoſana: item alio nomine לולב *lulab*, a præcipuo quod eſt in faſciculo illo, nempe ſpatha palmæ, quæ Chaldaice dicitur *lulab:* de qua voce vide David Pomarium in Germine. Sed ſi de hoc ritu & cæremonia ramorum, ſeu faſciculorum plura ſcire aves, pete ab Angelo Caninio de Vocibus Hebraicis novi teſtamenti, cap. IV. Ianſſenio cap. CX. Commentariorum in Harmoniam Evangelicam, Rodulpho Hoſpiniano de Origine Iudaicorum feſtorum, cap. VII. Valentino Schindlero in Pentaglotto, in radice הדר & in radice סכך cum Samech. Ad hunc ritum proculdubio reſpexit Plutarchus IV. Sympoſiacon, Problemate V. cum de Iudæis ait: *Eſt etiam ſolemne apud eos feſtum, cradephoria a palmitibus geſtandis, & thyrſophoria, ubi thyrſos geſtantes in templum intrant: quid intus faciant, ignoro.* Ioſephus Lib. III. cap. X. *Manibus interim geſtantes ramos myrti, ſalicis & palmæ, ex quibus mala Perſea dependeant.* Græca Ioſephi habent: *Adeſt & malum Perſeum:* Intelligunt *citrium*. Immanuel Tremellius & Franciſcus Iunius longe aliter verſum hunc 40. accipiunt: exiſtimant enim nullam hic inſtitui cæremoniam novam, aut alium ritum de geſtatione ramorum ex illis arborum ſpeciebus in manibus, præter cæremoniam confectionis tuguriorum, ſeu umbraculorum; ſed deſignari tantum materiam, ex qua umbræ illæ, ſeu trichilæ eſſent extruendæ, nempe ex termitibus arborum oleoſarum, ex palma, myrto, ſalice. Ergo ita ſcribunt: *Quidquid hic Hebræi ſomnient de nova cæremonia, plane explicatio eſt mandatæ cæremoniæ tuguriorum, docetur enim ex qua materia paranda ſint, & quomodo vincienda: vide Nehemiæ* VIII. Certe negari non poteſt hanc interpretationem vehementer confirmari e loco Nehemiæ VIII. verſ. 15. *Exite in montem, & afferte folia olivæ, & folia ligni olei, & folia myrti, & folia palmarum, & folia arboris perplexæ, ad facere abſconſiones*, tuguria, umbracula, *ſicut ſcriptum*. Ceterum refragatur Hebræorum, & Noſtrorum de ea peculiari cæremonia, ſumma conſenſio, & omnis antiquitas: ut e Ioſepho, & Plutarcho vidimus. ET LÆTABIMINI CORAM DOMINO DEO VESTRO. Verſ. 41. *Celebrabitiſque ſolemnitatem eius.* Notant, Iudæos in hoc feſto canere, tripudiare, circumgyrare, epulari, ac ſummam lætitiam declarare ſolitos, ut etiam hodieque faciant: quod & verbum *lætabimini* ſignificat, & quod Hebr. additur, *feſtificabitis feſtivitatem*, nempe choreis, circumgyrationibus, tripudiis, &c. id enim indicat etymon verbi חגג *chagag*, uti oſtendimus Exodi V. verſ. 1.

V. 43. QUOD IN TABERNACULIS HABITARE FECERIM FILIOS ISRAEL, &c. Videlicet toto illo profectionis tempore, ex quo profecti de Rameſeſ in ſtationem primam pervenerunt: quæ ſtatio propterea dicta eſt *Succoth*, quod ibi primum tuguria confecta ſint, & umbracula inſtituta ad commoditatem ſtationum. Vide Exodi XII. verſ. 37. quouſque ingreſſi Chananæam, urbes inhabitare cœperunt.

MENOCHII.

Verſ. 2. QUAS VOCABITIS SANCTAS. LXX. *convocationes ſanctas:* hiſce enim feſtis convocabatur populus ad audiendam legem, & ad ſacrificia, ac preces.

V. 3. SABBATI REQUIES EST. Heb *requies quietis*; id eſt, ſumma quies, & ceſſatio ab opere erit die ſabbati. VOCABITUR SANCTUS, erit ſanctus, & meo cultui dicatus: ſic ſæpe ſumitur vocari pro eſſe in ſacra Scriptura, ut Iſa. IX. 6. *Vocabitur admirabilis*; id eſt, erit. OMNE OPUS, nullum opus. Itaque ſabbato non licebat accendere ignem, cibos coquere, &c. uti nec in die expiationis. In aliis feſtis iſta licebant. SABBATUM DOMINI, Domino dicatum, vel in quo Dominus requievit, vel in quo quieſcendum in honorem Domini. IN CUNCTIS HABITATIONIBUS VESTRIS, domibus veſtris privatis: in tabernaculo enim ſive templo ſacerdotes ſacrificiis erant intenti. Hinc illud Chriſti ad Iudæos Matth. XII. 5. *Non legiſtis in lege quia ſabbatis ſacerdotes in templo ſabbatum violant, & ſine crimine ſunt?* Erat hæc materialis violatio, non formalis.

V. 5.

℣. 5. MENSE PRIMO, menſe Niſan, qui partim martio, partim aprili noſtro reſpondet. AD VESPERAM. Hebr. *Inter duas veſperas*, ſcilicet inter occaſum ſolis & noctem. Vide dicta Exod. XII. 6. PHASE DOMINI, feſtum paſchatis. Vide Exod. XII. 12.

℣. 6. SOLEMNITAS AZYMORUM EST. Dies azymorum incipiebant cum paſchate, ſcilicet decimaquarta die menſis primi ad veſperam ſecundam*, id eſt initio decimæquintæ diei, & durabant per ſeptem dies, qui proinde paſchales dicebantur, quibus panes azymos, hoc eſt non fermentatos, comedebant.

℣. 7. DIES PRIMUS ERIT VOBIS CELEBERRIMUS. Ex ſeptem diebus azymorum celebriores erant prima & ſeptima.

℣. 8. SACRIFICIUM IN IGNE, holocauſtum, quod ab Hebræis dicitur ignitio. DIES SEPTIMUS ERIT CELEBRIOR, ET SANCTIOR aliis intermediis; æque veroſanctus ac primus. NULLUMQUE SERVILE OPUS, &c. Excluditur tantum opus ſervile, quia, ut dictum eſt num. 3. tantum in ſabbato, & feſto expiationis ab omni prorſus opere ceſſandum erat, etiam a coquendis cibis: hoc autem licebat in aliis feſtis.

℣. 10. CUM INGRESSI FUERITIS TERRAM Chanaan. Hinc patet has leges cæremoniales, & hæc feſta non obligaſſe Iudæos, nec ab eis ſervata fuiſſe in deſerto. MANIPULOS SPICARUM, ſcilicet hordei, quod illo tempore, martio ſcilicet exeunte, & aprili ineunte, matureſcit in Palæſtina.

℣. 11. ELEVABIT, offerendo. ALTERO DIE SABBATI, ſecundo die azymorum. ET SANCTIFICABIT ILLUM, eo ritu qui præſcriptus eſt capit. II. num. 14.

℣. 13. ET LIBAMENTA, ſacrificium farreum, Mincha, quod ſtatim explicatur. LIBA, libamina. QUARTA PARS HIN, tres ſextarii vini.

℣. 14. POLENTAM, far ſive hordeum toſtum. PULTES, farinam in pultes deductam, & coctam.

℣. 15. AB ALTERO DIE SABBATI. Non ſabbati proprie dicti, ſed ſabbati, id eſt paſchatis, & ſolemnitatis azymorum; hoc eſt, a ſecundo die azymorum, quo obtulerant manipulum ſpicarum, numerabant Hebræi ſeptem hebdomadas, id eſt 49. dies, ita ut ſequens, id eſt quinquageſimus, eſſet pentecoſtes. HEBDOMADAS PLENAS, integras.

℣. 16. ET SIC OFFERETIS, in pentecoſte. SACRIFICIUM NOVUM, ex novo frumento.

℣. 17. DE DUABUS DECIMIS SIMILAE. Duo panes inde confecti fuerunt tredecim fere librarum cum dimidia.

℣. 18. SEPTEM AGNOS, in holocauſtum. Numer. XXVIII. 27. adduntur & aliæ victimæ hoc feſto pentecoſtes offerri ſolitæ. CUM LIBAMENTIS SUIS. Libamentum vocatur quidquid cum victima offerebatur, ut oleum, vinum, farina, thus, ſal.

℣. 19. FACIETIS ET HIRCUM, ſacrificabitis. *Hircum*. Hebr. *hircum caprarum*, id eſt hircum novellum, vel hædum, adhuc matrem ſequentem.

℣. 20. CEDENT IN USUM EIUS, ſacerdotis. Sermo eſt de hoſtiis pacificis, non de holocauſtis, hæc enim tota Deo cremabantur. Panes etiam illi quos ſacerdos elevaſſet, puta tres, vel quatuor, ipſi ſacerdoti cedebant, reliqui in reliquos ſacerdotes æqualiter dividebantur, ut & aliæ primitiæ.

℣. 21. HUNC DIEM, pentecoſtes.

Verſ. 22. NON SECABITIS USQUE AD SOLUM. Vide ſup. cap. XIX. 9.

℣. 24. ERIT VOBIS SABBATUM, id eſt feſtum ſolemne. CLANGENTIBUS TUBIS. Feſtum eſt tubarum prima die menſis Tiſri, id eſt ſeptembris. Feſtum hoc inſtitutum fuit in memoriam Iſaac Patriarchæ ab immolatione, & gladio patris ſui Abrahæ liberati, ac pro eo ſubrogati arietis Geneſ. XXII. 11. Idcirco dicitur SABBATUM MEMORIALE, id eſt ſabbatum in memoriam Iſaac, &c.

℣. 27. DIES EXPIATIONUM. De hoc actum eſt cap. XVIII.

℣. 32. REQUIETIONIS, omnimodæ, ut dictum hoc cap. num. 3.

Verſ. 33. A VESPERA USQUE AD VESPERAM, ab uno ſolis occaſu uſque ad alterum.

Verſ. 34. FERIAE TABERNACULORUM, ſcenopegia. Inſtitutum eſt hoc feſtum in memoriam protectionis divinæ, quæ in deſerto Hebræos ita protexit, ut

ſine

ſine domibus in tabernaculis per 40. annos hieme, & æſtate vixerint. Inſtitutum etiam eſt ad gratias Deo agendas pro frugibus toto anno collectis. Vide Exod. XXIII. 16. & Num. XXIX. 12.

V. 36. Coetus atque collectae, erat quaſi octava feſti tabernaculorum. Dicitur cœtus atque collectæ, non a collectione pecuniarum, ſed a collectione & congregatione hominum, qui conveniebant ut Deo gratias agerent, quod poſt longam in deſerto peregrinationem tribus Iſraeliticæ in terram promiſſam perveniſſent.

V. 38. Exceptis sabbatis, præter ſacrificia quæ ſabbato offeruntur. Vide Num. XXVIII. 9.

V. 40. Die primo, feſti tabernaculorum. Arboris pulcherrimae, *citri* ſecundum Hebræos: ita etiam vertit Chaldæus. Spatulasque, ramos palmarum. Ligni densarum frondium, *myrti:* ita Chald. & Ioſephus, & alii. Vide II. Eſdræ VIII. Laetabimini coram Domino; quaſi dicat, geſtantes ramos hos, & fructus, ſalrabitis in ſanctuario coram Domino: ſolebant enim veteres ſua feſta tripudiis celebrare, ut patet II. Reg. VI. 14. Exod. XIX. 20. XXXII. 19.

TIRINI.

Verſ. 2. HAE sunt feriae Domini; hoc eſt, feſta divino cultui dedicanda. Erant hæc numero ſex, inſtituta a Deo, & recenſita hoc cap. Primum erat Sabbatum, ſeu ſeptimus cuiuſque hebdomadæ dies, de quo diximus cap. XXXV. Exodi. Secundum feſtum Paſchæ & azymorum, de quo Exodi XII. Porro ſecundo die hebdomadæ azymorum iubetur hic.

V. 10. Cum ... messueritis segetem, ſeu metere incipietis; &, ut Deuteronom. XVI. 9. dicitur, die qua falx in ſegetem mittetur, offeretis manipulos ſpicarum, non ſinguli ſingulos, ſed nomine totius populi unum aliquem, quaſi primitias totius meſſis. Et hic manipulus, teſte Ioſepho *a*, e vicina Ierichuntina regione fere peti ſolebat, ubi facile diebus quindecim ante matureſcebant ſegetes quam vel in agro Ieroſolymitano, vel alio terræ Iudææ tractu. Addit idem Ioſephus, ex hordeacea meſſe, quæ citius matureſcit, deſumi ſolere. Et hac oblatione Domino facta, neque ante, omnibus licuiſſe publicas, vel privatas meſſes demetere. Certe non ante licuiſſe panem vel pultem ex nova ſegete coquere, patet ex verſ. 14. huius capitis. Porro manipulus ille non offerebatur ad altare una cum ſpicis, & paleis; ſed, ut ait Ioſephus, ſiccabatur primum, dein pilo tundebatur, mox furfurum excretione repurgatus, ſola ſimila ſeu flore reliquo, menſura aſſaronis, ſeu *gomor unius*, ut eſt in Hebræo, Deo offerebatur.

A die oblati huius manipuli numerabant quinquaginta dies, & quinquageſima erat tertium illorum feſtum, quod inde vocabatur Pentecoſte; incidebatque in ſeptimum diem tertii menſis. Ita Serarius, Lorinus, Bonfrerius. Quo feſto fermentatos duos panes a ſingulis familiis Ieroſolymam deferri, & ſacerdotibus quaſi primitias offerri debuiſſe colligitur ex verſ. 17. huius capitis: qui panes primitiarum vocabantur, quia ex primis ſeu novis frugibus confecti, & in eum finem delecti ut Deo offerrentur.

Sequitur quartum feſtum verſ. 24. nempe Tubarum, die prima menſis ſeptimi, & ideo maxime ſacri: ſicut & ſeptimus hebdomadæ dies, & ſeptimus quiſque annus, & ſepties ſeptimus ſeu Iubilæus, propter ſeptenarii ſanctitatem peculiariter ſancti erant. Unde & hic ſolus menſis quatuor celeberrima complectebatur feſta, plura nempe quam totus reliquus annus ſimul. Addunt Hebræi, diem primum huius menſis feſtum maxime fuiſſe in memoriam liberati tum Iſaac a morte, & in eius locum ſuffecti arietis: quam etiam ob rem ſolere tum inflari cornua arietina. Sed cur non potius in memoriam, & gratiarum actionem tam nobilis ad Iericho victoriæ in primo promiſſæ terræ ingreſſu, cum tubarum, ſeu cornuum clangore mænia ſponte corruerunt? Nam licet id tum cum feſtum hoc indiceretur, necdum completum eſſet, at certe ſat præviſum fuit a legiſlatore. Quamquam, ut dixi, ſanctitas ſola menſis huius ſufficere potuerit, ut ſicut ſabbatum quodque, & annus ſeptimus, & iubilæus, teſte Ioſepho *b*, a ſacerdotibus tuba indicebatur; ita & hic primus dies menſis

ſis ſeptimi, peculiari tubarum clangore promulgaretur.

Quintum feſtum erat eiuſdem menſis ſeptimi die decimo, nempe Expiationis, de quo fuſe cap. XVI. egimus.

Sextum erat decimo quinto die eiuſdem menſis, Scenopegia, id eſt feſtum tabernaculorum, quod durabat ſeptem integros dies: non quod tanto ſpatio vacarent ab operibus ſervilibus; ſed quod lætis conviviis, & ſacrificiis *c* eos tranſigerent, extra proprias ædes in tabernaculis ex pellibus, linteis, vel arborum ramis ſubito opere conſtructis, toto illo tempore degentes, in memoriam quadraginta annorum quibus per deſertum in eiuſmodi tabernaculis egerunt. Porro hæc tabernacula non neceſſario extra urbes, ſed ſolum extra domos, quo quiſque vellet loco, dummodo ſub dio, figi poterant: unde quidam in hortis ſuis, vel domorum atriis, quidam in tecto domorum, quidam in plateis illa figebant, ut habetur II. Eſdræ VIII. verſ. 16.

Porro primo die ſcenopegiæ iubet hic Deus verſ. 40. ut ſinguli ſumant, ſeu manu geſtent *fructus arboris pulcherrimæ*, puta citri, id eſt ramuſculos cum annexis malis citreis: ita Chaldæus, & Rabbini cum Ioſepho. Et quis neſcit, ramos citri ut admodum amœnos, ita & pulcherrimos eſſe, quibus non folia modo perpetuo virentia, & flores ſemper purpuraſcentes, ſed & fructus aureo colore flaveſcentes toto anni decurſu adhærent? Quin & lignum ipſum citri arte dedolatum eximie pulchrum eſſe, & menſam citrinam aureæ menſæ prælatam ſcribunt Cicero, Martialis, Plinius, & Dalechampius *d*. *Spatulæ palmarum*, quas iidem iubentur tum quoque in manus ſumere, ſunt proprie ramuſculi illi teneriores unde dactyli ſeu fructus palmarum dependent. *Rami ligni denſarum frondium*, erant rami ex myrto, ut vertit Chald. & Ioſeph. teſtatur. Qui & addit, his ramis quos hoſannas vocabant, inſtructos Iudæos feſtive circa tabernaculum vel templum ſolitos ſaltitare: & octava ſeu ultima die frequentes, immo omnes quotquot poſſent, ad templum convenire debuiſſe, unde & cœtus, & collecta vocatur hic verſ. 36. & alibi ſæpius, non a pecunia colligi tum conſueta (nam ex nullo Scripturæ loco conſtat) ſed ex populi totius conventu: neque hoc ob alium finem quam ut gratias unanimiter agerent Deo; primo pro obtenta terra ſancta; ſecundo pro frugibus eo anno collectis; tertio pro feſto feliciter exacto: quibus gratiis peractis, omnes e tabernaculis ad propria domicilia remeabant. Ita S. Thomas, Burgenſis, Ribera, & Sanctius *e*.

Tropologiam vide apud Rupertum, Heſychium, & Radulphum.

(*a*) Ioſeph. Lib. III. Antiq. cap. X.
(*b*) Ioſeph. Lib. V. Belli cap. VI.
(*c*) Num. XXIX. & Ioſeph. Lib. III. Antiq. cap. X.
(*d*) Cic. Act. VI. in Verrem. Martial. Lib. XIV. Plin. Lib. XIII. cap. XV. & ibid. Dalechamp. Ioſehp. ſupra.
(*e*) S. Tho. I. II. qu. CII. art. 4. Burgenſis hic. Ribera Lib. V. de Templo cap. XVIII. Sanctius in I. Reg. VIII. verſ. ult.

GORDONI.

Verſ. 2. HAEc feſta Hebr. *Vocationes ſanctæ* nominantur: מקראי, קדש *mikrae kodeש*. Septuaginta vocant κλητὰς ἁγίας. Omittitur hic feſtum Neomeniæ, de quo Num. XXVIII. verſ. 11. Alia porro feſta a Iudæis ſunt inſtituta, Eſther IX. verſ. 17. & 26. Item Encæniorum I. Mach. IV. verſ. 49. Aliud etiam II. Machab. I. verſ. 18. Vide Genebr. in Calendario Hebræorum.

V. 3. Singulis his feſtis a Deo inſtitutis, aſſignantur menſis & dies. Qui ſint hi menſes Hebræorum, & quomodo noſtris menſibus reſpondeant, dixi abunde in opere Chronol. Qq. cap. XVII. De phaſe ſeu paſchate, vide quæ dixi Exod. capit. XI. & cap. XII. & cap. XX. verſ. 8. Hoc loco DIES SEPTIMUS eſt Hebr. שבת שבתון *ſabbat ſabbaton*, *requies quietis*. Sabbatum ſabbati, hoc eſt præcipuum inter ſabbata: tunc ciborum præparatio prohibebantur, non in aliis. Septuaginta *σάββατα, ἀνάπαυσις*.

V. 5. PHASE DOMINI. פסח *peſach*, *tranſitus*. Accipitur etiam pro agno paſchatis, ac demum pro ipſo feſto. De paſchate inter Chriſtianos, & quæſtionibus de hac re alibi.

V. 7. SERVILE. Non includitur præparatio ciborum. Incipiunt dies azymorum. De horum dierum ſacrificiis vide Num. cap. XXVIII. verſ. 18. Quod hic dici-

citur, Erit celebrior; hoceſt, *erit celebris*, ut habent Græca, & Hebraica. Nec raro Latini pro poſitivo dant comparativum.

V. 10. Non antea, ſed ab hac oblatione manipuli. meſſis ſumebat initium. Ioſeph. Lib. III. Antiquit. cap. x. Offerebatur manipulus e quacumque vicinia, & forte hordeaceus erat. At quomodo in Hebr. עמר *bhomer*, ſeu gomor menſura? quia, ex Ioſepho, ſemotis ſpicis, & paleis, offerebatur reliquum ad menſuram.

V. 11. Elevabit fasciculum; hoc eſt, elevando offeret: idque altero die, nempe decimo ſexto menſis, & azymorum altero, ſeu ſecundo, ut hinc ſint quinquaginta dies ad pentecoſten.

V. 12. Offerebantur hi panes, ſed fermentati cum ſint, non offerebantur ad altare: nihil enim fermentatum offerebatur per modum ſacrificii ad altare: unde hoc nec proprie ſacrificium erat. Supra cap. vii.

V. 13. Liba quoque vini quarta pars hin. Hebr. *libamen eius vini quartam hin*; ac ſi diceret, tres ſextarios: nam hin continebat duodecim ſextarios. Vide ſupra cap. xiv. de ſextario, cui aliqui dant 16. uncias, aut plures.

V. 14. Polentam, genus quoddam pultis ex fermento toſto.

V. 15. Proponitur hic Pentecoſte, & feſtum celebrandum die 50. a paſchate: nempe a ſecundo die azymorum numerabant Hebræi ſeptem hebdomadas, ſeu dies quadraginta novem, & ſequens dies, ſcilicet quinquageſimus, erat pentecoſte, ut confirmat Ioſeph. Antiq. Lib. III. cap. x. habebantque ſic Iudæi ſtatum paſcha, & pentecoſten, quia utebantur menſibus lunaribus: incidebatque proinde pentecoſte in diem ſextum, vel ſeptimum tertii menſis: nam quæſtio eſt an quinquaginta dies numerentur a ſecundo azymorum excluſive, ut putat Ribera Lib. V. de Templo cap. vii. an vero incluſive. Hanc attigi quæſtionem ad annum Chriſti 34. Sane ſi incluſive numeras, exibit præciſe dies quinquageſimus die ſeptimo menſis tertii, alioqui die ſexto. Inſtitutum eſt hoc feſtum ut Iudæi grato animo recordarentur legis datæ: ex Hieronymo ad Fabiolam de 42. manſionibus.

V. 19. Facietis hircum, id eſt ſacrificabitis, offeretis.

V. 21. & 22. Genebrardus in ſuo Calendario Hebr. putavit pentecoſten hanc (in memoriam datæ legis in Sinai) habuiſſe etiam ſuam octavam, ut in paſchate. Quod ſequitur verſu 22. de pauperibus, vide ſupra cap. xix. verſ. 9.

V. 24. Feſtum Tubarum eſt prima die menſis tiſri, ſeu ſeptembris, & incidebat in feſtum neomeniæ, unde menſem Iudæi inchoabant. Narrant Hebræi hoc feſtum inſtitutum in memoriam liberati Iſaaci ab immolatione. Sic nuncupatum a tubarum clangore.

V. 27. Feſtum Expiationis eſt de quo dixi cap. xvi. in memoriam veniæ conceſſæ pro adoratione vituli.

V. 32. A veſpere ad veſperum vult celebrari ſabbata, & feſta quæcumque, hoc eſt ab occaſu ſolis uſque ad inſequentem proxime ſolis occaſum: dies eſt naturalis. Hunc diem feſtum proxime excipiebat tabernaculorum. Heb. חג הסכות *chag haſſucoth*, *feſtum tabernaculorum*, ut iam dicam, Græce ἑορτὴ σκηνῶν: erant tabernacula e ramis arborum ſub dio, per ſeptem dies.

V. 34. Feſtum eſt Tabernaculorum, Græcis *ſcenopegia*, a figendis tabernaculis: σκηνὴ *tabernaculum*, πήγια *fixio*. Fuit in memoriam protectionis in deſerto, ſub tabernaculis. Deſignatur huic feſto menſis ſeptembris.

V. 36. Feſtum Collectæ agebatur velut octava feſti tabernaculorum. Aliqui interpretantur eſſe cœtum convocatum ad collectionem pecuniæ: alii ad gratiarum actionem pro adventu in terram promiſſam. Hoc exacto die octavo, non manebant amplius in tabernaculis.

V. 38. Exceptis sabbatis; id eſt, præter ea quæ in ſabbato offerebantur.

V. 39. & 40. In feſto tabernaculorum geſtabant in manibus ramos. Vide Ioſeph. Antiq. Lib. III. cap. x.

Ex Eiusdem Auctario.

V. 8. Nullumque servile opus facietis in eo. In feſto paſchæ, & expiationis, ne quidem cibos coquere licebat. In aliis feſtis hoc non erat prohibitum,

Verſ. 18. Libamentum deſignare ſolet

quicquid cum victima offerebatur, ut adiunctum oleum, vinum, &c.
V. 24. SABBATUM, feſtum ſolemne: non enim hic de ſabbato.

V. 27. EXPIATIONEM. Vid. cap. xvi.
Verſ. 40. LIGNI. Myrtus, ex Ioſepho & aliis.

CAPUT XXIV.

Ritus concinnandarum lucernarum, panum propoſitionis, pœna blaſphemorum ac talionis.

1 ET locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens: 2. Præcipe filiis
Iſrael ut afferant tibi oleum de olivis puriſſimum, ac lu-
cidum, ad concinnandas lucernas iugiter, 3. extra ve-
lum teſtimonii in tabernaculo fœderis. Ponetque eas Aaron
a veſpere uſque ad mane coram Domino, cultu rituque
perpetuo in generationibus veſtris. 4. Super candelabrum
mundiſſimum ponentur ſemper in conſpectu Domini. 5. Ac-
cipies quoque ſimilam, & coques ex ea duodecim panes, qui
ſinguli habebunt duas decimas: 6. quorum ſenos altrinſecus ſuper menſam pu-
riſſimam coram Domino ſtatues: 7. & pones ſuper eos thus lucidiſſimum, ut ſit
panis in monimentum oblationis Domini. 8. Per ſingula ſabbata mutabuntur co-
ram Domino ſuſcepti a filiis Iſrael fœdere ſempiterno: 9. eruntque Aaron & fi-
liorum eius, ut comedant eos in loco ſancto: quia Sanctum ſanctorum eſt de
ſacrificiis Domini iure perpetuo. 10. Ecce autem egreſſus filius mulieris Iſraeliti-
dis, quem pepererat de viro Ægyptio inter filios Iſrael, iurgatus eſt in caſtris
cum viro Iſraelita. 11. * Cumque blaſphemaſſet nomen, & maledixiſſet ei,
adductus eſt ad Moyſen. (Vocabatur autem mater eius Salumith, filia Dabri
de tribu Dan.) 12. Miſeruntque eum in carcerem, donec noſſent quid iuberet
Dominus. 13. Qui locutus eſt ad Moyſen, 14. dicens: Educ blaſphemum ex-
tra caſtra, & ponant omnes qui audierunt, manus ſuas ſuper caput eius, & la-
pidet eum populus univerſus. 15. Et ad filios Iſrael loqueris: Homo, qui male-
dixerit Deo ſuo, portabit peccatum ſuum: 16. & qui blaſphemaverit nomen
Domini, morte moriatur: * lapidibus opprimet eum omnis multitudo, ſive il-
le civis, ſive peregrinus fuerit. Qui blaſphemaverit nomen Domini, morte mo-
riatur. 17. (*a*) Qui percuſſerit, & occiderit hominem, morte moriatur. 18.
Qui percuſſerit animal, reddet vicarium, id eſt animam pro anima. 19. Qui ir-
rogaverit maculam cuilibet civium ſuorum: ſicut fecit, ſic fiet ei: 20. (*b*) fra-
cturam pro fractura, oculum pro oculo, dentem pro dente reſtituet: qualem in-
flixerit maculam, talem ſuſtinere cogetur. 21. Qui percuſſerit iumentum, reddet
aliud. Qui percuſſerit hominem, punietur. 22. Æquum iudicium ſit inter vos,
ſive peregrinus, ſive civis peccaverit: quia ego ſum Dominus Deus veſter. 23.
Locutuſque eſt Moyſes ad filios Iſrael: & eduxerunt eum qui blaſphemaverat,
extra caſtra, ac lapidibus oppreſſerunt. Feceruntque filii Iſrael ſicut præceperat
Dominus Moyſi.

(*a*) Exod. xxi. 12. (*b*) Matth. v. 38. Exod. xxi. 12. Deut. xix. 21.

BRU-

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

Verſ. 11. *Cumque blaſphemaſſet nomen*. Cave addas *Domini*, aut *Dei*, quod conſulto omiſſum a Moſe eſt.

V. 16. *Lapidibus obruet eum omnis multitudo*. Non eſt addenda vox *populi*.

COMMENTARIA

SA.

Verſ. 3. PONETQUE, id eſt accendet. USQUE AD MANE. Apparet ſolum nocte fuiſſe accenſas.

V. 5. DECIMAS, ſcilicet unius ephi; quaſi dicat, duo gomor.

V. 6. ALTRINSECUS, id eſt ex altera parte, ſeu e regione aliorum ſex.

*V.*7. THUS LUCIDISSIMUM. LXX. *thus purum*, & *ſalem*. UT SIT PANIS: coniunge ſic, *Panis oblationis Domini in monumentum*, ut patet ex Chald.

V. 9. COMEDANT. Sabbato edebantur, & thus illud adolebatur.

V. 14. PONANT .... MANUS, ſcilicet teſtantes ſe audiviſſe blaſphemantem.

V. 15. PORTABIT PECCATUM; id eſt, pro peccato punietur.

Verſ. 16. ET QUI BLASPHEMAVERIT. Explicatio eſt præcedentis.

V. 17. ET OCCIDERIT. Id ab Interprete additum, explicationis cauſa. LXX. *Qui percuſſerit hominem*, & *mortuus fuerit*. Chald. *Qui occiderit hominem*. Sic & infr. ex quo apparet, *percutere* hic Hebr. po *occidere* ſumi.

V. 19. MACULAM, id eſt vulnus, ſeu plagam.

V. 20. PRO FRACTURA, ſcilicet ſuſtineat.

V. 21. QUI PERCUSSERIT, &c. repetuntur ſupra dicta. PUNIETUR. Hebr. *Moriatur*; id eſt, interficiatur. Chal. *occidatur*.

V. 22. AEQUUM. Hebr. Chald. & LXX. *unum*.

ESTII.

Verſ 12. MISERUNTQUE EUM, virum blaſphemum, IN CARCEREM, DONEC NOSSENT QUID IUBERET DOMINUS. Quæritur quare Moyſes blaſphemum hunc non mulctavit morte, per eam legem quæ præcepit interfici eos qui maledixerint patri, & matri, argumento ſumpto a minori; cum iudices, ſi caſus incidat non expreſſus in iure, ſoleant ex ſimilibus, quid ſibi faciendum ſit ſtatuere. Reſpondeo: Moyſes pro Dei gloria zelatus eſt, quando peculiariter ſuper hoc ſcelere puniendo divinum reſponſum petiit, quaſi tale crimen eſſet cui communis pœna non ſatis eſſet. Nihilominus Deus lapidatione (quæ alioqui communis erat etiam aliorum criminum pœna) contentus eſſe voluit, ut daret exemplum omnibus præfectis, regibus, & principibus, ne proprias iniurias velut graviores vindicarent, ſed clementiam etiam quamdam in eo qui in ſe delinquerent, oſtenderent.

V. 14. ET PONANT OMNES QUI AUDIERUNT, MANUS SUAS SUPER CAPUT EIUS. Huius cauſam reddunt aliqui (ut Oleaſter) quod ſicut is pro cuius peccato offerebatur hoſtia, debebat ponere manum ſuper caput hoſtiæ, ad ſignificandum quod ſuum peccatum puniebatur, & expiabatur morte illius pecudis; ita hi qui audierant blaſphemiam, debuiſſent ponere manum ſuper caput blaſphemi, ad ſignificandum aliquod ſuum peccatum, quo blaſphemam audierant. Sed hæc ratio non nititur veritate: nam non præſumitur eum qui audivit, aliquo modo conſentire, niſi forte ſi taceat. Iſti autem detulerant, & erant teſtes contra blaſphemum. Quare potius ſignificatum videtur, quod imponebant manum in teſtimonium facti, & approbationem iuſti ſupplicii.

V. 16. SIVE ILLE CIVIS, SIVE PEREGRINUS FUERIT. Addit hoc de peregrino, ne putaretur is qui religionem Dei Iſrael non ſuſcepiſſet, immunis eſſe

hac

hac pœna, ſi nomen Dei Iſrael inter eos blaſphemaſſet. Quamvis enim non eſſet de populo, & ideo legibus populi non eſſet in univerſum ſubiectus; ratione tamen delicti apud eos commiſſi, ſorum ſortiebatur, & ſecundum legem eorum puniendus erat.

MARIANAE.

Verſ. 2. PURISSIMUM, AC LUCIDUM. Hebr. *purum contuſum oleum*, id eſt non expreſſum in trapetis.

V. 5. DUAS DECIMAS, nimirum decimas ephi, hoc eſt duo gomor.

V. 8. SUSCEPTI A FILIIS ISRAEL. Fortaſſe quælibet tribus offerebat ſuum panem.

V. 11. CUMQUE BLASPHEMASSET NOMEN. Chald. vertit: *Et nominavit*, ſeu *explanavit nomen*, ſcilicet Dei. Sed vox נקב *nakab* ſignificat etiam *blaſphemare*: & fortaſſe genus blaſphemiæ putabatur ipſa nuda prolatio nominis ineffabilis.

V. 14. ET PONANT OMNES QUI AUDIERUNT, MANUS SUPER CAPUT blaſphemi, quaſi fatentes, eſſe omnes reos mortis ipſa auditione, ſed illum mactari pro omnibus.

V. 21. PUNIETUR. Hebr. *Morietur*, ſcilicet qui percuſſerit hominem.

MALVENDAE.

Verſ. 2. PRAECIPE FILIIS ISRAEL, &c. Totum hunc verſum habes etiam Exod. XXVII. verſ. 20. Ibi vide.

V. 3. EXTRA VELUM TESTIMONII, &c. Et hic quoque verſus integer extat Exod. XXVII. verſ. 21. Vide ibi.

Verſ. 4. SUPER CANDELABRUM MUNDISSIMUM. Vide Exod. XXXI. verſ. 21. Sic *menſa munda* dicitur verſ. 6.

Verſ. 7. UT SIT PANIS IN MONIMENTUN OBLATIONIS DOMINI. Varie Hebr. convertunt. I. *Et erit ſuper, ad, panem in memoriale: ignitio, incenſum, oblatio ignita, Domino*. II. *Eritque pani in odorem, & incenſum Iehovæ*. Exponuntque *pani*, id eſt pro pane, vice panis: nempe vice panis cremabitur in odorem ſuavitatis coram Iehova: non enim poterat adoleri panis. Super panes erat thus per totam hebdomadam, die ſabbati panis edebatur, & vice panis thus incendebatur. III. *Ut ſint panes ad monumentum, atque ad ſacrificium, quod igne confit Domino*. Nullo, vel alieniſſimo ſenſu. IV. *Ut ſit unicuique pani in memoriale ſuffimentum, igne abſumendum Iehovæ*. Atqui notant, duodecim fuiſſe acerras, a duodecim principibus tribuum oblatas, conſtare ex numero 7. & hic verſ. 5. totidem panes præcipi duobus ordinibus in menſa diſponi, ac illis imponi thus: quare non panes panibus impoſitos, ut plerique volunt, exiſtiment, quorum ſummo duæ tantum acerræ fuiſſent imponendæ; ſed ſingulas acerras thuris ſingulis panibus impoſitas fuiſſe. Quod non diſplicet.

V. 10. INTER FILIOS ISRAEL. Heb. *In medio filiorum Iſrael*; id eſt, qui amplexus fuerat Iſraelitarum fidem, ut plerique exiſtimant, & ſequentibus confirmatur. CUM VIRO ISRAELITA, videlicet ex utroque parente.

V. 11. CUMQUE BLASPHEMASSET. Verbum נקב *nakab* emphaticam habet notionem, hic omnia iſta complectitur: *Et excavavit, perforavit, defixit, tranſfixit, pupugit, exſcidit, proſcidit, notavit, impreſſit*. Vide Geneſ. XXX. verſ. 28. Haud dubium quin iſte nomen Dei blaſphemaverit, aut execratus fuerit, eique maledixerit. Nam qui alium blaſphemat, eum transfigit, proſcindit, perforat, ac veluti tranſverberat: ſic ſumitur hoc verbum verſ. 16. NOMEN. Hebr. non eſt Dei, ſed tantum *nomen*: ita per excellentiam, & antonomaſiam vocatur ſimpliciter nomen illud divinum ac ſacroſanctum, propriumque ac genuinum Dei IHUH, quod blaſphemus iſte diſerte expreſſerit, & ſumma impietate blaſphemaverit. Et putant multi, ob reverentiam, & religionem omiſſum hic exprimi a Moſe, ut ne in relatione blaſphemiæ nomen ipſum Dei enuntiaretur. Sic infra verſ. 16. ADDUCTUS EST AD MOYSEN, nimirum a iudicibus, de hoc gravi facinore Deum per Moſen conſultaris, ex inſtituto Exod. XVIII. verſ. 21. 22. quod confirmatur ſequentibus.

Verſ. 12. DONEC NOSSENT QUID IUBERET DOMINUS. Heb. *Ad exponere, explicare eis ſuper ore Domini*. Quidam: *Ut exponeret eis iuxta ſermonem Domi-*

mini, id eſt tantiſper, dum Moſes declararet quidnam de eo faciendum eſſet, revelante Domino. Alii: *Ut exponeretur eis ſententia Domini*. Nonnulli: *Ut exponeret eis* Moſes quid faciendum *ex præſtituto Iehovæ*.

V. 14. PONANT OMNES QUI AUDIERUNT, eum ſcilicet blaſphemantem, MANUS SUAS SUPER CAPUT EIUS. Quidam reddunt: *Et nitantur quicumque audierunt, manibus ſuis ſuper caput eius*. Hanc cæremoniam varie elucidant. I. Ut eo geſtu ſuum reſtimonium confirmarent ſe eum audiviſſe blaſphemantem: ſic Danielis XIII. verſ. 34. II. Ut profiterentur illum tamquam hoſtiam piacularem mactandum, quæ cœlum, & terram tanta blaſphemia impiatam, piaret. Id enim fieri ſolitum in hoſtiis piacularibus, conſtat, ut ſupra cap. IV. verſ. 4. & 24. & alibi. III. Ut & eo ſigno exprimerent, ſanguinem eius ſuper caput ipſius futurum, ſeque iuſtiſſimam ſuæ cædis cauſam eſſe.

Verſ. 17. QUI PERCUSSERIT, ET OCCIDERIT HOMINEM. Hebr. *Cum quis percuſſerit ullam animam hominis*; id eſt, vitam percutiendo ademerit, vel percuſſerit lethaliter hominem, ut Geneſ. XXXVII. verſ. 21. Sic verſu ſequenti. Vide Exod. XXI. verſ. 12. & ſeqq.

V. 18. REDDET VICARIUM. Heb. *Rependet eam*, animam ſcilicet; vel *illud*, nempe animal, videlicet vel aliud eiuſdem ſpeciei, vel pretium eius. Sic verſ. 21.

V. 19. MACULAM. מום *mum*, hic *vitium*, *labem*, *noxam*, *detrimentum*, *damnum* ſignificat, ut ſequenti verſu clarius exponitur.

MENOCHII.

Verſ. 2. PRAECIPE FILIIS ISRAEL UT AFFERANT TIBI OLEUM. Populus ſumptus præbebat ad ſacrificia, incenſum thymiamatis, oleumque lucernarum in candelabro: cum enim ſacrificia, & ſacræ cæremoniæ obirentur a ſacerdotibus nomine totius populi, huius etiam erat ſuppedirare ſumptus neceſſarios. Ideo in cenſu quilibet offerebat dimidium ſiclum Exod. XXX. 13. & in feſtis tribus quotannis ſponte offerebant quantum quilibet volebat: nam Exod. XXIII. 15. dicitur: *Non apparebis in conſpectu meo vacuus*: & gazophylacium etiam, de quo Luc. XXI. 1. erat ad ſumptus templi inſtitutum. DE OLIVIS PURISSIMUM. Heb. *oleum purum contuſum in lumen*: pilo contuſum, non torculari expreſſum, aut mola, quod ita ab amurca purgatum non eſt. AD CONCINNANDAS LUCERNAS, accendendas. IUGITER, ſingulis noctibus, a veſpere uſque ad mane.

V. 3. EXSTRA VELUM TESTIMONII, extra Sanctum ſanctorum.

V. 5. COQUES EX EA. Munus coquendi erat Caathitarum, quæ erat una ex familiis tribus Levi. Vide I. Paral. IX. 13. & cap. XXIII. 29. DUODECIM PANES, propoſitionis. SINGULI HABEBUNT DUAS DECIMAS. Erat unuſquiſque panis librarum fere tredecim cum dimidia, nam continebant duas decimas, ſeu quintam partem ephi; unum autem ephi continet modios tres, hoc eſt uncias 960. frumentique noſtratis libras 60. unus enim modius frumenti 20. libras habet. Porro quod deeſt ad numerum unciarum (aliquot enim deeſſe ſupputanti apparebit) addendum eſt propter aquæ pondus farinæ mixtæ: nam tribus farinæ unciis, panis conficirur quatuor fere unciarum. Vide Cornelium a Lapide hic, & in tractatu de menſuris in fine Pentateuchi.

V. 6. PURISSIMAM, auream.

Verſ. 7. IN MONIMENTUM OBLATIONIS DOMINI: ut panis hic ſit iuge memoriale oblationis iugis, quam hoc pane Hebræi Domino faciunt.

Verſ. 8. PER SINGULA SABBATA MUTABUNTUR: ne nimium deficcentur, aut corrumpantur. SUSCEPTI A FILIIS ISRAEL; quaſi dicat: Materia, id eſt farina, data ſit a filiis Iſrael, panes vero confecti a levitis. FOEDERE SEMPITERNO, lege ſempiterna, ſemper ſervanda; vel ſententia eſt, Quia hi panes ſunt quaſi ſymbolum perpetuum fœderis initi inter me & populum, illiuſque memoriam continuo ingerunt.

V. 9. IN LOCO SANCTO, in atrio tabernaculi.

V. 10. EGRESSUS. Egredi in Scriptura capitur nonnumquam pro aggredi, & incipere, ſic Exod. II. 1. & Deut. XIII. 13. CUMQUE BLASPHEMASSET NOMEN, ET MALEDIXISSET EI. Hebr. *Per-*

Terſoravit illud nomen, & maledixit : ſic etiam Latini dicunt configere aliquem maledictis . Blaſphemavit ergo nomen illud auguſtum, & ſanctum .

V. 14. PONAT MANUS SUAS , &c. Imponebant manus capiti teſtantes ſe audiviſſe blaſphemantem , & impio capiti deberi pœnam ; vel imponebant manus quaſi hoc ritu precarentur ut Deus in eum omnem peccati pœnam devolveret , nec regionem, aut populum propter unius ſcelus malis immiſſis attereret.

V. 15. PECCATUM, pœnam peccati .

V. 16. SIVE PEREGRINUS FUERIT, etiam gentilis, & incircumciſus.

V. 18. PERCUSSERIT ANIMAL , occiderit. REDDET VICARIUM , ID EST ANIMAM PRO ANIMA, animal vivum pro animali occiſo.

V. 19. MACULAM, cicatricem , plagam , vulnus.

Verſ. 20. FRACTURAM PRO FRACTURA: ut ſi fregerit alteri pedem vel manum, eidem ſrangatur pes vel manus.

V. 21. PUNIETUR, pœna mortis.

TIRINI.

Verſ. 10. EGRESSUS FILIUS MULIERIS ISRAELITIDIS, QUEM PEPERERAT DE VIRO AEGYPTIO. Nam multi AEgyptii cum Hebræis egreſſi fuerant ex AEgypto, nempe qui veri Dei cultum & circumciſionem ſuſceperant, & affinitate coniuncti illis fuerant, ut inſinuatur Exod. XII. verſ. 38. ubi *vulgus promiſcuum innumerabile cum eis aſcendiſſe* dicitur.

V. 14 PONANT OMNES QUI AUDIERUNT blaſphemantem, MANUS SUAS SUPER CAPUT EIUS. Hac cæremonia teſtabantur verum eſſe quod retulerant : & quaſi proteſtabantur, velle ſe, ſi falſa teſtarentur, ut ſanguis innocentis in ipſorum caput redundaret . Hac eadem cæremonia indicabatur, publico nomine ob peccatum in populo admiſſum , unam hanc quaſi hoſtiam Deo immolandam conſecrari : & ſi quid vindictæ ob idem peccatum in populum eſſet venturum , id totum in caput hominis nocentis converti . Habuitque hæc cæremonia locum non modo in blaſphemia, ſed etiam veriſimiliter in quovis alio crimine, ut patet ex hiſtoria Suſannæ, cuius capiti duo ſenes manus impoſuerunt , Danielis XIII. verſ. 34.

GORDONI.

Verſ. 2. & 5. TOtus populus præbebat ſumptus ad immolationem ſacrificiorum , incenſionem thymiamatis, ad accenſionem lucernarum in candelabro , & propoſitionem panum . De his panibus infra. DUAS DECIMAS, ſcilicet ephi, ſeu duo gomor. An liceat laico veſci his panibus vide I. Reg. cap. XXI. de Davide, & Exod. XXV. verſ. 3. Porro de oleo ſupra Exod. cap. XXVII. verſ. 20. Lucidum vocat, purum , & defecatum .

V. 14. Poſitione manuum teſtabantur verum eſſe quod retulerunt, ac ſe audiviſſe , & dignum eſſe morte blaſphemum .

V. 15. PORTABIT PECCATUM ; hoc eſt, punietur pro peccato: & hoc eſt quod explicat verſ. 16. inſequente.

V. 19. MACULAM, hoc eſt vulnus , vel qui corpus deformaverit, aut mutilaverit.

Ex EIUSDEM AUCTARIO.

V. 2. Debebat populus ſuppeditare hos ſumptus neceſſarios: quo etiam fine in cenſu quiſque dabat medium ſiclum . Debebant etiam ſinguli offerre quod volebant , ſingulis anni feſtis illis tribus, Exod. XXIII. 15. Extabat porro ad hoc gazophylacium. LUCERNAS IUGITER, ſingulis noctibus, ſeu a veſpere uſque mane .

V. 3. EXTRA VELUM TENTORII, extra Sanctum ſanctorum .

V. 5. DUAS DECIMAS : eſt quinta pars ephi . Ergo quilibet panis librarum tredecim cum dimidia . Ephi libras habet ſexaginta , ac proinde tres modios : nam modius habet libras viginti.

V. 18. PERCUSSERIT, occiderit.

CA-

CAPUT XXV.

Septimi & quinquageſimi anni lex: non ſumenda a fratribus uſura, nec ipſi ſervitute perpetua opprimendi ſunt, ſed magis ab advenis potentibus redimendi.

1 LOcutuſque eſt Dominus ad Moyſen in monte Sinai, dicens:
2. Loquere filiis Iſrael, & dices ad eos: * Quando ingreſſi
fueritis terram quam ego dabo vobis, ſabbatizes ſabbatum
Domino. 3. (a) Sex annis ſeres agrum tuum, & ſex annis
putabis vineam tuam, colligeſque fructus eius: 4. ſeptimo
autem anno ſabbatum erit terræ, requietionis Domini: a-
grum non ſeres, & vineam non putabis. 5. Quæ ſponte gi-
gnet humus, non metes: & uvas primitiarum tuarum non
colliges quaſi vindemiam: annus enim requietionis terræ eſt: 6. ſed erunt vobis
in cibum, tibi & ſervo tuo, ancillæ & mercenario tuo, & advenæ, * qui per-
egrinantur apud te: 7. iumentis tuis & pecoribus, omnia quæ naſcuntur, præ-
bebunt cibum. 8. Numerabis quoque tibi ſeptem hebdomadas annorum, id eſt
ſepties ſeptem, quæ ſimul faciunt annos quadraginta novem: 9. & clanges buc-
cina menſe ſeptimo, decima die menſis, propitiationis tempore in univerſa terra
veſtra. 10. Sanctificabiſque annum quinquageſimum, & vocabis remiſſionem cun-
ctis habitatoribus terræ tuæ: ipſe eſt enim iubilæus. Revertetur homo ad poſſeſ-
ſionem ſuam, & unuſquiſque rediet ad familiam priſtinam: 11. quia iubilæus
eſt & quinquageſimus annus. * Non ſeretis, neque metetis ſponte in agro na-
ſcentia, & primitias vindemiæ non colligetis, 12. ob ſanctificationem iubilæi,
† ſed ſtatim oblata comedetis. 13. Anno iubilæi redient omnes ad poſſeſſiones
ſuas: 14. quando vendes quidpiam civi tuo, vel emes ab eo, ne contriſtes fra-
trem tuum, ſed iuxta numerum annorum iubilæi emes ab eo, 15. & iuxta ſup-
putationem frugum vendet tibi. 16. Quanto plures anni remanſerint poſt iubi-
læum, tanto creſcet & pretium: & quanto minus temporis numeraveris, tanto
minoris & emptio conſtabit: tempus enim frugum vendet tibi. 17. Nolite affli-
gere contribules veſtros, ſed timeat unuſquiſque Deum ſuum, quia ego Dominus
Deus veſter. 18. Facite præcepta mea, & iudicia cuſtodite, & implete ea, ut
habitare poſſitis in terra abſque ullo pavore, 19. & gignat vobis humus fructus
ſuos, quibus veſcamini uſque ad ſaturitatem, nullius impetum formidantes. 20.
Quod ſi dixeritis: Quid comedemus anno ſeptimo, ſi non ſeverimus, neque col-
legerimus fruges noſtras? 21. Dabo benedictionem meam vobis anno ſexto, &
faciet fructus trium annorum: 22. ſeretiſque anno octavo, & comedetis veteres
fruges uſque ad nonum annum: donec nova naſcantur, edetis vetera. 23. Terra
quoque non vendetur in perpetuum: quia mea eſt, & vos advenæ & coloni
mei eſtis: 24. unde cuncta regio poſſeſſionis veſtræ ſub redemptionis conditione
vendetur. 25. Si attenuatus frater tuus vendiderit poſſeſſiunculam ſuam, & vo-
luerit propinquus eius, poteſt redimere quod ille vendiderat. 26. Sin autem non
habuerit proximum, & ipſe pretium ad redimendum potuerit invenire: 27. com-

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 2. *Quando ingreſſi fueritis terram quam ego dabo vobis, ſabbatizes ſabbatum Domino*. Pro ſecunda perſona *ſabbatizes*, in aliis libris eſt tertia *ſabbatizet*: cui ut darent ſuppoſitum, addiderunt quidam *populus*. Si adddiiſſent *terra*, fuiſſet veriſimilius: id enim addunt ſimiliter Hebræa, Chaldæa, & Græca. Sed videtur Latinus Interpres τό *terra* Hebraice non legiſſe, itaque dediſſe ſecundam perſonam *ſabbatizes*, pro quo quidam ſcripſerunt plurali numero *ſabbatizate*, ut evitarent duram illam numeri mutationem. Quocumque modo legas, ſermo de terra eſt: nam quomodo implendum ſit quod Latine iubetur Iſrael ſabbatizare ſabbatum, explicant verſus proxime ſequentes: *Sex annis ſeres agrum tuum* &c. Iam tertius caſus *Domino*, quem multi vertunt in ſecundum *Domini*, omnino retinendus eſt.

V. 6. *Qui peregrinantur apud te*. Quidam mutarunt pluralem numerum *peregrinantur* cum ſingulari *peregrinatur*, perſuaſi, hoc verbi non niſi ad proximum *advenam* referendum eſſe, male.

V. 11. *Non feretis*, *neque metetis*. Miror quo conſilio quidam mutaverint *neque* in *atque*.

LECTIONUM VARIETAS.

V. 12. *Sed ſtatim oblata comedetis*. Alii libri legunt *ablata*, id eſt primam vocalem pro quarta.

COMMENTARIA

SA.

Verſ. 2. SABBATIZES. Heb. & LXX. & Chald. *ſabbatizet*, ſcilicet quieſcat ſeptimo quoque anno. DOMINO, id eſt in honorem Domini.

V. 5. PRIMITIARUM. Hebr. *ſeparationum*; quaſi dicat, quas tibi ſolebas ſeparare more primitiarum. Chald. *Quas tibi reliquiſti*; quaſi dicat, uvas vineæ a te derelictæ, & non cultæ, ſeu a te derelictas. Sic & infra intellige.

V. 6. TIBI; quaſi dicat: Poteris quidem tu etiam edere, ſed ut ceteri ſolum partem, non totum tibi colligere.

V. 8. NUMERABIS, ſcilicet incipiendo a ſeptembri. HEBDOMADAS. Heb. *ſabbata*. Vide ſupra cap. XXIII.

V. 9 PROPITIATIONIS. Chald. *expiationis*. TEMPORE. Hebr. Chald. & LXX. *die*.

V. 10. SANCTIFICABISQUE; id eſt, declarabis eſſe Deo dicatum, vel populum ad illum præparabis. VOCABIS, id eſt denuntiabis. REMISSIONEM. Hebr. & Chald. *libertatem*. IUBILAEUS; quaſi dicat, remiſſionis & libertatis. Nota, quod *Iobel* ſignificat *arietem*, ſecundum quoſdam, & *eius cornu*; ſumiturque pro cornu, ſeu buccina, qua ille annus annuntiabatur; itemque pro anno illo. Alii dicunt ſignificare *libertatem*, ſeu *remiſſionem*; nec arietis cornu ſolitum annuntiari annum illum, ſed cornea tuba. Vide Ioſeph. VI. AD FAMILIAM, ſcilicet donatus libertate, ſi ſervus erat. Vide infra.

V. 11. PRIMITIAS. Vide ſupra.

V. 12. STATIM OBLATA. Hebr. *de agro*; quaſi dicat: Ut ſolent qui tranſeunt, edere quæ decerpunt ex agris.

V. 14. CIVI. Hebr. *proximo*. CONTRISTES. Hebr. *Decipias*, ſeu *opprimas*. LXX. *affligas*. Chald. *decipias*.

V. 15. FRUGUM, id eſt proventus.

V. 16. TEMPUS ENIM FRUGUM; quaſi dicat, non agrum vendit, ſed fructus. Hebr. Chald. & LXX. *Numerum proventuum ipſe vendit tibi*.

V. 17. AFFLIGERE CONTRIBULES. Hebr. *decipere*, ſeu *opprimere proximos*.

V. 25. ATTENUATUS, id eſt inopia preſſus.

V. 34 SUBURBANA, ſcilicet agros, ubi pecora paſcebantur. SEMPITERNA, id eſt perpetuo retinenda.

V. 44. NATIONIBUS, id eſt Gentibus.

Digitized by Google

MALVENDAE.

Verſ. 1. IN MONTE SINAI. Quidam reddunt, *Ad montem Sinai*, videlicet e tentorio conventus: non enim credibile eſt, Moſen hoc in loco rerum ordinem conturbaſſe, cuius commentarii hactenus fuerunt ephemerides accuratiſſimæ.

V. 2. SABBATIZES SABBATUM DOMINO. Heb. *Et ſabbatizabit terra ſabbatum Domino*. Quidam reddunt: *Tum ceſſabit, quieſcet terra, & habebit ſabbatum Domini*; vel *tunc requieſcet regio requietione*, vel *ceſſatione*, aut *quiete*; id eſt, terra erit in otio, non arabitur, neque ſeminabitur: idque in honorem Iehovæ. Alii: *Tum quieſcet terra* a cultura, quam intermitti oportebit, ut in ſequentibus explicatur, *ſabbato Iehovæ*, id eſt ceſſatione a cultura, prout Iehova præcipit ſequentibus.

V. 5. QUAE SPONTE GIGNET HUMUS. Pro quatuor his dictionibus una tantum eſt Hebraica ספיח *ſapiach*: aiunt ſignificare germen quod per ſe egreditur, atque oritur ſine ſatione, & abſque ſemente; unde reddunt *ſponte naſcens, ſponte creſcens*. Quidam vertunt *deciduum, cadivum*, quod ſponte ſua humi decidens, inde poſtea ſine cuiuſque cultura, aut labore ſponte naſcitur, ac creſcit: ut ſunt grana quæ præterito anno ex meſſe in terram deciderunt, & ſequenti anno abſque alia cultura proveniunt. ET UVAS PRIMITIARUM TUARUM. Varie Hebr. elucidant. I. *Et uvas ſeparationis tuæ*, id eſt, quas ſeparaſti, & conſecraſti Deo; vel uvas a quibus ſeparaſti te, ſeu abſtinuiſti, & non laboraſti in eis, colendo eas. II. *Et uvas derelictionum tuarum*, id eſt uvas vineæ a te derelictæ, & non cultæ, nec putatæ; ſeu uvas natas e vineis non putatis, nec cultis. III. *Et uvas ſeparationum tuarum*; id eſt, quas voto, ac pietate, ſeu devotione ſeparaſti pauperibus. IV. *Et uvas ſeparationum tuarum*; id eſt, vel quia ſepibus ſeparabantur, nimirum uvas vinearum ſepibus incluſarum: vel quia ſolitæ erant ſegregari & conſervari in uſum domini vineæ. V. *Et uvas quas tibi ſeparare volebas*. VI. *Et uvas intermiſſæ*, vel *ſeparatæ tuæ vineæ*; id eſt, a qua te ſeparas, intermittens cultum eius ex lege mea. VII. *Et uvas deſertionum tuarum*, id eſt uvas vineæ tuæ deſertæ & incultæ eo anno. VIII. Quidam: *Et uvas Nazaræorum tuorum*, id eſt vitium tuarum, quæ inſtar Nazaræorum habentium comam intonſam, palmites veluti capillos intonſos & imputatos habebant.

V. 6. ERUNT VOBIS IN CIBUM. Hebr. *Et erit ſabbatum terræ vobis in eſcam*. Exponunt, *ſabbatum*, id eſt fructus illius anni ſabbatici: metonymice: videlicet, quod ſponte natum fuerit e terra eo anno quo terra ſabbatum ſuum aget, erit vobis in cibum. Sequenti verſu ſe exponit.

V. 8. SEPTEM HEBDOMADAS ANNORUM, &c. Quia poterant eſſe ſeptem ſabbata, ſeu hebdomadæ annorum, non integra, in quibus non ſint quadraginta novem anni; ideo dicit explicandi cauſa, *ſepties ſeptem annos*, & expreſſius, *quadraginta novem annos*. Vide ſimilem phraſim ſupra cap. XXIII. verſ. 15.

V. 9. BUCCINA. שופר *ſchophar*, Hebræi aiunt ſignificare *tubam*, ſeu *buccinam corneam*, nempe ex cornu animalis factam: nam olim tubæ fiebant ex cornu bubalo, ut nunc ex ære, ut auctor eſt M. Varro Lib. IV. de Lingua latina cap. XXIV. *ex uris agreſtibus*, ait Vegetius Lib. III. cap. V. eiuſque uſus erat in bellis, & ſolemnitatibus. Hebræi addunt, maiores ſuos in duplici iſto feſto tubarum, primo die, & decimo menſis ſeptimi, ut ſupra cap. XXIII. verſ. 24. & hic deſcribitur, uſos cornu arietino: in quibus feſtis tubis cani ſolitum tradunt ab ortu ſolis uſque ad noctem in memoriam ligationis Iſaac, ut cap. XXIII. verſ. 24. notavimus. Atque inter alias huius feſti cauſas & hanc afferunt: Ut recordarentur diei, quo mortui omnes reſurgent: reddibunt enim in vitam, & congregabuntur tubæ clangore, haud aliter ac cum audit populus vocem tubæ. Sic Matthæi XXIV. verſ. 31. I. Corinth. XV. verſ. 52. I. Theſſalon. IV. verſ. 15. Alii vero obſervarunt, *ſchophar* pro cornu animalis nuſpiam in ſacra Scriptura legi; ſed pro tuba qua clangor clare expanditur, ſeu diffunditur in aerem, & formatur impreſſione cum ſpiritus, tum manuum, ut ex verbo תקע *takagh*, *imprimere*, ſeu *clangere*, quod ei frequenter adiungitur, conicitur. Nonnulli ſic dictam pu-

Digitized by Google

putant a vocis pulchritudine, claritudine & perſpicuitate: & eſſe genus illud tubæ quod vulgo vocant *Clarin*. Quod vero Noſter habet, *Et clangetis buccina*, Hebr. eſt *Et tranſire facies tubam clangoris*; id eſt, ut quidam reddunt, facies ut ubique perſonet clangor tubæ. Hypallage. Alii: *Et circummittes clangorem buccinæ*.

V. 10. IUBILAEUS. יובל *iobel*, Hebræi, ſecuti Chaldæos Interpretes, *cornu arietinum* exponunt, ſeu *tubam* aut *buccinam e cornu arietis*. Unde in Thalmud, tractatu *Roſch Haſchannah*, id eſt Caput anni, cap. III. fol. 26. Rabbi AKiba teſtatur: *Cum iter facerem in Arabiam, audivi quod arietem vocarent iobela*. Hinc annus quinquageſimus dictus eſt Iobel, quod initio eius clangerent buccinis arietinis; quodque clangor aut ſonitus buccinarum perſtrepebat in omnibus viis, nec non per omnes urbes Iſraelitarum: & ſignificabat captivis liberationem, ſervis manumiſſionem, debitoribus fenoris remiſſionem, venditoribus fundorum poſſeſſionem, & denique reſtitutionem cuiuſque ad familiam ſuam: ſicut etiam levitæ anno ætatis quinquageſimo a miniſterio templi liberi erant. Quin & myſterium in buccina arietina eſſe docent: hoc enim cornuum genus læto ac fauſto illo anno quinquageſimo uſurpari ſolitum volunt, ut & memoriam liberati Iſaac per ſuppoſitum arietem referret, & illum arietem adumbraret qui abſolutam remiſſionem adducturus eſſet, nempe Chriſtum. Forſterus de hac voce in hunc modum diſſerit: *Iobel. productio: & ſonitum ſeu clangorem ſignificat productiorem tubæ, non ipſum inſtrumentum: & iubilum vertere licebit, quo illa clangoris productio & intenſio ſignificetur, Exodi* XIX. *verſ.* 13. *Cum productum erit iubilum, aſcendant ipſi in montem. Quod autem iubilum ipſum, & clangorem ſeu ſonitum buccinæ, non ipſam buccinam ſignificet, ex mox ſequentibus verbis liqueſcit, ubi legitur verſ.* 16. *Et iubilum buccinæ erat validum vehementer: atque mox iterum verſ.* 19. *Et factum eſt, cum iubilum pergeret, & invaleſceret vehementer. Ceterum quando hæc vox Iobel abſolute eſt poſita, tunc pro ipſo anno quinquageſimo ſumitur, qui nomen habet a iubilo buccinæ, ſicut peſach etiam aliquoties pro ipſo feſto accipitur, quo tranſitus illius in Ægypto per Angelum facti memoria celebratur, & a Chaldæo quoque Iobila, iubilæus eſt redditus, Levit.* XXV. *Et pluraliter Iobelim, Ioſue* VI. *verſ.* 4. *Septem ſacerdotes portabunt ſeptem buccinas iubilorum. Hic iterum manifeſtum fit, hoc nomen non ſignificare ipſum inſtrumentum, alioquin ſic eſſet exponendum: Portantes buccinas buccinarum; ſed accipiendum pro iubilo, ſeu clangore buccinæ. Hoc ideo toties admonere volui, ut & vocis, & rei ſignificatio retineatur. Clangor enim buccinæ, typus atque figura fuit vocis Evangelii, quæ in Eccleſia ſonare debebat, quo debitoribus legis, morteque ac ſervitute diaboli obnoxiis atque oppreſſis denuntiaretur debitorum cunctorum gratuita remiſſio & liberatio propter mediatorem Chriſtum. Proinde illi minime ſunt audiendi, quicumque tandem fuerint, ſive Chaldæi, ſive Hebræi ſint, etiam noſtrates Interpretes, qui hac voce tubam, ſeu cornu arietinum ſignificare temere aſſerunt: cum tamen Scriptura, Scripturæque phraſis, & res ſignificata, clare velint, & poſtulent ut pro clangore accipiatur*. Hactenus Forſterus: cui aſſenſi ſunt Marinus & Avenarius; nec refragatur Mercerus. Maſius in VI. Ioſue ad verſ. 4. hæc habet: *Sed ut meam ego opinionem non diſſimulem, vox Iobel priſca mihi viſa eſt; atque inde a primo muſicorum inſtrumentorum deducta inventore Iubal: ſicut etiam Latinorum vocabula iubilo, & iubilum; ac voces quaſque canoras illas quidem & grandes, ſed ruſticas, duras, & agreſtes, quaſique ululantes ſignificare puto: quales incohata illa, ſed non perfecta primi artificis inſtrumenta edebant; hoc eſt, quales ſunt tubarum & buccinarum rauci clangores: quamquam non ignorem apud Varronem, iubilum eſſe ruſticam queritationem. Annum autem remiſſionis ideo iubilæum eſſe vocatum autumo, quod eum ut feſtum & ſolemnem illiuſmodi clangoribus longe lateque diffuſis indicere ſacra lex iuſſerit*. Hæc Maſius. Si plures alias etymologias nominis *Iobel* ſcire aves, ſuppeditabunt tibi eas, pene ſine fine, & ad faſtidium uſque Explanatores hic, & Ioſue VI. verſ. 4. & qui de Iubilæo Chriſtiano ſcripſerunt non pauci. Nobis veroſimilior viſa ſententia Ioannis Forſteri, quam quidam infringere conati ſunt, ſed argumentis haud ſolidis. ET UNUSQUISQUE REDIET AD FAMILIAM PRISTINAM. Hoc dicit,

quod

quod qui in ſervos venditi fuerant ante annum iubilæum, eo anno donabantur libertate, & reſtituebantur familiæ ſuæ: etiam ſervi voluntarii, ut habetur infra verſ. 39. & 40. Vide Exodi XXI. verſ. 5.

V. 12. SED STATIM OBLATA COMEDETIS. Heb. *De agro comedetis fructum eius*; id eſt, ne quid inde aſſervandum deportate, ſed cum uti libuerit, ad præſentem uſum inde deſumite.

V. 14. SED IUXTA NUMERUM ANNORUM IUBILAEI, &c. Senſus huius verſus elucidatur verſ. ſequenti. Atqui hoc, & ſequenti verſu illud vult, in emptione & venditione habendam eſſe rationem annorum elapſorum a iubilæo: ſi enim vigeſimo anno a iubilæo emes, non tanti emes quanti emendum eſſet, ſi decem tantum anni elapſi eſſent: nam ſi viginti anni præteriiſſent, triginta ſolum ſupereſſent; ſi decem, quadraginta. Si igitur plures ſuperſint anni a iubilæo ad iubilæum, pluris tibi vendet; ſi pauciores, minoris.

V. 16. QUANTO PLURES ANNI REMANSERINT, &c. Noſter mirifice ſenſum totius huius verſus ex Hebræo convertit. Quidam ita reddunt: *Pro multitudine annorum augebis pretium emptionis eius, & pro paucitate annorum minues pretium emptionis eius: nam numerum proventuum ille vendidit tibi*. TEMPUS ENIM FRUGUM VENDET TIBI; quaſi dicat: Non fundum, ſed numerum annorum proventuum, quibus capies fructum rei venditæ, vendit tibi; id eſt, tantum tibi vendidit fructum, quem capies tempore annorum qui ſuperfuerint a Iubilæo. Sic verſu præcedenti.

V. 21. DABO BENEDICTIONEM MEAM VOBIS. Hebr. *Et præcipiam benedictionem meam vobis*. Alii: *Tunc mandabo, amandabo benedictionem meam vobis*; id eſt, mittam in vos.

V. 23. IN PERPETUUM. לצמתת *litzmitut*, varie exponunt. I. *Ad exciſionem*, vel *ad inciſionem*, id eſt abſolute, & ſimpliciter; ſeu non ad tempus. II. *Cum præciſione*, vel *ad præciſionem*, id eſt præciſe, ſeu ad venditionem, vel venditione præciſionis perpetuæ. III. *Ad ceſſationem*, *ad ruptionem*; ut ceſſet perpetuo eſſe vendentis, & quaſi penitus abrumpatur ab eo. IV. *Ad depulſionem*, ut omnino depellatur a vendente. V. *In exterminationem*, eodem ſenſu. Exterminari hic dicitur ager quando penitus a poſſeſſore abdicatur: id quod apud Hebræos fieri non potuit; ſed prædia vendebantur uſque ad annum iubilæi, ſive is prope, ſive longe abeſſet. VI. *Ad conſtrictionem*, vel *ad coarctationem*: quaſi ſic ſit conſtricta & arctata poſſeſſioni & dominio ementis, ut inde reſpirare, aut evadere non poſſit. VII. *In diſſipationem*, ſeu *in deſtructionem*: notantque eſſe Hebraiſmum pulcherrimum; id eſt, cum hac conditione, ne unquam in eius poſſeſſionem redeat venditor, & ob id tamquam ab eo exciſa ſit. VIII. *In deciſionem*, id eſt præciſa ratione redimendi aut recuperandi quod venditum eſt: unde hic vertunt: *Terram autem ne venditor lege mancipii*. Non alibi vox *tzemituth* reperitur, niſi verſ. 30.

V. 24. SUB REDEMPTIONIS CONDITIONE VENDETUR. גאלה *geullah* proprie *redemptio*, *redemptura*, *revolutio*, *ius redimendi*, *vindiciæ*. Noſter pulchre ſenſum expreſſit. Quidam: *Redemptionem permittetis pro terra*; id eſt, venditori permittetis ius redimendi agros venditos ab eo. Alii: *Redempturæ legem relinquite ipſi terræ*. Nam alioqui fuiſſent prædia alienata a ſuis tribubus, in primis ruſtica: quamobrem hæc venumdari lege mancipii prohibuit Deus: cuius rei exemplum vide I. Regum XXI. in vinea Naboth.

V. 25. ET VOLUERIT PROPINQUUS EIUS. Hebr. *Et veniet redemptor eius, propinquus ipſi*, id eſt is qui habebit ius redimendi, iure propinquitatis. Erat autem is qui vel propinqui interfecti ſanguinem vendicabat; vel, ſi de bonis ageretur, eius rem ſibi iure propinquitatis vendicabat: *vindex*, *aſſertor*. Vide Num. XXXV. verſ. 12. 19. & 21.

V. 28. IN IPSO ENIM OMNIS VENDITIO REDIBIT AD DOMINUM. Hoc ultimum huius verſus hemiſtychium ita redditur ex Hebr. *Et egredietur in iobel, & redibit ad poſſeſſionem ſuam*. Quidam: *In iubilæo vero exit, & revertitur in poſſeſſionem ſuam*; id eſt, in anno iubilæi ager venditus egredietur de poſſeſſione eius qui emit, & revertetur ad poſſeſſionem eius qui vendidit. Alii: *Deinde diſcedet emptor in ipſo iubilæo, & revertetur venditor in poſſeſſionem ſuam*; id eſt, revertetur

tur

Digitized by Google

tur ad recuperandum agrum illum quem prius poſſidebat.

*V.*29. Donec unus impleatur annus. Poſt hæc verba, Hebræa addunt, *Dies*, vel *diebus erit redemptio eius*. Quidam: *Anno uno erit redemptio eius*. Alii: *Per annum erit redemptio eius*; hoc eſt, ſpatio unius anni redimi poterit. Nonnulli: *Iſti ſint dies redemptionis eius*. Aliqui: *Anno pleno eſto ius redempturę eius*. Aliter: *Dierum* anni *erit redemptura eius*; id eſt, tot diebus ius habebit redempturæ, quot requiruntur ad efficiendum integrum annum. Verſu ſequenti ſe explicat.

V. 30. In perpetuum. Quidam, *abſolute*: alii, *ad depulſionem*; id eſt, ſic eius erit ut alium ex eius poſſeſſione depellat: nonnulli, *in mancipium*, ſeu *iure mancipii*. Sed vide de hac phraſi ſupra verſ. 23. Et redimi non poterit etiam in iubilaeo. Hebr. *Non egredietur in iobel*: nimirum vel domus de dominio, iure, poſſeſſione ementis, vel emptor ipſe non diſcedet a iure, dominio, poſſeſſione domus emptæ. Sic verſ. 31.

*V.*31. Sin autem in villa fuerit domus, &c. Integrum hunc verſum nos ad verbum ex Hebræo reddidimus (*Et domus cortium, quibus non eis munus circuitu, ſuper agrum terræ reputabitur redemptura erit ei: & in iobel exibit.*) Dilucidius alii ſic exprimunt: *Domus autem villarum, quibus non eſt murus in circuitu, ſecundum agrum terræ eſtimabitur: redemptio erit ei: & in iobel egredietur. Domus* Hebr. eſt plurale, id eſt domus iure agrorum vel terræ vendentur: nam quemadmodum ager redimi poteſt, ita & domus illæ redimi poterunt. Quidam: *At domus paganæ*, ſeu *agreſtes*, *quæ muro per ambitum non fuerint cinctæ, reputantur quemadmodum ager terræ: ideoque habent ius vendicationis, & in iubilæo redeunt*: vel *redemptio erit eis, in iubilæo egredientur*; id eſt, domus quæ fuerint in villis, ſeu pagis non cinctis muris, agrorum iure vendentur, redimique poterunt ut agri; & in iubilæo egredientur de poſſeſſione emptoris, reverte nturque ad venditorem. Alii: *Domorum autem in villis, quibus non ſunt muri circumquaque, ſecundum agrum terræ*; id eſt, ut de venditione agri mandatum eſt ſupra verſ. 25. & ſeq. *fiat ſupputatio*: *redempturæ* ius *eſto ipſi* venditori, *aut in iubilæo* emptor *diſcedito*.

*V.*32. Semper poſſunt redimi. Hebr. *Redemptio ſæculi, perpetua, erit Levitis*. Quidam: *Ius perpetuum redempturæ eſt Levitis*. Alii: *Perpetuo iure redimi poſſunt a Levitis*.

V. 33. Si redemptae non fuerint, in iubilaeo revertentur, &c. Hunc verſum nos ex Hebr. ad verbum reddidimus (*Et qui redimet de Levitis, & exibit venditio domus, & urbis apprehenſionis eius in iobel: quia domus urbium Levitarum: ipſa apprehenſio eorum in medio filiorum Iſrael.*) Priorem clauſulam, *Et qui redimet de Levitis*, quidam vertunt *Et qui emerit a Levitis*, ſubaudi domum aliquam. Voluntque verbum גאל *gaal, redemit*, poſitum pro קנה *kanah*, *emit*. Aliqui iſtud iungunt antecedentibus: *Redemptio ſæculi erit Levitis: & qui redimet erit ex Levitis*. Ut ſit ſenſus: Ius redimendi non ſolum erit Levitæ qui vendidit, ſed etiam alteri cuivis Levitæ qui redimere voluerit, etiamſi ipſe non vendiderit. Sequentia vero ita exponunt, nimirum quod in iubilæo venditio finitur, & conſequenter redemptio ab altero facta, quæ ſucceſſit emptioni: finito enim venditionis tempore finitur vis emptionis, & conſequenter redemptionis ab altero factæ. Et ſubiungitur omnium iſtorum ratio, quia domus civitatum Levitarum ſunt tamquam agri eorum, & propterea iure agrorum cenſentur: quia non aliam partem terræ habebant Levitæ in diviſione terræ promiſſionis, niſi civitates ad habitandum. Alii aliter interpretantur. Unde verſum quidam ita ex Hebræo concipiunt: *Sed qui redimit*, erit, vel eſto *ex Levitis, aut diſcedet emptor a vendita domo, & civitate poſſeſſionis illius in iubilæo: nam domus civitatum Levitarum* ſunt *poſſeſſio eorum inter filios Iſraelis*.

V. 34. Suburbana. Hebr. *Et ager ſuburbii*. מגרש *migraſch* proprie *eiectionem, extruſionem, expulſionem* ſignificat: inde hoc nomine Hebræis dicuntur ædificia extra urbes poſita, ſepoſita, ſemota; quaſi dicas, eiecta, aut expoſita, ſive ex urbe expulſa, ſuburbium, ſuburbanum, prædium ſuburbanum, villam extra mænia urbis poſitam, aut ſepoſitam exponunt. Hebræi intelligunt hic loca ſpatioſa extra urbem, in quibus Levitæ pecora ſua

affer-

aſſervabant. Aliqui hic reddunt: *Et ager vacuus urbium eorum*: non nimis aliene. Hiſpanicus Interpres vocem *Migraſch*, vertere ſolet *Exidos*, proprie.

V. 35. ET INFIRMUS MANU. Hebr. varie reddunt. I. *Et amota fuerit manus eius apud te*. II. *Et declinaverit manus eius tecum*. III. *Et transmota fuerit manus eius*, &c. IV. *Et nutaverit*, *vacillaverit manus eius apud te*. Id eſt, & facultates eius ita attritæ fuerint, ut cogatur implorare opem a te; vel, facultates eius cœperint ruinam minari; aut, non magis rem ſuam poterit adminiſtrare, quam vir morbo confectus uti manu poteſt. Metaphora. V. *Et inclinabit manum ſuam tecum*; id eſt, operam ſuam ſub te ponet, miniſtrum tuum ſe exhibebit negotiando, procurando, vel aliquid eiuſmodi efficiendo, ut frequenter contingit. VI. *Et movebit manum ſuam apud te*; id eſt, & extendet manum ſuam ut eam apprehendas, & auxilium tuum experiatur. VII. *Et labeſcet manus eius apud te*. ET SUSCEPERIS EUM. Heb. *Et obtinebis*, *obfirmabis*, *corroborabis*, *valide & firme apprehendes*, *retinebis*, *confirmabis in eo*. Hebræi exponunt: Iuvabis ſtatim illum pecunia tua & facultatibus tuis, nec patieris ut penitus concidat, & ad extremam veniat paupertatem: in tempore illi ſuccurre, dum adhuc aliquid habet. Metaphora ſumpta ab his qui labaſcunt, quos apprehendimus, & tenemus, ne plane concidant: nam facilius ſuſtinetur labaſcens quam erigitur lapſus. QUASI ADVENAM ET PEREGRINUM, ET VIVEBIT TECUM. Heb. non eſt *quaſi*, ſed ſimpliciter *peregrinus & inquilinus*, *& vivet tecum*. Plerique ſubaudiunt notam ſimilitudinis: *Quaſi*, *ſicut peregrinus & inquilinus vivet apud te*; id eſt, non inferiore loco eum habebis ac peregrinum & hoſpitem: humanitatem quam erga extraneum & ignotum eſſes exhibiturus, cave omittas erga fratrem tuum, popularem, & notum. Alii reddunt: *Et corroborabis eum*, *ſive advena fuerit*, *ſive inquilinus*, *ut tecum vivat*. Quidam: *Tum confirmabis illum*, *etiam peregrinum aut inquilinum*, *ut vivat tecum*; quaſi dicat: Non ſolum fratrem tuum Iſraelitam pauperem iuvabis, ſed etiam peregrinum & advenam, qui ad paupertatem devenerit.

V. 36. NEC AMPLIUS QUAM DEDISTI. Heb. *Et multiplicationem*, *augmentum*, *incrementum*. Quo nomine Hebræi vocant *uſuram*, aut *fenus*, cum quis pro uno plura accipit, aut plura quam dederit.

V. 37. ET FRUGUM SUPERABUNDANTIAM NON EXIGES. Heb. *Et in multitudine non dabis eſcam tuam*. Quidam: *Nec cum augmento*, *incremento dabis cibum tuum*. Alii: *Neque des illi alimentum tuum ad exceſſum*. Nonnulli: *Nec in fenus dato cibum tuum*. מרבית *marbith* eſt *multitudo*, *fenus*, quaſi *augmentum*, *auctuarium ſortis principalis*; quaſi dicat: Non dabis illi modium unum, ut duos, aut plures tibi reddat.

V. 39. NON EUM OPPRIMES SERVITUTE FAMULORUM. Hebr. *Non ſervies in eo ſervitium*, vel *ſervitutem ſervi*. Vide hanc phraſim explicatam Gen. xv. verſ. 13. & Exodi I. verſ. 14. Quidam: *Ne in ſervitutem eum redigas*, *quemadmodum ſervos ſolemus*. Alii: *Ne exerceto eum ſervitute ſervili*; vel *non abuteris eo ſervitio ſervi*, aut *ne duritiem*; vel *ſævitiam exerceas in eo tamquam in ſervum*, *premendo eum ſervili ſervitio*, *& opera*. Sed ſicut mercenarius & inquilinus erit tibi; ſeu tractabis eum tamquam mercenarium & colonum; ſive uteris eo tamquam mercenario & colono: ut verſ. ſeq. dicitur.

V. 43. NE AFFLIGAS EUM PER POTENTIAM. Heb. *Ne dominium exerceto in eum per ſævitiam*. Alieniſſime quidam: *Non premes eum ſub cortinam*, vel *ſub velo*, rei puta venereæ, aut cuiuslibet iniuriæ, vel contumeliæ inferendæ gratia, ut ſit *ponere ſub petaſo*. Vide II. Machab. IV. verſ. 12.

V. 45. NATI FUERINT IN TERRA VESTRA. Quidam intelligunt etiam e Chananæorum genere, ſi qui deditione legitima tempeſtive conſulant vitæ ſuæ, ex lege Deuteron. xx. verſ. 16. 17. quemadmodum fecit Ioſue de Gabaonitis Ioſue IX. & Salomon I. Regum IX. verſ. 20.

V. 46. ET HEREDITARIO IURE TRANSMITTETIS AD POSTEROS, &c. Hunc verſum a nobis ad verbum ex Hebræo converſum (*Et hereditare vos facietis eos filiis veſtris poſt vos*, *ad hereditare apprehenſionem ſæculo*: *in eis ſervietis*: *& in fra-*

fratribus veſtris, filiis Iſrael, vir in fratre ſuo non dominaberis in eo in ferocia) alii dilucidius ſic reddunt: I. *Et iure hereditario poſſidebitis eos pro filiis veſtris poſt vos, ad poſſidendum poſſeſſionem : in perpetuum utemini opera eorum: fratribus autem veſtris filiis Iſrael, quiſque fratri ſuo non dominabitur dure*. II. *Et poſſeſſores conſtituetis vos eorum, pro filiis veſtris poſt vos* , id eſt vos occaſionem dabitis ut poſſideantur a filiis veſtris, *ad hereditare* , id eſt nam hereditare facietis eos filiis veſtris, *poſſeſſionem: in perpetuum in eis operabimini: fratribus autem veſtris filiis Iſrael, vir in fratrem ſuum non dominabitur in eum in duritia*. III. *Et heredes eritis ipſorummet pro filiis veſtris poſt vos, ad hereditandum poſſeſſionem: in ſæculum in eis operabimini : & in fratres veſtros filios Iſrael , vir in fratrem ſuum non dominaberis in eum in duritia*. IV. *Hos veluti hereditario iure poſſidebitis, etiam filiis veſtris poſt vos, ut poſſideant poſſeſſionem perpetuo: illis ad ſervitium utemini . Fratribus vero veſtris filiis Iſrael, fratri, inquam, ſuo nullus imperitabit ſæviter*. V. *Itaque conſtituetis vos poſſeſſores illorum, cum filiis veſtris poſt vos, obtinendo hereditario iure poſſeſſionem eorum: in perpetuum eorum ſervitute utemini: at in fratres veſtros filios Iſraelis , nemo in fratrem ſuum dominator per ſævitiam*. VI. *Et hereditario appropriabitis vobis illos pro filiis veſtris, &c.* Verbum נכל *nachal* ponitur hic in Hithpahel , ac ſignificatum intendit, ut ſit ſibi hereditario iure aliquid appropriare, & vindicare, atque ita firmare, ut poſſeſſio tranſeat ad poſteros.

V. 47. SI INVALUERIT APUD VOS MANUS ADVENAE. Hebr. *Et cum attinget, aſſequetur, apprehendet* , vel *adepta fuerit manus peregrini, &c.* ſcilicet facultates, opes , divitias , &c. AUT CUIQUAM DE STIRPE EIUS. Heb. *Aut radici*, vel *ſtirpi de familia tracti* . Quidam exponunt: Id eſt viro primario, vel advenæ converſo ad Iudaiſmum , cuius radix erat ex familia advenæ; aut homini cuius maiores erant advenæ . Aliqui explicant: *Aut indigenæ e familia peregrini*, vel *aut radicato e familia peregrini*; id eſt, qui etſi originem habet aliunde, natus tamen eſt, & quaſi radices egit in populo Dei. Aiunt enim עקר *gheker* eſſe *ſtirpem*, *radicem*, *indigenam* , qui e familia peregrina ortus, alibi radices egit , & ſtirpem fecit . Contraria ſignificatione verbi עקר *ghakar*, *eradicare* , *extirpare*. Alii hoc nomen in primaria verbi ſignificatione relinquunt, redduntque hic , *aut eradicato , evulſo*, ſcilicet ethnico, *familiæ proſelyti* . Atque eradicatum , gentilem & ethnicum intelligunt, qui nunquam factus eſt proſelytus, ſed ex familia proſelyti ortus, & quaſi radices egit in populo Dei . Ita Chaldæi Interpretes. Hebræi notant, *Gheker* dici hic eum *qui venditus eſt ipſimet idolo , ut ei miniſter ſit*: atque hoc nomine dici, quod ſit *eradicatus* ab omnibus negotiis ſuis ut idolo inſerviat ad cædendum ligna, & hauriendum aquam.

V. 50. ET PECUNIA QUA VENDITUS FUERAT, IUXTA ANNORUM NUMERUM, ET RATIONEM MERCENARII SUPPUTATA. Hebr. *Et erit pecunia venditionis eius in numero annorum, ſecundum dies mercenarii erit cum eo* , vel *agetur, fiet, cum eo*. Quidam exponunt: Id eſt, merces operæ eius , toto eo tempore quo inſervivit ei, tanti æſtimabitur, quanti opera mercenarii æſtimari ſolet. In redemptione Iſraelitarum qui ſe advenis vendiderant , habebatur ratio operæ , quæ in ipſa redemptione æſtimabatur , quanti æſtimari ex æquo & bono debebat, nempe quanti æſtimari ſolet operæ mercenarii. Pretium autem & merces operæ deducebatur de pretio redemptionis & quod, æſtimata opera emptitii Iſraelitæ, reliquum erat, perſolvebatur ab eo emptori. Alii: *Ut ſit pecunia venditionis eius pro numero annorum* : *ſit* , inquam , *penes eum tamquam pecunia dierum mercenarii* ; id eſt, in ſui redemptione tantum deducat , ratione annorum quibus ſervivit habita, quantum mercenarius pro eiuſdem temporis mercede lucrifeciſſet : id enim venditionis ratio poſtulabat, ut de agris dictum eſt analogice , ſupra verſ. 28. Quidam ſenſum huius legis eſſe volunt , ſervum Hebræum venditum advenæ ſeu peregrino eſſe apud eum ad modum mercenarii , ut magis mercenarium ageret quam ſervum: non enim ipſe, ſed opera & labor eius venditus fuit domino gentili : & ſic cum ſe redimere volebat , computabat annos remanentes uſque ad iobel ; & tantum dabat domino ſuo , quantum operæ eius uſque ad annum iobel valebant.

V. 51.

V. 51. Si plures fuerint anni, &c. Hunc verſum a nobis verbatim ex Hebræo converſum (*Si adhuc multæ in annis, ori earum revertere faciet redempturam eius de argento acquiſitionis eius*) alii ſic exprimunt: *Si adhuc multi reſtiterint anni, ſecundum illos reſtituat redemptionem ſuam, de pecunia ſcilicet qua emptus eſt*: Quidam: *Si adhuc multi* ſuperſunt *ex illis annis* ante iubilæum *pro numero illorum, reſtituito redempturam ſuam de pecunia emptionis ſui*. Exponunt, ut ſi 40. ſiclis fuerit venditus, ſuperſintque adhuc uſque ad annum iubilæi 20. anni; cum autem ſe redimere conabitur, adhuc 10. ſuperſint anni uſque ad iubilæum, iubebitur reſtituere de pretio quo emptus eſt, ſive venditus, 20. ſiclos, proportione ſcilicet pretii, & temporis ſervata.

MENOCHII.

Verſ. 2. Sabbatizes sabbatum Domini: obſervate ſabbatum terræ, facite ut terra ſeptimo anno quieſcat. Hoc quidem præceptum datum eſt in monte Sinai in deſerto, ſed ſervari cœptum poſtquam in terram promiſſam pedem intulerunt: nam hic etiam dicitur: Quando ingreſſi fueritis terram, ſcilicet Chanaan.

V. 5. Uvas primitiarum tuarum. Vocat uvas primitiarum eas quas ſibi dominus fundi colligebat, priuſquam permitteret pauperes, & alios in vineam ſuam ingredi facturos quodammodo ſecundam vindemiam. Hebr. habet *uvas ſeparationum tuarum*, eodem ſenſu, quas ſcilicet tibi ſeparas.

V. 9. Et clanges buccina menſe ſeptimo. Anno 49. exeunte, buccina clangebant, & promulgabant annum ſequentem quinquageſimum fore iubilæi annum. Incipiebat autem annus iubilæi ſimul ac buccinis fuiſſet indictus, quod die feſti expiationis fiebat, ſive, ut aliis placet, poſt feſti ſcenopegiæ dies octo abſolutos. Propitiationis tempore, in die feſto expiationis, quod celebrabatur decima die menſis ſeptimi.

V. 10. Sanctificabisque: ſanctum, & mihi dicatum denuntiabis; vel præparabis populum celebritati anni quinquageſimo. Et vocabis remiſſionem: proclamabis illo anno fore remiſſionem ſervitutum, debitorum, & bonorum, quæ ad alios tranſierunt. Est enim iubilaeus. Hebr. יובל *iobel* a radice יבל quæ ſignificat *adducere*, ſed cum gaudio, lætitia, & iubilo. Annus adducens lætitiam libertatis, rei ſcilicet lætæ, & omnium votis expetitæ. Reverteturque homo ad poſſeſſionem ſuam, bona ſcilicet immobilia, agrum, domum &c. quæ tempore iubilæi redibant ad primum dominum ſine ullo pretio. Venditio enim non erat abſoluta, ſed ad tempus, ſcilicet uſque ad annum iubilæi: & quo propius diſtabat ille annus, res minori pretio vendebatur. Iſta vero venditionis ratio inſtituta, ne confunderentur tribus, ut familiæ honeſtæ & nobiles in ſua honeſtate conſervarentur, ut poneretur avaritiæ modus, ut ſervaretur quædam æqualitas inter Hebræos, utque ſcirent ſe non tam dominium habere terræ ſuæ quam uſum. Redibit ad familiam priſtinam: quia ſingulis familiis poſſeſſiones a Ioſue in terræ partitione attributæ ſunt.

V. 12. Ob sanctificationem, ſanctitatem iubilæi. Oblata, fructus ſponte naſcentes, & obvios. Comedetis, carpendo, non metendo, aut vindemiando.

V. 14. Ne contriſtes fratrem tuum, ultra annum quinquageſimum retinendo.

V. 21. Dabo benedictionem meam anno ſexto. Hinc patet fertilitatem terræ ſanctæ ex parte non fuiſſe naturalem, ſed ex Dei munere.

V. 24. Sub conditione redemptionis vendetur: ut ſcilicet non ſolum anno quinquageſimo redeat ad dominum, ſed etiam ante illum annum redimi poſſit.

V. 30. Etiam in iubilaeo. Ita ſtatutum in domibus urbanis, ut frequentiores redderentur urbes: libentius enim quis domum emet ſi ſtabilem ſibi fore poſſeſſionem illius ſciat. Itaque hac lege ad emendas domos intra muri ambitum emptores invitabantur. Simul etiam a vendendo deterrebantur domorum domini, cum ſcirent ſe eas in perpetuum amiſſuros. Adde id factum, quia per poſſeſſiones, ſive domos urbanas non diſtinguebantur

Cccc 2 domus

domus, & familiæ, atque ſine confuſionis periculo venditio in perpetuum permitti poterat.

V. 31. AEDES LEVITARUM. Hæ a ſuperiori lege excipiuntur: nam ſi prius redimebantur, in Iubilæo ad ſuos dominos redibant.

V. 33. PRO POSSESSIONIBUS SUNT: quia Levitæ alias poſſeſſiones non habent quam domos, quemadmodum ergo aliorum poſſeſſiones redeunt ad dominos. ita domus Levitarum, quæ poſſeſſiones illorum ſunt, ad eos redire debent.

V. 34. POSSESSIO SEMPITERNA, perpetua, & quæ vendi non poteſt, & illis neceſſaria ad alenda pecora eorum.

V. 35. ATTENUATUS, ad paupertatem redactus. INFIRMUS MANU, qui ſcilicet corporis labore victum ſibi parare non poſſit.

V. 37. FRUGUM SUPERABUNDANTIAM. Non exiges pro uſura plures fruges ab eo, quam ei dederis mutuo.

V. 39. SERVITUTE FAMULORUM, ſervorum, mancipiorum. COLONUS, qui ad tempus tantum manet, & mercede accepta colit agros.

V. 40. USQUE AD ANNUM IUBILAEUM, &c. Hoc intellige ſi ſeptimo anno egredi noluerit, iuxta legem Exodi XXI. verſ. 6.

V. 42. MEI SERVI SUNT, Hebræi videlicet: idque non tantum creatione, ſed & redemptione ex ſervitute AEgyptiaca. CONDITIONE SERVORUM, mancipiorum.

V. 44. SINT VOBIS DE NATIONIBUS. Mancipia quæ habueritis, ſint ex gentilibus, non ex Hebræis.

V. 45. ET DE ADVENIS, proſelytis, qui licet converſi ſint ad Iudaiſmum, nihil tamen prohibet quo minus ſervitutem ſerviant. FAMULOS, ſervos.

V. 46. IN AETERNUM, perpetuo, & toto vitæ tempore.

V. 47. SI INVALUERIT APUD VOS MANUS ADVENAE: ſi gentilis proſelytus apud vos factus fuerit dives, & potens. SUPPUTATIS DUMTAXAT ANNIS, &c. ſi contingat ſervum hunc redimi, anni qui ſuperſunt uſque ad iubilæum computentur, & pro annorum numero pretium domino reſtituatur: verbi gratia vendidit ſe quis ſiclis 40. cum adhuc 40. anni ſupereſſent uſque ad iubilæum; ſervivit annis viginti, pro reliquis annis viginti ſatis erit dare 20. ſiclos in eius redemptionem.

TIRINI.

Verſ. 5. UVAS PRIMITIARUM TUARUM NON COLLIGES QUASI VINDEMIAM. Id eſt, fructus quos ſoles tibi primo loco, & quaſi primitias tibi debitas colligere per modum vindemiæ vel meſſis, puta per conſuetos meſſores & vindemiatores, anno ſabbatico non colliges ex iis quæ ſponte illo anno, vel ſorte ex granis anno præcedente decidui terra proferet; ſed relinques omnia primo colligenti, in cibum ſeu uſus domeſticos, ſic tamen ut & tibi cedere poſſint in eumdem uſum. Unde patet, etſi non potuerint a domino fundi anno ſabbatico colligi uvæ vel alii fructus, quaſi e fundo proprio, & ſeorſum iure herili, eo modo quo fiebat quando vindemia vel meſſis peragebatur; potuiſſe tamen ad cibum & uſus domeſticos colligi, quaſi e fundo communi & indiſtinctim cum aliis ſeu peregrinis, ſeu iumentis eumdem agrum depaſcentibus. Porro alia ſabbatici anni privilegia propoſuimus ſupra Exo. XXIII.

Præter annum ſeptimum ſabbaticum, præſcribebatur inſuper Iudæis poſt ſeptics ſeptem annos, alius annus quietis ac remiſſionis, nempe Iubilæus, cuius omnia eadem erant privilegia quæ anno ſeptimo ſabbatico, & inſuper alia quædam maiora, teſte Philone, Ioſepho, S. Hier. *a* & aliis. Nam præter ſabbatiſmum terræ, & remiſſionem omnis debiti, quæ erant communia cum anno ſeptimo; inſuper agri omnes frugiferi, cum domibus in agro ſitis, etſi centies divenditis, anno iubilæo redibant ad dominum ſuum primum ſine ullo pretio reddito. Neque enim poterant eiuſmodi agri a Iudæis in perpetuum vendi *b*; ſed tantum quaſi elocari, ſeu in emphyteuſin dari uſque ad annum 50. qui erat iubilæus. Sed neque poterant quidem ad illum uſque annum niſi ſub redemptionis conditione *c* vendi; hoc eſt, non niſi ea lege ut poſſint quovis tempore redimi vel ab eo qui vendiderat, vel a propinquo illius. Secus erat de domibus urba-

banis, vel agris ſuburbanis non frugiferis, ſed ad hortos potius deliciarum, vel ſepulcrorum facientibus, aut aliis ſimilibus uſibus ſubſervientibus: qualis erat hortus Ioſephi ab Arimathia; ager figuli 30. argenteis Iudæ coemptus in ſepulturam peregrinorum. Hi enim, & ſimiles agri non frugiferi, uti & domus omnes urbanæ vel ſuburbanæ, poterant in æternum alienari, neque facultas erat ea redimendi, *d* niſi primo anno a venditione: & neque quidem anno iubilæi ad emtorem dominium revertebantur, uti ruſticani agri, & domus villicæ. Ratio diſcriminis erat, quod agri frugiferi, & domus ruſticæ cenſebantur propria cuiuſque tribus hereditas, ac ſtabilis a Deo donata poſſeſſio, quam non expediebat confundi ac permiſceri, ne tandem multi cum ſuis integris familiis ad inopiam delaberentur. At vero domus, & ſuburbana cenſebantur adiectitia tantum bona, & pro libito cuiuſque conſtructa, & allectiva potius incolarum. Quare cum expediret urbes a quibuſvis, etiam diverſæ tribus hominibus, addo & a proſelytis frequentes incoli; expediens quoque erat, ut domus poſſent in emptoris perpetuam ac firmam poſſeſſionem tranſire. Quia tamen Levitæ nullam aliam ab initio poſſeſſionem inter Hebræos acceperunt quam propriarum domorum quas poſſidebant in urbibus Levitarum; hinc domus illæ ipſorum fruebantur eadem de cauſa iure poſſeſſionum ſtabilium quas alii Iudæi habebant, poterantque quovis tempore redimi, & anno iubilæi primo domino reddi debebant *e*. Suburbana vero Levitarum nullo caſu vendi poterant *f*, quia hæc non erant ſingulorum Levitarum, uti erant domus urbanæ, ſed integræ alicuius familiæ *g*: unde nimis grave incommodum fuiſſet tam multos uſu rei neceſſariæ privari vel ad tempus. Et hæ ſunt rationes a congruo, quæ Deum moviſſe videntur ad ſic ſtatuendum; ſed ſcopum quem primario intendit, ipſemet explicat verſ. 25. *Quia mea eſt terra, & vos advenæ & coloni mei eſtis*; quaſi dicat: Volo vos eſſe non tamquam terræ dominos & proprietarios (nam hoc ius mihi omnium ſupremo Domino reſervo) ſed tamquam colonos, quibus gratis uſumfructum præſto. Uſufructuarius vero fundi dominium, quod ſuum non eſt, non poteſt in alium transfundere; ſed neque diutius aut aliis pactis elocare poteſt quam quibus a domino permittatur. Ita Philo, & alii. Similem ob cauſam verſ. 41. vult peculiari privilegio ſervis Hebræis anno iubilæi concedi non ſolum ut ipſi liberi fieri poſſint, ut poterant ſeptimo quoque anno ſabbatico; ſed inſuper ut & debeant liberi fieri etiam qui ſeptimo anno liberari noluerant, & ſubula ſtigmatici facti fuerant quaſi perpetui ſervi. Poterant tamen poſt recuperatam iubilæo libertatem, iterato ſe ſubdere novo ſervitio. Quin nec ſoli ſervi tunc manumitti debebant, ut ſeptimo quoque anno, ſed præterea etiam proles illorum *b*, &, ſi Ioſepho credimus, etiam uxor: *Mei enim ſervi ſunt*, inquit Deus *i*; id eſt, meo ſervitio peculiariter addicti ſunt: quos proinde non decet aliorum mancipari ſervitio aliter vel diutius quam mihi viſum fuerit omnium ſupremo Domino.

Anagogice annus Iubilæus ſymbolum erat futuræ reſurrectionis, qua plena fiet omnium remiſſio, manumiſſio, paradiſi reſtitutio, quies & ſabbatum æternum. Ita ex Radulpho, Heſychio, & Ribera. *k*

(*a*) Philo Lib. de Decalogo, & Lib. de Caritate. Ioſeph Lib. III. Antiq. cap. x. Hier. in cap. 1. Epiſt. ad Galat.
(*b*) Hic verſ. 23.
(*c*) Verſ. 24.
(*d*) Verſ. 29.
(*e*) Verſ. 32.
(*f*) Verſ. 34. & Num. xv.
(*g*) Colligitur e III. Reg. 21. verſ. 26. & Ierem. xxxii. verſ. 7. & ſeq.
(*h*) Hic verſ. 41. Ioſeph Lib. IV. Antiquit. cap viii.
(*i*) Hic verſ. 42.
(*k*) Ribera Lib. V. cap. xxv.

GORDONI.

Verſ. 2. QUilibet annus ſeptimus erat ſabbaticus, hoc eſt quies terræ: ex Auguſt. qu. LXXXIX. De initio anni ſabbatici, ac proinde etiam de principio anni iubilæi, certatur inter Chronologos; ſed ex profeſſo tractari debet cum agetur de libro Ioſue, & κληρουχία tunc habita. Interim vide annum mundi 2532. quando peracta eſt terræ diviſio poſt quinque annos bellorum, & annum 2537. qui fuit primus ſabbaticus, nempe ſeptimus poſt κληρουχίαν: de qua quæſtione prolixius ibidem Qq. cap. IX. num. 5. & cap.

Digitized by Google

cap. XII. num. 9. Hinc reſultat initium anni iubilæi, nempe exactis ſeptem annis ſabbaticis, ſeu annis quadraginta novem: ſequens, inquam, annus, qui eſt quinquageſimus, erat iubilæus, ut habetur verſ. 8. Anno ſabbatico debebat legi Deuteronomium coram populo, Deuteronom. cap. XXXI. verſ. 10. fiebat ſolutio ſervitutis, Exod. XXI. verſ. 2. fiebat porro remiſſio debitorum, Deuteronom. XV. verſ. 9. Denique eo anno non poterant ſerere, nec metere Iudæi: & fructus ſponte nati, erant communes hominibus, & animalibus omnibus. Ceterum an ſicut Olympias Græcis, & Luſtrum Romanis, ita etiam Iubilæus ſit certa nota characteriſtica annorum dixi Chron. Qq. cap. XII. num. 9. ubi eſt proprius de tempore dicendi locus.

V. 5. Uvas primitiarum. Heb. *Nazaræorum*: vox Hebr. ſignificat ſeparationem. Ab his uvis ſeparabatur dominus vineæ. Septuaginta, *ſanctificationis*, ἁγιάσματος: nam Nazaræi erant ſancti.

V. 8. Numerabis. Hic poſt annum quietis, ſeu ſeptimum, agit de iubilæo: de cuius ratione & ſupputandi modo dixi cap. XXIII. verſ. 10. 11. & 15. Vide Ioſeph. Antiq. Lib. III. cap. XI. Eſt autem communior ſententia, annum iubilæi eſſe quinquageſimum illum qui numeratur a præcedente anno iubilæo excluſo: nam ſi tantum numeres a præcedente incluſo, reſultans inde ſeu inſequens iubilæus tantum revera erit quadrageſimus nonus a priore iubilæo.

V. 10. Revertetur homo ad poſſeſſionem, non quidem anno ſeptimo ſeu ſabbatico, ſed hoc iubilæo, & quinquageſimo: idque ut poſſeſſiones manerent in priſtina tribu ſua per hunc reditum. Quod vero ſequitur, Et unuſquiſque rediet ad familiam priſtinam, puto non de iam deſignatis poſſeſſionibus, ſed de ſervorum ex Hebraica gente, ad familiam reditu intelligi. Ita Vatab. Caiet. & Oleaſt. *Annus remiſſionis*, libertatis.

Verſ. 11. Est enim iubilaeus. Hebr. יובל *iobel*. Septuag. paſſim vertunt ἄφεσιν, *remiſſionem*: quod hic annus adductivus eſſet, nempe adducens ac referens priſtina bona, libertatem, hereditatem: lætitiam: radix יבל *adduxit*, *reportavit*: fere ut Iſai. LXI. annus Chriſti 31. vocatur placabilis, & acceptabilis. Ergo venditio non dabat dominium perpetuum verſ. 23. 29.

V. 21. Et faciet fructus trium annorum, hoc eſt pro anno ſexto, ſeptimo (qui vacat) & octavo inſequente uſque ad meſſem. Non ſunt ergo niſi duo anni completi.

V. 23. Si nulla venditio dabat ius perpetuum, quid de monte Moria, quem emit David ad templum extruendum? Verum lex de reditu non eſt de urbanis rebus, ſed tantum de agris, & illis fructiferis, qualis non erat ager figuli, ut hic verſ. 28. & 29.

V. 34. Suburbana, agri ubi paſcebantur pecora.

V. 36. & 37. Frater tuus, Iudæus ſcilicet, ſi eget, ne exigas quidquam plus, quam dederis.

V. 47. Si invaluerit, opulentus evaſerit.

V. 50. Detrahebatur de pretio quantum valebant operæ, & augebatur pretium pro numero annorum uſque ad iubilæum.

Ex Eiusdem Auctario.

V. 5. Uvas primitiarum. Hebr *ſeparationis*. Separabatur domi nus ab uvis quas colligebant pauperes, vel certe quas dominus vineæ ſibi ſeparabat ut primitias.

V. 40. Uſque ad annum, &c. Ita quidem erit, ſi noluerit egredi ſeptimo anno, ſecundum legem Exod. XXI. 6.

V. 44. De nationibus. Mancipia quæ habebunt, non erunt Hebræi.

V. 47. Si invaluerit, dives ac potens evaſerit.

CA-

Digitized by Google

C A P U T XXVI.

Dei præcepta ſervantibus bona promittuntur, non ſervantibus vero plurima mala.

1 EGo Dominus Deus veſter: (*a*) Non facietis vobis idolum
& ſculptile, nec titulos erigetis, nec inſignem lapidem po-
netis in terra veſtra, ut adoretis eum. Ego enim ſum Do-
minus Deus veſter. 2. Cuſtodite ſabbata mea, & pavete ad
ſanctuarium meum. Ego Dominus. 3. (*b*) Si in præceptis
meis ambulaveritis, & mandata mea cuſtodieritis, & fece-
ritis ea, dabo vobis pluvias temporibus ſuis, 4. & terra gi-
gnet germen ſuum, & pomis arbores replebuntur. 5. Ap-
prehendet meſſium tritura vindemiam, & vindemia occupabit ſementem, & co-
medetis panem veſtrum in ſaturitate, & abſque pavore habitabitis in terra ve-
ſtra. 6. Dabo pacem in finibus veſtris: dormietis, & non erit qui exterreat.
Auferam malas beſtias: & gladius non tranſibit terminos veſtros. 7. Perſequemi-
ni inimicos veſtros, & corruent coram vobis. 8. Perſequentur quinque de ve-
ſtris centum alienos, & centum de vobis decem millia: cadent inimici veſtri gla-
dio in conſpectu veſtro. 9. Reſpiciam vos, & creſcere faciam: multiplicabimini,
& firmabo pactum meum vobiſcum. 10. Comedetis vetuſtiſſima veterum, & ve-
tera novis ſupervenientibus proiicietis. 11. Ponam tabernaculum meum in medio
veſtri, & non abiiciet vos anima mea. 12. (*c*) Ambulabo inter vos, & ero
Deus veſter, voſque eritis populus meus. 13. Ego Dominus Deus veſter: qui
eduxi vos de terra AEgyptiorum, ne ſerviretis eis, & qui confregi catenas cer-
vicum veſtrarum, ut incederetis erecti. 14. (*d*) Quod ſi non audieritis me, nec
feceritis omnia mandata mea, 15. ſi ſpreveritis leges meas, & iudicia mea con-
tempſeritis, ut non faciatis ea quæ a me conſtituta ſunt, & ad irritum perduca-
tis pactum meum: 16. ego quoque hæc faciam vobis: Viſitabo vos velociter in
egeſtate, & ardore, qui conficiat oculos veſtros, & conſumat animas veſtras.
Fruſtra ſeretis ſementem, quæ ab hoſtibus devorabitur. 17. Ponam faciem meam
contra vos, & corruetis coram hoſtibus veſtris, & ſubiiciemini his qui oderunt
vos: fugietis, nemine perſequente. 18. Sin autem nec ſic obedieritis mihi, ad-
dam correptiones veſtras ſeptuplum propter peccata veſtra, 19. & conteram ſu-
perbiam duritiæ veſtræ. Daboque vobis cælum deſuper ſicut ferrum, & terram
æneam. 20 Conſumetur incaſſum labor veſter, non proferet terra germen, nec
arbores poma præbebunt. 21. Si ambulaveritis ex adverſo mihi, nec volueritis
audire me, addam plagas veſtras in ſeptuplum propter peccata veſtra: 22. im-
mittamque in vos beſtias agri, quæ conſumant vos, & pecora veſtra, & ad pau-
citatem cuncta redigant, deſertæque fiant viæ veſtræ. 23. Quod ſi nec ſic vo-
lueritis recipere diſciplinam, ſed ambulaveritis ex adverſo mihi: 24. ego quoque
contra vos adverſus incedam, & percutiam vos ſepties propter peccata veſtra,
25. inducamque ſuper vos gladium ultorem fœderis mei. Cumque confugeritis in
urbes; mittam peſtilentiam in medio veſtri, & trademini in manibus hoſtium,

Digitized by Google

26. poſtquam confregero baculum panis veſtri: ita ut decem mulieres in uno clibano coquant panes, & reddant eos ad pondus: & comedetis, & non ſaturabimini. 27. Sin autem nec per hæc audieritis me, ſed ambulaveritis contra me: 28. & ego incedam adverſus vos in furore contrario, & corripiam vos ſeptem plagis propter peccata veſtra, 29. ita ut comedatis carnes filiorum veſtrorum & filiarum veſtrarum. 30. Deſtruam excelſa veſtra, & ſimulacra confringam. Cadetis inter ruinas idolorum veſtrorum, & abominabitur vos anima mea, 31. in tantum ut urbes veſtras redigam in ſolitudinem, & deſerta faciam ſanctuaria veſtra, nec recipiam ultra odorem ſuaviſſimum. 32. Diſperdamque terram veſtram, & ſtupebunt ſuper ea inimici veſtri, cum habitatores illius fuerint: 33. vos autem diſpergam in Gentes, & evaginabo poſt vos gladium, eritque terra veſtra deſerta, & civitates veſtræ dirutæ. 34. Tunc placebunt terræ ſabbata ſua cunctis diebus ſolitudinis ſuæ: quando fueritis 35. in terra hoſtili, ſabbatizabit, & requieſcet in ſabbatis ſolitudinis ſuæ, eo quod non requieverit in ſabbatis veſtris quando habitabitis in ea. 36. Et qui de vobis remanſerint, dabo pavorem in cordibus eorum in regionibus hoſtium, terrebit eos ſonitus folii volantis, & ita fugient quaſi gladium: cadent, nullo perſequente, 37. & corruent ſinguli ſuper fratres ſuos quaſi bella fugientes, nemo veſtrum inimicis audebit reſiſtere: 38. peribitis inter Gentes, & hoſtilis vos terra conſumet. 39. Quod ſi & de iis aliqui remanſerint, tabeſcent in iniquitatibus ſuis, in terra inimicorum ſuorum, & propter peccata patrum ſuorum & ſua affligentur: 40. * donec confiteantur iniquitates ſuas, & maiorum ſuorum, quibus prævaricati ſunt in me, & ambulaverunt ex adverſo mihi. 41. Ambulabo igitur & ego contra eos, & inducam illos in terram hoſtilem, donec erubeſcat incircumciſa mens eorum: tunc orabunt pro impietatibus ſuis. 42. Et recordabor fœderis mei, quod pepigi cum Iacob, & Iſaac, & Abraham. Terræ quoque memor ero: 43. quæ cum relicta fuerit ab eis, complacebit ſibi in ſabbatis ſuis, patiens ſolitudinem propter illos. Ipſi vero rogabunt pro peccatis ſuis, eo quod abiecerint iudicia mea, & leges meas deſpexerint. 44. Et tamen etiam cum eſſent in terra hoſtili, non penitus abieci eos, neque ſic deſpexi ut conſumerentur, & irritum facerem pactum meum cum eis. Ego enim ſum Dominus Deus eorum, 45. & recordabor fœderis mei priſtini, quando eduxi eos de terra Ægypti in conſpectu Gentium, ut eſſem Deus eorum. * Ego Dominus. 46. Hæc ſunt iudicia atque præcepta & leges, quas dedit Dominus * inter ſe & filios Iſrael in monte Sinai per manum Moyſi.

(*a*) Exod. xx. 4. Deut. v. 8. Pſal. xcvi. 7. (*b*) Deut. xxviii. 1. (*c*) II. Cor. iv. 16. (*d*) Deut. xxviii. 15. Thren. ii. 17. Malach. ii. 2.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 40. *Donec confiteantur iniquitates ſuas, & maiorum ſuorum*. Falſi quidam, pro *maiorum*, ſeu patrum *ſuorum*, ſcripſerunt *malorum ſuorum recordentur*.

V. 45. *Ego Dominus*. Non eſt adiicienda vox *Deus*.

V. 46. *Inter ſe & filios Iſrael*. Non repetas præpoſitionem *inter*.

COM-

Digitized by Google

COMMENTARIA

SA.

Verſ. 1. TITULOS, id eſt ſtatuas, vel columnas ſuſtentantes idola, aut idolorum aras. INSIGNEM, ſcilicet effigiatum in ſpeciem idoli. Hebr. *depictum*, ſeu *figuratum*. Chald. *adorationis*.

V. 5. APPREHENDET; quaſi dicat, durabit uſque ad vindemiam. SEMENTEM; quaſi dicat, durabit uſque ad tempus ſeminandi. Chald. *pullulationem ſementis*.

V. 6. GLADIUS, id eſt bellum.

V. 8. QUINQUE, &c. quaſi dicat, pauci plurimos.

V. 10. VETUSTISSIMA VETERUM, id eſt vetera diutiſſime ſervata.

V. 11. ANIMA, id eſt voluntas. Auguſt. in Levit. qu. XCIII.

V. 13. ERECTI, id eſt liberi ſervitutis iugo.

V. 16. VISITABO, id eſt puniam. EGESTATE, ET ARDORE: alii *phthiſi*, *& ardore oſſium*: alii *tumore corporis*, *& febri tabifica*: alii *tabe*, *& ardenti febri*. LXX. *egeſtate*, *& ſcabie*: Chald. ut noſter Interpres.

V. 17. FACIEM, id eſt iram, quæ vultu oſtenditur.

V. 18. CORREPTIONES, id eſt pœnas. SEPTUPLUM, id eſt multipliciter.

V. 19. DURITIAE: alii, *fortitudinis*: LXX. *arrogantiæ*: Chald. *gloriam fortitudinis*; quaſi dicat, vires, quibus gloriamini. SICUT FERRUM; quaſi dicat, non dabit pluviam. AENEAM, id eſt non ferentem fructum.

V. 20. GERMEN, id eſt fructum.

V. 22. DESERTAEQUE, ſcilicet ob paucitatem hominum, & metum ferarum.

V. 23. RECIPERE DISCIPLINAM, id eſt emendari.

V. 24. SEPTIES, id eſt ſæpe, ſeu multipliciter.

V. 25. FOEDERIS, ſcilicet a vobis violati.

V. 26. BACULUM, id eſt ſuſtentaculum.

V. 28. SEPTEM, id eſt multis.

V. 29. FILIORUM, factum id in obſidione Ieruſalem ſub Tito.

V. 31. SUAVISSIMUM, id eſt quo placari ſolebam.

Verſ. 32. DISPERDAMQUE. Hebr. Chald. & LXX. *deſolatam*, ſeu *deſertam reddam*.

Verſ. 34. PLACEBUNT; quaſi dicat, fruetur.

V. 35. SABBATIZABIT, id eſt quieſcet, ſeu ceſſabit. SABBATIS, id eſt quietibus, ſeu ceſſationibus.

V. 36. VOLANTIS. Hebr. *impulſi*. Chald. *decidentis*. QUASI GLADIUM, ſcilicet fugerent.

V. 37. BELLA. Hebr. *gladios*.

V. 41. INCIRCUMCISA, id eſt improba.

V. 43. COMPLACEBIT. Vide ſupra.

ESTII.

Verſ. 1. NON FACIETIS VOBIS IDOLUM ET SCULPTILE, NEC TITULOS ERIGETIS, NEC INSIGNEM LAPIDEM PONETIS UT ADORETIS EUM. Nota. Quod additur, *Ut adoretis eum*, etiam ad omnia præcedentia pertinet, nam omnium eadem eſt ratio. Sicut ergo ſecluſa adoratione, non prohibetur ponere terminos agrorum, qui plerumque ſunt lapides magnitudine notabiles, nec rurſum prohibetur figere lapides aut columnas in monumentum rei memorabilis, ac præſertim beneficii divini: ſicut Ioſue fixit 12. lapides in Iordane, & duæ tribus Ruben & Gad, & dimidia tribus Manaſſe altare exſtruxerunt, non ad ſacrificium, ſed in teſtimonium perpetuum quod etiam ipſi pertinerent ad populum Dei, ut narrat hiſtoria Ioſue cap. IV. & cap. XXII. immo lapides illi fixi ſunt iuſſu ipſius Domini: ita non ſimpliciter prohibetur fieri ſculptile, ſed tantum ne adoretur. Confer quæ ſunt dicta Exod. XX.

V. 11. PONAM TABERNACULUM MEUM IN MEDIO VESTRI, ET NON ABIICIET VOS ANIMA MEA. &c. Hæc tametſi ad litteram promiſſa ſint veteri populo, ſed quamdiu permanerent

tantum in obſervatione mandatorum, tamen myſtico & ſublimiori ſenſu referenda ſunt ad Chriſtum, & Eccleſiam. Ad quem ſenſum velut manu ducit nos Apoſtolus II. Corinth. VI. qui Tabernaculum interpretatur Eccleſiam his verbis: *Vos enim eſtis templum Dei vivi, ſicut dicit Deus: Quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo, & ero illorum Deus, & ipſi erunt mihi populus.* Eccleſia ergo tabernaculum eſt, ſeu templum Dei vivi, in quo Deus per continuam Spiritus ſancti ſubminiſtrationem inhabitat. Et de ea proprie verum eſt quod dicitur: *Non abiiciet vos anima mea.* Anthropopathice tamen, id eſt more humano, dictum eſt. Nam ſicut Deo attribuuntur membra humana, ob certas quaſdam operationes ſimiles operationibus humanis, quæ ab hominibus per certa membra exercentur; ita hic Deo anima tribuitur propter intellectum, & voluntatem, quæ in hominibus ſunt facultates animæ, in Deo autem ab eius divina eſſentia non diſtinguuntur. Senſus igitur eſt, Non abiiciet vos voluntas mea; vel etiam generaliter, Ego non abiiciam vos.

MARIANAE.

Verſ. I. UT ADORETIS EUM. Non ergo abſolute vetantur imagines, & ſtatuæ.

V. 10. PROIICIETIS. Hebr. *Producetis vetera novis advenientibus.*

V. 16. VISITABO VOS VELOCITER IN EGESTATE. Hebr. *Faciam inſurgere pavorem ſuper vos.*

Verſ. 34. TUNC PLACEBUNT TERRAE SABBATA. Iudæi quas cærimonias rebus integris contempſerunt, eas in captivitate cupidiſſime conſectantur.

V. 36. DABO PAVOREM IN CORDIBUS EORUM. Hebr. *teneritudinem*: nihil hoc tempore Iudæo meticuloſius.

Verſ. 41. DONEC ERUBESCAT INCIRCUMCISA MENS EORUM. Hebr. *Vel tunc humiliabitur cor eorum incircumciſum, & tunc volent iniquitatem ſuam*, ſcilicet auferre, ſeu expiare. Quod Hieronym. dixit: *Tunc orabunt pro iniquitatibus ſuis.*

MALVENDAE.

Verſ. I. INSIGNEM LAPIDEM. אבן משכית *eben maſchchit* varie reddunt. I. *lapidem picturæ*, ſeu *pictum*. II. *lapidem imaginationis*, *cogitationis*, ſeu *ingenioſum*, aut *lapidem ingenioſe cælatum*, ſeu *affabre factum*. III. *lapidem toreumatis*. IV. *lapidem effigiei*, ſeu *effigiatum*, aut *figuratum*. V. *lapidem imaginis*. id eſt imaginem lapideam ; hypallage, VI. *lapidem ſpeculationis*. LXX. dixerunt *lapidem ſcopum*, id eſt notabilem, quem omnes obſervent, & religioſe intueantur. VII. *lapidem fabricationis*, id eſt ingenioſe fabricatum. Quidam exiſtimant, lapides pulchre tornatos, ſculptos, aut effigiatos poni ſolitos ante imagines deorum, ſuper quos adoraturi procumberent. Ego facile crediderim hic non prohiberi lapideas imagines ſimpliciter, ſed earum civinum cultum. Alieniſſime quidam vertunt *lapidem incluſionis*, ſeu *incluſum*, aut *clauſum*; vel *lapidem cancellaturæ*: & intelligunt imagines lapideas, quæ adorationis cauſa induntur & includuntur in cavis parietum cancellis, uti gentiles facere ſolebant.

V. 2. SABBATA MEA, id eſt ceſſationes in ſeptimum quemque diem, & in ſeptimum quemque annum.

V. 4. GERMEN SUUM. יבול *iebul* notant nomen eſſe collectivum, quod generaliter ſignificat quidquid terra in uſum hominum & animantium producit; quaſi dicas *productio*, ſeu *productum*. Et aliquoties diſerte Scripturam diſcernere inter פרי *peri*, & יבול *iebul*: nam *iebul* terræ naſcentibus tribui; *peri* vero arborum, & aliarum rerum, & animalium fructibus. Licere autem vertere *gramen*, *plantam*, *olus*, *germen*, *fruges*, *proventum*, *frugum excreſcentiam*, utcumque res de qua Scriptura loquitur, exigit. Frigide quidam *elevationem terræ* interpretantur, id eſt quidquid e terra naſcendo creſcit, & elevatur ſuper eam. Nec aliene, *baiulationem ſuam*, id eſt quidquid fructuum terra baiulat & importat; vel *iubilationem ſuam*, id eſt fructus quibus iubilat.

V. 5. APPREHENDET MESSIUM TRITURA VINDEMIAM, &c. ac ſi dicat: Tanta erit meſſis copia, ut non ant.

ea abſolvatur ſegetum tritura quam vindemiæ tempus advenerit, & præ uvarum copia, tempus vindemiæ uſque ad ſementem producatur. Abundantiæ maximæ promiſſio. Tempus trituræ durabit uſque ad tempus ſationis agrorum; hoc eſt, maximam ubertatem meſſium & vitium conſequemini: adeoque alia benedictio aliam trudet. Alii exponunt: Nihil ſpatii, nihil impedimenti interponetur, quin poſt meſſem ſuccedat tritura, & poſt trituram vindemia, & poſt vindemiam ſatio: & quin harum rerum unaquæque ſuo tempore fiat, nullus hoſtis impediet, nulla calamitas, nullæ tempeſtates, nullæ grandines.

V. 9. ET FIRMABO PACTUM MEUM VOBISCUM. Hebr. *Et ſtatuam fœdus meum vobiſcum*. Exponunt. Ratum habebo; id eſt, præſtabo quod pacto fœdere pollicitus ſum vobis.

V. 10. COMEDETIS VETUSTISSIMA VETERUM, &c. Quidam hunc verſum ita reddunt: *Et comedetis* cibarium *vetus*, *valde vetus*, *& vetus propter novum deprometis*; vel *efferetis*, *educetis*, *extra portabitis*; id eſt, educetis vetera ex horreis, ut pro illis inducantur nova in ea.

V. 11. PONAM TABERNACULUM MEUM. Aliqui explicant: Id eſt, iam poſitum non auferam, ſed pro fide & veritate mea ſtabiliam in perpetuum. ET NON ABIICIET VOS. Verbo געל *gagbal* hæc omnia ſubſunt: *Et non abiiciet*, *devolvet*, *execrabitur*, *abominabitur*, *faſtidiet*, *nauſeabit*, *non amolietur cum nauſea*, *faſtidio*, *ſtomacho*, *indignatione*, *vos*. Quidam vertunt: *Et non emovet vos*. Alii: *Et non reprobabit vos*; vel *& non repellet vos*. Aut *non expuet*, *deſpuet*, *reſpuet vos*.

V. 12. AMBULABO INTER VOS. Verbum הלך *balach*, in Hithpahel hic poſitum, proprie ſignificat, *Continenter vobiſcum verſabor*, *indeſinenter ambulabo inter vos*: cura & ſolicitudine mea vobis adero, vobiſcum agam, diſcurſabo inter vos.

V. 13. CATENAS. מושות *mototb* diverſimode exponunt. I. *Inclinationes*, id eſt quibus colla veſtra ſub iugo inclinabantur. II. *Virgas*, nimirum quibus cædebamini. III. *Lora*, *loramenta*, *babenas*, *vincula*, quibus alligantur iuga collo boum. IV. *Vectes*, *perticas*, *phalangas*, *temones*, quibus laborabatis. ERECTI. Quidam, *erecta facie*, ſeu *fronte*, id eſt capite erecto, & non demiſſo. Qui triſtes ſunt, vultum demittunt: contra hilares attollunt caput; quaſi dicat incedetis læti, hilares, felices. Sed rectius eſt ut perſiſtat in metaphora iugi; id eſt, ibitis erecti, non iugo depreſſi, aut ſub tyrannide oppreſſi.

V. 15. SPREVERITIS. Hebr. varie reddunt. I. *Reprobaveritis*. II. *Averſati fueritis*. III. *Flocci feceritis*, vel *flocci penderitis*. IV. *Reieceritis cum faſtidio*, tamquam vile & contemptum quippiam. Annotant, quando verbum מאס *maas* conſtruitur cum Beth, ut hoc loco, proprie referri ad animum, quem ſatietas perſonæ alicuius, vel rei cepit, eam ut faſtidiat, & cum faſtidio reiiciat: atque *faſtidium babere* interpretantur. Unde hic reddunt: *Et ſi in ſtatutis meis faſtidium habebitis*.

V. 16. EGO QUOQUE. Hebr. *Etiam ego*, vel *certe*, *profecto ego*. אף *aph* flatum & impetum animi loquentis oſtendit. Vide verſ. 24. VELOCITER. בהלה *behalah* reddunt *celeritatem*, *præcipitantiam*, *ſubitum furorem*, *perculſionem animi*, *conturbationem*. Quidam hic vertunt, *Et conſtituam*, *præficiam ſuper vos terrorem*, &c. id eſt, iubebo ut iſta mala occupent ac poſſideant vos. Alii: *Et inducam ſuper vos turbationem*. Nonnulli: *Et viſitabo ſuper vos terrorem*; vel *& viſitabo vos terrore*, &c. Aliqui hic *ſtuporem* reddunt, ſeu internam animi paſſionem, qua quis redditur attonitus: peſſimum ægritudinis genus. EGESTATE. שחפת *ſchachephet* Hebræi aiunt eſſe morbum, ſeu infirmitatem, qua corpus efficitur macilentum, debile, deficiens, & in deterius vadens: *tabem* quidam, ſeu *phthiſin* exponunt: alii, *eminentiam*, *prominentiam*, *tuberem*, *tumorem*: ut cognationem habeat cum verbo שקף *ſchakaph*, quod eſt *ex alto & eminenti loco proſpicere*. Unde non deſunt qui hydropiſim eſſe putent. Nonnulli Hebræorum *morbum* eſſe volunt, *in quo ampullæ ex carne naſcuntur in morem pomorum*. Aliqui *tumorem ſquamoſum* vertunt, vel *ſcabiem*, quæ corpori inducit materiam ſquamoſam & corpori cohæreſcentem, unde fit putrefactio. Neſcio cur hic quidam, *frigus* quod febrim antecedit, ſeu *rigorem*

interpretentur. Ego facile contulerim cum tranſpoſito ספחת *ſaphachath* cum Sameeh, de quo diximus ſupra cap. XIX. verſ. 2. Vide Deuter. XXVIII. verſ. 22. ET ARDORE. קדחת *kaddechat* Hebræi aiunt eſſe ægritudinem exurentem præ nimio ardore, quam appellant *ignem oſſium*. Alii volunt eſſe morbum inflammantem corpus, quem alii *carbunculum*, alii *ſacrum ignem* eſſe putant. Noſter & Hebræi *febrim* eſſe dicunt, ab ardore ſic vocatum, ut & Græci πυρετόν, & Latini *febrim* a fervore appellarunt. Quidam *tabificam febrim* reddunt. Alii *febrem ardentem*. Nonnulli *æſtuantem morbum*: & ſynecdochice intelligunt omnes morbos qui homines graviter affligunt. Vide Deuteron. XXVIII. verſ. 22. ET CONSUMAT. Heb. eſt participium plurale femineum Hiphil מדיבות *medibotb*, quod diverſimode exprimunt. I. *Et dolore afficientes*, vel *dolere facientes*. II. *Debilitantes*, *infirmantes*, *langueſcere facientes*. III. *Contabeſcere facientes*. IV. *Cruciantes*, *diſcruciantes*. V. Chaldæus, *Efflare facientes*. Notant, verbum דאב *daab*, *infirmari*, *imbecillitari*, *langueſcere*, *debilitari*, minus ſignificare quam כאב *caab*, quod *dolorem* & *cruciatum* denotat: poteſt enim aliquis debilis eſſe ſine dolore.

V. 17. PONAM FACIEM MEAM CONTRA VOS. Quidam reddunt: *Et dabo iram meam in vos*. Alii: *Et opponam faciem meam iratam vobis*. Ira maxime in vultu ſe prodit.

V. 18. SIN AUTEM NEC SIC OBEDIERITIS MIHI. Hebr. *Et ſi uſque ad hæc non auſcultaveritis mihi*; id eſt, ſi mihi eo uſque in vobis flagellandis progreſſo, non auſcultaveritis; vel *ſi his plagis admoniti, non reſipueritis*. Vide verſ. 23. SEPTUPLUM, vel *ſeptíes*. Numerus ſaturitatis & plenitudinis; id eſt, multiplicibus & graviſſimis ſæpe ſæpius iteratis pœnis puniam vos. Sic verſu 21.

V. 19. SUPERBIAM DURITIAE VESTRAE. Hebr. *Excellentiam roboris veſtri*; id eſt, excellens robur, quo nunc excellitis. Notant עוז *ghoz* interdum capi pro *regno* & *imperio*, ut Pſalm. XXVIII. verſ. 1. Pſalm. XCVIII. verſ. 4. & I. Samuel. II. verſ. 10. quod hic non male convenit. CAELUM DESUPER SICUT FERRUM, ET TERRAM AENEAM. Exponunt: Id eſt, pluvias ſuperne continebo, & fructus terræ inferne: ut nec aer magis quam ferrum ſolvatur in pluvias, nec terra magis quam æs fundat fructus; perinde ac ſi naturam duriſſimam & plane ferream atque æneam cæli & terra ipſa induerent, ne quem afferrent fructum.

V. 20. LABOR VESTER: alii, *conatus veſter*: Heb. *virtus veſtra*; quaſi dicat: Licet ad abſumptionem uſque virium laboretis, inanis tamen erit labor veſter. Unde reddunt: *Deficietque fruſtra virtus veſtra*. Aliqui hic כוח *coach*, *virtutem*, pro opibus & facultatibus accipiunt, ut Gen. IV. verſ. 12. unde vertunt: *Et conſumentur in vanum vires*, id eſt opes, facultates, *veſtræ*.

V. 21. EX ADVERSO MIHI. קרי *keri* varie exponunt. I. *Contrarie*, *adverſum*, *ex adverſo*, *occurſu*, *in occurſum*. II. *A caſu*, *ex accidenti*, *contingenter*, *fortuito*, *forte*, *fortuna*. Id eſt, ſi caſui & fortunæ tribueritis quæ mihi tribuenda ſunt; ſi dixeritis quæ mihi a vobis dantur, caſu ſeu fortuna accidere, non a providentia mea. Hebræorum quidam exponunt: Si dixeritis, caſtigationes & flagella quæ ego adduco ſuper vos, contingenter & caſualiter vobis evenire, & non eſſe meritas pœnas peccatis veſtris a divina providentia inflictas. III. *Ex accidenti*, *temere*, *per accidens*; id eſt, ſine diſcrimine utrumvis acciderit, ſive ut ut accidat modo fueritis ſecuti ſtudia veſtra, non voluntatem meam. Sic verſu 23. 27. 40. IV. *Contumaciter*, *pertinaciter*.

V. 22. DESERTAEQUE FIANT. ונשמו *venaſchammu* varie exponunt: *Et deſolabuntur*, *devaſtabuntur*, *obſtupeſcent.*, *ſtupende deſolabuntur*. Notant, verbum שמם *ſchamam* proprie eſſe *propter reatum aut pœnam aliquid dignum afflatu abominabili eſſe*, *aut afflatui obnoxium*. Senſum huius pericopes eſſe volunt, ac ſi dicat: Viis publicis metu ferarum paſſim graſſantium inſiſtere & terere non audebitis.

V. 24. ADVERSUS INCEDAM. בקרי *bekeri*, ut verſu 21. Quidam reddunt *in caſu*; id eſt, permittam vos caſui & fortunæ; non curabo amplius res veſtras; ita vobiſcum agam, ut videantur omnes res veſtræ caſu & fortuito accidere; ſi ſentiatis me mortalia non curare, ego profecto res veſtras non curabo in bonum; nulla vos benignitate proſequar. Alii, *te-*

me-

Digitized by Google

mere, ſine ullo perſonarum diſcrimine, & non adhibita plagis moderatione, habenas iræ meæ in vos laxabo. Humanitus dictum.

V. 25. Foederis mei, a vobis rupti & violati.

V. 26. Postquam confregero baculum panis vestri, &c. id eſt, cum laborabitis extrema penuria annonæ; ubi panis auxilio aut ſuſtentaculo vos deſraudavero, quo tamquam ſcipione utimini; vel cum pani alendi facultatem ademero: metaphora. *Baculus* pro fulcimento, robore, ſuſtentaculo, ſuſtentamento, fulcro, ut Pſalm. civ. 16. Ezechiel. iv. verſ. 16. Totum hunc verſum dilucidius quidam ſe ex Hebræo reddidiſſe putant in hunc modum: *Cum fregero vobis ſcipionem panis, & coquentes decem mulieres panem veſtrum in furno uno, retulerint panem veſtrum* diſtribuendum certo *pondere: ſi comedetis, non tamen ſaturabimini. Ita ut decem mulieres in uno clibano coquant panes*. Exponunt quaſi dicat: Tanta erit panis penuria, ut decem, vel multæ familiæ vix tantum habeant unde furnum unum panibus ſimul impleant. Finitus numerus pro infinito, ut ſupra verſ. 8. Et reddant eos ad pondus. Tanta nimirum erit panis inopia, ut certo pondere exigatur, ne aliquid deſit. Alii intelligunt, quod ex corrupto frumento integri panes fieri non poterunt, ſed fragmenta, quæ piſtor in pondere magis, quam in numero reſtituet. Aliqui, quod non diſtribuentur quantum quiſque volet, aut ſatis eſſe poſſit ad ſedandam famem; ſed in certo pondere & menſura. Quod Hiſpanice dicimus *Dar el pan por onzat*. Vide Ezechiel. iv. verſ. 16.

V. 28. In furore contrario. Hebr. varie exprimunt. I. *In fervore caſus*, vel *in ira fortunæ*; hoc eſt, ſi tribueritis adhuc fortunæ quod providentiæ meæ erat tribuendum, puniam ego vos ira graviſſima, quæ non videbitur proficiſci a me, ſed a caſu & fortuna quam colitis. II. *In excandeſcentia contumaciæ*, ſeu *pertinaciæ*, id eſt contumaci & pertinaci ira. III. *In excandeſcentia temeritatis*, ſeu *excandeſcens temere*; id eſt, omnia promiſcue pervadens, tamquam ſi ferretur ita promiſcue, atque exundaret. Vide ſupra verſ. 24.

V. 29. Ut comedatis carnes filiorum vestrorum. Hoc completum vide II. Regum vi. 28. & apud Ioſephum Lib. VII. Belli cap. viii.

V. 30. Excelsa vestra. במות *bamoth*, vox celebris, in Scripturis hic primum occurrit: aiunt eſſe *ædificia*, ſeu *ſacella*, aut *altaria*, ſeu *aras*, ab altitudine ſeu ſublimitate, quod alta, excelſa, ſublimia eſſent; vel quod in altis, excelſis, & ſublimibus locis extructa. Semper dicitur de locis extra tabernaculum vel templum Domini, ubi ſacrificia offerebantur. *Excelſa* fere idolis dicata erant: interdum in honorem veri Dei, ſed extra templum, vel tabernaculum. *Suggeſtus* & *tribunalia* in loco edito quidam interpretantur. Vide I. Samuel ix. verſ. 12. Et simulacra. חמנים *chammanim* octies tantum in Scriptura occurrit: & Noſter *ſimulacra*, *delubra*, *fana* convertit. Plerique a חמה *chamma*, *Sole*, deducunt; exponuntque, *ſolatos*, *ſolares*, *ſole affectos*. Alii, *ſolaria*, *ſimulacra ſolis*. Quidam, *Quæ ſolis ſunt*; id eſt, loca, ſeu ſacella in honorem ſolis dicata. Aliqui, *ammoniaca*, id eſt arbores, ſeu lucos ſoli conſecratos. Nonnulli, *apprications*, *apricaria*, id eſt loca ſoli expoſita, tepore ſolis calida. Alii, *ſolaria*, id eſt delubra ſolis, vel domata, id eſt cœnacula, vel ſuperiores partes domus, in quibus propterea quod remotæ erant a turba, orare ſolebant: quemadmodum legimus Petrum Apoſtolum Actor. x. 9. aſcendiſſe in ſuperiora domus ad orandum. Quidam *ſolaria* intelligunt amœna ædificia, quæ ſunt ſuper tectum: ut per *excelſa*, quod præceſſit, accipiunt ſublimiora ædificia, ut ſunt turres & caſtra. Nec deſunt, qui *ſubdiales ſtatuas*, quaſi *ſolares*, vel ſoli expoſitas, & colorem adultum habentes. Hebræorum quidam aiunt fuiſſe idola, quæ ponebant ſuper tecta ſoli expoſita. Alii *ſolaria*, id eſt ſimulacra ad ſimilitudinem orbis ſolaris facta, ab iis qui ſolem pro Deo colebant. Hanc idololatriam deſcribit Beniamin Tudelenſis in Itinerario, ubi agens de regno Indiæ Haaulam, quod noſtri vocant Zeilan, ait: *In Haaulam deveni, quod initium eſt regni ſolem pro Deo colentium, gentis videlicet ex filiis Chus aſtrorum contemplatricis. Colitur autem ab his ſol aris frequentibus & magnis, extra ur-*

Digitized by Google

urbem per omnia loca ad dimidium milliare extructis. Summo itaque mane communiter excurritur, aditurque ſol: cui in cunctis aris ſimulacra ſunt ſacrata ad ſimilitudinem orbis ſolaris magicis artibus conſtructa. Ex oriente autem ſole orbes illi incendi videntur, magnoque ſtrepitu ſonant. Habent autem ſinguli acerras in manibus tam feminæ quam viri, omneſque pariter thura ſoli adolent. Quidam hic reddunt *hammonim*, id eſt; *ſimulacra Hammonis*, ſeu *ſolis*. Templum & ſimulacrum Hammonis celebre in Lybia, de quo Herodotus Lib. II. numero 55. & Lib. IV. numero 181. Diodorus Siculus Lib. XVII. numero 589. Strabo Lib. XVII. Q. Curtius Lib. IV. Rerum Alexandri, cap. VII. Arrianus Lib. III. Expeditionum Alexandri, Servius in IV. Aeneidos, & innumeri alii. Fontis ſolis prope Ammonis templum, qui meridie rigeat, & media nocte ferveat, meminere eiſdem locis Herodotus, Diodorus, Curtius, Arrianus: item Lucretius Lib. VI. Ovidius Lib. ult. Metamorphoſeon, Plinius Lib. II. cap. CIII. Mela Lib. I. cap. VIII. Ammonem enim ſolem eſſe, Macrobius Lib. I. Saturnaliorum cap. XXI. affirmat his verbis: *Ideo & Ammonem, quem Deum ſolem occidentem Lybies exiſtimant, arietinis cornibus fingunt, quibus maxime id animal valet, ſicut radiis ſol.* IDOLORUM. גללים *gillulim* proprie *ſtercora*, *ſordes*, *excrementa*, *volutationes*, *volutabra*, quibus aliquis conſpurcatur, & contaminatur: quo nomine Spiritus ſanctus idola gentium per contemptum appellat, quaſi dicat *deos ſtercoreos*: quod ſtercore & ſordibus pleni ſint, & colentes inquinent. Aliqui *tornatilia* exponunt, quod torno ex ligno fiant. Virgilius II. Georgic.

.... *aut torno raſile buxum.*

Nonnulli putant *gillulim* apte explicari poſſe per *copreas*, voce recentioribus Græcis & Latinis uſurpata, de qua vide Notas Scaligeri in Feſtum, in *Scurra*, & Caſaubonum in Tiberium Svetonii cap. LXI. ET ABOMINABITUR VOS ANIMA MEA. Quidam reddunt: *Adeo faſtidiet anima mea vos*; quaſi dicat: Ego ipſe ex animo vos faſtidiam ſerio, & abhorrebo a vobis plane. Humanitus dictum.

V. 31. NEC RECIPIAM ULTRA ODOREM SUAVISSIMUM. Hebr. quidam reddunt: *Neque odorabor odorem quietis veſtræ*. Alii: *Neque odorabo odorem veſtrum ſuaveolentem*. Aliter: *Neque odorabo odorem gratum a vobis*. Id eſt, non olfaciam odorem illum fragrantiſſimum, & gratiſſimum, quem ſuffietis mihi in ſacrificiis veſtris, vel qui eſt ex ſacrificiis veſtris: non placabor odoribus ſacrificiorum incenſorum a vobis. Vide Exodi XXIX. verſ. 18. & ſupra cap. IV. verſ. 31. & alibi ſæpius.

V. 32. CUM HABITATORES ILLIUS FUERINT. Hebr. *Habitantes*, *ſedentes*, *manentes in ea*, nimirum vobis eiectis, ut verſu ſequenti exponitur.

V. 33. EVAGINABO POST VOS GLADIUM. Hebr. aliqui reddunt: *Faciam ut educant poſt vos gladium*; ſive ut perſequantur vos gladio.

V. 34. TUNC PLACEBUNT TERRAE SABBATA SUA. Propter variam & mirabilem verbi רצה *ratzah* conſtructionem, & ſignificationem, diverſimode diverſis locis illud ſolent Interpretes reddere. Notant vero, quando conſtruitur cum Eth nota accuſandi caſus, ut hic, tunc licere vertere *acceptare*, *approbare*; *amore*, *benevolentia*, *& prona voluntate proſequi*. Sed hic varie exponunt. I. *Tunc perficiet terra ſabbata ſua*. II. *Tunc complacebit libenter & læto animo terra in ſabbatis ſuis*. III. *Tunc volet terra ſabbata ſua*. IV. *Tunc fruetur terra ſabbatis ſuis*. V. *Tunc implebit terra ſabbata ſua*; id eſt, tunc terra fruetur quiete & ceſſatione ſua toto illo tempore quo erit deſolata, vobis habitantibus in terra aliena. VI. *Tunc in ſabbatis ſuis acquieſcet terra*. VII. *Tunc acceptabit*, *beneplacita habebit*, *bene accipiet*, *approbabit ſabbata ſua*, ſeu *ceſſationes ſuas*. Vide infra verſ. 43. De ſabbato, ſeu ceſſatione & quiete terræ vide ſupra cap. XXV. verſ. 2.

V. 35. ET REQUIESCET. Idem verbum *ratzah*, quod initio verſus *placere* convertit: ſed ibi in Kal, hic in Hiphil ponitur, & ſignificatum intendit; quaſi dicat, ſumme, gratiſſime acceptabit ceſſationes ſuas; id eſt, maxime & longo tempore ceſſabit & requieſcet. IN SABBATIS. Nempe in ſabbato ordinario, in ſeptimo quoque anno, & in anno iubilęi, ut mandatur ſupra cap. XXIII. & XXV.

V. 39. ALIQUI REMANSERINT.

Illud

Digitized by Google

Illud quidam de filiis accipiunt; quaſi dicat, continuabitur calamitas patrum in filiis: ut etiam paulo inferius hoc ipſo verſu oſtenditur.

V. 41. Tunc orabunt pro impietatibus suis. Eſt idem verbum רצה *ratzab*, & eadem conſtructio, ut verſ. 34. Hic omnes עון *gbavon*, *pravitatem*, *perverſitatem*, *impietatem*, *iniquitatem* pro pœna iniquitatis, Hebraiſmo notiſſimo accipiunt. Varie reddunt. I. *Et tunc volent*, *amabunt iniquitatem ſuam*; id eſt, libenter ferent pœnas quas pro impietate ſua expendent. II. *Et tunc expiabunt iniquitatem ſuam*. III. *Et tunc acquieſcent in pœna iniquitatis ſuæ*. IV. *Et tunc æquo animo ferent mulctam ſuam*. V. *Et tunc exſolvent pœnas iniquitatis ſuæ*. VI. *Et tunc acceptabunt*, *bene accipient*, *approbabunt iniquitatem ſuam*; id eſt, pœnam pro iniquitate ſua approbabunt, agnoſcentque ſe iuſte a Domino derelictos, & pro meritis dignas luiſſe pœnas; quaſi dicat: Pœna ipſa admoniti, & animi pœnitentia ducti, agnitione iniquitatis afficientur, ipſamque pœnam ſuam approbabunt, acceptam & gratam habebunt, & propenſa pronaque voluntate in eam erunt; beneplacita ipſis erit pœna quam pro ſua impietate expendent. Hanc eamdem phraſim imitatus eſt Iſaias, atque ex hoc loco deſumpſiſſe videtur, cap. XL. verſ. 2. *Accepta eſt iniquitas illius*, id eſt pœna iniquitatis illius. Vide infra verſ. 43.

V. 43. Eo quod abiecerint. Hebr. *Correſpondentia*, & *in correſpondentia*; ſive *eo quod*; ſeu *propterea quod*, & *in propterea quod*; aut *quia*, & *in quia*. Quidam exponunt: *Vice eius quod*, & *in vice eius quod*; vel, *pro eo quod*, & *in pro eo quod faſtidierint*, &c. Geminatio vocis, & incrementum ſententiæ, & vivum loquentis affectum indicat; quaſi dicat, quia multis modis iudicia mea ſpreverunt. Similis geminatio Ezechielis XIII. verſ. 10. & cap. XXXVI. verſ. 3. Aliqui reddunt: *Pro propter quod ſpreverunt*.

V. 44. Et tamen etiam, &c. Heb. אף גם *aph gam*, *etiam*, *quoque*, vel *certe*, *etiam*, aut *etiam etiam*. Cum hic iratus & minabundus loquitur Deus, ſermo ipſe abundat affectibus: unde ſunt iſtæ geminationes, ut verſ. 43. annotavimus. Quidam elegantiæ linguæ tribuunt concurſum duorum ſynonymorum. Sic Latinis, ut Plauto in Epidico: *Hanc quoque etiam, ſi me appellet filiam, matrem vocem*. Vide hic Druſium. Hunc verſum in Hebræo paulo obſcuriorem quidam ita reddunt: *Et tamen etiam hoc modo, cum ipſi fuerint in terra inimicorum ſuorum, non reprobavi eos, neque abominatus ſum eos ut conſumerem eos, irritum faciendo pactum meum cum eis: ego enim Iehova Deus eorum*. Exponuntque: Id eſt, etiamſi hoc modo expulerim eos de terra ſua in captivitatem; attamen non ita reprobavi & abominatus ſum, ut penitus conſumantur, & rumpam fœdus meum. Alii vertunt: *Et etiam hoc quoque* fuit, vel contigit, *cum ipſi eſſent*, &c. Nonnulli reddunt: *Sed inſuper huius etiam recordabor, cum erunt in terra inimicorum ſuorum, me non ſpreviſſe eos, neque faſtidiviſſe eos ad conſumendum eos, irritum faciendo fœdus meum cum eis: quia ego* IHVH *ſum Deus ipſorum*. Explicantque: *Huius etiam recordabor*, id eſt renovati fœderis in lege, & promiſſionum redintegratarum egredientibus ex AEgypto: *in terra inimicorum ſuorum*, id eſt AEgypto, ubi fœderis mei recordatus illos conſervavi, quod ſequenti verſu dicitur exegetice: *me non ſpreviſſe eos*, id eſt ſpem feciſſe miſeris reſipiſcentibus gratuitæ miſericordiæ meæ, quam re ipſa præſtiturus ſum ex fœdere.

V. 45. Et recordabor foederis mei. Hebr. *Et recordabor eis fœderis priorum*; id eſt, recordabor in gratiam eorum pacti mei initi cum maioribus. Alii: *Et recordabor propter eos*, vel *erga illos*, *priſtini fœderis*. Per manum Moysi. Id eſt per Moſen, vel miniſterio Moſis.

MENOCHII.

Verſ I. Nec titulos. Heb. *nec ſtatuam*, vel columnas ſuſtinentes idolorum ſtatuas. Insignem lapidem, in idoli ſpeciem conformatum. Heb. *depictum*, ſeu *figuratum*. Chald. *adorationis*. LXX. & ex iis Tertull. vertunt *lapidem ſcopum*, lapidem ſcilicet eminentem, quem inſtar ſcopi aſſidue intueamini, & obſervetis ad colendum in eo idolum.

V. 2. Pavete, reveremini.

V. 5.

V. 5. Apprehendet messium tritura vindemiam, &c. Antequam trituram abſolueritis inſtabit vindemia, tanta erit frugum copia; & antequam uvas collegeritis, iam ſationis tempus aderit.

V. 6. Gladius non transibit, &c. non timebitis hoſtium incurſus.

V. 8. Persequentur quinque de vestris centum. Ita Gedeon cum trecentis ſtravit innumeros Madianitas Iudic. vii. 22. Idem fecerunt Machabæi.

Verſ. 10. Comedetis vetustissima veterum: abundabitis annona, quam abſumere totam non poteritis, ſed illam diutiſſime ſervare, aut etiam abiicere cogemini, novis fructibus ſupervenientibus.

V. 12. Ambulabo inter vos, vobis adero.

V. 13. Confregi catenas, &c. ſervitute AEgyptiaca vos eripui, ut eſſetis liberi.

V. 15. Ad irritum perducatis pactum meum, ſi non ſervaveritis leges meas ut ſpopondiſtis, & pacti eſtis.

V. 16. In ardore. Vox Hebræa קדחת *chaddatht* ſignificat morbum regium, qui oritur ex accenſione, & maxime oculis inſidet, ut ait Iſychius. LXX. vertunt *ſcabiem, & icterum*. Animas, vitas.

V. 19. Superbiam duritiae vestrae, ſuperbam veſtram duritiem. Caelum sicut ferrum, et terram aeneam. Nec e cælo pluvias mittam, nec terra fruges producet, ac ſi ænea eſſet.

V. 21. Si ambulaveritis ex adverso mihi: ſi mihi adverſi, & inobedientes fueritis.

V. 24. Contra vos adversus incedam, quaſi hoſtes vos invadens, puniens, & male mulctans. Percutiam vos septies, gravibus, multiplicibuſque plagis.

V. 26. Baculum panis. Panis vocatur baculus, quia eſt fulcimentum vitæ: ſimilis phraſis eſt Pſalm. civ. 16. Iſaiæ cap. iii. verſ. i. Reddent eos ad pondus: ita ut quantum vultis comedere non poſſitis, nec quantum fames exigit.

V. 30. Excelsa vestra, templa idolorum, quæ in excelſis locis gentilium ritu ædificarunt Iudæi. Simulacra confringam. Hebraica vox המונים *bammonim* ſimulacra ſolis ſignificat. Hinc fortaſſe Iupiter Hammonius.

Verſ. 31. Deserta faciam sanctuaria vestra, ſive quæ idolis, ſive quæ mihi dedicaſtis. Odorem suavissimum holocauſtorum, & thymiamatis.

V. 34. Placebunt terrae sabbata sua, quæ vacabit, vobis eiectis.

Verſ. 35. Non requiescet in sabbatis vestris, eo quod illi quietem ſeptimi anni ob avaritiam abſtuleritis.

V. 39. Tabescent in iniquitatibus suis: propter peccata ſua tabe paulatim conſumentur.

V. 41. Incircumcisa mens eorum. Heb. *Donec humilietur incircumciſum cor eorum*, cor ſcilicet improbum, durum, rebelle, immundum. Tunc orabunt, continentibus malis & plagis, ad pœnitentiam excitati.

V. 43. Complacebit sibi in sabbatis suis; id eſt, fruetur quiete ſua.

V. 44. Non penitus abieci eos non penitus abiiciam, cum in captivitates hoſtium devenerint: præteritum pro futuro.

V. 45. Haec sunt iudicia, &c. Hæ ſunt iuſtæ minæ, & pœnæ, quas Deus legis violatoribus intentat, & infligit. Per manum Moysi, per Moſen.

TIRINI.

Verſ. 1. Nec titulos erigetis nec insignem lapidem... ut adoretis eum. Unde clariſſime patet hæc per ſe non fuiſſe illicita, neque prohibita, ſed ſolum adorationis & idololatriæ cauſa: unde nec Iacob *a*, nec Moyſes *b*, nec Ioſue *c*, nec Machabæi *d* peccarunt, qui titulos publicos erexerunt, ſed in veri Dei honorem, & in memoriam acceptorum ab illo beneficiorum. De ſepulcris quoque conſtat, licite erecta, & exornata fuiſſe; neque id vel hic, vel alibi prohibitum fuiſſe. Cetera dixi Exodi xx. Quidam non improbabiliter hic quatuor diverſi

verſi generis ſimulacra a Deo diſtingui cenſent: per *idolum*, ſtatuam e metallo; per *ſculptibile*, e ligno; per *titulum*, e marmore, vel alio lapide cælatam ſtatuam; per *lapidem inſignem*, e marmore quoque, ſed pictam, vel picturis ornatam.

V. 26. BACULUM PANIS CONFREGERO; id eſt, omne ſuſidium cibi & nutrimenti abſtulero: ITA UT DECEM MULIERES IN UNO CLIBANO COQUANT PANES: quarum ſingulis ante vix ſufficiebat clibanus unus, iam decem familiis ad coquendos quos modicos habent panes abunde ſufficiat. Extremæ id inopiæ ſignum: uti & iſtud, ET REDDANT EOS AD PONDUS; id eſt, certo pondere cibum domeſticis diſtribuant. Sed exitiale prorſus id quod ſequitur verſ. 24. *Ita ut comeditis carnes filiorum veſtrorum*. Quod tamen ad litteram impletum fuit in obſidione Hieroſolymæ *e* quæ Babylonicam captivitatem anteceſſit, item in obſidione Samariæ *f*, & altera Hieroſolymitana *g* facta per Titum, ut diſerte narrat Ioſephus, & alii. Et dum hæc ſcribo, etiam factum narratur ab Hugonottis in urbe Ruppellana anno Chriſti 1628. a Ludovico XIII. Rege Chriſtianiſſimo undique obſeſſa, nam & ancilla ab hera, filia a matre, fraterculus a ſorore devorati nuntiantur, & pluſquam octo millia hominum fame exſtincta.

V. 34. TUNC PLACEBUNT TERRAE SABBATA SUA CUNCTIS DIEBUS SOLITUDINIS SUAE. Pulchra methaphora tribuit rei inanimatæ ſenſum, & gaudium ſuum; quaſi dicat: Si vos terræ negetis quietem ſuam ſeptimo quoque anno ſabbatico, & quinquageſimo iubilæo, prout lege iam lata decrevi; fiet ut, vobis terræ incolis in exilium pulſis, vel morte mulctatis, terra inſolitudinem redacta, fruitura ſit ultronea quiete & ſabbatis ſuis: ut contigit tempore captivitatis Babylonicæ, cui neglectus harum divinarum legum in particulari cauſam dediſſe, ſat manifeſte indicatur II. Paralip. ultimo verſ. 21.

(*a*) Gen. XXVIII. verſ. 18. et cap. XXXI. verſ. 45. et cap. XXXV. verſ. 14. et 15.
(*b*) Exodi XXIV. verſ. 4.
(*c*) Ioſue cap. IV.
(*d*) I. Machab. XIII. verſ. 27.
(*e*) Thren. IV. verſ. 10.
(*f*) IV. Reg. VI.
(*g*) Ioſeph. Lib. VII. Belli cap. VIII.

GORDONI.

Verſ. I. NOſter habet IDOLUM; Septuaginta, *manufacta*, *ſculptilia*, *ſtatuam*. Hebr. אלילים *elilim*, *deiculos*. Et recte ſubditur, UT ADORETIS, Heb. *ut adoretis ad eum*, vel ante eum; aut ut vos ei incurvetis: radix שחח, *curvari*; deinde in Hitphael: de quo alibi. Præter hoc quod eſt de idolo, de quo Exod. XX. verſ. 5. additur hic prohibitio tituli, & lapidis erecti: ubi recte adiungit, *ut adorentur*, aut ut deferatur divinus honor: quamvis enim nomina מצבה, *matſeba*, *titulus*, & στήλη habeant communem ſignificatum; hic tamen ſatis reſtringuntur in textu. Et cur non columnæ quæ ſuſtentabant idola, aut hi inſignes lapides, prohibebuntur?

V. 5. APPREHENDET: modus loquendi; id eſt, manebit, aut durabit uſque ad vindemiam.

V. 10. VETUSTISSIMA VETERUM ſunt vetera diu ſervata. PROIICIETIS. Hebr. *producetis* vetera, novis advenientibus.

V. 18. SEPTUPLUM, multipliciter.

V. 19. CAELUM SICUT FERRUM: non dabit pluviam.

V. 24. SEPTIES, multis modis.

V. 26. Confringere baculum panis, hoc eſt ſuſtentaculum, & ita ut clibanus unus excipiat panes decem mulierum, ſeu familiarum, quod eſt indicium ſummæ indigentiæ.

V. 34. TUNC PLACEBIT, &c. hoc eſt, in illo exilio veſtra terra fruetur quiete, & longo ſabbato.

V. 36. DE EXCELSIS. Vide III. Reg. cap. III. Fuerunt quædam excelſa idolis dicata; alia vero Deo, ſed ritu, & loco vetito.

V. 39. INDUCAM PAVOREM. Sept. δουλείαν, *ſervitutem*, corrupte: lege δειλίαν, *timorem*.

V. 41. INCIRCUMCISA MENS, improbus animus.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 8. QUINQUE. Exemplum extat in Gedeone, Iudic. VII. 22. & Iuda Machabæo.

V. 35. NON REQUIEVERIT. Per avaritiam negaſtis illi quietem anni ſeptimi.

CAPUT XXVII.

Variorum generum vota, & illorum ac decimarum perſolutio.

1 LOcutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens: 2. Loquere fi-
liis Iſrael, & dices ad eos: Homo qui votum fecerit, &
ſpoponderit Deo animam ſuam, ſub æſtimatione dabit pre-
tium. 3. Si fuerit maſculus a vigeſimo anno uſque ad ſe-
xageſimum annum, dabit quinquaginta ſiclos argenti ad men-
ſuram ſanctuarii: 4. ſi mulier, triginta. 5. A quinto autem
anno uſque ad vigeſimum, maſculus dabit viginti ſiclos: fe-
mina decem. 6 Ab uno menſe uſque ad annum quintum,
pro maſculo dabuntur quinque ſicli: pro femina, tres. 7. Sexagenarius & ultra
maſculus dabit quindecim ſiclos: femina decem. 8. Si pauper fuerit, & æſtima-
tionem reddere non valebit, ſtabit coram ſacerdote: & quantum ille æſtimave-
rit, & viderit eum poſſe reddere, tantum dabit. 9. Animal autem, quod im-
molari poteſt Domino, ſi quis voverit, ſanctum erit, 10. & mutari non pot-
erit, id eſt nec melius malo, nec peius bono. Quod ſi mutaverit: & ipſum
quod mutatum eſt, & illud pro quo mutatum eſt, conſecratum erit Domino.
11. Animal immundum, quod immolari Domino non poteſt, ſi quis voverit,
adducetur ante ſacerdotem, 12. qui iudicans utrum bonum an malum ſit, ſta-
tuet pretium: 13. quod ſi dare voluerit is qui offert, * addet ſupra æſtimatio-
nem quintam partem. 14. Homo ſi voverit domum ſuam, & ſanctificaverit Do-
mino, conſiderabit eam ſacerdos utrum bona an mala ſit, & iuxta pretium quod
ab eo fuerit conſtitutum, venumdabitur: 15. ſin autem ille qui voverat, volue-
rit redimere eam, dabit quintam partem æſtimationis ſupra, & habebit domum.
16. Quod ſi agrum poſſeſſionis ſuæ voverit, & conſecraverit Domino: iuxta
menſuram ſementis æſtimabitur pretium: ſi triginta modiis hordei ſeritur terra,
quinquaginta ſiclis venumdetur argenti. 17. Si ſtatim ab anno incipientis iubilæi
voverit agrum, quanto valere poteſt, tanto æſtimabitur: 18. ſin autem poſt ali-
quantum temporis, ſupputabit ſacerdos pecuniam iuxta annorum, qui reliqui
ſunt, numerum uſque ad iubilæum, & detrahetur ex pretio. 19 Quod ſi volue-
rit redimere agrum ille qui voverat, addet quintam partem æſtimatæ pecuniæ,
& poſſidebit eum. 20. Sin autem noluerit redimere, ſed alteri cuilibet fuerit ve-
numdatus, ultra eum qui voverat redimere non poterit: 21. quia cum iubilæi ve-
nerit dies, ſanctificatus erit Domino, & poſſeſſio conſecrata ad ius pertinet ſa-
cerdotum. 22. Si ager emptus eſt, & non de poſſeſſione maiorum ſanctificatus
fuerit Domino, 23. ſupputabit ſacerdos iuxta annorum numerum uſque ad iubi-
læum, pretium: & dabit ille qui voverat eum, Domino: 24. in iubilæo autem
revertetur ad priorem dominum, qui vendiderat eum, & habuerat in ſorte poſ-
ſeſſionis ſuæ. 25. Omnis æſtimatio ſiclo ſanctuarii ponderabitur. (*a*) Siclus vi-
ginti obolos habet. 26 * Primogenita quæ ad Dominum pertinent, nemo ſanctificare
poterit & vovere: ſive bos, ſive ovis fuerit, Domini ſunt. 27. Quod ſi immun-
dum eſt animal, * redimet qui obtulit, iuxta æſtimationem ſuam, & addet quin-
tam partem pretii: ſi redimere noluerit, * vendetur alteri quantocumque a te fue-
rit

Digitized by Google

rit æſtimatum. 28. (*b*) Omne quod Domino conſecratur, ſive homo fuerit, ſive animal, ſive ager, * non vendetur, nec redimi poterit. Quidquid ſemel fuerit conſecratum, ſanctum ſanctorum erit Domino. 29. Et omnis conſecratio quæ offertur ab homine, non redimetur, ſed morte morietur. 30. Omnes decimæ terræ ſive de frugibus, ſive de pomis arborum, Domini ſunt, & illi ſanctificantur, 31. Si quis autem voluerit redimere decimas ſuas, addet quintam partem earum. 32. Omnium decimarum bovis & ovis & capræ, quæ ſub paſtoris virga tranſeunt, quidquid decimum venerit, ſanctificabitur Domino. 33. Non eligetur nec bonum nec malum, nec altero commutabitur: ſi quis mutaverit: * & quod mutatum eſt, & pro quo mutatum eſt, ſanctificabitur Domino, & non redimetur. 34. Hæc ſunt præcepta quæ mandavit Dominus Moyſi ad filios Iſrael in monte Sinai.

(*a*) Exod. xxx. 13. Num. 111. 47. Ezech. xlv. 12. (*b*) Ioſ. vi. verſ. 17. 25.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

Verſ. 13. *Addet ſupra æſtimationem quintam partem*. Melius eſt *ſupra* quam *ſuper*: genitivus autem *æſtimationis*, poſitus a quibuſdam loco accuſativi *æſtimationem*, non eſt ferendus.

V. 26. *Primogenita quæ ad Dominum pertinent*. Non mutes *Dominum* cum *Deum*.

V. 27. *Redimet qui obtulit iuxta æſtimationem tuam*. Cave ne in locum pronominis ſecundæ perſonæ *tuam*, ſurroges pronomen tertiæ *ſuam*.

Ibid. *Vendetur alteri quantocumque a te fuerit æſtimatum*. Recte Correctores Romani unam voculam *ante*, quæ a plerisque legebatur, diſtraxerunt in duas *a te*: repetitur enim Hebraice *iuxta æſtimationem tuam*.

V. 28. *Non vendetur, nec redimi poterit*. Sic ſcribunt antiqui codices *vendetur*, non *veniet*.

V. 33. *Et quod mutatum eſt, & pro quo mutatum eſt, ſanctificabitur Domino*. Antiqui libri omittunt *& pro quo mutatum eſt*, tamquam, inquit Epanorthotes, quod ſatis intelligatur, vel ex addita coniunctione *&*. Sed Correctoribus viſum eſt relinquere illud, maioris claritatis gratia, quemadmodum ſupra verſ. 10. utrumque exprimitur.

NOTATIO.

Verſ. 27. *Quod ſi immundum eſt animal, redimet qui obtulit iuxta æſtimationem ſuam, & addet quintam partem pretii*. Duplex hoc loco eſt lectio. Una, *Iuxta æſtimationem tuam*. Hæc duorum eſt Pariſienſium exemplarium probata Petro Serrano, & Ge. I. p. reſpondetque Hebræo textui, in quo verſus iſte ad hunc legitur modum: *Quod ſi immundum eſt animal, redimet iuxta æſtimationem tuam, addetque quintam partem eius ultra eam; ſi vero non redimatur, vendetur iuxta æſtimationem tuam*. Alloquitur ſacerdotem, cui iam ante ſæpius rerum devotarum æſtimationem commiſerat. Altera eſt, *Iuxta æſtimationem ſuam*. Iſta plerorumque eſt codicum, eſt & Radulphi, acceditque exemplaribus Chaldæis & Græcis, a quibus etiam ſuperioribus huius capitis verſibus, illa, quæ in Hebræo eſt, ad ſacerdotem allocutio mutata eſt. Chaldæa ſic hoc loco habent: *Quod ſi immundum eſt animal, redimet iuxta æſtimationem eius, addetque quintam partem eius ultra eam; ſi vero non redimatur, vendetur iuxta æſtimationem eius*. Hanc lectionem ita Radulphus intelligit ut iuxta offerentis æſtimationem redemptio fieri doceatur. Verum quomodo probabile ſit, emptori commiſſam rei emendæ æſtimationem; præſertim cum (id quod ex verſibus ſuperioribus patet) ſacerdoti æſtimatio committi ſoleat? Conſerantur cum hoc verſus 11. 12. 13. cumque ſubiungit Interpres, *Si redimere noluerit, vendetur alteri quantumcumque fuerit ante æſtimatum*, ſatis indicat non intellexiſſe ſe, offerenti æſtimationem commiſſam fuiſſe. Proinde ita lectio iſta intelligenda videtur ut *ſuam* pro *eius* poſitum accipiatur, hoc ſenſu: Redimet iuxta æſtimationem ſacerdotis (quomodo Chaldæus intellexiſſe videtur) aut potius: Redimet animal illud iuxta quod fuerit æſtimatum, ab eo nimirum cuius eſt rebus huiuſmodi pretium ſtatuere; ad quem ſenſum LXXII. verterunt: *Si autem quadrupedum immundorum, commutabit ſecundum pretium illius*. Pia Radulphi enarratio (ſi forte arrideat magis) hæc eſt: „ In ſuperioribus, ſacerdos his quæ
„ redimuntur ſtatuit pretium; hic autem
„ iuxta æſtimationem offerentis redemptio fit:
„ quia & ſacerdotis eſt audienda ſententia,
„ cum ad redimendam immunditiam noſtræ
„ pœnitentiæ nobis modus imponitur; & u-
„ nuſquiſque convenire debet conſcientiam
„ ſuam, quæ ſibi potiſſimum cognita eſt, &
„ ſecundum æſtimationem ſuam dignam Deo
„ offerre ſatisfactionem. “

COMMENTARIA

S A.

Verſ. 2. ANIMAM SUAM, id eſt perſonam ſuam, vel ad ſe pertinentem; vel *animam*, id eſt vitam: eſt enim ſermo de votis ſerviendi Deo perpetuo, vel in templo (quod ſolis levitis licebat) vel in re aliqua alia, ut ieiuniis, orationibus, & eiuſmodi. ÆSTIMATIONE, ſcilicet tua, ut eſt Hebr. alloquitur enim ſacerdotes. PRETIUM, ſcilicet cum volet votum redimere, ſeu permutare.

V. 7. SEXAGENARIUS. Nota, talem haberi velut puerum uſque ad 20. annum. Itaque non male exiſtimant qui a ieiunio excuſant.

V. 12. BONUM, ſcilicet ad offerendum, vel dignum multo pretio. MALUM ſcilicet ad offerendum ob maculam, vel vilis pretii.

V. 13. DARE, ſcilicet pro illo pretium, potius quam ut alteri vendatur a ſacerdote. QUINTAM, ſcilicet qui non redibat ad ſacerdotes anno iubilæi; redibat autem, ſi alteri vendidiſſet.

V. 16. MODIIS, id eſt ſatis, ſcilicet uno chomor, ſeu coro. VENUMDETUR. Hebr. *æſtimabitur*.

V. 21. AD IUS PERTINET, ſcilicet rediens in iubilæo.

V. 29. CONSECRATIO. Hebr. & Chal. & LXX. *anathema*.

V. 32. PASTORIS VIRGA; quaſi dicat, quæ a paſtoribus reguntur, ſeu potius numerantur, cum danda eſt decima.

V. 33. ELIGETUR, ſcilicet a decimam dante; quaſi dicat: Dabit quod ſorte obtigerit, dum ſub virga numerat.

E S T I I.

Verſ. 6. AB UNO MENSE USQUE AD ANNUM QUINTUM PRO MASCULO DABUNTUR QUINQUE SICLI, &c. Quæritur quomodo pretium illud tamquam pro voto ſolvebatur, cum illa ætate vovere non poſſint, utpote rationis nondum capaces. Reſpondeo: Licet tales per ſe vovere non poſſint, potuerunt tamen obligari voto parentum. Unde & Anna mater Samuelis, voto nuncupavit filium ſuum Deo, etiam antequam naſceretur, I. Regum cap. I. Quin & Chriſtiani paſſim obſervant, ſi parentes pro infantis, aut pueri ſalute votum voverint, id a filio, ubi ad adultam ætatem pervenerit, ſolvendum eſſe, ſi a parentibus ſolutum non fuerit. Quod quidem ſi iis etiam in rebus locum habet quæ ſunt ad ſalutem neceſſaria, multo magis in ea ſponſione locum habere debet quam ſuſceptores faciunt pro infante baptizando; qui itaque, niſi præſtet ea quæ eius nomine fuerunt promiſſa, ſalutem conſequi non poteſt.

V. 28. & 29. OMNE QUOD DOMINO CONSECRATUR, SIVE HOMO FUERIT, SIVE ANIMAL, SIVE AGER, NON VENDETUR NEQUE REDIMI POTERIT.... ET OMNIS CONSECRATIO .... NON REDIMETUR, SED MORTE MORIETUR. Quæritur quomodo omne conſecratum morte morietur, cum inter conſecrata, ut vidimus, etiam homo numeretur, & ager: homo autem Deo immolari per mortem non debet; ager autem nec poteſt. Reſpondeo, pro eo quod noſter Interpres hic habet *conſecratum*, Heb. eſt *herem*, quod Græce Septuaginta reddunt *anathema*: quam vocem quoque Interpres noſter ſervat Ioſue VI. & alibi. Eſt itaque anathema omne id quod ad gloriam Dei deſtruitur: nam vox Hebræa quoque deſtructionem ſignificat. Unde quod hic dicitur, *Redimi non poterit*, *ſed morte morietur*, ſenſus eſt, deſtruetur. Id autem fieri debebat pro modo cuiuſque rei. Nam ſi erat animal immolatitium, occidebatur in ſacrificium, immundum vero occidebatur extra ſacrificium; homo moriebatur negotiis ſæcularibus, & deputabatur cultui divino: quomodo & religioſi hodie & ſanctimoniales vocantur mundo mortui, quomodo etiam filiam Iephte oblatam Deo multi interpretantur, de quo plenius in libro Iudicum. Denique ſi erat ager, aurum, argentum, aut aliud quid inanimatum, Deo conſecrabatur, ſic ut non poſſet redire ad uſum profanum. Quæ con-

Digitized by Google

conſecratio quædam mortificatio erat: nam & hodie poſſeſſiones Eccleſiæ dicuntur amortizatæ.

MARIANAE.

Verſ. 3. DABIT QUINQUAGINTA SICLOS, ſcilicet qui ſe devovit Deo. Intelligo pro quolibet anno: alioqui ſi a viginti ad ſexaginta annos ſe devovebat Deo, ut hic dicitur, levis ea æſtimatio eſſet. AD MENSURAM SANCTUARII. Hebr. *in ſiclo ſanctuarii*. Profanus ſiclus dimidium ſancti erat.

V. 13. QUOD SI DARE VOLUERIT. Hebr. *Redimendo redemerit illud* animal, quod offerri non poterat, & Deo quis illud vovit.

V. 13. SI TRIGINTA MODIIS HORDEI SERITUR TERRA. Heb. *coro*, ſeu *chomer*, quæ menſura continet modios triginta, celemines noſtros duplicato numera fanecas quinque. Ita faneca terræ, quæ maior eſt iugero, quatuor amplius aureis æſtimabatur. Et miror non diſtinguere inter irriguam & montanam, pinguem & gracilem. Dicit autem *hordei*, quoniam in Africa & ad orientem fere eo pane utebantur. Loquitur de terra Deo conſecrata quomodo redimatur.

V. 25. SICLUS VIGINTI OBOLOS HABET. Pro *obolo* Heb. eſt *gherab*, quæ obolo eſt maior. De Ponderibus & menſ. plura cap. VI.

V. 28. QUOD DOMINO CONSECRATUR. Hebr. חרם *herem*, *anathema*, nempe quando in victoria de hoſtibus Deo homines, iumenta, aut aliquid aliud devovebant. Num. XI. Iud. XI. id neceſſario delendum erat, neque poterat redimi. Id hoc loco dicitur.

V. 32. SUB PASTORIS VIRGA TRANSEUNT. Hebr. *Omne quod tranſierit ſub virga decimum, erit ſanctitas Domino*. Alludit ad morem in decimando. Nam tranſeunte grege, decimum quodque virga deſignabatur, ſive a paſtore, quod indicat Hieronymus, ſive a collectore decimarum.

MALVENDAE.

Verſ. 2. HOMO QUI VOTUM FECERIT. Heb. *Vir cum*, vel *ſi quis*, *ſeparavit votum*, *cum ſeparatim expreſſum dicaverit Deo*. Verbum פלא *pala* ponitur hic in Hiphil: quod varie convertunt. I. *Vir cum mirificabit*, *mirabile faciet votum*. II. *Vir cum ſegregabit votum*. III. *Vir cum dicaverit*, *nuncupaverit votum*. Formula Hiphil ſignificatum auget; id eſt, cum ardue excellenter, mirabiliter, magnifice, eximie, voverit. Vide Levitici XXII. verſ. 21. DEO ANIMAM SUAM, SUB AESTIMATIONE DABIT PRETIUM. Heb. varie reddunt. I. *In æſtimatione tua animas Iehovæ*. II. *Secundum æſtimationem tuam animarum Domino*. III. *In ordinatione tua animas Iehovæ*. IV. *In æſtimatione tua animæ ſunto Iehovæ*. V. *Pro æſtimatione tua*, *perſonæ ſunto Iehova*. VI. *In æquiparatione*, *pretio*, *diſpoſitione*, *inſtructione tua animarum Iehovæ*. Quidam ſenſum eſſe volunt: Qui votum fecerit non quodcumque, ſed ut det æſtimationem, ſeu pretium animarum, hoc eſt perſonarum quas voverit Domino, tua erit æſtimatio, o ſacerdos: ut hic verſus iungatur initio ſequentis. Heb. *In æſtimatione*, *ordinatione*, *æquiparatione*, *diſpoſitione*, *inſtructione tua*. Omnia enim iſta complectitur vox ערך *gherech*; quaſi dicat, in æſtimatione tua, quam tu meo iuſſu mox illis propoſiturus es: ut deinceps toto capite præſcribitur. Ridiculum quod Hebræi aliquot hic non agnoſcunt affixum, *tua*. Sic etiam toto hoc capite in voce ערכך *ghercecha*. Quidam verſum hunc apertius ita exprimunt: *Homo qui eximium aliquod votum nuncupaverit*, *animas ſcilicet Domino*, *iuxta æſtimationem tuam fiat*. Animas hic intelligunt res viventes, ſive animalia, cum uſui, vel miniſterio ſæculari templi vovebantur.

V. 8. SI PAUPER FUERIT, ET AESTIMATIONEM REDDERE NON VALEBIT. Hebr. ex verbo reddidimus (*Et ſi oppreſſus paupertate ipſe de ordinatione tua.*) Alii aliter. I. *Et ſi pauperior eſt æſtimatione tua*. II. *Et ſi oppreſſior fuerit ipſe ab æſtimatione tua*. III. *Et ſi depreſſus eſt ille præ æſtimatione tua*. IV. *Quod ſi tenuior fuerit tua æſtimatione*. V. *Quod ſi tenuior ſit facultatibus*, *quam pro æſtimatione tua*. VI. *Et ſi attenuatur ipſe*; vel *quod ſi egentior*, *pauperior eſt*, *quam ut æſtimationem tuam poſſit ſolvere*. STABIT. Heb. *ſtare faciet*, *ſtatuet*, *ſiſtet eum*. Quidam

ſub-

ful audiunt, aliquis alius ſacerdos. Alii, nimirum is qui votum nuncupaverit. Alii volunt eſſe enallagen perſonæ, pro & ſtatues illum coram te, o ſacerdos. Aliene reddunt: *Statuet ſe, ſiſtet ſe, collocabit ſe*.

V. 9. Animal autem, &c. Nos ad verbum hunc verſum ex Hebræo expreſſimus (*Et ſi animal, quod appropinquare facient de ex eo Korban* IHUH, *omne quod dabit de ex eo* IHUH, *erit ſanctitas*.) Alii ſic reddunt: *Sed ſi beſtiam vovit, ex cuius genere oblationem offerre ſolent Iehovæ; quidquid ex eo dederit Iehova, eſto ſanctum*, id eſt ſacrum, ſacratum, immoletur Deo in ſacrificium.

V. 10. Et mutari non poterit, &c. Et hunc quoque verſum a nobis ex Hebr. verbatim redditum (*Non mutare faciet illud, & non commutare faciet illud bonum in malo, aut malum in bono: & ſi commutare facere commutare faciet animal in animali: & erit ipſum, & commutatio eius ſanctitas erit*) alii ita convertunt: *Ne aliam* beſtiam *ſufficito pro ea*, nempe eiuſdem generis: neque *commutato* re ulla diverſi generis, *illam*, ſubſtituens *bonum pro malo, aut malum pro bono: quod ſi ullo pacto commutet beſtiam beſtia, tunc erit illa, & quæ ſubiecta eſt pro illa, erit*, inquam, *ſancta*; id eſt. utraque ſacrabitur, vel ſacrificabitur Domino.

V. 12. Qui iudicans utrum bonum an malum sit, statuet pretium. Quidam reddunt: *Et æſtimabit ſacerdos eam beſtiam*, admittendam puta, & vendendam iuſto pretio, quod in rem ſacram vertatur: *ſive bonam, ſive malam: prout æſtimaveris, o ſacerdos, ſic erit*; vel *ſecundum æſtimationem tuam ſacerdotis, ſic erit. Utrum bonum, an malum ſit*. Hebr. *Inter bonum, & inter malum*. Quidam exponunt: *Sive bonum ſit, ſive malum, quale quale ſit*. Alii: Penſabit ſacerdos quid boni, & quid mali ſit illi animali.

V. 13. Quod si dare voluerit, &c. Aliqui reddunt: *At ſi plane volet redimere illam, addet quintum eius ſupra æſtimationem tuam*; id eſt, ſi voviſſe pœniteat ipſum, eamque rem nolit venditioni liberæ, aut licitationi permittere, ſed omnino ſibi cupiet retinere; tum ſupra æſtimationem ordinariam multator quinta, levitatis ſuæ ac temeritatis nomine. Sic verſu 15.

V. 14. Homo si voverit domum suam, et sanctificaverit Domino. Heb. *Et vir cum ſanctificabit domum ſuam ſanctitatem Domino*; vel *cum conſecrabit, dedicabit domum ſuam conſecrationem Domino*. Id eſt cum voverit, ſeu donaverit Domino, ut ſit ſancta & conſecrata Domino. Sic in ſequentibus.

V. 16. Triginta modiis. חומר *chomer* convenit inter Hebræos & Noſtros eſſe idem quod כור *cor*, nimirum eſſe *menſuram quæ caperet decem ephaim, & triginta* סאים *ſeim*, id eſt *modios*. Noſter Iſaiæ v. verſ. 10. *ghomer, triginta modios* vertit. Quidam a *cumulo*, ſeu *tumulo* dictam volunt, quod ſit ingens menſura, & quaſi cumulum, ſeu tumulum efficiat. Alii a חמור *chamor*, id eſt *aſinus*, deducunt; quod ſignificet menſuram frumenti, quam aſinus Palæſtinus prægrandis & prævalidus ferre queat. Vide Ezechiel. xlv. verſ. 11.

V. 21. Cum iubilaei venerit dies. Hebr. *In exeundo eum in iobel*. Exponunt: In exeundo eum de dominio & poſſeſſione ementis. Alii: *Poſtquam exiit a iure eius*, nempe qui vendidit. Et possessio consecrata. Heb. *ſicut ager* חרם *cherem*: exponunt autem *cherem, exciſionem, excidionem, devotionem, anathema*. Atque hic, & in aliis ſimilibus locutionibus aiunt genus eſſe voti, aut devotionis, quando quis rem aliquam penitus a ſe abdicat, quam nec redimere poteſt, nec per æſtimationem recuperare; quaſi dicas rem Deo conſecratam ac devotam, quæ ad profanos uſus applicari non poteſt, quaſi exciſam & excommunicatam ab omni alio uſu, & poſſeſſione. Græci *anathema* per *h* dixerunt. nimirum *donum*, quod dicatur ſeu conſecratur; quaſi dicat *dicamentum, donarium, devotum, devotorium*. Et proprie volunt eſſe *anathemata* ea donaria quæ dicata diis, appendebantur parietibus & columnis templorum, vel ex lacunaribus ſuſpendebantur. *Ornamenta fanorum*, inquit Macrobius, *ſunt clypei, coronæ, & huiuſmodi donaria*. Vide Tomum III. Henriciani Theſauri, colum. 1473. Ergo hic *ager anathematis*, ſeu *devotionis* dicitur, qui penitus devotus & conſecratus erat Deo, voto excidionis. Vide infra verſ. 28.

V. 24. In iubilaeo autem, &c.

Hunc

Digitized by Google

Hunc verſum obſcure ex Hebræo a nobis redditum (*In anno iobel revertetur ager cui acquiſivit eum de ad eum, cui ei apprehenſio terræ*) alii ſic convertunt: *In anno vero iubilæo revertetur ager ad eum a quo iſte eum emit, ad eum, inquam, cuius eſt fundi aut terræ proprietas, ſeu poſſeſſio*.

V. 26. PRIMOGENITA QUAE AD DOMINUM PERTINENT. Hebr. *Verumtamen primogenitum quod primogenitabitur Domino*. Alii: *Quod primum gignetur*. Quidam: *Quod primitiabitur*. Plerique: *Quod iure primogenituræ offertur Domino*; vel *quod iure primogenitorum dicatum eſt Domino*. Nonnulli: *Quod dabitur in primogenituram Domino*; id eſt, quod iure primogenituræ debetur Domino, ex lege primogenituræ Exodi XIII. verſ. 2. ac ſi dicat: Nemo vota Deo nuncupare poteſt ex primogenitis, quod ipſius ſint.

V. 27. ADDET QUINTAM PARTEM PRETII: puta ſi eam rem plane volet redimere, neque ut alteri vendatur, aut a ſe abiudicetur, permittere, ut ſupra verſ. 11. Hanc conditionem adhiberi oportere, altera pars verſus demonſtrat. Ita quidam exponunt.

V. 28. QUIDQUID SEMEL FUERIT CONSECRATUM, SANCTUM SANCTORUM ERIT DOMINO. Hebr. quidam ita reddunt: *Omnis res devota ſanctа ſanctarum eſt Iehovæ*, id eſt ſacroſanctiſſima; quaſi dicat: Numquam ad illum qui devovit eam, aut ad alium ulla ratione redito; ſed penes ſacerdotes in perpetuum maneto.

V. 29. ET OMNIS CONSECRATIO, &c. Hebr. *Omne anathema*, ſive *omnis devotio*, vel *omne devotum*, aut *omnis res devota, quæ devovebitur de homine, non redimetur: omnino morietur*. Quidam annotant indicari hic votum quod concipiebatur ab Iſraelitis, cum ex pacto internecionis, aut ex conditione everſionis urbium, homines aut ſpolia devovebantur Deo: ut vides Numer. XXI. verſ. 2. Deuter. XIII. verſ. 15. 16 17. & Ioſue VI. verſ. 17 18. Ritum hunc & cæremoniam devovendi hoſtium urbes, exercitus, duces, in uſu apud Romanos fuiſſe, late diſces ex Livio Lib. VIII. cap. IX & X. & Lib. X. cap. XXVIII. & ex Macrobio Lib III. Saturnaliorum cap IX. Alii hunc verſum ita reddunt: *Omnis beſtia devota quæ devovetur ab homine, ne redimitor: omnino morte afficiatur*.

V. 32. OMNIUM DECIMARUM, &c. Hunc verſum paulo obſcuriorem in Hebræo, explicatius ſic reddunt: *Et omnis decima armenti & gregis, & omnium quæ ſub virga tranſeunt, decimum quodque conſecratum erit Domino*. Alii: *Et omnium decimarum boum aut gregum, eorum quæ tranſeunt ſub virgam, decimum quodque eſto ſanctum Iehovæ*. Illud, *ſub virga*, aiunt rationem explicare qua hæc tria animalium genera decimari debent: nimirum ut quo ordine ipſa ex ſtabulis ſua ſponte exeunt, decimum quodque baculo numerantis tangatur, & ſegregetur Domino, ut ſequens verſus exponit. Notant Hebræi, virgam illam qua tangebant pecudes egredientes, fuiſſe tinctam rubro colore, quo tingebatur decima quæque pecus egrediens, & ita ſegregabatur, & ſeponebatur pro decima ceſſura Deo.

V. 33. NON ELIGETUR NEC BONUM NEC MALUM. Heb. *Non diſquiret inter bonum ad malum*. Hebræi exponunt: Non inſpiciet inter pecus pingue & macilentum, inter maſculum & feminam, inter integrum & maculatum: non ſeliget quod daturus eſt pro decima; ſed quod ſorte decimum exierit, id dabit, qualecumque fuerit.

Valentiæ 2. Aprilis, anno ſalutis 1622. ætatis vero meæ LXX.

MENOCHII.

Verſ. 2. SPOPONDERIT DEO ANIMAM SUAM: voverit ſeipſum mancipare cultui divino in tabernaculo, ut ſcilicet portet aquas vel ligna ad ſanctuarium, ut verrat atrium, &c. ut ſubſerviat levitis. SUB AESTIMATIONE, quæ hic taxatur, & præſcribitur, dabit pretium.

V. 3. AD MENSURAM SANCTUARII. Vide dicta Exod. L. 13.

V. 5. A QUINTO ANNO USQUE AD VIGESIMUM MASCULUS DABIT VIGINTI SICLOS, ſi videlicet parentes eum devoverint: nam puer quinquennis, cum careat uſu rationis, vovere non poteſt.

V. 8.

V. 8. CORAM SACERDOTE, etiam minore, qui eo tempore miniſtrat: nam non exprimitur hic pontifici hoc reſervari.

V. 12. IUDICANS UTRUM BONUM AN MALUM, an magni valoris, an exigui.

V. 13. ADDET SUPRA AESTIMATIONEM QUINTAM PARTEM. Hoc additamentum conſtitutum eſt ne faciles eſſent voventes ad redimendum quod ſemel Deo votum erat.

V. 14. SANCTIFICAVERIT: per votum conſecraverit.

Verſ. 16. AGRUM POSSESSIONIS SUAE, quem ut ſuum, & proprium poſſidet. QUINQUAGINTA SICLIS, non ſemel tantum, ſed annuis.

V. 17. TANTO AESTIMABITUR, iuxta legem datam, ut ſcilicet pro agro qui ſerebatur 30. modiis, darentur 50. ſicli annui, & ſic proportione de reliquis, computando annos qui reſtabant uſque ad proximum iubilæum.

V. 20. SIN AUTEM, &c. Huius verſus, & ſequentis hæc eſt ſententia: Si quis agrum ſuum voverit, nec redemerit, a ſacerdotibus, cum annus iubilæi advenerit, non recipiet agrum ſuum; & ſi ſacerdotes ante annum iubilæi vendiderint agrum illum, redibit anno iubilæi ad ipſos ſacerdotes, non autem ad priorem dominum. Verum quia Levitæ poſſeſſiones habere non poſſunt, cum in anno iubilæi agrum illum receperint, vendent alicui ex ea tribu ex qua erat primus poſſeſſor, ne tribuum poſſeſſiones confundantur.

V. 22. SI AGER EMPTUS EST, &c. ſententia eſt: Si quis emit agrum, & antequam a venditione redimatur vovet illum Domino, adveniente iubilæo, ad priorem dominum, qui vendiderat, redibit: quia qui vovit, non potuit aliud per votum offerre quam ius quod habebat poſſidendi uſque ad annum illum, quo omnia ad proprios dominos revertuntur.

V. 25. SICLO SANCTUARII. Vide dicta Exod. XXX. 13.

V. 26. PRIMOGENITA, QUAE AD DOMINUM PERTINENT, NEMO SANCTIFICARE POTERIT. Hæc non poterant voto ſanctificari, quia Domino immolanda erant ratione primogenituræ, ut patet Num. XVIII. 17.

V. 27. QUOD SI IMMUNDUM EST ANIMAL. Sermo eſt de animali primogenito. VENDETUR ALTERI, vendi poterit: nam ſi is qui obtulit noluiſſet redimere, nihil vetabat quo minus animal illud ſibi ſacerdos retineret.

Verſ. 28. OMNE QUOD DOMINO CONSECRATUR, &c. Omnia quæ voventur Deo eo genere voti quod חרם *cherem* appellat hic textus Hebræus, & Græce dicitur ἀνάθημα *anathema*, vendi aut redimi non poteſt: nam hæc eſt peculiaris huius voti natura, ut quod per illud vovetur, abſolute, perfecte, & irrevocabiliter Deo conſecretur.

Verſ. 29. OMNIS CONSECRATIO. Hebr. *omne cherem*. MORTE MORIETUR, ſi occidi poſſit, aut ſi occidere liceat, ut ſi ſit animal mundum, aut ſi hoſtes ſint morti a Deo addicti, cuius exemplum habemus Num. XXI. 2. ubi Chananæi ab Hebræis voto *cherem* devoti, omnino, & ad internecionem ſucciſi ſunt.

Verſ. 30. DE FRUGIBUS, SIVE DE POMIS, de omnibus fructibus terræ. DOMINI SUNT, hac lege Domino debentur. ET ILLI SANCTIFICANTUR, ſanctificari, dari, & offerri debent.

V. 32. QUAE SUB PASTORIS VIRGA TRANSEUNT: quæ a paſtoribus reguntur, ſeu potius numerantur, cum decimæ dandæ ſunt. QUIDQUID DECIMUM VENERIT; quaſi dicat: Dabit quod ſorte obtigerit, dum ſub virga numerat, ſive bonum ſit, ſive malum.

TIRINI.

Verſ. 2. HOMO QUI... SPOPONDERIT DEO ANIMAM SUAM; id eſt, qui voverit ſeipſum mancipare cultui & ſervitio Dei.

Nota, duplicis generis voto potuiſſe aliquem devovere ſe vel ſua cultui & ſervitio divino, ſeu conſecrari Deo, aut ſanctificari. Primo generaliter *a* & indefinite, quo modo qui voverat, poterat pretio hic a Deo præſcripto ſe ſuaque redimere. Secundo ſpecialiter, & abſolute, & determinate, ut ipſa per ſe in perpetuum applicarentur cultui & ſervitio Dei, nulla poteſtate facta ea redimendi, aut in profanum uſum denuo reducendi. Et hoc

vo-

votum Hebræi *cherem b*, Græci *anathema* vocabant. Quæ ſic Deo conſecrabantur, mori debebant, puta vel naturali morte, vel civili. Naturali per ſacrificium, ſi erant animalia ad id idonea; vel per ſimilem ſacram immolationem, ſi erant homines Dei hoſtes aut eximii peccatores. Sic urbs Iericho iubebatur eſſe anathema Ioſue VI. & aliæ idololatricæ Deuteron. XIII. & Amalecitæ I. Reg. XV. Et tali etiam voto ſeſe obſtrinxerunt Iſraelitæ ad excidionem urbium Chananæarum Num. XXI. verſ. 2. Morte civili id fiebat per applicationem ad perpetuum ſervitium tabernaculi vel templi, & ſeparationem perfectam ab uſu & dominio profano. Sic Nazaræus perpetuus *c*, cuiuſmodi Samuel fuit, *cherem*, & *anathema* dicebatur. Et quotquot ſimili voto ſeſe obſtrinxerant, obligati æternum erant ad quælibet etiam infima templi miniſteria, iuxta placitum & imperium ſacerdotum vel levitarum. Itaque viri cineres efferre, ligna convehere, ſordes everrere, aquas comportare, aliaque his ſimilia præſtare debebant: ſicut Gabaonitæ ſeu Nathinæi in perpetuum ſervitiis illis addicti fuerunt Ioſue IX. verſ. 21. Feminæ vero ea quæ iſti ſexui convenientia erant, ut nere, telas texere, ſacerdotales & leviticas veſtes conficere, lavare, reparare. Simili modo ager hereditarius Deo ſic devotus, ſi heres abſolutus redimere noluerit, ita manebat Deo conſecratus ut ne quidem in iubilæo *d* ad priorem heredem reverti poſſet. Et hæc figura erat Religioſorum novi teſtamenti, quorum & perſonæ per profeſſionem, & fundi per amortizationem, quaſi *cherem* & *anathemata*, ab omni iuriſdictione ſæculari æternum ſuccidantur, & divino ſervitio mancipantur. Hæc tamen nomina ſolent non raro etiam in malam partem accipi, tum olim, ut ſupra dixi de urbibus idololatricis, & eximiis peccatoribus; tum etiam hodie, ut patet in excommunicatis, qui *cherem* & *anathemata* dicuntur, eo quod ab Eccleſiæ conſortio per cenſuram illam eccleſiaſticam & quaſi mortem ſpiritualem ſeparantur. Et tunc ſolet Græce ἀνάθεμα per ε ſcribi: nam alias cum in bonam partem ſumitur, ſolet fere per η ſcribi, ἀνάθημα.

V. 23. SUPPUTABIT.... IUXTA ANNORUM NUMERUM USQUE AD IUBILAEUM, PRETIUM. Ut pretium agri ſemel voto generali Deo conſecrati, ſed poſt a poſſeſſore redimendi, iuſtum conſtitui poſſet, tria voluit Deus attendi. Primo an is qui voverat, iure hereditario a maioribus ad ſe devoluto agrum poſſederit. Secundo quantum ſementis capiat dum conſeritur. Tertio quot anni ſuperſint uſque ad proximum iubilæum. Nam talis pro ſingulis annis adhuc reliquis, ſi ager triginta modiis hordei consereretur, iubebatur ſacerdoti appendere quinquaginta ſiclos argenti: & inſuper, ſi forte redimere vellet agrum ſuum, cogebatur addere quintam partem pretii æſtimati agri; ſin nollet redimere, numquam deinceps, etſi a ſacerdotibus alteri vendi contingeret, ad priorem dominum redire aut revolvi poterat, ne quidem in iubilæo. Sin vero is qui agrum voverat, non poſſederit illum iure hereditario, ſed ſolum iure emptionis, & iam Deo devotum pretio redimere vellet; non debebat niſi nudum pretium ſementis iuxta numerum annorum uſque ad iubilæum præſtare, non addita parte quinta ſupra æſtimationem: deinde ſive is redimeret a ſacerdotibus, ſive non, iubilæo adveniente redibat ius poſſeſſionis ad priorem dominum cui iure hereditario debebatur, non ſecus ac ſi nullo facto voto remanſiſſet apud emptorem. Ratio erat, quia emptor ille, ut non erat abſolutus dominus agri, ſed ſolum ad tempus, ita non poterat ſuo voto agrum niſi ad idem tempus obſtringere Deo, neque aliud quidpiam facere in præiudicium hereditarii domini.

(*a*) Ut hic ſumitur uſque ad verſ. 28.
(*b*) Ut a verſ. 28. & deinceps.
(*c*) Hic verſ. 20.
(*d*) Vide Num. VI.

GORDONI.

Verſ. 2. HOMO QUI VOTUM FECERIT, &c. Senſus eſt: Qui ſe obtulit per votum ut inſerviret tabernaculo per ſervilia opera, ita ſe redimet. Hoc de levitis eſt: nam aliis non permittebatur ſic vovere.

V. 3. De ſiclo vide Gen. cap. XXIII. & Exod. XXX. Lege de pretiis hic poſitis Philonem de ſpecialibus Legibus. Sicut talentum Hebræum duo continebat talenta Attica;

tica; ita Septuaginta videntur voluiſſe drachmam Hebræam eſſe duplam Atticæ: quo modo drachmam Atticam multi voluut eſſe quartam partem ſicli; ſic ſolent Septuag. pro ſiclo ponere duas drachmas, ſeu didrachmum, æſtimatione Hebraica. Philo quoque citatus pro quolibet ſiclo ponit quatuor drachmas Atticas. Additur AD MENSURAM SANCTUARII, hoc eſt ponderis iuſti, quod in Sanctuario ſervabatur. Aliqui tamen ponunt diſcrimen in pondere, ut illi quibus profanus ſiclus eſt dimidium ſicli ſancti.

V. 16. Pro MODIIS. Hebræus habet *chomer* חמר; Septuag. χορὸς: unde colligunt plerique chomer, ſeu corum continere triginta modios, ex collatis inter ſe verſionibus. Vide Geneſ. XVIII. & Exod. cap. XVI.

V. 17. SI STATIM AB ANNO, &c. Duo notantur hic conſideranda, ut pretium agri Deo conſecrati conſtituatur: primo quantum ſeminis capiat; inde erit de pretio iudicium. Secundum expendendum, quot ſuperſint anni uſque ad Iubilæum: ſic verſu 16. pretium agri capientis triginta modios hordei, deſinitur ſiclis quinquaginta, &c, quod probabilius eſt, ſolvendis in ſingulos annos inter iubilæum & iubilæum a die emptionis.

V. 21. *Ager* חרם *cherem*, *ager anathematis:* ager, inquam, per votum tale conſecratus Deo in venditione ſua, non poteſt redire ad dominum; ſed occurrente iubilæo vendatur alicui alteri ex tribu laici qui agrum conſecravit. Et hoc ne ſacerdotes poſſideant agros.

V. 28. & 29. OMNE QUOD DOMINO, &c. Hebr. *Omne* חרם *cherem*. Sept. πᾶν ἀνάθημα. Intellige hac voce, ut res magis explicetur, non quidquid conſecratur Domino (nam aliqua talia redimi poſſunt) ſed quod conſecratur Domino ut in perpetuum maneat Deo conſecratum. Diverſum ergo eſt hoc votum a voto ſimplici: quod enim nude & ſimpliciter, ac communi more votum eſt, redimi potuit, ut ſæpe hoc capite dicitur; at vero aliud eſt de re conſecrata, & ad ſenſum huius verſiculi, ubi in Hebr. eſt *Cherem*, quod denotat, ſuccisionem, anathema, & velut deſtructionem rei: radix חרם eſt anathematizare, internecioni devovere, conſecrare: talis ergo per votum conſecratio manebat uſque ad mortem naturalem vel civilem. Et hoc votum maximum dicebatur. Sic verſ. 21. *Ager cherem* ita ſuccidebatur ut numquam rediret ad dominum venditorem; ſic animal immolabatur; ſic homines hoſtes occidebantur; ſic homo non hoſtis civili morte tenebatur, ut in Nazaræis fiebat. Sic denique Paulus Rom. IX. verſ. 3. optat anathema eſſe pro fratribus. Immo & ſola Dei voluntate fiebat hæc aliquando oblatio Cherem, v. g. in hoſtes, ut ſub Saule Amalec. Quod eſt verſ. 29. MORTE MORIETUR, ſcilicet naturali vel civili. Ex his advertat Lector ne leges confundat ex ordine verſuum huius capitis.

V. 30. OMNES DECIMAE. Frugum decimæ Deo debentur, hoc eſt levitis ex Num. XVIII. verſ. 21. Immo & levitæ ſolvebant pontifici ſuarum decimarum partem decimam Num. cap. XVIII. verſ. 28. Hoc de decimis levitarum: ſi quis eorum vellet eas redimere, debebat ſuperaddere quintam pretii partem. De iure decimarum dixi in opere Theologico, Lib. VI. quæſt. IV.

V. 32. PASTORIS VIRGA, &c. Cum numerando decima dabatur, paſtoris virga decimum deſignabat.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 5. A QUINTO ANNO. Puer quinquennis non poteſt vovere, cum nondum pervenerit ad uſum rationis: hoc eſt ergo cum parentes vovent puerum.

V. 8. SACERDOTE, qui tunc forte miniſtrat.

V. 14. SANCTIFICAVERIT, per votum conſecrarit.

FINIS TOMI SECUNDI.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google